10324

4.9
64

*Summa capitis primi.*

2 VT Animam definiat, præmittit quasdū diuisiones: quarū prima est secundū quod ens diuiditur in decem prædicamenta. Secunda diuisio est secundum quod substantia diuiditur in materiam, & formam, & compositum. Tertia diuisio est, quod actus dicitur dupliciter; vno modo sicut scientia est actus; alio modo sicut consideratio est actus.

Ad inuestigandum subiectū animæ, innuit tres alias diuisiones. Quarum prima est, quod substantiarum quædam sunt corpora: & istæ sunt maximè manifestæ: aliæ sunt substantiæ incorporeæ à sensibus remotę, & sola ratione inuestigabiles. Secunda diuisio est, quædā sunt corpora physica, idest, naturalia; quædam, nō naturalia, sed artificialia. Tertia diuisio est, quod corporum naturalium, quædā habent vitam, & quædā non habent, quæ ab exteriori tantum moueri possunt.

3 Igitur anima est actus substantialis; nam nomine animæ intelligimus, id, quo habēs vitam, viuit: vnde oportet, quod intelligatur aliquid in subiecto, vel materia existens. Cum ergo anima non sit corpus habens vitam; neque materia, quæ est corpꝰ subiectum vitæ: relinquitur quod anima sit substantia, sicut forma, vel actus. Et cum sit actus sicut scientia, & non sicut consideratio, erit *Actus primus corporis physici, potentia vitam habentis*: & tale [illegible] corpus organicum, saria, est in corpore suscipiente vitam, propter diuersas operationes animæ.

4 Ex quo patet qualiter vnū fiat ex anima, & corpore; nam vnitur animæ immediatè, inquantum anima est forma corporis. Constat etiam, quod anima est forma substātialis, quia est de essentia, siue de quidditate corporis animati. In quo differt a forma artificiali accidentali, qua sublata manet substantia, licet non sub forma artificij: sicut autem remoto visu, non remanet oculus, nisi æquiuocè, ita remota anima, nō remanet viuum, nisi æquiuocè. Corpus autē, quod est perfectum per animam, est potentia, habens quidem actum primum, sed aliquando carens actu secundo. Nec tota anima separatur à corpore, sed secūdum quasdam partes nihil prohibet animam separari; quia intellectus nullius corporis est actus.

*Summa capitis secundi.*

5 INtendit demonstrare positam definitionem animæ; oportet enim quod in definitione tangatur causa, & quod per definitionem, dicētē *propter quid*, demōstretur definitio, quæ dicit solum *quia*. Et vtitur tali demōstratione. Illud quod est primum principium viuendi, est viuentium corporum actus, & forma. Sed anima est primum principium viuendi, his quę viuunt: ergo est corporis viuentis actus, & forma. Quæ est demonstratio à posteriori: ex eo enim quod anima est forma corporis viuentis, est principium operū vitæ, & non è cōuerso.

6 Vt ostendat, quod anima est principium viuendi, distinguit quatuor modos viuendi, quorum vnus est per intellectum; secundus per sensum; tertius per motum, & statum localem; quartus per motum alimenti, & decrementi. Hinc sequitur, quod omnia vegetabilia viuant, quia omnia habent potētiā, & principium, quo suscipiunt motum augmenti, & decrementi. Et quęcumque nutriuntur; tandiu viuunt, quandiu possunt accipere nutrimentum. Dicitur autem aliquid esse animal propter sēsum: omnia autem animalia habēt sensum tactus. Est ergo anima vegetatiua in plātis, & in omnibus viuētibus; anima sensitiua in omnibus animalibus; progressiua in omnibus animalibus perfectis, intellectiua in omnibus hominibus.

7 Mouet duas quęstiones. Prima est, vtrū quatuor prædicta sint partes animæ, aut quodlibet eorū sit anima perse? Secunda, vtrum hoc modo sint partes, quod separentur ab inuicem solum secundum rationem; aut separentur loco, & subiecto? Respondet primo ad secundā quæstionem, quod in animalibus imperfectis, quæ decisa viuūt, facile apparet quod forma specifica post diuisionem sit in vtraque partium. De intellectu autē est dubiū in libro tertio determinādum. Sed quod reliquæ partes animæ nō sint separabiles loco ab inuicem, manifestum est ex prædictis. Sunt tamen separabiles ratione: nā si actus sunt diuersi secundum speciem, etiam potentiæ ab illis specificatæ habebunt diuersam rationem.

Respondet ad primam quæstionem, quod quibusdam animalium insunt omnia prędicta, quibusdam verò quædam horum, alijs verò vnum solum. Quibuscumque autem inest vnum solum prædictorum, oportet quod illud sit anima. In quibus verò insunt plura, quodlibet est pars animæ: sed illa anima denominatur a principaliori, vel sensitiua, vel intellectiua.

8 Concludit ex dictis secundam definitionē animæ; & dicit, quod *anima est quo viuimus, & sentimus, & mouemur, & intelligimus primo.* Et referuntur hæc quatuor ad quatuor genera vitæ, de quibus dictum est: nam viuere refert principium vegetatiuū, quod est in omnibus viuentibus.

*Summa capitis tertij.*

9 DEterminat de partib⁹, seu potentijs animæ in communi: quarum quidem sunt quinque genera, scilicet, vegetatiuum, sensitiuum, appetitiuum, motiuum secūdum locum, intellectiuum. Inest autem plantis solum vegetatiuū. Animalibus inest vegetatiuum, & sensitiuum: & consequenter appetitiuum, quia, quibus inest tactus, adest appetitus: & quibus inest sensus alimenti, inest esuries, & sitis. Quibusdam autem animalibus super hæc tria inest, etiam motiuum secundum locum. Hominibus autem super hæc quatuor inest intellectiuum.

10 Ge[illegible]nter e[illegible]qua

animæ ad partes iam numeratas dicens, quod neque definitio communis animę prætermittenda fuit; neque sic est assignanda definitio communis, quod non cõueniat singulis animabus. Oportet præterea propriam definitionem cuiuslibet partis animæ inquirere, vt sciatur, quid est anima plantæ; quid anima bestiæ; quid anima hominis?

11 Determinandum autem restat qualiter se habeant partes animæ consequenter: quia sensitiuũ nõ potest esse sine vegetatiuo; sed vegetatiuum separatur à sensitiuo in plantis. Sine sensu tactus nullus aliorum sensuum esse potest: tactꝰ autem inuenitur sine alijs sensibus: multa enim animalia, neque visum habent, neque auditum, neque odoratum, sed solum tactum. Motiuum etiam non potest esse sine sensitiuo: motus autem progressiuus non est omnibus animalibus. Quibuscumque autem inest ratio, his insunt, & omnia alia præ dicta.

*Summa capitis quarti.*

12 QVia secundum rationẽ definitiuam, actus, & operationes sũt priores potẽtijs; ideò quod actus ponantur in definitionibus potentiarum. Vnde ad determinandum in specie de partibus animæ, oportet dicere de actibus, scilicet, quid sit intelligere; quid sentire? Et quia ex termino, & fine specificatur operatio, prius oportet determinare de obiectis, qua[illegible]ctibus: vnde primo di[illegible]d est obiectum animæ vegetatiuæ, & de generatione, quæ est actus eius.

13 Ad cognitionem autem partis vegetatiuæ præmittit duo: primo, quod generare pertinet ad partem vegetatiuam: quia omnis operatio, quæ naturaliter inuenitur in omnibus viuentibus, pertinet ad potentim vegetatiuam, secundum quam primo viuere inest omnibus. Sed generare naturaliter inest omnibus viuẽtibus, vt assimilentur diuino, & immortali, quantũ possũt: ergo pertinet ad potentiam vegetatiuam.

Sed & secundo præmittit, quod opera, quæ attribuuntur potentiæ generatiuæ sunt ab anima, quia anima est principium, & causa viuentis corporis tribus modis, nempe, in genere causæ efficientis, finalis, & formalis: quia est causa essendi, vt actus, ac perconsequens vt forma: & vt finis propter quem operatur natura. Et quia forma est principium motus, oportet quod anima sit principium motuum, & operationum.

14 Inde excludit duos errores: alterum Empedoclis, qui augmentum viuẽtium nõ attribuit animæ, sed motui grauium, & leuium. Quod est falsum, alioquin eodem modo esset sursum, & deorsum in omnibus viuentis, ac est in toto vniuerso. Et rursus, quia illud principaliter est causa augmẽti; quod cõtinet elemẽta, ne totaliter ab inuicem separentur: hoc autem est anima in rebus viuentibus: anima igitur est principium augmenti.

Aliꝰ error erat dicere, quod principalis causa erat ignis. Contra quos asserit non esse principalem causam, sed solum concausam, & instrumentum: quia ignis augmentum non est vsque ad determinatã quantitatem, sicut est augmẽtum: & ideò terminus, & ratio magnitudinis magis est ab anima, quam ab igne.

15 Tandem tractat de obiecto partis vegetatiuæ, quod est alimẽtum: & docet, quod si loquamur de alimento non decocto, sic contrarium contrario alitur: loquendo verò de alimento decocto, sic alitur simile simili. Nihil autem nutritur, quod nõ participet vitam: omne autem participans vitam est animatũ; sequitur ergo, quod corpus quod alitur sit animatum. Licet ignis videatur per quandam similitudinem nutriri, non autẽ propriè nutritur, sed alius generatur. Alimentum etiam est factiuum generationis: semen enim, quod est generationis principium, est superfluum alimẽti. Ex quo habetur definitio animæ vegetabilis, vt sit *generatiua alterius similis secũdum speciẽ*: tunc enim vnumquodque maximè perfectum est (vt in 4. Meteororum lec. 4. dicitur) cum potest facere alterũ tale, quale ipsum est.

*Summa capitis quinti.*

16 DEterminatis his, quæ pertinẽt ad animã vegetatiuã, dicendum est de his, quæ pertinẽt ad sensum in cõmuni. Et in primis manifestum est, quod anima sẽsibilia, sed potentia tantũ: & propter hoc sensus non sentiunt sine exterioribus sensibilibus. Cum autem experiamur sensus quãdoque esse in actu, vel audiendi, vel videndi. Ideò patet, quod sensus, & sentire dicũtur dupliciter, scilicet in actu, & in potentia.

17 Vt autẽ intelligatur quomodo sensus educatur de potentia in actum; dicẽdum est, quod vno modo dicitur aliquid in potentia remota, quia habet naturalem potẽtiam ad sciendum, & ad habendũ habitũ scientiæ: alio modo in potentia proxima, quia habet habitũ scientiæ, quo vtitur cum vult: & cum iam considerat. est perfectè in actu. Qui est in potẽtia primo modo, reducitur in actum quasi alteratus per doctrinam, & motus ab aliquo alio existente in actu. Qui verò est in potentia vt habens habitum, fit agens secundum sciẽtiam: & iste non verè alteratur, & patitur, sed proficit, & perficitur. Qui verò de nouo acquirit scientiam, vel nõ debet dici pati simpliciter; vel dicendum, esse alium modũ alterationis, cum acquirũtur habitꝰ absque eoquod aliquid abijciatur.

18 Sicut autem in sciẽtia est duplex potentia, & duplex actus, ita est & circa sensum: nam quod nondum habet sensum, & natum est habere, est in potentia ad sensum: & quod iam habet sensum, & nõ dũ sentit, est potentia sentiẽs, sicut circa scientiam dicebatur. Licet sit differentia, quod sensus naturaliter inest animali; secus autem est de scientia, quę non inest à natura, sed acquiritur per inue[illegible]m, & disc[illegible]

tia, nam sensibilia, quæ sunt obiecta operationis sensitiuæ, sunt extra animam, quia sensus sunt singularium; & ideò non potest quis sentire cum vult, sed cum adsunt ei sensibilia. At verò scientia est vniuersalium, quæ quodammodo sūt in anima: vnde potest considerare ea cum vult, nisi fortè peraccidēs impediatur.

*Summa capitis sexti.*

19 TRactat de sensibilibus, quæ sunt obiecta sensuū, de quibus deinceps est dicturus. Sensibilia verò trib⁹ modis dicūtur. Vno quidem modo peraccidēs: & duobus modis perse; nempè sensibilia propria singulis sensibus; & sensibilia communia. Sensibile propriū est, quod ita sentitur vno sensu, quod non potest alio sentiri, & circa quod non potest errare sensus. Sed circa sensibilia peraccidens, vel communia decipiūtur sensus. Cōmunia sensibilia sunt ista quinque, motus, quies, numerus, figura, & magnitudo. Sensibile secundum accidens dicitur, vt si dicamus, quod Socrates est sensibile peraccidens, quia accidit ei esse album.

*Summa capitis septimi.*

20 INcipit iam determinare de proprijs sensibilibus secundū vnumquemque sensum: & in hoc capite agit de proprio sensibili visus: & hoc est visibile: sub quo cō prehenditur color, & aliquid in nominatum capax lucis. Color est visibilis perse: nam est motiuum diaphani secundum actum: & quia diaphanum, non fit in actu, nisi per lumen, sequitur, quod color non sit visibilis sine lumine. Diaphanū est, quod non habet proprium colorem, sed est susceptiuum extranei coloris, secundum quem aliquomodo est visibile. Lumen est actus diaphani secundum quod est diaphanum. Quod autem lumen non sit corpus, nec defluxus, seu atomi quidam deflentes à corporibus lucidis, sicut posuit Democritus, probat: quia impossibile est duo corpora esse simul: lumen autem est simul cum corpore diaphano: ergo lumē non est corpus: sed est in tertia specie qualitatis.

21 Diaphanum autem est susceptiuum coloris: quod autem est susceptiuum coloris, oportet esse sine colore. Cum autē corpora sint visibilia per suos colores, sequitur quod diaphanum secundum seipsum sit visibile. Quædam autem vidētur in tenebris, & in lumine; sed in tenebris vt lucentia, in lumine autem vt colorata. Sine lumine autem color videri non potest. Non tamen videtur ad quancumque distantiam: oportet enim ad hoc, quod aliquid videatur, quod organum visus patiatur à visibili. Ignis autē videtur etiā in tenebris, quia habet tantum de lumine, quod potest diaphanum omnino facere in actu, ita vt & ipsū, & alia videātur.

*Summa capitis octaui.*

22 DEterminat de audibili, idest de sono, in primis docens, quod sonus quādoque est in actu, quandoque est in potentia: dicim⁹ enim rem aliquam habere sonum, & quando actu sonat, & quando

habet potentiam ſonandi; ſicut dicimus hæc campana bene ſonat, quamuis non ſonet in actu. In corpore ſonante non eſt ſonus, niſi in potentia; in medio autem fit ſon⁹ in actu. Et quia percuſio eſt cauſa ſoni, oportet eſſe percutiẽs, & percuſum: & ictus percutientis non fit ſine locali motu, qui non eſt ſine medio. Vnde relinquitur oportere eſſe mediũ, ad hoc quod fiat ſonus in actu. Corpora autem debent eſſe dura, & non molia, vt ſonum faciant. Sed æs, & corpora lenia, & concaua, ſua percuſione faciunt ſonum. Proprijſsimum mediũ, tam in generatione ſoni, quã in auditu eſt aer; quia minus bene auditur in aqua, quam in aere.

23 Explicat, quod eſt alia generatio ſoni per reuerberationem, quæ dicitur Echo; quod præcipuè fit, quando illud obſtans, ad quod repercutitur aer mot⁹, eſt aliquod corpus concauum concludens aerem in ſua vnitate, & ideò prohibens ipſum diuidi: & quandoque fit echo manifeſta, & quandoque fit non certo cognoſcibilis.

24 Rurſus, medium in ſono eſt aer: & ita oportet, quod aer, qui eſt intra tympanũ auris, careat omni motu, ad hoc quod poſsit diſcernere omnes ſonorum differentias. Impeditur autem auditus ex corruptione aeris: & etiam ſi mẽbrana, aliàs *meninga*, ſeu pellis circundans aerem, ægrotauerit. Et etiam ſi aer, qui eſt in auribus, nõ eſt immobilis. Diuerſæ autem res ſonantes faciunt diuerſos ſonos, & velocitas motus eſt cauſa ſoni acuti, & tarditas motus eſt cauſa ſoni grauis, cũ ſonus cauſatur ab vno motu.

25 Vox autem eſt quædam ſpecies ſoni, nempe ſonus animati. Licet non omnia animalia habeant vocem, ſicut omnia carentia ſanguine: ſed illa ſola animalia vocẽ habent, quæ aerem reſpirando ſuſcipiunt: natura enim vtitur aere reſpirato ad mitigationem caloris naturalis, & ad formationem vocis. Organum autem reſpirationis eſt vocalis arteria, quæ eſt ordinata ad pulmonẽ, vt ei deſeruiat ad aeris attractionem. Eſt igitur *vox reſpirati percuſsio aeris ad arteriam vocalem, quæ fit ab anima cum imaginatione ad aliquid ſignificandum.*

*Summa capitis noni.*

26 AGit de odorabili, de quo non eſt facile determinare, quia ſenſum olfatus habemus peiorem multis alijs animalibus. Senſus autem olfatus in homine videtur habere quandam conueniẽtiã, & proportionem ad guſtum, & ſimiliter ſpecies ſaporum ad ſpecies odoris. Vnde cum ſpecies ſaporũ ſint nobis magis manifeſtæ, ſpecies odorũ, quæ ſunt nobis ignotæ, & habent affinitatẽ ad ſpecies ſaporum, ſub eorum ſimilitudine à nobis cognoſcuntur. Et quia ſenſum guſtus habet homo certiorẽ, quam alia animalia, quia guſtus eſt tactus quidam; quia homo habet optimum tactũ, ſequitur quod ſit prudentiſsimum omnium aliorũ animalium: & in genere hominũ ex ſenſu tactus accipim⁹, quod eſt

qui ingenioſi ſunt. Et ſicut ſapor quidam eſt dulcis, quidam amar⁹, ſic etiam, & odores diſtinguuntur, quia vt in pluribus odores reſpondent ſaporibus. Olfatus autem eſt odorabilis, & nō odorabilis, cum ſit eadem potentia oppoſitorum. Sed non odorabile dicitur dupliciter: aut quod omnino non poteſt habere odorem, ſicut corpora ſimplicia; aut quod habet parum de odore, aut malum odorem. Et ſimiliter intelligendum eſt de guſtabili, & non guſtabili.

27 Senſus autem olfatus immutatur ab odorabili per medium aerem, aut aquam: nam animalia aquatica odorem ſentiunt, & quæ viuunt in aere; ſiquidem quædam de longinquo veniunt ad alimentum. Cum autem aquatica odorēt per aquam, dubium videtur, ſi omnia ſimiliter odorent, quaſi habentia eundem ſenſum? Reſpondet, quod diuerſitas in modo reſpirandi, nō eſt ex diuerſitate ſenſus, ſed ex diuerſa diſpoſitione organi: nā in animalibus nō reſpirantibus organum odoratus eſt ſine operculo; quod eſt in animalibus reſpirātib⁹, quod oportet aperiri ampliatis poris per reſpirationē; & ideò non odorant in aqua. Denique organū odoratus oportet eſſe in potentia ad odorem, & ad ſiccum.

*Summa capitis decimi.*

28 SEquitur dicendum de guſtabili, quod eſt quoddam tangibile, ideſt, quod tactu diſcernitur, & radicatur quodammodo guſtus in tactu. Nec ſentit guſtabile per medium extraneum; ſicut & tactus ſolum percipit per medium coniunctum. Vnde ſi eſſemus in aqua, ſentiremus corpus dulce appoſitū in aqua, ex eo quod ſapor ille permiſcetur aqueo humido, vt accidit in potu: & ideò non verificatur, quod guſtus percipit ſaporem corporis diſtantis. Sapor autem fit actu guſtabilis per humidū: & ideò oportet vt ſit ſaliua in ore, per quam ea, quæ ſumuntur, humectētur, vt eorum ſapor percipi poſsit. Guſtus autem eſt de guſtabili, & nō guſtabili: quod dicitur dupliciter, vel quia parum habet de ſapore, vel malum ſaporē, aut nimis violentum ad corrumpendum ſenſum.

29 Neceſſe eſt autem organum guſtus, neque eſſe humidum actu, neque ſaporoſum ſecundum ſeipſum, neque eſſe tale, quod nō poſſit fieri humidum. Cuius ſignū eſt, quod neque lingua exiſtens ſicca, poteſt ſentire, neque exiſtens multum humida. In ſaporibus ſimplices ſunt contrarij, vt dulce, & amarum. Species autē immediatè conſequentes ſimplices ſpecies, ſunt pingue, quod ſequitur dulce, & ſalſum, quod ſequitur amarum. Media autem horum ſunt aceroſum, & auſterum, & ponticum, & acutum. Ad has autem ſpecies fere videntur reduci omnes aliæ.

*Summa capitis vndecimi.*

30 TAndem determinat de ſenſibili ſecundum tactum, qui inter alios ſenſus videtur eſſe minus ſpiritualis, licet ſit omnium aliorum ſenſuum fundamentū. De quo inquirit primo, vtrū ſint plu-

res sensus tactus, an vnus tantum? Et videtur, quod sit vnus: omnis enim vnus sensus videtur minus contrarietatis: sed in tangibili sūt multæ contrarietates, scilicet, calidi, & frigidi, humidi, & sicci: ergo tactus non est vnus sensus, sed plures. Quod si dicatur, quod etiā in alijs sensibus sunt plures contrarietates, sicut in auditu, & visu: vnde multiplex contrarietas tangibilium nō videtur impedire quominus tactus sit vnus sensus. Hoc non sufficit, nam omnium contrarietatum, quæ sunt circa audibilia, est vnum subiectum, scilicet sonus, & similiter color circa visibilia. Sed non potest inueniri aliquid vnum subiectum omnium contrarietatū tangibilium: vnde neque vnus sensus tactus.

Secunda dubitatio est, quod sit organum sentiendi in tactu? Et nō sufficienter probatur, quod caro sit organum, quia ad tactum carnis sentiamus tangibilia: nam si super extēderetur pellicula, aut tela subtilis, sentiretur tangibile. Est ergo caro quodam medium connaturale. Et in lingua fiunt plures tactus, quia sentimus omnia tangibilia, & saporem.

31 Tertio inquirit, vtrum in tactu requiratur medium extraneū? Respondet, quod tactus non fit sine medio extraneo, quia semper quando tangimus aliquid, est medium inter nos, & res cōtactas aer, vel aqua, quia omne corpus humidum, vel humectatū, est aqua, vel aer, vel habet aquam.

Quarta dubitatio est, vtrum omnium sensibilium fiat similiter sensus? Dicit, quod tangibilia differūt à visibilibus, & sonatiuis, quia mediante medio mouent nos: sed tāgibilia sentimus per medium extraneum, non quasi moti ab illo, sed simul cum medio mouemur à sensibili.

32 Determinat tandem de sensu tactus secundum veritatem, & docet, quod caro non est organū sensus, sed medium; quia non sentiūt animalia sensibilia posita supra sensus organum: sentiunt autem sensibilia posita supra carnem: ergo caro non est organum. Sed est quædam pars, quæ est in potentia ad tāgibiles qualitates, quia cōstituitur in quadā mediocritate vt discernat extrema. Et sicut alij sēsus sūt oppositorum, sic & tactus est tangibilis, & intangibilis. Intangibile autem dicitur dupliciter: aut illud quod habet excellētiam, ita quod corrumpit sensum, sicut ignis; aut illud quod habet parum de qualitate tangibili, sicut aer: vtrumque enim dicitur intangibile, quasi male perceptibile sensu tactus.

*Summa capitis duodecimi.*

33 IN vltimo capite determinat de sensu, in primis docēs omni sensui inesse, quod est susceptiuus specierum sine materia, sicut cera recipit signum anuli sine ferro, & auro. Et primum organum sensus est in quo est potētia susceptiua specierum, & potentia est quasi forma organi.

34 Ex præmissis soluit quædam dubia. Primum est, propter quid

excellentia sensibilium corrumpat organa sensuum? Respondet, quia in organis sensuum oportet esse proportionem, quę soluitur, si motꝰ sensibilis fuerit fortior, quã organum natum sit pati. Secundũ dubium est, quare plantæ non sentiunt? Respondet, quia non est in illis illa proportio, quæ requiritur ad sentiendum: non enim habent medietatem secundum complexionem, quæ requiritur ad organũ tactus, sine quo nullus sensus esse potest.

35 Tertium dubium est, vtrum ab omnibus insensibilibus aliquid possit pati, quod non habet sensum?

Videtur quod non, quia suscipiens actionem odoris, inquãtum est odor, habet sensum olfatus: quod ergo non habet sensum olfatus, non potest pati ab odore: & eadẽ videtur ratio de alijs. Quod experimento patet, nam lux, & tenebra, odor, & sonus, nullum effectum faciunt in corpora insensibilia: nisi fortè peraccidens. Aliter tamen est de qualitatibus tangibilibus, nam sapores faciunt quemdam effectum, inquantum gustabile est quoddam tangibile. Alia etiam sensibilia agunt in quasdam res inanimatas, licet non in omnes. Nec obiectio supra posita cõcludit: nam odorare est sic aliquid pati ab odore, quod sentiat odorem; aer autem non sentit: sed sic patitur, vt sit medium in sensu.

## QVAESTIO PRIMA.

### *Quid sit Anima?*

1 AD inquirendum de natura Animæ, vt egregiè notat Sanctus Thomas 1. p. quæst. 75. art. 1. oportet præsupponere, *quod anima dicitur esse primum principium vitæ, in his, quæ apud nos viuunt. Animata enim viuentia dicimus; res vero inanimatas vita carentes.* Et sic patet quid nomine animæ intelligatur, tã apud vulgares, quam apud Philosophos. Imo & in Sacra Scriptura eadem acceptio supponitur Genes. 2. vbi anima dicitur *spiraculum vitæ, per quod homo factus est in animam viuentẽ*; de quo S. Augustinus 13. de Trinit. c. 24. S. Ambros. de Noe c. 25. S. Chrisost. hom. 2. in Genes. Et passim alij.

Dari autem animam, vt per se notum supponimus: siquidem experimur dari viuẽtia: & *vita maxime manifestatur duplici opere, scilicet cognitionis, & motus*, vt ibi ait S. Thomas, & hic lib. 1. lect. 3. litt. a. & alibi sæpe. Vnde cũ experiamur cognoscere, & mouere nos ipsos, verè experimur nos viuere: datur ergo anima, seu *primum principium vitæ*. Et hoc supposito, nunc in communi inquirimus quid sit?

## §. I.

### *Antiquorum errores.*

2 REfert S. Thomas libro 2. Contragentes cap. 63. quod *Galenus posſuit animam eſſe coplexionem*, vt patet libris de Semine; & in libro, quod *Animi mores corporis temperaturam ſequantur*. Et libro 3. de locis affectis c. 6. Quamuis libro 2. de Vſu partiũ cap. 8. fateatur ſe ignorare, quid ſit anima?

3 Empedocles etiam, vt refert Phyloſoph⁹. 1. de Anima textu 54. & Dinarchus relatus à S. Gregorio Nilleno libro. 2. Phyloſ. c. 3. dixerunt *animã eſſe harmoniam*; non enim loquebãtur de harmonia ſonorũ, ſed contrariorum, ex quibus videbant componi corpora animata, vt refert S. Thomas vbi ſupra cap. 64.

4 Fuerunt alij magis errantes ponentes animam eſſe corpus: de quibus late Phyloſophus 1. de Anima textu 20. & quia fuerunt errores diuerſi, & varij, ſolum in cõmuni eos reprobat S. Thomas illo libro cap. 65. In particulari Auicembrõ in libro fontis vitę, poſuit animam eſſe compoſitã ex materia, & forma, vt de ipſo refert S. Thomas quæſtione vnica de Anima art. 6.

5 Radicem horum, & aliorum huiuſmodi errorũ aſsignat S. Thomas 1. p. q. 75. a. 1. quia *antiqui Phyloſophi imaginationem tranſcendere nõ valentes, ſolã corporarem eſſe dicebant, & quod nõ eſt corpus, nil eſſe*. Quo errore ſe deceptum olim flebat S. Auguſtinus 5. Confeſ. c. 13. & libro 6. cap. 1. in principio ait. *Cogitare aliquid ſuſtantiæ, niſi tale nõ poteram, quale per hos oculos videri ſolet*, &c.

6 Præterea Plato in Timæo, cui⁹ verba refert Ariſtoteles. 1. De Anima textu 45. aſſeruit animam mundi eſſe compoſitam ex circulis ſecũdum harmonicas numerorũ proportiones. Et quia „ſecũdum ipsũ, illam animã imittantur inferiores animæ; ideo illa definitione tangitur quodammodo natura omnis animæ, vt notat S. Thomas libro 1. lec. 7. lit. e. Animaduertit autem idem S. Thomas ibi lectione 8. in principio, quod Ariſtoteles plerũque quando reprobat opinionem Platonis, non reprobat eas quantũ ad intentionem Platonis, ſed *quantum ad ſonũ verborum ei⁹*. Quod ideo facit, quia Plato habuit malũ modum docendi: omnia enim figurate dicit, & per ſymbola docet intẽdens aliud per verba, quam ſonẽt ipſa verba: ſicut quod dixit animã eſſe circulum. Et ideo ne aliquis propter ipſa verba incidat in errorem; Ariſtoteles diſputat cõtra eũ quantum ad id, quod verba eius ſonãt. Quæ doctrina S. Thomæ, etiã pro alijs opinionibus tribui ſoliris Platoni, notanda venit. Sed cõtra hos, & alios errores.

## §. II.

### *Anima eſt ſuſtantia.*

7 DIco primo, anima non eſt accidẽs; ſed ſubſtantia; licet incompleta. Probat Phyloſophus textu 8. & ex ipſo talem rationem

format S. Tho. lec. 2. lit. a. Hæc est differentia inter formam substantialem, & accidentalem: nam forma accidentalis non pertinet ad essentiam, siue quidditatem subiecti; nō enim albedo est de essentia corporis albi; forma autem substātialis est de essentia, siue quidditate subiecti: sed anima est de essentia, siue de quidditate corporis animati: ergo anima est substantia. Minor probatur, quia animata per animam constituuntur in specie, & substantialiter ab inanimatis distinguuntur, vt patet ex arbore prædicamentali: sed id, quo aliquid constituitur in specie, est de eius quidditate: est ergo anima de essentia animati. Et cum hoc sit substantia, anima non erit accidens, sed substantia: quia nomine animæ intelligimus, id quo viuit, habens vitā, seu animatum.

8 Aliam rationem indicat Philosophus tex. 4. & 5. Anima est primum, & radicale principium operationum: ergo non est accidens, sed substantia. Consequentia probatur primo, quia radicale operationum principium, est principiū formaliter dans esse: eo quod operari sequitur ad esse in actu: forma autem dans esse substātiale, nō potest non esse substantia. Secundo probatur consequentia, quia accidens, sicut nō habet perse esse, ita nec potest esse prima radix operandi. Tertio, quia natura non est accidens, sed substantia, vt patet ex dictis 2. Physic. Sed anima est natura, cum sit radix motuū: ergo non est accidens, sed substantia.

9 Obijcies: proprium est substantiæ non esse in subiecto, vt docet Phylos. in Prædicam. c. de Substantia: sed anima est in subiecto, vt docet Phyl. 2. de Anima tex. 4. probans animam nō esse corpus; quia corpus non est in subiecto, sed potius est subiectum: anima verò est in corpore, vt in subiecto. Ergo anima non est substantia.

Respondetur cum D. Tho. hoc lib. 2. lec. 1. lit. d. concedendo maiorem, & distinguo minorē; & cōcedo si subiectum accipiatur *largè*, secundū quod materia prima, quæ est ens in potētia, dicitur subiectū: nego verò, si subiectum accipiatur *strictè* prout subiectum dicitur aliquid ens actu: quia sic anima cū sit forma substantialis non est in subiecto, sed est pars subiecti. Cuius rationem postea assignat S. Tho. dicens. Sciendum autem est, quod hæc est differentia formæ substantialis ad accidentalem, quod forma accidentalis non facit ens actu simpliciter; sed ens actu tale, vel tantum, vt puta magnū, vel albū, vel aliquid aliud huiusmodi: forma autem substantialis facit esse actu simpliciter. Vnde forma accidentalis aduenit subiecto iam præexistenti actu: forma autem substantialis nō aduenit subiecto iam præexistēti in actu, sed existenti in potentia tantum, scilicet materiæ primæ. Ex qua doctrina S. Tho. patet, quod ideò formæ accidentales sunt in subiecto propriè, quia illud est ens in actu simpliciter: & ideò recipiunt esse ab ipso subiecto: ideò formæ substantiales sunt

in

in subiecto largè, quia dat esse simpliciter ipsi materiæ. Ex qua differentia oritur alia, quod forma est in materia *tamquam pars* constituës totum cũ illa; accidens verò solũ vt perfectio à subiecto extranea, vel distincta; de quo videantur quę diximus libro 2. Logicæ q. 9. §. 2. & idem docet Bañez 1. p. q. 75. ar. 1. dub. 1. ad 1. & alij frequenter.

10 Dico secundo, anima non est complexio; neque harmonia. Priorem partem demõstrat S. Thomas illo cap. 63. quatuor rationibus; sufficiet secundam, & vltimam referre, quia faciliores sunt. Probatur ergo primo: nam complexio, cum sit quoddam constitutum ex contrarijs qualitatibus quasi mediũ inter eas, impossibile est quod sit forma substantialis: nam substantiæ nil est contrarium; nec suscipit magis, & minus. Anima autem est forma substantialis, & non accidẽtalis: aliàs per animam non sortiretur aliquid genus, vel speciem. Anima igitur non est complexio.

11 Præterea, anima regit corpꝰ, & repugnat passionibus, quæ complexionẽ sequuntur: ex cõplexione enim sũt aliqui magis alijs ad concupiscentias, vel iras apti: qui tamen magis ab eis abstinent, propter aliquid refrenãs: vt patet in cõtinentibus. Hoc autem nõ facit cõplexio. Non est igitur anima complexio. Hæc ratio solum procedit de anima rationali: prior tamen de omni anima probat.

12 Indeque probata manet secũda pars, quia nec harmonia potest mouere corpus, aut regere ipsum, vel repugnare passionibus, sicut nec complexio: intenditur etiam, & remittitur, sicut, & complexio: ergo sicut anima nõ est cõplexio, ita nec harmonia. Rursus non potest assignari qualium harmonia sit sensus, aut intellectus: & reliqua, quæ prosequitur S. Thomas cap. 64.

13 Obijcies: nã anima est id quo viuimus, & quo ablato morimur. Sed ablata complexione, vel harmonia humorum, morimur: ergo anima est complexio, vel harmonia.

Respondetur, quod cõseruatio substantiæ fit medijs accidentalibꝰ conuenientibus dispositionibus: quarũ ablatione animal moritur. Vnde distinguenda est secũda pars antecedentis, & concedenda si loquamur de ablatione formæ; negãda vero de ablatione dispositionum: de quo late Rubio tra. 1. q. 1. n. 33.

14 Secundo arguitur; anima est principiũ passionum, & operationum: sed iuxta diuersitatem complexionum experimur insurgere in hominibꝰ diuersas passiones, & operationes earum: ergo anima est complexio.

Respõdet S. Thomas in fine illius cap. 63. dicens. Deceptus autẽ fuisse videtur Galenꝰ ex hoc quod nõ considerauit, aliter passiones attribui complexioni, & aliter animæ: complexioni namque attribuuntur sicut disponenti, & quãtum ad id quod est materiale in passionibus, sicut feruor sanguinis, & huiusmodi; animę autem tamquam prin-

cipali causæ, ex parte eiº, quod est in passionibus formale; sicut ira appetitus vindictæ.

## §. III.

### *Anima non est corpus; sed corporis forma.*

15 DIco tertio, anima nõ est cõposita ex materia, & forma. Probat S. Tho. q. vnica de Anima art. 6. quia forma materiæ adueniens constituit speciem: si ergo anima est composita ex materia, & forma, constituet perse speciẽ. Nõ ergo vnietur corpori ad constituẽdam speciem: sed tantum accidentaliter. Quod patet esse falsum: alioquin sola anima esset homo.

Secundo, si anima esset composita ex materia, & forma, impossibile erit, quod anima se tota sit principiũ formale essendi corpori: non igitur anima erit forma corporis, sed aliquid animæ. Quicquid autẽ est illlud, quod est forma huius corporis, est anima. Non igitur illud, quod ponebatur compositum ex materia, & forma, est anima; sed solum forma eiº. Vel formæ dabitur alia forma: & erit processus in infinitũ. Videatur S. Thomas. 1. p. q. 75. art. 5.

16 Obijcies, si anima nõ esset cõposita, esset actus purus: sed hoc est falsum, quia proprium est solius Dei, quod sit purus actus: ergo anima est composita ex materia, & forma.

Respondetur cum D. Thoma, v- [illegible] & 1. p. q. 50. art. 2. ad 3. afferente illud Boetij lib. de Hebdomadibus, *quod in alijs, quæ sunt post Deum, differt esse, & quod est.* Cum igitur anima sit quædam forma perse subsistens, potest esse in ea compositio actus, & potentiæ, idest, ex esse, & quod est (iuxta dicta 1. p. Metaph. Controu. 7. & 1. Phys. q. 7. vbi ostendimus in creaturis realiter distingui essentiam ab existentia) non autem compositio materiæ, & formæ. Animæ autem imperfectæ etiam componuntur ex partibus integrantibus, iuxta infra dicẽda quæst. 9.

17 Dico quarto, anima non est corpus. Quinque demonstrationibus probatur à D. Tho. lib. 2. Contrag. c. 65. duæ priores sufficient. Primo ergo probatur. Viuentia, cum sint quædam res naturales, sunt composita ex materia, & forma: componuntur autem ex corpore, & anima, quæ facit viuentia actu: igitur oportet alterum istorum esse formam, & alterum materiam. Corpus autem non potest esse forma; quia corpus non est in altero, sicut in materia, & subiecto: anima igitur erit forma. Ergo non est corpus, cum nullum corpus sit forma. ¶ Secundo: nam impossibile est duo corpora esse simul: anima autem non est seorsum à corpore, dum viuit. Igitur anima non est corpus. Aliam egregiam rationem assignat S. Tho. 1. p. q. 75. a. 1.

18 Dico quinto, anima est actº, & forma. Sequitur ex dictis, & eã probat Phylos. tex. 5. per locum à diuisione, vt notat S. Th. lec. 1. lit. d. Substantia diuiditur in materiã,

&

& formam,& compositum.Sed anima non est compositum, vt patuit conclu.3.Nō est materia,quia hæc non est actiua.Et etiā quia materia est potentia,& subiectum: anima verò est in corpore habente vitam. Corpus autem,quod recipit vitam,magis est sicut subiectū, & materia, quam sicut aliquid in subiecto existens.De diuisione substantiæ,quam hic tradit Phylosophus,latè disputāt Ferrara tota q. 1.& Iauellus tota q.2.

19 Contra quartam conclusionem arguitur.Illud quod est capax trinæ dimēsionis,& diuisionis quātitatiuæ,est corpus.Sed animæ imperfectorum animalium,& plantarum sunt capaces trinæ dimensionis,& diuisionis quantitatiuæ; siquidem decisa viuunt,vt ex Phylosopho notat S.Thomas lib.1. lectione 11.lit.c.& lec.14.lit.e.& lib. 2 lec.4.litt.b. Ergo aliqua anima est corpus.

Respondetur,etiā in istis,rationes nostræ conclusionis militare: quia cū plantæ,& animalia imperfecta componantur ex corpore,& anima,ista non est corpus,sed actº & forma corporis.Argumentum, vt notat Bañez dub.1. ad 2. probat,quod illæ animæ sunt corporeæ,& materiales: nec enim est inconueniens,quod aliquid corporeum sit actus corporis. Non autē obstēdit quod sint corpus,quia nec per seipsam habent extentionem, nec diuisibilitatem; sed condiuiduntur secundum diuisionem corporis, in quo sunt.

## QVAESTIO II.

### *In quo consistat ratio corporis à spiritu distincta?*

1 OCcasione eorum, quæ nunc diximus de Anima,& vt melius percipiantur dicēda de anima rum diuisibilitate,solent moderni hoc loco inquirere, in quo consistat ratio corporis prout distincta à ratione spiritus? Et quia quæstio videtur scitu necessaria,& huic loco oportuna,quia Phylosoph.rex tu 3.& S.Thom.lect.1.litt.c.inter tres diuisiones,quas hoc loco præmittūt,prima est, *quod substantiarū, quædam sunt corpora, & quædam non sunt corpora.* Ideò breuiter, & nos illam discutiemus.

### §. I.

### *Doctorum sententiæ.*

2 PAter Arriaga disp.1 de Anima sect.4. (quem fere sequuntur tres Recentiores Cōplutenses Societatis)duo asserit.Nam quatuor primis subsectionibº,aduersus Hurtadum,probat rationem corporis non cōsistere in diuisibilitate; nec in eo quod habeat partes integrantes: quia bene potest res spiritualis habere partes integrantes.

Quod probant primo, quia vt docet Suarez lib.4.de Angelis capite 17.& disp.50.Metaph. sec.3. vbi Angelicum est indiuisibile ex parte subiecti, & spirituale; & tamen habet partes integra

nisibiles in ordine ad spatium, vel corpus in quo locatur Angelus. Ergo spirituale potest partes habere.

Deinde, vnio animæ rationalis est spiritualis: & iuxta Hurtadum ponentem duos modos vnionis, vna est residens in anima; & tamen est diuisibilis integraliter iuxta materiæ partes: alioquin quotiescumque homo nutritur, vel amittit partem materiæ, mutaretur tota vnio.

3 Tertio, gratia, & aliæ qualitates spirituales cōponuntur ex partibus intensionis: ergo pariter dari potest entitas spiritualis composita ex partibus extensionis. Probatur consequentia, quia intensio, & extensio in qualitate tantū differunt per ordinem ad subiectum.

Denique: nam S. Thomas, & eius discipuli docent animas brutorum perfectorū esse indiuisibiles: & tamen sunt materiales, seu corporeæ. Ergo sentit D. Thomas cōceptum rei materialis, & corporeæ non consistere in partibus integrantibus.

4 Secundo asserit Arriaga subsect. 6. & cum eo alij iam relati, *corpus esse substantiam per se impenetrabilem cum alia eiusdem speciei.* Quod probant, quia hoc conuenit omni corpori, & nulli spiritui. Quia tamen arbitratur Arriaga gradus intensionis inter se penetrari; ideò dicit descriptionem datā solo corpori conuenire. Vnde n. 109. ait *rē materialem in communi esse ens quātitatiuum*: quia materialitas accidentalis non ex impenetrabilitate, sed ex dependentia à re impenetrabili desumenda est.

5 Hoc vltimum alij non probāt, quia actio creatiua caloris non dependet à quantitate, nec à materia prima mediate, vel immediate: siquidem calor existeret sine subiecto; & in illo esset illa actio. Et quia actio spiritualis, qua phātasma ta producit in intellectu species, pendet à phātasmate corporeo: ergo entitas spiritualis potest dependere ab entitate materiali; nō ergo illo modo explicatur conceptus communis rei materialis.

6 Per oppositum P. Vazquez 1. p. disp. 188. cap. 7. n. 30. & latius P. Hurtado de Mendoza disp. 2. sec. 3. subsec. 4. docēt rationem corporis, & rei materialis cōsistere in extensione, & diuisibilitate: quia ideo anima rationalis est indiuisibilis, quia est spiritualis; non enim ex alio capite hoc probari potest. Et etiam, quia in hoc experimur omnia corpora conuenire. Denique, quia ita explicauerunt essentiā corporis S. Augustinus Epistola 28. & libro 2. de Incarnatione in medio, habetur tom. 4. & S. Thom. 1. p. q. 3. art. 1. rat. 2. & omnes Authores bonæ notæ; ergo ita est asserendum.

7 Nouissime P. Thomas Hurtado Clericorum Regularium Minorum, erudit⁹, & fidissimus Thomista in suo Præcursore Philosophico controu. 2. membro 3. §. 2. versu *tertium fundamentum*, docet materialitatē formaliter nō cōsistere in diuisibilitate; sed in dependentia intrinseca à subiecto materiali.

Quod

Quod probat primo, quia punctum est materiale & tamē est omnino indiuisibile. Secūdo, quia posita anima equi indiuisibili, & quod dependeat in fieri, & conseruari à subiecto materiali, non est spiritualis; quia iuxta S. Thomā 1. p. q. 14. art. 1. ratio spiritualitatis consistit in elongatione à materia. Ergo erit materialis.

8 Denique, informatio materiæ diuisibilis potest optime saluari cum indibisibilitate formę, vt cōstat in anima rationali: ergo quāuis indibisibilitas formæ coniungatur cū dependentia a subiecto materiali, non euertet rationem materialitatis formæ.

Vltimo, quia prius est quod substantialis forma sit materialis, quā quod habeat extensionē; ergo iste non est conceptus materialitatis. Probatur antecedens, quia cōceptus dependentiæ aptitudinalis est de essentia formæ materialis: ergo intelligitur prius quam extēsio; & in illa prioritate est materialis.

## §. II.

### *Explicatur propria ratio corporis.*

9 PRo resolutione notandum, ex D. Thoma tertio capit. de ente, & essentia lit. c. & alijs locis relatis libro 2. Logicæ q. 18. n. 4. & 5. quod corpus accipitur dupliciter, & prout est in genere substantiæ; & prout est in genere quantitatis. Rursus vt est substantia, accipitur dupliciter; vel vt est pars materialis; vel vt est genus. De quorū distinctione late S. Thomas ibi.

Deinde, corpori aliquid conuenit ratione sui generis, quod est quantitas cōtinua; & aliquid ratione suæ specificæ differentiæ; eo quod corpus specie distinguitur à linea, & superficie.

10 Præterea aduertēdum, quod non est idem aliquid esse *corpus*, ac esse *corporeū*; nec est idem aliquid esse *materia*, ac aliquid esse *materiale*; sicut nō est idem aliquid dici tale essentialiter; ac dici tale denominatiue, vt patet ex D. Thoma 3. p. q. 16. art. 3. & in 3. dist. 7. q. 1. art. 2. non enim denominatio solum fit ratione formæ accidētalis, sed ab omni illo quod instar formæ se habet; siue ab accidente, siue à substātia; siue à parte, siue à toto, siue ab extrinseco, siue ab intrinseco, vt diximus libro 2. Logicæ q. 1. n. 45. His præmissis.

11 Dico primo, ratio formalis corporis, prout est in genere quantitatis, est extensio partium in se: quæ non differt à diuisibilitate radicali; cuius proprietas est impenetrabilitas. Ratio vero formalis corporis prout species quantitatis, est quod sit quantitas trinæ dimensionis: vel quantitas continua superficiebus. Ita late docuimus 2. libro Logicæ tota q. 14. in qua probata est prima pars, & q. 18. explicata est secunda pars. nec opus est: repetere ibi dicta.

12 Dico secūdo, ratio corporis de genere substantiæ, est natura, cui debetur extensio, & diuisibilitas radicalis; seu natura in [illegible]

signari potest trina dimensio. Ita S. Augustinus, & S. Thomas relati numero 6. & ipse S. Thom. 5. Metaphis. lec. 15. & in 1. dist. 19. q. 1. art. 1. ad 1. & 1. p. q. 14. art. 12. ad 1. & 4. Cōtrag. cap. 65. & lib. 2. cap. 65. ratione 3. ait. *Omne corpus diuisibile est.* Et lib. 1. cap. 20. ratione prima dicit: *Omne corpus, cum sit continuum, compositum est, & partes habens.* Et ratione 2. *Omne quantum est aliquomodo in potentia: nam continuum est potentia diuisibile in infinitum.* Quod asseruit, vt probet Deum non esse corpus: ac percōsequens loquitur de corpore in genere substantiæ.

13 Clarissimè idem docet Sanctus Thomas 3. cap. de Ente, & essentia lit. c. nō semel asserēs, quod *corpus secundum quod est in prædicamento substantiæ, dicitur ex eo quod habet talem naturam, vt in eo designari possint tres dimensiones.* Idem docet lib. 7. Metaph. lec. 12. litt. e. & lib. 3. lec. 13. in fine. Et 1. p. q. 18. art. 2. ait S. Thom. *Patet, quod hoc nomen corpus impositum est ad significandum quoddam genus substantiarum, ex eo quod in eis inueniuntur tres dimensiones: & ideò aliquando ponitur hoc nomen corpus ad significandas tres dimensiones, secundum quod corpus ponitur species quantitatis.* Et in 1. sententiarum dist. 25. art. 1. ad 2. ex mente Auicenæ, & propria, inquit S. Thom. *Cum enim ratio corporis in hoc consistat, vt in eo designari possint tres dimensiones.* Et alibi.

14 Possunt pro hac conclusione referri Thomistæ omnes; & Scotus, & Toletus, Durandus, & Vazquez, & alij multi, quos illa [illegible] n. 4. & 5. pro præcedente conclusione retuli. Item Caiet. Bañez, Zumel, Valentia, & alij, quos refert, & sequitur Nazarius 1. p. q. 3. art. 1. & alij, qui hoc supponunt, cum probant Deum non esse corpus, quia non est extensus, nec habet partes, nec est diuisibilis.

15 Ratione probatur, primo ad homines: nam Autores primæ sententiæ fatentur corpus esse substantiam per se impenetrabilem cum alia: sed hoc habet inquantū est radix quātitatis extensæ, diuisibilis: ergo melius explicatur hoc modo essentialis ratio corporis. Cōsequētia patet, quia sic explicatio est per propria, & per priora. Minor verò probatur: nam ideo vnum corpus cum alio penetrari nō potest, quia situs istius est incompatibilis cum situ alterius corporis. Sed incompatibilitas sitꝰ prouenit ab extēsione corporis in partes: ergo impenetrabilitas prouenit formaliter ab extensione, & radicaliter à substantia, quæ extensionis, cuiꝰ est radix, est capax. Maior patet, quia hac ratione probatum est 4. Physicorum q. 6. duo corpora non posse naturaliter esse in eodē loco. Et ideo plures Angeli possunt esse in eodem corpore, quia extēsione situali nō impediuntur. Vnde vna legio Dæmoniorum potest esse in vno homine, vt ex Euangelio patet. Minor vero probatur, quia per prius aliquid intelligitur extensum in se, quam situatum in ordine ad aliud extrinsecum: & simultas situum ab incompossibilitate extensionum, & terminorum vtriusq; prouenit,

vt optimè declarat S.Th.in 4.dist. 44.q.2.art.2.q.2. & Opusc.70.q. 5.art.3.

16 Secundo, omnes fatentur illam rationem esse constitutiuam corporis de genere substantiæ, quę est radix corporis de genere accidentis. Imò sunt, qui dicāt realiter non differre, vt in 2.lib.Log.q.15. vidimus, & S.Tho.3.p.q.77.art.2. ait, quod *prima dispositio materiæ est quantitas dimensiua : vnde & Plato*, apud Aristotelem.1.Metaph. tex. 6.& 7. *posuit primas differentias materiæ magnum, & paruum*. Sed corpus de genere accidentis est quantitas trinæ dimensionis, vt patet ex eius definitione: ergo corpus de genere substātiæ, est quod habet talem naturam, vt in eo tres dimēsiones signari possint. Hęc ratio est à posteriori: sed satis apta, quia accidētia sunt notiora quoad nos, quam substantia, quæ est radix illorum; quia omnis nostra naturalis cognitio ortum habet à sensibus : vnde ait S.Thom.1.p.q.29.art.1.ad 3. quod *quia substantiales differentiæ non sunt nobis notæ, vel etiam nominatæ non sunt; oportet interdum vti differentijs accidentalibus loco substantialium*.

17 Tertio probatur, quia experimur, in rerū natura dari substantias extensas, trinæ dimensionis capaces: & videmus eas diuidi; sicut diuiditur lignum, & aqua, & diuidūtur plantæ, & quædam animalia imperfecta; sed hæc ratio substantiæ non est spiritualis: ergo est corp⁹. Patet consequentia, quia hoc condiuiditur spiritui. Et quia cum ab omnibus illis substantijs sit abstrahibilis vna ratio vniuoca; non est cur non possit vno nomine nominari. Hucusque autem nō est aliud nomen impositum, quo congruētius hoc exprimatur: ergo in hoc cōsistit ratio corporis. Hæc ratio, quæ est terminorū explicatio, est potissima in hac parte, quia rerum essentiæ non probantur, sed explicantur, supposito cōsueto vsu nominum apud sapientes.

18 Occurri tamen potest authoritatibus, & rationibus prædictis, ex doctrina Recentiorum asserentium S.Augustinum non loqui de corpore in tota sua latitudine, prout condistinguitur contra spiritū; sed de corpore quantitatiuo constante partibus ex natura sua impenetrabilibus; & ideò de isto meminit, quia nullum corpus datur impenetrabile, quod non constet partibus. S.Tho. illa ratione non probat Deum nullatenus esse quid corporeum; sed solū non esse substantiam corporeā, sicut eas, quas de facto nouimus.

19 Hac euasione non eneruatur, sed eius occasione magis explicatur vis nostrarum rationum, & authoritatum. In primis inefficaciter argumentarentur Sācti Doctores; quia responderent hæretici animā rationalem, & Deum esse corpus, nō quale oculis cernimus in ligno diuisibili, & extenso; sed lōgè perfectioris rationis, &c. Ergo explicatio illa non quadrat contextui: siquidem rationis efficaciam, qua vtuntur Sancti, eneruat. Deinde S. Thomas ter repetit illud signum distributiuum *omne corpus*:

tra eius mentem, illius vniuersalissimæ loquutiones coarctãtur. Tertio, nec ibi, nec alibi vllam aliam rationem corporis constitutiuam assignauit: cum tamen tam sæpè de hac quæstione tractauerit.

20 Quarto, alijs authoritatibus adductis hæc euasio adaptari nequit; quia sicut non est dabilis quãtitas naturalis non ponibilis in prędicamento; alioquin nõ esset vniuocè quantitas: ita non potest dari corpus, quod non sit in genere substãtiæ, vel vt pars, vel vt totũ. Sed rationem corporis in omnib⁹ his acceptionib⁹ siggillatim explicuit S. Tho. vt ex contextu patet: ergo de corpore in omni imaginabili acceptione, loquutus est.

21 Denique, ex nullo alio capite (nisi diuinando) possumus colligere rerum essentias, nisi ex his, quæ cognoscimus, vel ab effectu, vel ab operationibus, vel ex notitia rerum, quæ nunc sunt. Vnde & contrarij hac via probant rationẽ constitutiuam corporis esse impenetrabilitatem, quia hęc conuenit omni corpori, & nulli alteri. Ergo si fatentur omnia corpora, à Patribus, Theologis, & Philosophis agnita, esse extensa, & diuisibilia radicaliter; sine fundamento fingũt aliud genus corporum. Vel erit æquiuocè corpus: de quo non disputamus. Præterquamquod, impenetrabilitas identificatur cum extensione, physicè loquendo; & metaphisicè præscindẽdo, est prior quã illa extensio partium in se, vt dicebamus n. 15. vnde argumenta ma[illegible] sua vi.

22 Dico tertio, *corporeũ* dicitur aliquid simpliciter propter dependẽtiam intrinsecã à corpore: sicut dicitur aliquid simpliciter *materiale* propter intrinsecam dependentiam à materia. Corporeum autem secundũ quid, quod extrinsece respicit corpus; sicut dicitur aliquid materiale propter extrinsecam habitudinẽ ad materiam; vel quia cũ corpore, vel materia habet aliquã similitudinẽ, aut comparationem. Hæc conclusio manifestè, sequitur ex præcedentibus: quia denominatiua dicuntur, quæ ab aliquo nominis appellationẽ habẽt: sed *corporeũ* denominatur à *corpore*, & *materiale à materia*: ergo eo modo quo aliquid dependeat à corpore, vel materia, eodem modo dicetur materiale, vel corporeum. Cum igitur esse tale intrinsece, sit esse tale in rigore sufficiẽti ad denominationẽ intrinsecã, & absolutã: ideo dependẽtia intrinseca a corpore, vel materia sufficit ad hoc quod aliquid denominetur tale, nempe corporeũ, & materiale simpliciter.

23 Quod tamẽ latitudinẽ habet: nã pars dicitur corporea, quia est aliquid corporis: pũcta, & lineæ, & superficies, quia terminãt, vel integrãt corpus: accidẽtia, quia educũtur, & inhærẽt in corpore; siue immediate, siue mediate. Alia etiã accidentia sensibilia, & corporalia dicũtur, quia recipiuntur media quãtitate, ratione cui⁹ peraccidẽs diuiduntur, & extenduntur.

24 Reliqua verò, quæ materiam respiciunt, vel purè extrinsecè, vt causæ efficientes, & relationes ter-

minatæ ad corpus; vel sine dependentia à materia in suo esse; vt anima rationalis, quæ nō educitur ex potentia materiæ, & perseuerat sine illa; & alia huiusmodi, dicūtur materialia, & corporalia secundū quid. Et hoc modo informatio animæ rationalis, & relatio vnionis, quæ se tenet ex parte illius, & vbi Angelicum, dicuntur materialia, & corporalia extrinsece, & secundum quid; quia extremum, quod respiciunt est quid corporeum; licet in suo esse sint quid spirituale. Quod pariter dici debet de virtute spirituali, quæ per modū transeuntis residet in instrumētis corporalibus, iuxta S. Thomam 3.p.quæst.62.art.4.ad 1. & quæst. 27.de Veritate art.4.ad 5. & 6. & in 4.dist.1.q.1.art.4.q.2.ad 4.

## §. III.

### *Repugnat corpus simplex: & spiritus constans partibus integrantibus.*

25 VT dicamus aliquid de primo asserto primæ sententiæ. ¶ Dico quarto, implicat contradictionē corpus simplex per carētiam partium integralium; & indiuisibile radicaliter. Non tamen repugnat corpus indiuisibile actualiter. Hanc secundam partem expresse docet S. Thomas 8.Physic. lec.11.lit.f. & lect.21.litt.b. cuius verba adduximus 6. Physicorum quæst.6.num.42. & 43. & patet in corporibus Cælorum, & omnium incorruptibilium, quibus naturaliter repugnat diuidi; & similiter in minimo naturali. Et in corpore Christi prout est in Sacramento. ¶ Ratioque est manifesta, quia effectus secundarius formæ potest impediri stante effectu primario: ergo stante extensione partium in toto, quæ est propria ratio quantitatis, potest impediri ex parte formæ, vel ab aliqua qualitate; vel ex modo essēdi, ipsa actualis diuisio.

26 Prior pars est manifesta ex dictis: nam implicat contradictionem definitionem essentialem separari à definito, quia in re sunt idem: sicut implicat substantia, cui non debeatur esse perse: & implicat homo irrationalis. Sed essentialis ratio corporis est trina dimēsio: & si sit de genere substantiæ, est eius essentia, quod illi debeatur hæc trina dimensio, & quod illius sit radix: ergo hoc ab illo non poterit separari.

27 Præterea probatur ex concessis ab aduersarijs, contra quos disputamus: concedere enim tenentur, implicare corpus natura sua penetrabile cum alio; quia, secūdum ipsos, impenetrabilitas est propria ratio corporis. Sed corpus simplex per carentiam partium integralium caret omni principio repugnantiæ penetrationis; quia caret partibus, & indiuisibilibus earum, & situ, ratione quorum vnū corpus repugnat locari vbi est aliud: ergo dato corpore simplici, sequitur esse penetrabile; quia non habet per quid penetrationi repugnet: & sequitur esse impenetrabile, quia est corpus; & ita sequitur esse corpus, & non esse co[illegible]

28 Dico quinto, in terminis implicat substantia, vel entitas intrinsecè spiritualis, & incorporea, constans partibus extensis, & diuisibilibus radicaliter. Supponunt communiter Thomistę: & Pater Vazquez prima parte disputatione 188. capite. 7. numero 30. *vehementer miratur* quomodo sit qui oppositum doceat. Imo Suarez, qui solet citari, vt patronus oppositæ sententiæ, illi omnino non adhæsit: quia libro 1. de Angelis cap. 5. n. 8. ait, quod fortasse talis substãtia nõ est possibilis. Et quæ dicit ibi libro quarto, explicari possunt de spirituali simpliciter, & corporali extrinsece, & terminatiue, vt patet capite 17. num. 17. Sed quicquid sit de hoc; certior est conclusio, quam quod testibus indigeat.

29 Ratio conclusionis manifesta est ex dictis; quia repugnat easdem differentias essentiales duob⁹ genere diuersis cõuenire, iuxta secundam regulam anteprædicamẽtalem. Et repugnat, manente ratione spiritualitatis, conuenire sibi intrinsece prædicata cõstitutiua corporis: cũ sint genera opposita corpus, & spiritus. Sed extẽsio partiũ integralium est propria ratio constitutiua corporis: ergo nequit intrinsecè cõuenire spiritui.

Confirmatur ratione indicata à Diuo Thoma quæstione vnica de Anima articulo nono, dicente: *Quæ enim incorporea sunt, immaterialia sunt, vt in præcedentibus ostensum est.* [illegible] ergo arguitur. Id quod est spi[illegible] essentialiter immateriale, & incorporeũ. Sed id quod est extensum essentialiter est corporeum, & materiale. Ergo nisi corpus transeat in spiritum, vel spiritus conuertatur in corpus, repugnat spiritus habens partes extensionis.

30 Præterea, vt docet S. Thomas in 1. dist. 37. q. 3. art. 1. termini quantitatis dimensiuæ, & termini essentiales, *nullam cõmensurationẽ, seu proportionem habent. Vnde non oportet, vt quod est finitum in essentia, ad terminos loci finiatur.* Et oppositum vocat S. Thomas *valdè rudem probationem.* Ex quo sic arguitur: substãtia spiritualis cõstãs partibus extẽsionis, & ex vna parte solum circũscriberetur terminis essentialib⁹. quia isti termini sunt essentiales substantijs spiritualibus, quia per eos essentialiter differunt Angeli, qui de facto sunt: ex alia parte differrent etiam terminis quãtitatiuis proprijs corporum: quia vna extensio esse posset maior alia, quia pluribus partibus, & maioribus cõstaret: sed hoc implicat; quia sequitur, quod simul haberet essentialia corporis, & essentialia spiritus eadem indiuisibilis entitas. Ergo contradictionem implicat entitas intrinsece spiritualis constans partibus extensionis.

31 Tertio, sequitur illi, substantiæ deberi quantitatem; quia vbi est extensio radicalis, connaturaliter debetur extensio formalis: & sequitur, illi substantiæ repugnare quantitatem, quia proprietates corporum repugnant spiritui.

Denique, sequitur, quod illa entitas spiritualis extensa indiuiduaretur per irreceptibilitatem: sicut indiuiduantur Angeli: & indiuidua retur per diuisionem quantitatiuã, seu per materiam signatam quanti tate, vt indiuiduantur corporalia, iuxta dicta lib.2.de Gener. q.vltima: sed implicat, quod simul, & semel eidẽ debeatur iste duplex modus indiuiduandi: ergo implicat spiritus habens partes: sicut implicat, quod albedo, secundum modum quo est in corpore, sit in Angelo, iuxta S.Tho.Quodlib.7.art. 10.ad 3.

32 Arrepta occasione quæstionis præsentis, Recentiores duas alias excitant quæstiones. Prima, vtrum repugnet substantia spiritualis cõposita ex materia, & forma? Secunda, vtrum repugnet substantia corporea non cõposita ex materia, & forma, etsi sit substantia completa? Et vtrique respondent affirmatiue.

33 Ambæ tamen quæstiones sũt extraneæ ab obiecto horum librorum; nam de prima agunt Expositores 1.p.q.50.art.2.vbi S.Thom. impugnat Auicembron, qui posuit Angelos esse compositos ex materia, & forma. Secundæ quæstionis sedes genuina est, vel in libris de Cælo, vel 1.p.q.66.artic.2. in quo S.Thomas reijcit Auerroim, qui in libro de substantia orbis cap.2. finxit corpus cæleste non habere materiam: cum tamen formã materia carens, sit substantia spiritualis, & intellectualis: & ita implicare videtur talis substantia. Sed hoc pro sequi ad nos nõ pertinet pro nũc; sed sufficiet argumenta relata §.1. diluere.

## §. IIII.

### *Soluuntur argumenta.*

34 PRimum argumentum in multis deficit. In primis in nostra sententia explicata lib.4.Physicorum q.4.quod vbi est denominatio extrinseca; bene patet nullatenus militare. Parum etiam vrget, si teneatur cum PP. Carmelitanis de Angelis disp.2.dub.5.concl.2. quod vbi Angelicum non distinguitur ab operatione transeunte virtualiter: quia tũc satis apparet, quod operatio est spiritualis ex parte principij, & corporea ex parte effectus.

Tertio, adhuc ipsi, qui Angelos dicunt constitui in loco solum per vbi intrinsecum, eodẽ modo quo constituuntur à Suarez; reijciunt tamen eius sententiam, quatenus in vbi spirituali admittit partes extensionis: vt patet in Raphaele Auersa 1.p.q.52.sec.6. Quare parũ potest vrgere argumentum, quod opiniones supponit parum in schola receptas.

35 Pariter dicitur ad secũdum, probabilius esse non dari modum vnionis. Et quod illo admisso, tantum debet poni vnicus modus, iã ostendimus 2.p.Metaph. Controuers.5.nu.55. Quod verò res spiritualis fundet relationẽ ad aliquid extrinsecum corporale, nullum reputamus inconueniens.

36 Quod si aliquis, di[illegible]

nis gratia, vellet admittere ambas opiniones in vtroque argumento assumptas; posset idem dicere, inde non cogi ad admittendam substantiam spiritualem habentē partes integrales; quia substantia non specificatur ab extrinseco: & sicut non bene valet, dantur accidentia supernaturalia: ergo potest dari substantia supernaturalis, vt Theologi dicunt: ita similis consequētia nō tenet in præsenti. Alius posset dicere, quod licet vnio, & vbi, & alia accidētia respectiua ad corpus, possint ex parte termini habere extensionem partium; non subinde infertur dari posse substātiam spiritualem; vel accidentia absoluta spiritualia, quę ex se sine ordine ad corpus partes integrantes habeant: & de ista præcipuè est quæstio. Cui autem istæ solutiones visæ fuerint difficiles, ad præcedētes recurrat.

37 Nec solidioribus principijs nititur tertium argumentum: ostē dimus enim lib. 1. de Gener. q. 15. qualitates spirituales nō constare ex partib⁹. Quod adeo certū reputatur à D. Thoma. q. vnica de virtutibus art. 11. cuius verba ibi retulimus n. 28. vt dicat *impossibile est etiam hoc fingere*, quod vna pars subiecti spiritualis recipiat vnam partē qualitatis, & alia aliam. Reputat ergo chimeram ponere partes integrantes in spiritualibus.

38 Admissa autem, exercitij gratia, illa falsa sententia, adhuc non sequitur intētum, quia intensio potest esse respectu eiusdem simplicis subiecti, propter diuersam potentialitatem. Et extensionem in qualitatibus ad noua obiecta extrinseca, non negamus, sed docemus, vt patet ex dictis 1. p. Metaph. contr. 2. nu. 116. Sed quod negamus, est, quod substantia, vel accidens spirituale in sua intrinseca constitutione admittant partes integrantes: hoc enim semel admisso, sequitur quod sit corpus extēsū, & impenetrabile: & cum sit reuera quid spirituale: iam sequuntur duæ contradictoriæ simul veræ ex sententia, quam impugnamus.

39 Ad quartū respōdetur, quod attendendo rationem S. Thomæ 1. p. q. 76. ar. 8. (de qua infra q. 9. re dibit sermo) manifestū est, quod animæ animalium perfectorum solum habent indiuisibilitatem, quia requirunt diuersitatem in partib⁹: & ideo solum habēt indibisibilitatem actualem, iuxta ea quę dixim⁹ n. 25. non vero tantam habent indiuisibilitatem, sicut Angelus, nec sicut anima rationalis: quia istam diuidi in partes cōtradictionem implicat: animas vero corporeas non repugnat diuidi, nisi ex modo essē di naturali, sicut repugnat minimo naturali. Istæ ergo habēt diuisibilitatē radicalē, & per no repugnantiam, & in eis signatur capacitas ad trinam dimensionem: quamuis excedāt infimas animas, quia istis nō repugnat naturaliter diuidi per accidēs; secus vero animabus perfectis. Sicut quantitati Cæli, inquantum quantitas est, non repugnat diuidi: licet ei repugnet inquantum est talis quantitas: quæ est proprietas substantiæ incorruptibilis. Ita

animabus brutorum, inquantum corporeæ sunt, & eductæ ex materia, non repugnat diuisibilitas: secus verò inquantum sunt formæ perfectæ, vt latius infra dicetur quæstione nona. §. 4. numero 46.

40 Ad ea quæ obijciunt num. 4. respondetur, quod illa descriptio est bona; sed est à posteriori per proprietatem quantitatis, vt patet ex dictis num. 15. & 21. Quod pariter dicitur de altera descriptione entis materialis; nisi quod illi Authores non explicuerunt distinctè prædicationem essentialem, & denominatiuam, vt nos explicuimus num. 10. & a num. 22. vsque 24.

41 Replica obiecta num. 5. parum vrget, quia vt docet S. Thomas 3. part. quæst. 77. artic. 1. ad 2. etiam accidentia separata retinêt aptitudinem ad subiectum; licet actu non inhæreant. Et ideò dato, quod actio transiens in illo subiectaretur, esset materialis, & corporalis per ordinem ad subiectum. Præterquamquod, actio Dei non est actio transiens formaliter; sed tantum virtualiter, & ex parte effectus.

42 Quæ adducuntur numero 6. pro nobis sunt; sed sunt explicãda de diuisibilitate radicali, quæ non differt ab extensione partium in toto.

43 Vltima sententia, quoad secundam partẽ est vera, intellecta iuxta sensũ tertiæ cõclusionis nostræ: & ita eam docuerunt Caietanus prima parte quæstione 75. artic. 2. notabili 2. Bañez 1. parte quæst. 76. artic. 8. dubio 2. ad secundum tertiæ sententiæ. Quoad primam verò verificatur, si loquatur de diuisibilitate formali; est verò falsa, si procedat etiam de diuisibilitate radicali. Ad primam probationem iam diximus nu. 23. quod punctum non est corpus, sed terminus corporis, quia est continuatiuum, & terminatiuum lineæ, quæ est vna ex tribus dimẽsionib⁹ corporis.

44 Ad secundam dicitur, repugnare formam indiuisibilem radicaliter, & quod dependeat in fieri, & conseruari à materia; nam ideò anima rationalis ab illa non depẽdet, quia est spiritualis, & hoc modo indiuisibilis. Forma verò actu indiuisibilis, constituitur in esse materialis per dependentiã à materia, à qua educitur: & est corporea, & quanta peraccidens, quia in ea designatur capacitas ad diuisionem, & trinam dimensionem.

45 Ad tertiam patet ex dictis, quod indiuisibilitas actualis potest saluari cum materialitate formæ: secus verò indiuisibilitas omnimoda. Anima verò rationalis est omnino indiuisibilis, & incorporea; & solum corporea eminẽter, vel secundum quid: de quo infra. q. 7. & 9. ¶ Vltimum concedimus, vt patet ex dictis n. 12. & 16.

## QVAESTIO III.

## *Vtrum conuenienter Philosophus animam definierit?*

1 QVæstione prima solum explicuimus quasi prædicata generica animæ; sequitur vt eius vltimam differentiam exponamus, quod præstabimus antiquas animæ definitiones declarando: inter quas primatum tenent duæ assignatæ ab Aristotele hoc secundo libro. Prima traditur tex.7. vbi Philosophus ait. *Si autem aliquid cõmune de omni anima oportet dicere, erit vtique: primus actus corporis physici organici.* Secunda habetur textu 24. illis verbis. *Anima autem hæc, quo viuimus, & sentimus, & mouemur, & intelligimus primo.* Hanc secundam definitionem exponemus q. 4. nunc solam priorem declarare conamur.

### §. I.

### *Qualiter anima sit actus primus?*

2 PRimam particulam primæ definitionis, videlicet, quod anima est *primus actus*, ipse Philosophus declarat text. 2. & 5. notans, quod actus dicitur dupliciter: *Alio quidem sicut scientia; alius autem sicut considerare.* Et differentia horum actuum ex potentijs perpendi potest, vt notat Sanctus Thomas lectione 1. lit. b. Dicitur enim aliquis in potentia Grammaticus, antequam acquirat habitum Grammaticæ discendo, vel inuenièdo; quæ quidem potentia in actum reducitur, quando iam aliquis habet habitum scientiæ. Sed tunc est iterum in potentia ad vsum habitus, cum non considerat in actu: & hæc potentia in actum reducitur cum actu considerat. Sic igitur & scientia est actus, & consideratio est actus. Quo supposito, subsumit Philosophus, manifestum esse, quod anima est actus sicut scientia; quia in hoc, quod anima inest, inest animali, & somnus, & vigilia. Et vigilia quidem assimilatur considerationi: quia sicut consideratio est vsus scientiæ, ita vigilia est vsus sensuum: sed somnus assimilatur habitui scientiæ quando aliquis secundum ipsum non operatur; in somno enim quiescunt virtutes animales. Concludit ergo Aristoteles, quod cum anima sit actus sicut scientia, quod sit actus primus.

3 Addit autem Sanctus Thomas lectione prima littera. e. *Sciendum autem, quod Philosophus dicit animam esse actum primum, non solum vt distinguat animam ab actu, qui est operatio; sed etiam vt distinguat eam à formis elementorum, quæ semper habent suam actionem, nisi impediantur.* Hæc ibi.

4 Pro cuius clariori intelligentia notandum, quod triplici titulo anima potest dici actus primus: & quia est actus substãtialis dans esse sim-

simpliciter: & quia est actus ab operatione distinctus essentialiter: & tertio, quia est actus ab operatione separabilis. Primus sensus nō tam in definitione expressè ponitur, quam ex diuisionibus præuijs ad ipsam, manifestus supponitur: cum enim anima sit substantia, & non sit totum, nec corpus, aut materia prima, manifestū inde relinquitur, quod est actus substantialis primæ potentiæ dans esse simpliciter: ac perconsequens actus primus. Secūdus sensus sine dubio à Physopho intenditur, iuxta S. Thomam verbis relatis n. 2. & Beatum Albertum trac. 1. c. 2. & alios Expositores, quia verificatur semper animam nō esse operationem, sed operationis principium; siue cessēt ab operatione, siue non.

5 Vltra istos, tertium sensum adiecit S. Thomas (quem solum probat Caietanus textu 2. Sed melius Bañez q. 75. art. 1. dub. 2. docet, quod licet sit *profundior, & magis ad mētē Aristotelis*; prior tamen est facilis, & clarus) iuxta quem anima sē paratur à formis pure naturalibus, quæ quantum est ex se, semper operantur; vt in igne, & alijs patet: animalium autem formas experimur quandoq; quiescere ab opere. Nec est incōuenies, quod anima in duobus differat à formis elemētorum, & quia potest cessare ab opere; vt nunc dicitur; & quia requirit corpus organicum, vt post dicetur. Licet autem hunc sensum explicite verba definitionis non declarent: tamen expositio Physophi, & exempla illius satis illum indicant: nam actum primum comparauit scientiæ habituali, & somno; actū vero secundum vigiliæ, & considerationi: & quia aliquādo anima est in vigilia, & aliquando in somno; ideo dixit animam esse actum primum. Supponit ergo Aristoteles vt perse notos, duos alios sensus, quib⁹ verificatur animam esse actū primum; & hunc tertium, vt subtiliorem adijcere curauit.

6 Sed cōtra expositiones prædictas insurgūt aliquæ difficultates. Prima est: nam anima est nobilissimum omnium, quæ sunt in animato: eo quod, vt diximus q. 1. anima est forma substantialis: forma autē est *quoddam diuinum, & optimum*, vt dicunt Physophus, & S. Thomas 1. Phys. lec. 15. lit. d. Sed actus secūdus est nobilior actu primo. Ergo anima non est actus primus, sed act⁹ secūdus. Probatur minor, quia actus primus plus habet potentialitatis, quam actus secundus; siquidem ille est in potentia ad actum secundum tamquam ad vltimam eius actualitatem. Secundo probatur minor, quia actus secundus est finis actus primi; quia *vnumquodque est propter suam operationem*: ergo est perfectior actu primo. Et tertio, quia simili ratione probatur existē tiam esse perfectiorem essentia: & quod actus sit perfectior habitu: & quod fœlicitas, quæ est maxima perfectionum, consistit in actu secundo, vt patet 1. AEthicor. c. 12. & lib. 10. c. 6. & 7.

7 Respondetur primo cum Caietano hic lib. 2. cap. 1. q. 3. & cum alijs Thomistis, quod maior est ve-

ra, & minor est distinguenda: & cō cedenda de actu secundo formaliter in esse actus; nam Phylosophus debet vti sermone formali, vt patet in 4. Metap. tex. 23. & actus primus habet annexam imperfectionem potentialitatis; quam non habet actus secundus. Neganda verò est illa minor, si vniuersaliter loquatur de actu primo etiā materialiter, & in esse entis: quia res, quæ est anima, est nobilior re, quæ est sua operatio; quamuis operatio in quantum actus secundus sit nobilior anima inquantū actus primus. Et sic cessat prima probatio. Ad secūdam dicitur, quod vt colligitur ex D. Tho. 3. Contrag. c. 17, rat. 7. & docet Caiet. 1. 2. q 3. art. 2. vnūquodque nō est propter operationem præcisè, & secrsum ab operāte, sed propter seipsum vt actuatū operatione.

8 Sed contra expositionē hanc insurgit Rubio hic q. 4. n. 61. docēs actum primum substantialem, etiā sub ratione formali actus, esse perfectiorem actu secundo; non solū simpliciter; sed etiam secundum quid, & sub quacumque consideratione. Priorem partem probat, quia propria ratio actus est actuare, atque perficere: ergo ille actus erit perfectior sub ratione formali actus, qui perfectius actuat. Sed actus primus substantialis perfectius actuat; nempè substantialiter, dando esse specificū, & primariū: cum operatio solum det esse secūdarium, & accidentale. Indeque probat secundam partē, quia quæcumque ratio actus accidētalis est inferioris ordinis, & perfectionis quacumque ratione actus substantialis; sicut ratio accidentis est inferioris ordinis, & perfectionis respectu substantiæ, vt perse est manifestum.

9 Facilè tamen ad priorem obiectionem, ex doctrina ipsa Caietani respondent PP. Carmelitani disput. 2. q. 1. n. 8. quod dare esse perfectius, scilicet substantiale, non arguit nisi solum maiorem perfectionem actus in esse rei; non verò in esse actus formaliter: quia hæc attenditur pænes hoc: quod minus relinquat potentialitatis in ordine ad vlteriorem actum: vnde maior actualitas intra hanc lineam attenditur pænes hoc, quod vel sit vltima actualitas intra talem lineam, vel magis ad prædictam actualitatem accedat.

10 Secundam probationē facilè possumus in arguentem retorquere: quia vt docet S. Tho. q. 27. de Verit. art. 1. ad 6. *secundum quid omne accidens animæ est ea nobilior, inquātum comparatur ad ipsam vt forma eius.* Vnde non mirum, quod actus secundus accidentalis sit secundū quid perfectior actu primo substantiali.

11 Ex alio tamen capite difficultate non caret principalis solutio: quia excessus in actualitate est excessus in esse entis. Et hac ratione argumentamur 1. p. Metaph. Controuer. 7. n. 99. quod existentia est simpliciter nobilior essentia, quia est actualior illa. Ergo si actus secūdus excedit in esse entis: quia sic magis accedit ad primum ens, &

ad

ad primum actum. ¶ Deinde, vel loquitur de excessu simpliciter; vel de præeminentia solum secundum quid: Si primum; actus secundus, qui est operatio accidentalis, nec in esse entis, nec in esse actus excedit formam, seu actum primum substantialem; eo quod ratio entis per prius dicitur de substantia, quã de accidenti, & pariter ratio actus analogice dicitur de actu substantiali, & accidentali: & per prius de substantiali. Si vero sermo sit (vt reuera est) de excessu secundum quid, nõ est inconueniẽs quod actꝰ secundus non solum in esse actus, sed etiam in esse entis secundum quid sit nobilior actu primo: sicut sapientia secundum quid est nobilior anima vt eius perfectio.

12 Qua propter quidquid sit de prima solutione: vera & facilis est solutio, quam adhibet M. Bañez 1.p.q.75.art.1.dub.1.ad 4. docens quod actus primus est duplex: alius eiusdem ordinis, & rationis cum actu secundo: vt potentia, & habitus, qui immediate ordinantur ad operationem, quæ est actus secundus: & de his verificatur quod actꝰ secũdus est perfectior primo: quia omnis collectio actuum excedit potentiam, & actum, vt diximus 2.p.Metaph. controu.12.n.67. Alius vero est actus primus, qui non est eiusdem ordinis, & rationis cũ actu secundo: nec dicit immediatum ordinem ad illũ. Et huiusmodi actus primus est perfectior actu secundo. Cum ergo anima sit substantia, & non immediate operatiua, non mirum, quod simpliciter sit perfectior actu secundo accidentali, quem elicit mediante potentia.

13 Secunda difficultas est, quia quod conuenit animæ inquantum talis debet omni animæ conuenire. Sed aliquę animæ numquam separantur ab operatione: ergo non est de ratione animæ quod sit actꝰ primꝰ separabilis ab operatione. Probatur minor, quia anima vegetatiua numquam cessat à nutritione: & ideo 1.de Generat.textu 41. dicitur, quod animal tãdiu nutritur, quandiu viuit. Et similiter quãdiu animal viuit, cor eius mouetur.

14 Tripliciter respondet Caietanus cap.1.q.2. In primis quod sufficit diffinitionem conuenire animę vegetatiuę per non repugãtiam; quia inquantum anima ei non repugnat ab operatione separari; licet aliũde repugnet. Iuxta ea, quæ in simili dixit in Logica exponẽdo diffinitionem differentiæ.

Secundo respondet, satis esse, quod anima cesset ab aliquo actu; licet aliqua anima nõ cesset à tota collectione illorum: & hoc conuenit animę vegetatiuæ, quia semper nutrit; licet non semper augeat, & generet sibi simile.

Tertio respondet, quod omnis anima est actus primus separabilis ex suo naturali statu ab operatione. Quod autem anima vegetatiua semper agat, conuenit ei nõ inquãtum anima, sed secundum communia, quatenus in ea virtualiter continentur virtutes elementorum: non vero quatenus exprimit propria animæ, vt talis, secundum quã

rationem de illa in præsenti loquimur.

15 Duas priores solutiones etiã tradit Ferrara hic q.2.ad 2.vbi tamen magis probat secundam. Quã solam acceptat Bañez vbi supra, & Iandunus q.5.& M.Ioan.à S.Thoma q.1.art.1.ad 2.confirm.1.dicit quod anima separabilis est ab omni actu secundo diuisiue; non verò collectiue ab omnibus: si enim omnes actus vitales cessarent, animal esset mortuum.

16 Sed Caietanus vltimam responsionem magis probat dicens, quod *in hac solutione quiescit intellectus*. Motus vero cordis nõ est proprius sẽsitiuo: primum enim vnde aliquid est sẽsitiuum & animal, est sensus tactus, iuxta Phylosophum textu 16.& hanc solutionẽ sequuntur PP.Carmelitani n.10. Et mihi quidem probatur, quia dixi lib.1. de Gener.q.22.n.8.etiam motum nutritionis aliquando interrumpi. Nec mors cõsistit in cessatione ab operatione; sed in separatione animæ à corpore: quia potest esse vita in actu primo per informationem substantialem; quin sit in actu secũdo operationis accidentalis. Licet è contrario non possit esse vita in actu secundo nõ procedens à viuẽte substantialiter. De motu autem cordis est specialis ratio, quia est ei à generante, vt cum D.Thoma diximus 2.p.Metaph.controu.13.n.56.sicut, & motus grauiũ, & leuiũ: [illegible] emanationum proprietatum.

17 Tertia difficultas est, quo sen[illegible] anima sit actus primus separabi[illegible] à secundo?

Respondetur, non id eo hoc illi attribui, quia & si adsint omnia requisita, possit operari, & nõ operari: quia hoc solum conuenit animę rationali inquãtum liberæ. Nec id verificatur, quia, cum conditiones ad operandum requisitæ nõ adsũt, anima ab operatione cessat: quia hoc commune est omni formæ, quod operari non possint, cum cõditiones ad agendum requisitæ nõ adsunt. Sed sensus est, quod anima, quantum est ex se, petit cessare ab actu secundo, & exigit ab intrinseco nõ semper habere omnia requisita: aliæ autẽ formæ, quantum est de se, non sunt separabiles a sua operatione; sed solum ab extrinseco, ex eo quod impediuntur. De quo late Caietanus q.3.cõcludẽs. Patet autem ita esse, intuẽti, quod animal ex se habet, quod non semper alatur, augeatur, & reliqua huiusmodi habeat; loquẽdo de his vt sunt animæ propria opera.

## §. II.

### *Quo sensu anima sit actus corporis physici?*

18 IN primis circa hanc particulã est dubium, vtrũ nomine *corporis* intelligatur sola materia prima? An vero totum compositum; vel etiam ipsa quantitas? ¶ Nomine *corporis* intelligi solam materiã primam opinatur Gregorius in 2. dist.16.q.2.ad 2.contra 4.Argentina in 4.dist.13.q.1.art.1.in principio. Et in præsenti Conimbricẽses, Hurtado, & Arriaga, & alij Recentiores.

tiores. Probat Hurtado ex Philosopho 1. Politicorum cap. 3. ad medium, vbi ait: *Prauorum quidem, aut praue dispositorum, sæpe inuenitur corpus imperare animæ.* Quia tamen ex verbis illis; nec apparenter deducitur nomine corporis materiam intelligi: quia materia nō imperat animę.

19 Ideo ista omissa authoritate, Arriaga, & alij arguūt ex eo quod Philosophus textu 11. tradita hac animæ definitione, subdit: *Anima, & corpus est anima!* Et clarius textu 4. dixerat: *Corpus profecto non erit anima; sed vt subiectum potius est, & materies.* Quibus verbis clare ostendit à se nomine *corporis*, solā materiam, quæ subiectum animæ est, intellectam. Quo pacto etiam formæ in animatæ sunt actus corporis, ideſt, materiæ pimæ. Idē habet textu 7. & textu 10.

20 Alij arguūt ex Philosopho 7. Metaph. textu 39. dicente: *Perspicuum est animam substātiam esse primā, corpus materiam; hominem vero, aut animal esse id quod ex vtriſque constat.* Imo S. Tho. 2. de Anima textu 4. lec. 1. litt. d. ait: quod accipitur hic *subiectum large, secundum quod materia prima, quæ est ens in potentia, dicitur subiectum. Corpus autē quod recipit vitam, magis est sicut subiectum & materia, quā sicut aliquid in subiecto existens.*

21 Rationeque probatur, illud intelligitur nomine corporis, quod est realiter, & physice immediatum receptiuum animæ; nam ex illo, & anima vt forma fit totum. Sed anima immediate vnitur materię: vt probat Sanctus Thomas 1. p. q. 76. art. 4. & 5. & q. de Anima art. 9. alioquin, vel esset forma accidentalis; vel in eodem composito essent plures formę substātiales: cōtra ea, quæ diximus lib. 1. de Gener. q. 12. ergo nomine *corporis* sola intelligitur materia prima.

22 Arbitrantur alij *corpus* importare compositum ex materia, & forma substantiali corporeitatis, quam dicunt realiter distingui à forma viuentis. Ita Scotus in 4. dist. 11. & alijs locis relatis illa q. 12. n. 6.

23 Dicendum tamen est, nomine *corporis* intelligi cōpositum ex materia vt dat esse corporeum susceptiuū vitæ; licet hæc forma physicè nō distinguatur ab anima. Ita tenent communiter Thomistæ, nē pè Capreolus in 2. dist. 15. q. 1. ad arg. contra tertiam, referens Herueum. Caiet. hic q. 4. not. 3. Ferrara q. 2. Bañez dub. 2. Ioann. à Sancto Thoma, & PP. Carmel. hic. Toletus text. 4. Suarez disp. 15. Met. sec. 10. n. 15. & to. 3. in 3. p. disput. 51. sec. 4. circa medium, & lib. 1. de Anima cap. 2. n. 2. Rubio q. 5. citās Themistium, Simplicium, & Philoponum, quos, & alij moderni sequuntur: falso ergo dicit Arriaga suam sententiam esse communem.

24 Nostra est expressa S. Thomæ quæst. de Spiritualibus Creaturis, art. 3. ad 2. vbi concludit. *Sic ergo ipsa materia, secundum quod intelligitur perfecta in esse corporeo susceptiuo vitæ, est proprium subiectum animæ.* Clarissimè idem docet Sanctus Thomas hoc secundo de anima lectione prima litt. d. in fine concludens

Oportet enim secūdum præmissa dicere, quod vna, & eadem forma substantialis sit per quam hoc indiuiduum est hoc aliquid, siue substantia, & per quam est corpus, & animatum corpus, & sic de alijs. Forma enim perfectior dat materiæ hoc, quod dat forma minùs perfecta, & adhuc amplius. Vnde anima non solum facit esse substantiam, & corpus, quod etiam facit forma lapidis: sed etiam facit esse animatum corpus. Non ergo sic est intelligendum, quod anima sit actus corporis, & quod corpus sit eius materia, & subiectum; quasi corpus sit constitutum per vnam formam, quæ faciat ipsum esse corpus, & superueniat ei anima faciēs ipsum esse corpus viuum. *Sed quia ab anima est, & quod sit, & quod corpus sit, & quod sit corpus viuū. Sed hoc quod est esse corpus, quod est imperfectius, est quid materiale respectu vitæ.* Vbi impugnat Sanctus Thomas formam corporeitatis ab anima distinctam: & declarat qualiter gradus corporis dicatur subiectum vitæ, quia est materialis respectu animati.

25 Colligiturq; ex Philosopho textu. 3. dicente. *Porro autē corpora potissimū esse substantiæ videntur; & ex his ea, quæ naturalia sunt; hæc enim caterorum sunt principia.* Quæ non verificantur de sola materia; bene tamen de illa vt habet gradum corporis. Quod textu sequenti ad intentum applicat, & clarius textu 8. & videndus S. Thomas initio lectionis 2.

26 Ratio Sancti Thomæ omnino est efficax: quia Philosophus non solum intendit explicare rationem generalem formę substantialis; sed etiam exponere proprium susceptiuum animæ, vt anima est: alioquin non exactè declararet peculiaria animæ, vt anima est. Sed proprium subiectum animæ intelligitur materia vt substantia corporea: & hæc habet ab aliqua forma dante hoc esse; quod est esse incompletum, quod metaphisicè intelligitur imperfectū, & gradus materialiter se habens respectu vitæ: ergo conuenienter hoc modo explicamus rationem corporis.

27 Authoritates omnes facilè exponuntur, quia gradus corporis respectu gradus viuentis se habet vt quid materiale; ideo dicitur quasi materia animæ respectu vltimi gradus: de quo videatur Sanctus Thomas quæstione de Anima articulo nono in corpore. Vel loquuntur de Anima secundum quod forma est immediata materiæ: non vero de Anima formalissimè, vt dat gradum vitæ.

28 Rationi benè respondet Ferrara hic quæstione secunda ad tertium, docens, quod de anima possumus loqui dupliciter: scilicet, aut secundum suam substantiam, & entitatem absolute: aut vt anima est. Si loquamur de anima primo modo; tunc anima est actus materiæ primæ immediatè: non est enim alia forma in animato, quæ informet immediatè materiam, sed ipsa sola anima.

Si

Si verò loquamur de anima inquã tum anima est, scilicet, vt dat esse animarum, tunc non est actus materiæ, sed corporis: esse enim animarum præsupponit esse corporeum, sicut perfectum præsupponit imperfectum. Philosophus autem definit animam inquantum anima est: vnde ponit in definitione ipsius, id quod sibi conuenit in ratione animæ; non autem quod sibi conuenit, secundum quod virtualiter est forma corporea, aut secundum suam substantiam absolutè.

29 Instabis: forma aduenies enti in actu, non est forma substantialis, sed accidentalis, vt docet S. Thomas lec.1.lit.d. Et patet ex dictis 1.Physic.& 1. de Gener. q.12. Sed si nomine *corporis* intelligitur compositum, anima aduenies corpori, aduenire enti in actu: ergo non esset forma substantialis, sed accidentalis: contra ea, quæ demõstrata sunt quæst.1.

Respondetur cum eodem Ferrara ad 4.quod maior est vera de forma, quæ secundum entitatem suam informat subiectum factum in actu per aliam formam: non autem de forma, quæ secundum vnã suam cõsiderationem intelligitur aduenire subiecto facto, seu constituto in actu per ipsãmet formã secundum aliam considerationem sui. Anima autem non aduenit corpori facto in actu per aliam formã: sed ipsa, inquantum dat esse animatum, intelligitur aduenire habenti esse corporeum ab ipsa anima. Videatur etiã Ferrara 2.Contr.c.81.

30 Secundo dubitatur, cur corpus, cuius anima est actus, dicatur corpus physicum?

Respondetur, quod ipse Philosophus hoc explicuit: nam textu 3.vt declarat S.Thom.lec.1.lit.c. ponit secundam diuisionẽ docẽs, quod quædam sunt corpora physica, idest naturalia; quædam non naturalia, sed artificialia: de quorũ distinctione iam egimus lib.2.Physic.q.4. Deinde text.8.hanc doctrinam adaptat diffinitioni animę iuxta S.Thom.lec.2.lit.2. in fine, docens, quod anima non est forma corporis artificialis, sed *corporis physici huiusmodi*, scilicet, habentis vitã. Et vt manifestet quid sit esse physicum corpus, subiungit: *habentis in seipso principium motus, & status*: naturalia enim sunt, quæ in seipsis principium motus, & status habẽt: huiusmodi enim principium natura dicitur, vti habes lib.2.Physicorum.

31 Sed obijcit Suarez lib.1.de Anima cap.2.n.4.quod ad excludendum corpus artificiale parum necessaria videtur hæc particula: quia dictum iam erat animam esse substantiam per modum actus substantialis: per hoc autem sufficienter constabat non esse actum per modum formæ artificialis, quæ accidentalis est.

Respondetur, quod cũ ipse Philosophus diuisionem præmisserit, & definitioni adaptarit, non potest expositio S.Thomę in dubium vocari. Dicatur ergo, vel quod hæc particula ponitur ad maiorem expositionẽ. Vel quod magis credo

cum Phylosophus formas substantiales, quoad nos occultas, explicuerit per analogiam ad formas artificiales: eoquod, vt notat S. Tho. initio lec. 2. quia formæ artificiales accidentia sunt, quæ sunt magis nota quoad nos, quam formæ substantiales, vt potè sensui propinquiora; ideò conuenienter rationem animæ, quæ est forma substantialis, per comparationem ad formas accidentales manifestat. Ne autem quis deciperetur nesciens distinguere inter formam naturalem, & physicam; & formam artificialem; ideò Aristoteles hoc expresit: & etiã vt definiret vt Phylosophus Naturalis.

## §. III.

### *Duo alia dubia.*

32 TErtio inquiritur, vtrum hic anima definiatur per subiectum formatum; an verò per subiectum informe? Pro cuius intelligẽtia notat S. Tho. q. vnica de Anima art. 1. ad 15. *Quod in definitionibus formarum aliquando ponitur subiectum vt informe; sicut cum dicitur, motus est actus existentis in potentia. Aliquando autem ponitur subiectum formatum; sicut cum dicitur, motus est actus mobilis, lumen est actus lucidi.* Quod est dicere, forma aliquãdo definitur per proprium subiectum illius susceptiuũ non includendo ipsam formam: vt cum dicitur, albedo est actus corporis misti: constat enim corpus mixtum vt sic non includere albedinẽ. Aliquando forma definitur per subiectum formatũ, seu per proprium susceptiuũ formæ includẽdo ipsam formam, vel effectum formalem illius: vt si dicatur, albedo est forma albi: lumen est actus lucidi, iuxta Phylosophũ 2. de Anima textu 49.

33 Respõdetur ergo hic definiri animam per subiectum formatum: ita expræsse S. Thomas illa sol. ad 15. concludens. *Et hoc modo anima dicitur actus corporis organici physici, quia anima facit ipsum esse corpus organicũ, & physicum, sicut lumen facit aliquid esse lucidum.* Quod & prosequitur 1. p. q. 76. art. 4. ad 1. Nec oppositum docet quæst. de spiritualibus creaturis art. 3. ad 2. vt legenti erit perspicuum, & notat M. Bañez citato dub. 2. §. *Hoc suppositio.* Quare ita tenent communiter Thomistæ. Insuper Suarez, & Rubio, & alij, quos referunt PP. Carmel. disput. 2. q. 3. n. 31.

34 Et ratio est facilis, quia in definitione animæ exponuntur quidã effectꝰ formales, qui prouenire nõ possũt nisi ab ipsa anima: ipsa enim constituit substantiam in actu; facit corpus; reddit illud organicum; sine ipsa enim nõ sunt partes diuersę rationis in actu: ergo recte dicitur diffiniri animam per subiectum formatum. Absolute tamen, non attẽto contextu Phylosophi, posset definitio exponi de subiecto informi secundum quod est capax, & in potentia vt hos recipiat effectus animæ. Quod probabile censent Caiet. & Ferrara, & late prosequũtur PP. Carmelitani à n. 28. vsque ad 30. Sed quia cõmunis doctrina

sola videtur ad mentem Philosophi & S. Thomæ; ideò illam solam approbo cum Bañez, & alijs Authoribus relatis.

35 Vlterius videndum, cur anima requirat corpus organicum, id est, habens partes diuersæ rationis?

Optimè respondet S. Tho. lect. 1. litt. f. asserens. Et dicitur corpus organicum, quod habet diuersitatem organorum. Diuersitas autem organorum necessaria est in corpore susciipiente vitã, propter diuersas operationes animæ: anima enim, cũ sit forma perfectissima inter formas rerum corporalium, est principium diuersarum operationum; & ideò requirit diuersitatẽ organorum in suo perfectibili: formæ verò rerum inanimatarũ, propter sui imperfectionem, sunt principia paucarum operationum; vnde non exigunt diuersitatem organorũ in suis perfectionibus. Quod latè ibi prosequitur Sanctus Thomas.

36 Addit Caietanus cap. 1. q. 4. not. 3. fol. 36. quod sicut organizatio (quæ significat mutationẽ, vel motum ad partes organicas) sicut & quælibet generatio, dupliciter sumitur, scilicet, pro dispositione, & alteratione præuia; & pro instãtanea introductione formæ organi, vt in simili docet S. Thomas 2. 2. quæst. 164. artic. 1. ad septimũ. Ita organum (quod est terminus organizationis) dupliciter sumitur: vno modo pro complexione, quantitate, situ, & alijs huiusmodi requisitis ad hoc vt partes sint organicæ, & diuersæ rationis. Alio modo sumitur organum pro forma, qua constituitur inesse organici, seu organi. Hæc autem forma est duplex; alia substantialis; & alia accidentalis. Cuius ratio est, tũ quia substantia corporea habet partes in genere substantiæ diuersas: ex quibus dimanant diuersa accidentia. Et etiam quia, vt ait Sanctus Thomas quæstione vnica de Anima artic. 9. post medium: *Ad diuersitatem operationum in rebus minus perfectis sufficit diuersitas accidentium: in rebus autem magis perfectis requiritur vlterius diuersitas partium; & tanto magis, quanto forma fuerit perfectior.* Quod ibi latè explicat Sanctus Thomas.

37 Concludit ergo Caietanus, quod si primo modo sumatur organum, prius naturaliter est ipsa anima; quia oportet animam in materiam dispositam introduci: generãs enim prius disponit corpus, in quod agit qualitatiuè, & quantitatiuè, vt sit præparatum receptiuum formæ: quod respectu animę oportet esse ethereogeneum; partesq; officiales habere (iuxta phrasim Philosophi, qui 2. de Partibus animalium cap. 1. partes organicas *officiarias*, & *instrumentarias* appellat) priusquam ipsam animam perfectiuam totius, & partium omnium introducat. Si autem secundo modo sumatur organum; sic cum constitutiuum cuiuscumque organi sit potestatiua pars animæ; necesse est, quod esse organicum sit naturaliter posterius ipsa anima: impossibile namque est prius

intelligere partes potestatiuas, & effectus animæ, quam animam. Et ad hanc organizationem substantialem consequuntur diuersa accidentia, & dispositiones, quibus fit organum accidentibus differens. Et de istis præmiserat S. Thomas vbi supra ferme omnia cõplectẽs. *Huiusmodi autem dispositiones præintelliguntur formæ vt inductæ ab agente in materiam. Licet sint quædam accidentia ita propria formæ, quæ nõ nisi ex ipsa forma causentur in materia. Vnde nõ præintelliguntur in materia formæ quasi dispositiones, sed magis forma præintelligitur eis, sicut causa effectibus.* Ecce meminit diuersitatis præuiæ, & alterius subsequentis, quæ causatur ab ipsa forma. Et vidẽdus Capreolus in 2. dist. 15 art. 3. in fine ad 6. & late Suarez 1. de Anima cap. 2. à n. 7. vsque ad 24. & nos infra q. 10. id exponemus.

38 Sed obijcies; nam omnia accidentia, quę erant in materia ante instans generationis, pereunt adueniente noua forma substantiali, vt diximus 1. de Gener. q. 12. eo quod accidentia non subiectantur in materia prima, sed in toto cõposito: ergo organizatio accidentalis præuia perit: ergo materia, vt habet illam, nõ est proprium susceptiuũ animæ.

Respondetur concedendo antecedens, & primam consequentiam: & distinguo secundum consequens, materia vt habet illam organizationem in facto esse, & intrinsecè, concedo consequentiam: in hoc enim sensu sequitur [illegible]sis; siquidem forma substantialis vnitur immediatè nudæ materiæ primæ, & non medio aliquo accidente: materia vt in fieri, & extrinsecè vi præcedentium dispositionum ab agente inductarum siggillatur extrinsecè, & determinatur vt sit susceptiuum animæ, nego quod vt sic non præcedant dispositiones, & eam determinent. Vnde Sanctus Thomas de Spiritualibus creaturis articulo tertio ad 20. ait: *Quod materia, prout nuda consideratur, se habet indifferenter ad omnes formas; sed determinatur ad speciales formas per virtutem mouentis, vt traditur in secundo de Generatione* textu 53. *& secundum ordinem intelligibilem formarum in materia, est ordo agentium naturalium.*

39 Pro quo recolenda sunt, quæ diximus libro primo de Generatione, exponendo qualiter dispositiones causent generationem? Et quæ docuimus ibi libro secundo quæstione octaua, tractando de principio indiuiduationis. Ibi etiam quæstione quinta numer. 7. adduximus ex Diuo Thoma, quod in generatione viuentium, propter perfectionem formarum, quas vltimate intendit natura, non fit vltima generatio, nisi præuijs multis generationibus, & corruptionibus: sicut ergo formæ substantiales corrumpendæ non frustra introducuntur, quia propter symbolizationem gradatim peruenitur ab imperfecto ad perfectum; ita pariter organizatio propria formæ imperfectioris, licet pereat cum ipsa forma, non frustra introducta fuit, quia maiorem affinitatem habet

cum forma immediatè succedente quam habeat cum organizatione propria animæ rationalis, quæ vltimate aduenit: ideò autem formæ, & organizationes præcedentes introductæ sunt, licet sint abijciendæ, quia vt ait Caietanus hic q.5.§. *Etsi rursus*, sunt materia transiens, & non materia permanens rei generandæ. Et ad tertium in solutione quartæ improbationis docet formas, & accidentia habere hanc efficaciam ex natura materiæ transeuntis, sicut acetum nō fit nisi ex vino, nec panis fit nisi ex farina.

40 Solet in præmissa animæ definitione addi *potentia vitam habētis*: quam particulam sic declarat ipse Phylosophus text.10. dicens. *Est autem non abijciens animam potentia ens vt viuat, sed quod habens*. Pro cuius intelligentia notat S.Tho.lec.2. lit. c. quod dicitur aliquid esse in potentia dupliciter. Vno modo cum nō habet principium operationis. Alio modo cum habet quidem, sed non operatur secundum ipsū. Corpus autem, cuius anima est actus, est habens vitam in potentia, non quidem primo modo, sed secundo. Quia est in actu vitæ substātialis, qua opponitur morti, sed est in potentia ad vitam accidentalē, quæ est operatio vitæ: de qua inquit Phylosophus 10. Ethicorum cap.4. *Vita quædam est operatio*. Videatur S.Thomas prima parte quæstione 18.att.2. Cum autem anima definiatur per subiectū formatū, vt dictum est; ideò conuenienter hæc particula sic exponitur.

41 Quia tamen per illā nil noui, denotatur, quod in præcedentibus non esset expressum; ideò non est simpliciter necessaria, nec à Phylosopho fuit apposita in definitione, vt patet tex.7. Cæterum, quia anima apud Antiquos erat valdè ignota; ideò maioris claritatis gratia postea additur textu.10. quod notarunt Caiet. & Bañez, Cōimb. & alij. & prosequuntur PP.Carm. disp.2.q.4.

## §. IIII.
## *Qualis sit definitio?*

42 CIrca totam definitionē dubitatur, vtrum sit essentialis?

Respondetur affirmatiuè: quod manifestè colligitur ex Phylos. textu 1. & 2. & S.Thom. lec.1. lit.a. & b. & tex.8. lec.2. in princ. Et tenet communiter Doctores, vt testantur Rubio q.6. & PP.Carmel.q.5. Et ratio est facilis, quia definitio quidditatiua explicat essentialiter quodquid est rei: anima autem est quidditas, & ratio corporis animati: quod in definitione exprimitur: ergo est definitio essentialis.

43 Præterea vt ex Phylosopho 7.Metaph. docet S.Tho. hic lec.1. lit.b. in definitione substantiæ cōpletæ nihil ponitur, quod sit extra substantiam definiti: quia definitio significat quodquid est res; substantia autem est quid completū in suo esse, & sua specie. Secº verò contingit in definitione accidentium, & formarum, quia nulla forma est quid completum in specie

Vnde *in omni definitione formæ ponitur aliquid, quod est extra essentiam formæ, scilicet, proprium subiectum eius, siue materia. Vnde cum anima sit forma, oportet quod in definitione eius ponatur materia, siue subiectum eius.* Cum igitur in definitione satis exprimatur proprium subiectum, cuius anima est act⁹, quidditatiue definitur anima, eo modo quo formarum dari possunt quidditatiuę definitiones.

44 Sed huic communi doctrinę se opponit Arriaga disp. 1. sec. 1. n. 17. dicens se aliquid descriptiuum in hac definitione reperire, scilicet, ly *organici*: quo significantur accidentia, quibus materia disponitur ad formam viuētis; ea enim accidentia non sunt viuenti essentialia: ergo ex hac parte definitio est descriptiua; non secus, ac si definirē hominem esse *animal bipes rectū*. Nisi velis explicare ly *organici* aptitudinaliter; ac si diceres *anima est actus corporis, petitque illud esse organicum*. At hoc modo etiam illa *homo est animal bipes rectū*, potest esse essentialis, id est *animal petens esse bipes rectum*.

45 Difficultas tamen hæc multipliciter fuerat iam ab alijs soluta. Caietan⁹ enim in fine q. 4. dixerat, quod ly *organicum* circumloquitur occultam proprietatem subiecti proprij ipsius animæ. ¶ Bañez 1. p. quæst. 75. art. 1. dub. 2. ad 7. dicit, quod si corpus organicum denotaret subiectum informe, satis constat animā definiti per priora, quia susceptiuum formæ præsupponitur ad ipsam formā in ratione causæ materialis.

46 Sed tenendo quod corpus organicum denotat compositum, & effectum formalem animæ, quæ definitur per subiectum formatū; dupliciter respondetur. Primo, nō esse incōueniens definitionem quidditatiuam dari per posteriora quantum ad aliquam particulam; maximè quando definitum non est completa substantia, & omnino absoluta, quæ in sua definitione nihil extrinsecum, nihil posterius exigit. Anima autem definitur in ratione formæ, & vt quid incōpletum, vt ex D. Thoma dixim⁹, & ideo quidditatiue definitur per suū effectū formalem.

Secundo dicit, quod effect⁹ formalis animæ in ratione finis est prior ipsa anima: & sic definitio datur per priora definito, vt in simili ait Caietanus prima parte quæstione 77. articulo tertio. Hanc vltimam solutionē sequitur Suarez 1. de Anima cap. 3. n. 17. quia habitudo animæ ad actuandum corpus organicum est eadem cum habitudine ad compositum: & ideo definitur per id quod est aliquomodo prius in genere finis.

47 Deficit etiam arguens non distinguēs organizationem præuiā accidentalē, ab organizatione substantiali, ad quam consequitur organizatio subsequens accidentalis. Et anima definitur per effectum formalem substantialem, vt est radix accidentis, vt in simili diximus numero 40. circa illam particulam *potentia vitam habentis*, quæ in re ab ista non differt. Et sic exemplum, quod cōtra

nos obijcit, parum vrget: & retorqueri potest contra ipsum, qui fatetur reliquas particulas definitionis esse essentiales: & tamen esse radicem operationis vitalis, est essentiale animæ, licet homini non sit essentiale duos pedes habere.

48 Demum aduerte cum Caietano cap.2.tex.25. quod anima esse actum corporis, contingit dupliciter: vno modo actualiter vnitum corpori. Alio modo abstrahendo ab actuali vnione, aut nō vnione. In ista, & sequenti definitione, non intēdit Philosophus animam esse actum actualiter vnitum corpori: sed tantum docere, quod essentialiter sit actus, & perfectio corporis, siue sit actualiter coniuncta corpori, siue non, abstrahendo ab vtroque statu.

## QVAESTIO IIII.

### *De secunda Animæ definitione.*

1 CIrca secundam definitionem tria præcipuè solent disputari. Primo, vtrum sit exacta? Secundo, vtrū sit quidditatiua? Tertio, qualiter prior definitio demōstretur per secundam? Quæ & nos ordine proposito determinabimus.

### §. I.

### *Definitio exponitur.*

2 SVnt, qui arbitrentur hac secunda definitione, non omnem animam, nec animam in communi; sed solam animam rationalem fuisse definitam. Tribuitur Simplicio hic tex.24. nititur non contēnendo argumēto: quia omnia, quę ponuntur in definitione, debent conuenire definito: imò definitio, & definitum in re conuertuntur. Sed nulli animæ, præter rationalē, conuenit, quod sit *id quo viuimus, & sentimus, & mouemur, & intelligimus primo*: vt per se notum est. Ergo sola anima rationalis hic definitur.

3 Asserunt alij hanc nō esse vnicam definitionem, sed multiplicē, iuxta diuersitatem animarum. Ita AEgidius text.24. & ibi Apolinaris. Et in re tenet Suarez lib.1.cap.3.n.6. docens verbis prædictis contineri quatuor definitiones, vnam animæ generatim, videlicet, quod sit *primum principium quo corpora animata viuunt*, id est: opera vitæ exercent: & tres alias trium animarū, nempe animæ vegetiuæ *qua solum viuimus*, & animæ sēsitiuæ, qua viuimus, & sentimus, & tandem aliam animæ rationalis. Quia anima est veluti genus: & rationem operationis vitalis melius in particularibus, & per inductionem cognoscimus, quam per solum conceptum generalē. Vnde simul tradidit proprias definitiones trium animarū, & diuisionem animæ in tria membra.

4 Hanc expositionem nihil falsum cōtinere, notat Iauellus q.8. Violentiam tamen inferre textui idem animaduertit. Et planè constat ex text.13.& 24.& ex D.Thoma lec.3.lit.b. & lec.4.lit.f. Nam Philos. intendit secundo definire

animam iam definitam, vt notat textu 12. & eam clarius manifesta re: constat autem primam definitionem esse vnam, & de omni anima: ergo & ista.

5 Idcircò in præsenti vnam tantum dari definitionem, omnique animæ cõuenire dicit Bañez dub. 3. *certissime tenendum esse*. Illaque definiri animam in cõmuni dicunt Toletus q. 3. conc. 1. Rubio q. 8. dicẽs communem. At vero Caiet. hic c. 2 §. *Quoad quartum*, & Ferrara q. 4. & alij, dicunt animam definiri non in communi per genus, & differentiam; sed potius per actus suorum inferiorum, secũdum totam suam formalem latitudinem: & sic eadẽ est cum anima pri⁹ definita, & omnem animam continet. Quia ergo definitio ista datur per actus proprios inferiorum suorum; ideo nõ debet conuenire animæ secũdum omnes partes suas; sed per accommodam distributionẽ. Licet enim particula *&*, intelligatur copulatiue: sensum tamẽ facit copulatã: sicut, & in diffinitione naturę explicuimus ly *motus, & quietis*, vt patuit 2. Phys. q. 1. n. 16.

6 His præmissis circa diffinitũ; circa ipsam definitionẽ notat plura Caietanus §. *Quoad tertium*, satis subtiliter. Primo quod ly *quo* est vocabulum satis aptum ad denotandum animam esse rationem essendi, & radicem operandi per modũ principij *quo*. Licet aliquando eadem sit principium *quo*, & *quod*, vt patet in anima rationali iuxta Philosophum textu 3.

7 Secundo notat, quod Philosophus apponit in definitione ly *viuimus*, vt denoret loqui de principio vitæ, quæ apud nos est in hominibus, brutis, & plantis: nam ad Metaphisicam pertinet perscrutari de prima ratione vitæ, vt conuenit Deo, & Angelis: quãuis ob connexionem doctrinæ nonnulla nos infra dicemus.

8 Notat tertio, quod ly *viuim⁹*, sumi potest dupliciter, videlicet, vel pro esse substantiali vitali; vel pro operatione vitali. Quæ distinctio colligitur ex Philosopho 2. Cæli textu 17. vt ait S. Thomas ibi lect. 4. Pariter reliquæ particulę definitionis, licet sint nomina propria operationum; possunt accipi pro radicibus operationum, videlicet, pro esse sẽsitiuo, pro esse motiuo, & pro esse intellectiuo: *Sicut viuere non solum nomina ipsum esse viuẽtis, sed etiam operationem vitæ*, vt ait S. Thomas loco citato. Frequentius accipiũtur pro operationibus; sed profundius sumuntur pro ipso esse substantiali. Addit tamen Caietanus, quod veritati, efficaciæ, & qualitati demonstrationis, nil confert, aut affert vter sensus affirmetur, vel assumatur.

9 Quarto notat, quod viuere potest accipi pro vita vegetatiua, quæ est infima species vitæ: alio modo pro vita communi vitæ vegetatiuę, sensitiuæ, & intellectiuæ. Caietanus, & Zanardus lec. 11. q. 6. existimant ly *viuimus* sumi formaliter vt significat vitam nostrã quocumque id contingat modo; quia sermo formalis reliquis est præferendus, iuxta Philosophum quar-

to Metaphisicæ textu 23.

10 At verò Ferrara quæst.4.Bañez dub.3 Suarez,& Rubio,quos referunt,& sequuntur PP.Carmel. disp.2.q.1.n.3. & 4. dicunt, quod ly *viuimus* accipitur pro vita vegetatiua. Quia S.Thom. lec.4.litt.f. ait: *Et referuntur hæc quatuor ad quatuor genera vitæ,de quibus superius fecerat mentionem: viuere enim refert ad principium vegetatiuum, quia superius dixerat,quod viuere propter hoc principium inest omnibus viuentibus.* Secundo,quia alioquin definitio esset diminuta,quia si debuerunt vltra vitæ rationem omnibus communē, explicari vitæ sensitiuæ, & intellectiuæ; etiam debuit exprimi vita vegetatiua. Nec hæc acceptio est impropria,& materialis;sed propria,& formalis, & minus ampla, & strictior: quia vis vegetandi à reliquis separari potest.

11 Vltimo, alijs omissis, cum eodem Caietano notādum, quod ly *primo* significat secundum quod ipsum; sicut dicimus,quod lucere primo conuenit luci,quia conuenit ei secūdū quod ipsū:quia cōuenit non per aliud,& cæteris per ipsum. Iuxta Philosophum primo Posteriorum textu 36. Cur autem modi viuendi sint tantum quatuor,cum genera potētiarum sint quinque, & animæ sint tantum tres? Explicat Sanctus Thomas hic lectione 3.litt.c. & prima parte quæst.78.artic.1. & nos infra quæst.

## §. II.

### *An definitio sit quidditatiua?*

12 MAior difficultas est de qualitate definitionis, quam de eius bonitate. B.Albertus Magnus tractatu 1. cap.5. Themistius, & Philoponus, & Apolinaris hic cap.2. & ibi Caietanus cap. 2. §. *Quoad septimum*.Bañez dub.3.in 2. parte illius. Ioannes à S.Thom. q. 1.art.2.concl.2. & alij opinantur definitionem esse essentialem.Primo,quia videtur eadem esse ratio de hac definitione animæ, ac definitione naturæ: quam esse essentialem diximus secūdo Physicorū q.1.§.5.ergo dicendum pariter de anima,quæ est quædam natura: & ideò essentialiter consideratur à Physico, vt est radix operationū.

13 Secundo,quia licet actuales operationes, vel principia proxima earum,non sint de essentia animæ: tamen esse principium earum radicale, est de eius essentia. Profundius autem intelligetur definitio,si particulæ non explicent operationes,sed principia,non proxima,sed remota illarum.In quo sensu hæc definitio non minus erit quidditatiua quam præcedens. Licet in diuerso genere causæ procedat.

Denique hoc videtur intendere Philosophus initio capitis secundi docens in ista definitione contineri causam prioris in essendo, & cognoscendo. Ait enim: *Non enim solum quod sit oportet definitiuum ratio-*

*nem ostendere, sicut plures terminorum dicunt; sed causam inesse, & apparere.*

14 Oppositum videtur docere S. Thom. lec. 3. litt. a. & c. docens demonstrari priorem definitionē per illam, tamquam causa per effectum notiorem quoad nos. Inquit enim lit. c. *Manifestum est autē, quod hæc demonstratio est ex posteriori: ex eo enim, quod anima est forma corporis viuētis, est principium operum vitæ, & non è conuerso.* Quare esse descriptiuam, seu accidentalem, tenent Ferrara q. 4. Suarez lib. 1. cap. 3. puncto 3. à n. 18. vsque ad 21. Conimbric. & Rubio, quos citant, & sequuntur PP. Carmel. disp. 3. q. 2. Et probant primo, quia prius conuenit animæ esse principium essendi, quam principium operandi: ergo hæc definitio non explicat rationem primam, & essentialem. Probatur antecedens, quia prius est esse, quam operari.

15 Secundo, quia anima seipsa formaliter dat vitam; at verò non est principium operationum nisi mediis potentijs, vel realiter, vel formaliter ab anima distinctis: ergo definitio, quæ explicat essentiā animæ, per hoc quod est principiū operandi, nō est essentialis, sed per accidētia propria essētiā describit.

Tertio arguit Suarez in fine nu. 20. nam anima secūdum speciem, & substantiam suam non specificatur ab operationibus suis, sicut potentiæ ab actibus: ergo nec definitur essentialiter per operationem; sed tantū à posteriori eius natura per operationem notificatur.

16 Vltimo hanc sententiam probant Recentiores hoc vnico argumento. Definitio generis tradita per omnes differētias, per quas adæquatè diuiditur in suas species, est descriptiua. Talis est hæc definitio animæ, vt dixim⁹. n. 5. ergo est descriptiua. *Maior est certa*, quia differētiæ, per quas gen⁹ diuiditur in suas species, accidunt ipsi generi, non physicè, sed logicè: cum illud supponāt in sua ratione formali cōstituū: ergo cū genus definitur per illas, descriptiuè definitur.

17 Hæc tamen ratio parum solida videtur: quia assumit Maiorem falsam: & eā dicunt certā; cū tamē nec eam demōstrent: nec communiter Authores eam doceant, aut supponāt: vnde ex nullo capite ei ineſt certitudo. Licet enim generi in sua abstractione cogitentur accidere differentiæ; tamen in contractione sunt act⁹ essentiales: & omnes simul sumpti exhauriūt totam potētialitatem generis. Vnde per omnes differentias, cum numerari possunt, bene potest essētialiter definiri. Iam autem dixim⁹ n. 5. cum Caiet. & Fer. hic nō definiri animā abstractè; sed cōcrete per totā latitudinē actuum formalium. Vnde ad hanc sententiam defendēdam, ad alias relatas rationes eius Authores recurrunt.

18 Cōcordare nititur relatas sētentias M. Iauellus 2. de Anima q. 8. distinguens, quod *principium quo* in hac definitione potest sumi dupliciter. Primo *actualiter* ita quod anima sit actu principium harū operationū: secundo *aptitudine naturali*, vt denotet quod anima sit talis

lis naturæ, quod sibi competit esse tialiter esse primum principium talium operationum. B. Albertus accepit hoc secundo modo, vt patet illo tractatu 1. cap. 5. & ideo definitio est essentialis. Et ratio est, quia nulla est ratio quare anima actuet materiam, nisi vt ab ea, vt à prima radice, emanēt opera vitalia: sicut nulla ratio est quare sanitas perficit corpus, nisi quia dat esse sanum, & est principium ex natura sua operum conuenientium sano. Si vero *principium quo*, accipiatur secundo modo, vt accipit S. Thomas in expositione textu 2. definitio erit accidentalis, vt argumenta secundo loco proposita ostēdūt. ¶ Nō displiceret hæc concordia, nisi viderem discordes Authores in illa acceptanda. Quia adhuc in primo sēsu, Suarez, PP. Carmelitani, & alij putant definitionem esse essentialem. Sed hoc authoritates, & rationes eorum nō omnino conuincūt, quia idem omnino videtur esse principium quo actuamur, & quo informatur corpus, ac principium radicale operandi.

19 Illud videtur certum, quod notat M. Ioan. à S. Thoma, quod si per ly *viuere, & sentire* intelligantur non operationes vitales, sed ipsum esse substātiale, vel effectus formalis, vel forma qua constituitur in esse viuentis, tunc definitio hæc est quidditatiua; quia traditur per effectum formalē intrinsecum, & quidditatiuum ipsius animæ, ad quē dicit essentialem ordinem. Quod autem Philosophus in hoc sensu loquatur in definitione, plane constat ex D. Thoma 1. p. q. 18. ar. 2. ad 1. vbi ait. *Vel dicēdum est melius, quod sentire, & intelligere, & huiusmodi, quādoque sumuntur pro quibusdam operationibus; quandoque autem pro ipso esse sic operantium. Dicitur enim 9. Ethicorū c. 9. quod viuere est sentire, vel intelligere, id est habere naturam ad sentiēdum, vel intelligendū. Et hoc modo distinguit Philosophus 2 de Anima, viuere per illa quatuor: nā in istis inferioribus quatuor sunt genera viuentium, &c.* Ergo sicut in diuisione, ita in definitione, ly *viuere, & sentire*, accipitur pro esse substātiali. Differt autem à prima, vel quia dantur per diuersa genera causarum; vel solum penes implicitum, & explicitum. Concludamus ergo, quod diuersimodè exponendo particulas definitionis, & potest sustineri definitionem esse quidditatiuam, & solum esse descriptiuam: & sic erunt simul veræ relatæ opiniones.

## §. III.

### *An demonstratio sit à priori?*

20 Restat videre tertium, quod explicare promisimus. Et supponimus rectè demōstrari priorem definitionem per secundam. Philosophi demonstrationem in hac forma proponit S. Tho. lect. 3. lit. c. *Illud quod est primum principiū viuendi, est viuentium corporum actus, & forma. Sed anima est primum principium viuendi, his quæ viuunt. Ergo est corporis viuentis actus, & forma.* Qualiter vna diffinitio possit per aliā demōstrari; Explicuimus iam lib.

3. Log. q. 8. §. 2. ibi dicta recolantur, & videatur S. Tho. hic lec. 1. litt. b.

21 Secundo est certum, quod siue loquamur de principio proximo operationum vitalium, siue sermo sit de ipsis operationibus vitalibus connotatis; hæc demostratio est solùm à posteriori, & quoad nos, & per effectus, vt docet Sanctus Thomas lect. 3. litt. a. & litt. c. ait: *Manifestum est autem, quod hæc demonstratio est ex posteriori: ex eo enim quod anima est forma corporis viuentis, est principium operum vitæ, & non è conuerso.* Et ex suppositione, quod sic definitio exponatur, nullus valet negare, quod hæc demonstratio solum sit à posteriori.

22. Intelligendo autem definitionem, vel de principio radicali, vel de ipso esse formali substantiali, est difficultas qualiter definitiones differant, saltim virtualiter, & in cognoscendo, vt ratio per vnam explicata, possit à priori demonstrari de alia? Respondetur, quod in vna explicatur habitudo animæ ad corpus, cuius est actus; in alia exprimitur esse, quod illi dat, & ordo ad operationes, quarum est radix: in vna exprimitur officium informandi; in alia explicatur constitutio per ipsam animam, & virtus ex qua oriuntur principia proxima operationum.

23 Posset adhuc defendi, esse demonstrationem à posteriori, etiam si teneatur dari per radicem operationis, quia eo modo quo vna formalitas virtualiter aliam cõsequitur, formalitas informandi prior videtur quam formalitas radicis operationis. Vereor tamen nõ esse admodum solidum fundamentũ ad multiplicandum has formalitates: quia licet principium proximũ operandi distinguatur ab essentia; non tamẽ principium radicale est aliud quam ipsissima essentia. Qui tamen aliud putaberit, sua fruatur subtilitate. Fortè enim solum ex connotatis, vel effectibus diuersis Philosophus ex notioribus demõstrationem formauit; reliqua verò subtilius, quam verius dicuntur.

## QVAESTIO V.

### *De conceptu vitæ communi omnibus viuentibus.*

1 IAm diu Noster Caietanus lib. 2. de Anima cap. 2. §. *Quoad tertium*, notab. 2. dixerat, quæstionem hanc, de prima ratione vitæ communi omnibus viuentibus, ad Metaphisicam pertinere. *Metaphisicalis namque perscrutatio est*, inquit, *quænã si prima ratio vitæ: cum* vita *terminus sit metaphisicalis, vtpote communis separatis à materia, & materialibus.* Sed Recentiorum instantia nos cogit de illa hic exprofesso tractare, tum ad intelligendam secundam animæ definitionem: tum etiam vt radicitus intelligamus propriam rationem vitæ animatorum corporaliũ, de quibus ad nos attinet disputare, cum anima sit *primum vitæ principium*, vt diximus q. 1. n. 1.

2 Non possum tamen nõ illud mirari in Neothericis, quod ex

vna

vna parte Pater Arriaga disp.2.dicit, quæstionem *fere esse de modo loquendi*: & tamen chartis, & otio abutitur quatuor sectionibus, & decē subsectionibus vsque ad nauseam quæstionem ventilando. Quod & alij Recentiores ante, & post ipsū præstitere. Quos frustra laborasse alius Complutensis Societatis nō dissitetur, dum ita præfatur Controuersiæ secundæ: *In conceptu vitæ inuestigando, materiam, nostrorum recentiorum labor superauit; qui in re nimis arida, & angustis definita terminis, varias de hoc viuentis conceptu tradidere definitiones, & in diuersas distracti sunt sententias, &c. Et tantū in loquendi modo Authores dissentiunt.* Hæc ille; qui postea non minori prolixitate, quā alij, quæstionem disputat: vnde cū offensionis lapidem prospexerit, mirum est, quomodo in eundem impegerit. Nos tempori dabimus de vna, vel altera nouitia opinione mētionē facere; vt clarius eluceat antiquos Philosophos, & Theologos, & præcipuè vtrorumque principem S. Thomam, hic sicut & vbique, veritatis scopum attigisse.

## §. I.

### *Recentiorum nonnullæ sententiæ de conceptu vitæ.*

3 IGitur Arriaga illa disp.12.sec.1. postquam quatuor primis subsectionibus aliorum impugnauit sententias; subsec.5.distinguit *vitā physicam, & vitam intentionalem.* Et asserit nec Deo, & creaturis; neque creaturis omnibus viuentibus dari rationem communem vitæ physicæ: quia vita physica consistit in augmētatione per intus sūptionē: intētionalis autem in cognitione, & amore obiecti: quę duo nullam habent conuenientiam in ratione viuētis. Vnde vita dicitur æquiuoce de Deo, & plantis; sicut *Gallus* respectu auis, & hominis Galli. Deo tamen, & creaturis cognoscētibus vere datur ratio communis vitæ intentionalis: quia vere illis proprie conuenit cognoscere, & appetere, in quo consistit hæc vita.

4 Huic positioni affinis est positio Stoicorum, quos, referunt Plutharcus de Placitis cap.26. & Clemens Alexādrinus lib.8. Stromatum, asseruisse sola cognoscentia viuere, non vero plantas. Quam sententiā *iam fere sopitam* (ipso Arriaga referente n.2.) *Recentiores nō nulli, & excitarunt, & acriter contra communem omnium Theologorum, & Philosophorum consensū cōnati sunt pugnare.* Ita Arriaga censet de opinione, in quam postea labitur: quia æquiuoce, vel analogice nemo negat plantas viuere: quinimo vocamus aquā viuam, phrasi in ipso Euāgelio vsurpata Ioan.4.versu 10. *dedisset tibi aquam viuam.* Et versu 11. *Vnde ergo habes aquam viuam?* Et Genes.26.versu 19. *& repererunt aquam viuam.* Canticorum 4.versu 15. *Puteus aquarum viuentium.* Et sæpissime alibi, non solum apud Sacros, sed etiam apud prophanos scriptores: vt constat ex illo Poetæ: *Donec me flumine viuo Abluam.* In re ergo hæc

positio non differt a præcedente.

5 Per oppositum P. Franciscus Zuñiga disp. 1. de Trinitate dub. 6. membro 2. concl. 3. ait, quod vita vt sic consistit *in aptitudine, seu capacitate operandi in se*, abstrahēdo ab operatione reali, & physica, qua viuens producit aliquid intra se; & ab intentionali, qua nil producit; sed cognoscit, & appetit intra se. Et membro 3. n. 1. ait, quod vitalitas actus nō cōsistit in eo quod viuens se moueat physicè, cū hæc non reperiatur in Deo. Neque in motione, quæ cōprehendat se mouere realiter, aut ratione; quia motio rationis, quæ tota est ab intellectu, non potest constituere rationē vitæ conuenientem rebus à parte rei. Nec in operatione physica productiua ad intra, quia hæc non cōpetit Spiritui Sancto. Neque in motione intentionali, quia hæc repugnat viuenti vegetatiuo. Cōsistit ergo in ratione operationis, seu tendentiæ ab intrinseco. Quod potest conuenire etiam operationi infusæ ab extrinseco, vt explicat. n. 2.

6 Idem Author postea disput. 2. dub. 12. memb. 2. n. 2. constituit in natura intellectuali creata sex operationes ex natura rei distinctas; nēpè, intellectionem, & volitionem, & earum productiones; & productiones actiuas, quæ sunt duæ realiter distinctæ inter se, & differunt realiter à passiuis; quæ etiam sunt duæ inter se distinctæ.

7 Arbitrantur hanc sententiam sequi quidam Recentiores, qui hic disput. 5. sect. 3. dicunt vitam sic esse definiendam. *Viuens est, quod virtutes, quibus in sua naturali dispositione constituitur, est determinatū ad producendam in se suam perfectionem.* Pro qua definitione citant Petrū Garcia super Fen. Auicenæ disput. 50. cap. 1. num. 4. Molinam prima parte quæst. 13. disput. vnica. §. 2. Zuñiga disput. 1. de Trinitate dub. 1. membro 2. Cæterum dub. 1. de hoc non disputat: quid autem doceat dub. 6. eiusdem verbis retulimus: ex quibus patet longè diuersam esse sententiam hanc ab illa. P. Molina illa quæst. 13. de hoc puncto non tractat: sed quæst. 18. vbi nostram, & Sancti Thomæ sequitur sententiam.

8 Ratione solū arguūt, quia hæc definitio conuenit omnibus viuentibus, & nulli non viuētiū attribui potest. ¶ Sed adhuc dato, quod ita esset (de quo postea:) hinc solū sequeretur hoc esse accidens proprium, quod cōuenit omni, & soli. Inde autem non habemus conceptum essentialem quidditatiuū vitæ; quem inquirimus.

9 Addūt relati Authores, viuēs nō esse formaliter tale per ordinē ad operationes vitales: quia motus cordis, & arteriarum nō est vitalis, vt docent S. Thom. Opusculo 35. & 1. 2. q. 17. art. 9. ad 2. & 3. & Ferrara 1. Contrag. c. 95. & Petrus Garcia illa disp. 50. cap. 4. nu. 17. & loquutio, & deambulatio, & cōmestio, non sunt actiones vitales quoad substantiā; sed solum quoad modū, quia supponūt actiones alias vitales; vt docent Petrus Garcia vbi supra. c. 5. n. 24. & Vazquez 1. p. q. 52. art. 3. & disp. 186.

Et

Et ratio est, quia viuens est formaliter tale per ordinem ad operationes ex natura sua immanẽtes in ipso viuente. Istæ autem non sunt operationes immanentes, quia termini earũ in alio subiecto manent, nẽpe præsentiæ, & possunt similes in extraneo subiecto causare.

10 Proximius ad nostram communem, & veram sententiam accedit P. Hurtado disp.3.sect.1.vbi rationem viuentis cõstituit in hoc quod est *esse operatiuũ per actionẽ ex se terminatam ad terminum ex natura sua immanentem*, nempe cuius terminus est immanens, quem subiectum nõ potest ab alio recipere sine suo cõcursu actiuo. Sed hac doctrina nos non indigere, postea erit perspicuum.

11 Alij definiunt sic. *Viuens est illud, quod vltra simplices emanationes, actionem ex conceptu essentiali immanentẽ exercet.* Demum alij definiunt viuẽs commune creato, & increato, sic. *Est substãtia, quæ in statu naturali se ipsam reducit ad actum intrinsecum contingentem.* Has & innumeras alias definitiones Recentiores componunt prout vident deseruire ad proprias opiniones stabilendas, & alias euertẽdas. Sed vel solis vocibus minus proprijs à Sancti Thomæ doctrina recedunt; & ideo Angelici Doctoris sententia, & loquendi mod⁹ est retinendus: vel si in re dissentiunt ab illo, omnino à veritate sunt alieni, vt dicenda monstrabunt.

## §. II.

### *Conclusio ex D. Thoma.*

12 PRæmitto, quæstionem hãc in terminis ab Angelico Doctore, & alijs post ipsum expresse disputatam: nam 1.p.q.18. titulus articuli secundi initio quæstionis præfixus, talis est: *Quid sit vita?* Vbi Nazarius notauerat, *quod in secundo artículo proponitur ac definitur quæstio quid est; de vita vniuersaliter sumpta.* Et ibi siggillatim explicat constitutiuum vitæ substantialis, & accidentalis, vt intuenti constabit. Et postea rationem hanc communem vitæ, applicat ad vitam Dei ibi art.3. & locis alijs in margine relatis. Vane ergo, & falso dicunt Neotherici quæstionem hanc inter suos subortam, & sedula diligentia inter antiquos quæsitam, & non inuẽtam. Sed parum quæsiuit, qui adeo lucẽtem Solem non aspexit, vel aspexisse dissimulauit. Illud non diffitear, quod ab Antiquis non cõtrouertebatur, quia vt perse nota suponebatur cõclusio tradenda ex mente Philosophorum; & Theologorum, & Patrum. Imo argumentum illud vnicum, quo cõuincũtur, vt nostra relicta regia via, in tot invias distrahantur opinationes; de motu grauium, & leuium; duplici manifesta solutione est à D. Thoma ibi ad secundum penitus solutum, vt referemus infran.40. Vnde mirum est quomodo priori nõ impugnata solutione, vt conuincens obijciatur.

13 Notat ergo S. Tho. illo art. 2. quod vita dupliciter accipitur: vno modo pro vita accidētali, seu pro operatione vitali: alio modo pro vita substantiali. De ista loquitur Physosophus 2. de Anima textu 37. lec. 7. lit. d. cum ait. *Vinere viuentibus est esse.* De secunda vero loquitur 9. Ethicorum cap. 9. cū ait, quod *viuere principaliter est sentire, vel intelligere.* Eandem distinctionē esse ad mentem S. Augustini docet S. Tho. 1. p. q. 54. art. 1. ad 2. Illaque vtitur S. Tho. lib. 1. de Anima lect. 14. lit. f. & lib. 2. lect. 7. lit. d.

14 Vita autem vtraque est duplex: nempe vita in actu; & vita in potentia, vt videri potest in Diuo Thoma ad Ephes. 3. lect. 4. in medio. Sed præcipuè vita accidentalis in actu primo, sunt ipsæ potentiæ, habitus, & virtutes: & vita in actu secundo sunt operationes, & exercitia illarum facultatū. Quod habet locum, non solum in habitibus, & actibus, naturalibus acquisitis; sed etiam in supernaturalibus, & infusis, vt patet ex D. Tho. 1. p. q. 18. art. 2. ad 2. & 1. 2. q. 3. art. 2. ad 1. vbi ait, *quod vita dicitur dupliciter: vno modo ipsum esse viuentis: & sic beatitudo non est vita, &c. Alio modo dicitur vita ipsa operatio viuentis secundū quam principium vitæ in actū reducitur: & sic nominamus vitam actiuam, vel cōtemplatiuā, vel voluptuosam: & hoc modo vita æterna dicitur vltimꝰ finis, quod patet per hoc quod dicitur Ioā. 17. Hæc est vita æterna, vt cognoscant te Deum verum.*

15 Ex quibus omnibus manifestè cōstat, quod viuens vt *quod* est suppositum animatum, vel persona in intellectuali natura: viuens vt *quo* radicale est anima, quia est forma qua viuens animatum cōstituitur: viuens vt *quo* proxime in actu primo, sunt potentiæ, & habitus: vita vero actualis in actu secundo, seu vitæ exercitium, sunt ipsæ operationes vitales: quas nomine vitæ intelligunt Patres cum diuidunt vitam in actiuam, & contemplatiuam, vt patet in S. Augustino 19. de Ciui cap. 2. S. Greg. hom. 14. in Ezequielem, & S. Tho. 2. 2. q. 179. art. 1. & alijs.

16 Præterea aduertēdum ex D. Thoma 1. p. q. 67. art. 1. & 2. 2. q. 57. art. 1. ad 1. quod de aliquo nomine dupliciter cōuenit loqui: vno modo secundum primam eius impositionem: alio modo secundū vsum nominis: sicut visio, & lux quoad primam impositionem nō sunt proprie in spiritualibus: secus vero quoad rem significatam, prout est in vsu loquentium. Sic ly *vita* quoad nostram cognitionem, per prius dicitur de operatione, & motu corporeo, & inde fuit trāslata vox ad operationes intellectuales: & demum ad significandā substātiam, quæ harum operationum est radicale principium: prout late prosequitur S. Thomas in 3. distin. 35. q. 1. artic. 1. in corp. & ad 1. ait, quod *essentia rei ex operatione ipsiꝰ cognoscitur; & ideo ex operationibus, quibus per prius conuenit nomen vitæ, translatū est nomen ad ipsum esse, secundum quod alius est effectus talium operationum.* Idem dicit 2. 2. q. 179. art. 1. ad 1.

17 Loquendo autem quoad rē

significatam, est è contrario: nam nomen vitæ magis proprie, per prius, & principalius dicitur de vita substātiali, quam de vita accidē. tali: quia *viuere* dicit specialem gradum entis: & ens per prius de substātia dicitur, & per posterius, & secūdū quid dicitur de accidēte. Et ita docet S. Th. 1.p.q.18.art.2. per totū: vbi concludit. *Et secundum hoc viuere nihil aliud est quam esse in tali natura; & vita significat hoc ipsum, sed in abstracto, sicut hoc nomen cursus significat ipsū currere in abstracto: vnde viuū non est prædicatum accidentale, sed substantiale. Quandoque tamē vita sumitur minus proprie pro operationibus vitæ, à quibus nomen vitæ assumitur: sicut dicit Philos. 9. Ethicorū, quod viuere principaliter est sentire, vel intelligere.* Similia docet S. Thomas alijs locis relatis, & 1. Contrag. capit. 98. & habetur Opusc. 42. apud D. Thomam.

18 Sit ergo certa conclusio. Essentialis conceptus vitę substantialis communis omni viuenti conuenienter exprimitur dicendo, quod est *substantia, cui conuenit secūdum suā naturā mouere se ipsam; vel agere se quocumque modo ad operationem.* Istis verbis traditur à D. Thoma 1.p.q.18. art.2. & art.1. & 3. & lib.1. de Anima lec.3. lit.a & lec.14. lit.f. & melius 2. libro lec.1. lit.c. in fine ait S. Thomas. *Propria autem ratio vitæ est ex hoc, quod aliquid est natum mouere se ipsum; large accipiendo motum, prout etiam intellectualis operatio motus quidam dicitur: ea enim sine vita esse dicimus, quæ ab exteriori tātū principio moueri possūt.* Idem docet S. Tho. 3. sentēt. & 1. Contrag. vbi supra.

19 Hāc autem esse communem Antiquorum existimationem, testatur Philosophus lib.1. de Anima cap.2. dicens. *Animatum igitur ab inanimato in duobus maxime differre videtur, motu, & sensu. Accipimus autem, & à progenitoribus fere duo hæc de anima.* Vel iuxta translationem Michaelis Sophiani. *Accepimus etiam à superioribus ætatis Philosophis hæc duo fere de Anima.* Vbi S. Thomas lect.3. lit. a. inquit. *Manifesta in quibus animata differunt ab inanimatis, sunt duo, scilicet sentire, & moueri: nam animata videntur differre ab inanimatis maxime motu, vt scilicet moueāt seipsa; & sensu, seu cognitione. Vnde credebāt, quod quādo scirēt principia istorū duorū, scirēt quid est anima.* Idē docuisse Platonē, eius verbis relatis, ostendimus 2.p. Metap. Controu. 9. n.69. Idemque ex Patribus dicunt S. Athanasius oratione contra Idola. Sanctus Augustinus sermone 39. de Verbis Apolloli, S. Bernardus de Gratia, & libero arbitrio, parum à princ. Colligiturque ex Phys.2. de Cęlo text.17. iuxta S. Thom. ibi lec.4. & 12. Metaph. text.51.

20 Idque supponūt, vel docēt omnes Thomistæ exponendo hic animæ definitionem. Et 8. Physic. disputando de motu grauium, & leuium. Et Bañez 1.p.q.78. art.1. dub.1. concl.2. §. *Tertio supponendū*, & alij Thomistæ. Et 1.p.q.18. art. 2. vbi Valentia, Molina, & alij. Toletus lib.2. de Anima c.1. tex.3. referens Philoponum. Rubio tract. 1.q.5. & 9. & clarius de pluralitate animarum q.1. Suarez lib.1. de Anima cap.2. n.27. & 28. & c.4. n.12.

ait. Ostendimus supra *ex communi peritorum sententia, & omnium fere hominum consensione* in rebus creatis in hoc distingui viuentia à non viuentibus, quod non viuentia non habent intrinsecum principiū se mouendi, perse loquendo, &c. Viuentia autem se ipsa mouere per se postulant. Et tandē concludit, quod qui aliud ad rationem vitę exigit, est *proteruus*, & quod *relinquendus est tamquam de voce contendens contra cōmunem vsum eiusdem vocis*. Hæc ille: qui videatur disp. 30. Metaph. sectione 14. n. 14. & lib. 1. de Essentia Dei c. 3. à n. 11. vsque 13. & apud Antiquos Theologos idē esse receptissimum, constat ex Alensi. 2. p. q. 90. & sequētibus. Henrico in summa art. 29. q. 1. Durando in 3. dist. 35. q. 1. n. 6. & 7. & alijs multis. Imò M. Soto 8 Physi. q. 3. ad 1. ait quod *fuit indubitata confessio omnium Philosophorum*. Videantur etiā Vazquez 2. to. 1. p. disp. 194. c. 3. Ruiz de Trin. dis. 6. sec. 8 à n. 3. & Georgius Hemelinā titulo 1. disp. 2. ca. 1. n. 6.

21 Rationem proponit S. Thomas 1. p. quæst. 18. art. 1. & in tertio distinct. 35. artic. 1. & lib. 1. Cōtrag. cap. 97. ratione secunda, vbi ita ait. Viuere secundum hoc aliquibus attributum est, quod visa sunt perse non ab alio moueri: & propter hoc illa, quæ videntur per se moueri, quorum motores vulgus non percipit, per similitudinē dicimus viuere; sicut aquam viuā fontis fluentis, non autem cisternæ, vel stagni stantis; & argentum viuum (vulgo *Azogue*) quod motum quendam habere videntur. propriè enim illa sola perse mouētur, quæ mouent seipsa composita ex motore, & moto, sicut animata: vnde hæc sola propriè viuere dicimus: alia verò omnia ab aliquo exteriori mouentur, vel generante, vel remouente prohibens, vel impellente. Et quia operationes sensibiles cum motu sūt, vlterius *omne illud quod agit se ad proprias operationes, quamuis non sit cum motu, dicitur viuere. Vnde intelligere, appetere, & sentire, actiones vitæ sunt.*

22 Triplici via potest explicari, & ad formam redigi ratio Sancti Thomæ. Primo sic. Illa est essentialis ratio vitæ substantialis, qua primo substantia viua in se constituitur distincta à substantia non viuente. Sed per hoc quod substantiæ alicui conuenit radicaliter posse mouere seipsam ad operationem, constituitur in se, & distingui tur primo substantialiter à substantia non viuente: ergo iste est essentialis conceptus vitæ substantialis communis omni viuenti. Maior patet, quia idem est constitutiuū, & distinctiuum essentiale ab his, quæ communicant in eodem genere: quia differentia contrahit genus, & constituendo speciem separat, & differre facit quæ communicant in eodem genere, vt patet ex Porphyrio capite de differentia. Minor verò est manifesta ex communi acceptione omnium hominum. Et etiam ex arbore Prædicamenti substantiæ, quamprimum enim aliqua substantia intelligitur completa potens radicaliter se

mouere, intelligitur distincta à nõ viuente, & illa nobilior: ergo intelligitur constitutiuum vitæ substantialis.

Secundo, illa est propria ratio vitę, qua differt viuum a mortuo; eo quod mors est priuatio vitę, & eius carentia in subiecto apto: sed tunc primo intelligimus aliquid mortuum, quam primum intelligitur carens principio se mouendi, vt experientia patet adiuncta communi estimatione: ergo ratio prima, & propria vitæ est posse se mouere.

23 Tertio cum substantiales differentiæ secundum se ipsas sint nobis ignotæ, nullo modo melius innotescunt, quam ex proprijs operationibus, quæ sunt euidentia signa propriæ speciei: sicut si aliquis negaret essentiam hominis consistere in eo quod sit animal rationale, non posset cõuinci, nisi quia experimur propriam operationem hominis esse ratiocinari: vnde essentia hominis est radix, seu substãtia cuius propria operatio est ratiocinari. Sed propria operatio vitæ est mouere se, & tunc maximè aliqua viuunt cum se mouent: vt in animalibus patet, quorum vita, motu, & sensu manifestatur: ergo conuenienter modo prædicto propria ratio vitæ exprimitur. Videatur omnino S. Thomas. 1.part.q. 18.art.1.

*******
****
**

## §. IIII.

### *Omnia viuentia conueniunt in explicata ratione vitæ.*

24 EX dictis elicitur primo, in conceptu vitæ iã explicato vniuoce conuenire omnia viuentia creata. Ratio sumitur ex dictis, quia substantia diuiditur, vniuoce in viuentem, & non viuẽtem, siuè in animatam, & inanimatam, vt diximus lib.2.Logicæ, q. 11.n.19. Ergo debet assignari aliqua ratio communis constitutiua substantiæ viuentis, sicut assignari potest ratio communis vniuoca substantiæ inanimatæ, & non viuẽti. Cum ergo alia ratio essentialis assignari nequeat, vt patebit per totam quæstionem, in ratione prædicta omnia viuẽtia cõueniũt. Patet consequentia, quia si vniuocantur in genere supremo substãtiæ, non est cur non vniuocentur in genere infimo, seu specie subalterna, media qua ratio substantiæ contrahitur ad species specialissimas, & descendit vsque ad individua omnium substantiarum viuentium.

25 SEcundo probatur, tollẽdo æquiuocationem oppositum asserentium, quia omnia viuentia vita physica vniuoce cõueniunt, vt ipsi concedũt: sed nullum est viuens, quod non viuat vita physica: ergo nullum est viuens, quod vniuoce non conueniat cum alio in ratione vitæ. Minor probatur, quia licèt ad cognitionem præcedat repræsentatio inte-

nalis,

nalis, & amor sit vnio affectiua; tamen vita substantialis (de qua modo loquimur) nō est ipsa representatio intētionalis; nec ipsa affectio; sed est ipsa substantia, quæ est physicè, & realiter principium radicale operationum realium: sed hæc est vita physica, & secundum rem de prædicamento substantiæ: ergo omnia viuentia vniuoce cōueniūt in ratione substantiali vitæ physicæ. Supponimus enim quod nō dicitur *physicè*, quia attineat ad Physicum; alioquin non comprænderetur vita substantiarum separatarum, seu Angelorum, qui sūt de consideratione Metaphysicæ: vt ad intentum notat Iauellus 2. de Anima. q. 13, ad 2. dubium. Sed sumitur vita physica, vt distinguitur contra pure intentionalem, iuxta ea quæ in simili diximus. li. 2. Phy. q. 14. n. 34. Vnde distinctio illa locum habet in accidentibus: nam repræsentatio speciei est intentionalis: & operatio se mouētis in finem, est tendentia moralis, iuxta ea quæ diximus 2. Phys. q. 26. n. 11. & 1. p. Metaph Contro. 10. nu. 26. Non verò in ipsa substantia distingui in rigore potest vita intentionalis condistincta contra vitā physicam, & substantialem.

26 Obijcies: nam definitio motus tradita in 3. Physicorum, non cōuenit intellectioni, & volitioni, vt diximus ibidem q. 1. nu. 14. Ergo si ratio vitæ consistit in hoc quod est mouere se, vel agere se ad operationem, ratio vitæ non vniuoce conuenit omnibus viuētibus. Probatur consequētia, quia si ratio motus dicitur proprie de motu, qui est actus imperfecti, & improprie de motu, qui est actus perfecti, secūdum quam rationem intelligere, & velle dicuntur motus à Philosopho 3. de Anima textu 28. etiam ratio vitæ, quæ est principium horum motuum, dicetur de illis analogice, & non vniuoce.

Posset in primis retorqueri argumentum: nam in sententia aduersariorum, etiā operatio immanens est de genere, seu de prædicamento actionis: ergo si exinde est sumenda vniuocatio vitæ, vita quæ est principium operationis intellectualis, & motus augmenti, vniuoce dicetur. Rursus ipsi docent quod vita dicitur vniuoce de vita animalium, & de vita hominum, & Angelorum: & tamen in corporalibus est principium motus stricte sumpti, & in spiritualibus solum est principium motus communiter accepti: ergo isto argumento nil contra nos conuinci potest.

27 Respondetur ergo, quod ea demmet numero anima est principium radicale operationum corporalium, & spiritualium; & citra dix operationum imanentium, & transeuntium: vnde non mirū, quod eadem vita genericè sit radix in quibusdam motus physici stricte sumpti, & in alijs sit radix motus spiritualis, seu motus communiter sumpti: quia operationes in radice habent vnitatem, & in se diuersitatem: nam vt inquit Sanctus Thomas 1. p. quæst. 77, art. 6.

ad 1. *ab vno simplici possunt naturaliter multa procedere ordine quodam.*

Præterquamquod, quæ sunt diuersa in vno genere, possunt esse vnum in alio genere: & ideò licet in ratione motus, vel actionis nō vniuocentur motus corporalis, & motus spiritualis, tamen in ratione exercitij vitę possunt vniuocari: quia subsistantia omnis viuens se mouet ad operationem sibi proportionatam.

28 Secundo deducitur in Deo esse formaliter, & proprijssimè vitam; naturalem, ac physicā. Quod sumitur ex sacra Scriptura Deuter. 32. *Viuo ego in æternum.* Et Psal. 83. *Exultauerunt in Deum viuum*: & alibi sæpè. Latèque explicat, & probat Sanctus Thomas prima parte quæstione 18. articulo 3. quia quanto perfectius conuenit alicui quod operetur ex se, & nō ab alio motus, tanto perfectius in eo inuenitur vita; eo quod viuere dicuntur aliqua secundum quod operantur ex seipsis. Illud igitur cuius sua natura est ipsum eius intelligere; & cui id quod naturaliter habet, non determinatur ab alio, hoc est, quod obtinet summū gradum vitæ. Tale autem est Deus. Vnde in Deo maximè est vita. Refert pro ista ratione Philosophū 12. Metaph. tex. 51.

Secundam partem, ex Concilijs, & Patribus, & rationibus Theologicis, probat P. Hemelmam disputatione secunda capite 7. & 8. & notat, quod ab ea nullus Theologus dissentit, præter Arriagam. Sed quia ex dictis eius æquiuocatio est ablata, Theologis latius examinandam relinquo. Videatur Magister Bañez prima parte quæstione 78. articulo primo dubio primo conclusione secunda.

29 Obijcies: nam, vt dictum est, viuere dicuntur aliqua secundum quod mouent seipsa; sed Deus est omnino immobilis: ergo in Deo non est propriè, & formaliter vita.

Respondet Sanctus Thomas solutione ad primum, *quod hoc modo quo intelligere est motus, id quod se intelligit, dicitur se mouere, & per hunc modum etiam Plato posuit, quod Deus mouet seipsum; non eo modo quo motus est actus imperfecti.*

Sed arguit Zuñiga illo dubio sexto membro secundo, quia si vita consistit in principio mouendi se physicè, eo modo erit vita, quo est principium operandi in se: & ideò si solum est principium ratione nostra, solum erit vita nostro modo concipiendi, non verò re ipsa. Deus autem non modo est viuens ratione nostra, sed re ipsa, vt fides docet. Ergo eius vita non est principium operandi physicè ratione nostra; sed alia formalitas conueniens illi re ipsa.

30 Præoccupauerat iam hanc instantiam Sanctus Thomas ibi ad secundum respondens, *quod sicut Deus est ipsum suum esse, & suum intelligere, ita & suū viuere. Et propter hoc sic viuit, quod nō habet viuēdi principiū.* Quam doctrinam latius prosequitur S. Thomas libro primo Contragen-

tragentes cap. 98. quatuor rationi bus demonstrans, quod *Deus sit sua vita*, iuxta illud Ioan. 14. *Ego sum vita*. Itaque sicut in Deo est formaliter existentia, & essentia, & est formaliter operatio, quāuis ista apud nos distinguātur, & procedant ab essentia; & in Deo realiter sint ipsa essentia Dei: ita est formaliter vita, quia vita in actu primo nec ratione ratiocinata differt à substantia Dei (vt sumitur ex Ferrara ibi ratione secunda) & vita in actu secundo solum ratione differt ab essentia; vt de omni operatione Dei docet expressè S. Thomas quæst. 1. de Potentia art. 1. ad 1. dicens: *Licet essentia diuina non habeat aliquod principium, neque re, neque ratione; tamen operatio diuina habet aliquod principium secundum rationem.* Et quoad hoc est manifesta instantia: nam in Deo realiter est essentia, & realiter est relatio, licet essentia, & relatio sola ratione differant: & pariter attributa sunt in Deo realiter, licet inter se, & ab essentia actu sola ratione differant. Quod optimè notat S. Thomas quæst. 8. de Potentia art. 1. ad 7. & art. 2. ad 3. & 4. & ad 7. Ergo licet vita in actu primo, & in actu secundo operationis sola ratione ratiocinata distinguantur, non sequitur quod vita non sit in Deo proprijssimè, & formaliter: quamuis vita de vita Dei, & vita creata non dicatur vniuoce, sed analogice, sicut & alia prædicata communia Deo, & creaturis, iuxta S. Thomam 1. p. q. 13. art. 5. Sed de his latius Theologi.

## §. IIII.

### *De vita accidentali.*

31 DEducitur tertio, rationem vitæ accidētalis in actu primo (quæ ab aliquibus minus bene dicitur vita virtualis) competere omni comprincipio, quo mediante substantia elicit operationes vitales: vnde eo modo quo influūt in actus vitales ista principia, sunt vitalia vt *quo*, quia sunt formæ, quibus fiunt actiones vitales, & sunt principia medijs quibus vita reducitur ad actum accidentalem. Vnde in isto genere ratio vitalitatis competit potentijs, & suo modo habitibus naturalibus. Imò & supernaturalibus, vt docent Aluarez lib. 7. de Auxil. disp. 67. & Albelda 1. p. disput. 27. sect. 3. nu. 40. & passim alij, quos citāt, & sequūtur PP. Carmelit. de Visione Dei disp. 4. dub. 4. §. 2. quia in ordine supernaturali datur exercitium actionum vitalium vita supernaturali: ac proinde debent dari principia vt *quo* vitalia vita supernaturali. Quod autem ab extrinseco efficiente causentur hæc comprincipia, non aufert ab eis vitalitatem; siquidem intrinsecè inhærent, & se accomodant vitalium potentiarū modo operandi.

32 Addunt Patres Carmelitani ibi disputatione secunda dubio tertio num. 112. species intelligibiles habere aliquod vitalitatis genus, quatenus ab intrinseco habent esse determinationem poten-

tiæ vitalis vt talis, & ad vitalitatē actionum concurrunt. Bene tamē video minus rigurosè competere vitalitatem speciebus, quam habi tibus; & istis minus quā potentijs vitalibus natiuis. Sed hoc parum interest, quia solū intēdim⁹ quod vnicuique principio operationis vitalis, vt talis, inest suo modo vitalitas *in actu primo vt quo in suo genere*, eo modo quo causat vitā accidentalem in actu secūdo, iuxta dicenda corolario sequente ex D. Thoma. n. 37.

33 Infertur quarto, vitam accidentalem in actu secundo esse operationem à principio cōiuncto seipsum aliquomodo mouēte ad operationem. Ita S. Thomas 1. p. q. 18. ar. 1. & ar. 2. ad 2. ait: *Opera vitæ dicūtur, quorum principia sunt in operātibus, vt seipsos inducant in tales operationes.* Et ibi art. 3. & 1. p q. 78. art. 1. idē late docet. Ratio est facilis, quia vita in actu secundo accidentali est qua reducitur ad actum, & accidentaliter exercetur vita substantialis, & in actu primo: sed vita illa est substantia, cui competit secūdum suam naturam mouere se ipsam, vel agere se quocūque modo ad operationem: ergo vita in actu secūdo est ipsa operatio quæ est à principio coniuncto se monēte. Rursus probatur rationib⁹ propositis à n. 21. vsq; ad 24. nā æquè militant de vita in actu secundo.

34 Ex quibus habemus, quod operationes immanentes naturæ intellectualis, quæ sunt intelligere, & velle, & suo modo etiam sentire, vt docet S. Thomas 1. p. q. 27. art. 5. sūt operationes vitales, quia sunt à principio coniuncto. Licet in istis sit magna latitudo, quia in quibusdam nos ipsos mouemus, & in alijs mouemur à natura, vt ad intentum late discurrit S. Thom. 1. p. q. 18. art. 4.

35 Non tamen est necessarium, quod omnis operatio vitalis sit totaliter operatio immanens, vt ex Fonseca 9. Met. c. 9. textu 16. notat Suarez lib. 1. de Anima c. 4. n. 13. & M. Ioan. à S. Thoma q. 1. ar. 4. *ad primam dubitationem.* Probatur quę primo: nā vt docet S. Thomas 1. p. q. 52. art. 2. ad 2. *sentire est totaliter op⁹ vitæ*: nam est opus animalis, quod est viuens sensibile. Et tamē vt docet S. Thomas 1. p. q. 27. art. 5. sentire *nō est totaliter remotum à genere actionū, quæ sunt ad extra: nam sētire perficitur per actionem sensibilis in sensum.* Ergo non est contra rationem actionis vitalis quod aliquomodo sit ad extra.

36 Secundo, nam moueri motu progressiuo est vnum de operibus vitę, vt patet ex Philosopho 2. de Anima textu. 13. & docet D. Tho. ibi lec. 3. lit. c. & 1. p. q. 78. art. 1. & q. 51. ar. 2. ad 3. ait, *quod motus qui est à motore coniuncto est proprium opus vitæ.* Pariter loquitio. & cōmestio sūt actiones vitales: & tamen nō sunt totaliter immanentes: de quo S. Thomas ibi ad 4. & 5. cōflat enim quod interuenit mot⁹ localis, qui semper est cum operatione transeunte. Denique generatio est actio vitalis, vt docet S. Thomas ibi ad 6. & tamen non est immanens. Verum est quod in sui [illegible] ma-

tione, nec est à principio cõiũcto: & hac de causa libro 1. de Gener. q.4 n.29. diximus quod operatio emissiua seminis est formaliter vitalis, quamuis sit transiens, sed est à principio coniuncto: actio tamen generatiua consumatiue est vitalis virtualiter, & mediate; quia sic tantum est à principio coniuncto. Semper tamẽ actiones istæ vitales transeuntes solent oriri ab alijs vitalibus immanentibus: ratione cuius aliqui contendunt debere dici vitales mediate; vel vitales quoad modum, vt supra retulimus: sed differẽtia est in solo modo loquendi. Motum cordis esse vitalem, ex D. Thoma pluribus locis diximus secundo Metaph. cõtrou. 13. n. 59. vnde falso imponitur D. Thomæ à Recentioribus relatis n. 9. ¶ Vel dicatur cum Suarez vbi supra in fine n. 13. quod ad rationem actionis vitalis nõ exigitur, quod inhæreat in potentia à qua proxime fit: bene tamẽ quod sit in eodẽ supposito, vel in eodẽ toto: quia animalia habẽt partem perse mouentem distinctam à parte perse mota: hocque sufficit, vt operatio sit à principio intrinseco se mouẽte: de quo videatur idem Suarez disp. 48 Metaph. sect. 6. n. 10. & PP. Carmelitani hic disp. 4. q. 1. n. 18.

37 Demum nota, quod etiam in operibus supernaturalibus sunt operationes vitales: tum quia in illis etiam exercetur vita naturalis, licet eleuata. Tum quia assimilantur modo operandi naturæ in delectatione, & diuturnitate. Quod optime docet S. Thomas 1. p. q. 18. art. 2. ad 2. dicens. *Contingit aliquorum operum inesse hominibus, non solum principia naturalia (vt sunt potẽtiæ naturales) sed etiam quædam superaddita, vt sunt habitus inclinantes ad quadã operationum genera quasi per modum naturæ, & facientes illas operationes esse delectabiles.* Et infra concludit, quod *per hunc modum vita contemplatiua ab actiua distinguitur. Et per hunc etiã modum cognoscere Deum dicitur vita eterna.* Quod & docet alijs locis relatis n. 14. Ac perconsequens, sicut operationes supernaturales sunt vita in actu secundo, ita operationum supernaturalia principia sunt vita in actu primo, per modũ principij *quo*.

## §. V.

### *Soluuntur argumenta.*

38 ARgumẽta, quæ solent obijci, ex doctrina data, vel nullo diluente, corruunt; & ideò referre non expedit, præter duo in quib⁹ totam vim faciunt. Primum est: nam quæuis essentia producit suas passiones per actionem immanentem perse: ergo dantur actiones perse immanẽtes non vitales. Patet consequentia, quia prædictę actiones non sunt vitales, vt fatentur omnes.

Huic tamẽ argumẽto abũde satisfecimus 2. Phyũc. q. 11. ostendẽtes passiones fieri non per nouam actionem, sed per resultantiam, & sequelam naturalem ex vi actionis generãtis. Sed quia pro quæstione præsenti illa doctrina non indige-

mus. Respondetur secundo, quod adhuc dato, quod istę actiones sint ab essentia, & sint immanentes, nō sequitur esse actiones vitales; quia ad istas requiritur, quod agens seipsum moueat, & inducat ad operationem: in istis vero operationibus essentia non se mouet, sed mouetur à generante, vt dicemus de motu grauium, & leuium.

39 Secundo arguunt: nam grauia, & leuia mouentur à principio intrinseco: & tamen non mouentur vitaliter; alioquin omnia corporalia viuerent: ergo ratio vitæ nō cōsistit in hoc, quod est moueri a principio intrinseco. Maior patet, quia non est alia causa à qua moueantur: & quia habent grauitatem, & leuitatem, quæ sunt principia actiua illorum motuum.

40 Hoc argumentum duplici solutione diluit S. Tho. 1.p.q.18.artic.1.ad 2. dicēs, *quod corporibus grauibus, & leuibus non competit moueri, nisi secundum quod sunt extra dispositionē suæ naturæ, vtpotè, cum sunt extra locū proprium: cum enim sunt in loco proprio, & naturali quiescunt. Sed plantæ, & aliæres viuentes mouentur motu vitali, secundum hoc quod sunt in sua dispositione naturali; non autem in accedendo ad eā, vel in recedendo ab ea. Immò secundum quod recedunt à tali motu, recedūt à naturali dispositione. Et præterea corpora grauia, & leuia mouentur à motore extrinseco, vel generante, qui dat formam, vel à remouente prohibens, vt dicitur in 8. Physic. tex. 32. & ita non mouent seipsa sicut corpora viuentia* Hęc S. Tho. qui idem docet multis alijs locis relatis 2.p. Metaphis. Controuersia 3.artic.2.§.5. vbi id explicuimus.

41 Sed contra primam solutionem obijcies: nam per nutritionē, & augmentationem constituitur viuēs in sua naturali dispositione: acquirit enim magnitudinem sibi debitam ad exercendas proprias perfectas operationes: ergo ex doctrina data sequetur, quod nutritio non erit operatio vitalis: cui? contrarium diximus 1. de Gener. q.20. quod videlicet nutritio est proprium opus viuentis.

Secundam solutionem sic impugnant: generans non aliter concurrit ad motum grauium, & leuium, quam producēdo formam, qua graue descendit: sed hoc non sufficit vt motus tribuatur generanti, siu mediate, & remotè: ergo generans non est causa motus grauium, & leuium. Probatur minor, alioquin omnes operationes viuentium, & non viuentiū attribuentur generanti; siquidem omnes actiones naturales fiūt per virtutem impressam à generante.

42 Ad primum facilè respondetur, quod status naturalis est duplex: alius debitus ex vi generationis, & perse loquendo, in ipso instanti generationis: alius debitus in perfecto esse rei genitæ. primus attribuitur generanti, vtpotè expectans ad naturalem dispositionem rei pro illo instanti; secus verō secundus. Videatur Caietanus 1.p.q.18.ar.1.circa ad 2.

43 Ad secundum respondet bene M. Soto 2. Phys. q.1. post 3. cōclus. quod perfectio, & status vi ē-

tium consistit in moueri: nam quã diu mouentur, viuunt in actu secũdo; & cessante motu, cessat vita. Status verò, & perfectio non viuẽtium consistit in quiete: & ideò nõ mouentur, nisi quando sunt extra locum, & perfectionem naturalẽ. Ideoque formæ viuentium proprium est esse principium actiuum intrinsecum motuũ, per quod viuens ipsum se mouet nutritione, augmentatione, aut localiter. Forma verò non viuentium, non mouet subiectum in quo est, sed aliud extrinsecum. Ex quo infert solut. ad 4. quod actio generãtis plantã, aut animal, illic cessat vbi animal genitũ habet suam propriam formam, & virtutem, qua posset nutriri, & augeri. & ideò nutritio, & augmentum. & similes operationes attribuuntur ipsi animali genito. Reliqua verò cum extra locũ suum naturalem sint semper extra suum statum, & perfectionem naturalem, motus ad talẽ locum attribuitur generanti quasi mittenti genitum ad suam perfectionem. Vnde in forma negatur maior, quam sine probatione proponũt, & negandam esse ex dictis cõstat: quia nõ præcisè ex eo quod generans causat formam, dicitur causare motum; sed quia ad statum naturalem geniti pertinet in primo instanti esse in loco sibi naturaliter debito, & in illo quiescere.

*******
****
**

## QVAESTIO VI.

### *De diuisione Animæ.*

1 QVamuis non incongruè, ad exactè exponẽdam essentiam animæ, posset hic tractari de modo quo corpus informat, & de animarum diuisibilitate; tamen quia in vtraque quæstione non est idem iudicium de omnibus animabus; ideò ante illas præmittenda est hæc quæstio de diuisione animæ: quæ etiam est huic loco opportuna, eo quod quæstio de diuisione sequitur qnæstionem de quiddi tate: & aliæ prædictæ quæstiones, vel attinent ad proprietatem; vel ad modum essendi animæ: ac perconsequens antea præmittenda illius diuisio.

### §.I.

### *Tres dantur animæ.*

2 DIcendum est igitur, rectè animam diuidi in vegetatiuã, sensitiuam, & intellectiuam. Ita Philosop. hic cap. 3. & S. Augustinus 8. de Ciuitate Dei cap. 8. Sanctus Thomas hic lect. 3. & 4. & latius 1. p. q. 18. art. 3. & q. 78. art. 1. Vbi & Caietanus conc. 3. Nec leuiter oppositum indicat hic capite 3. Vnde non bene id ei attribuit Toletus q. 6. conc. 1. Sequuntur alij Interpretes, & Philosophi, & Theologi communiter.

3 Probatur primo inductione: quia omnibus prædictis cõueniũt definitiones animæ, & nulli alteri præter

præter eas: ergo rectè diuiditur anima in tres animas. Secunda pars antecedentis ex dicendis erit perspicua. Prima verò quoad animã rationalem est perse nota. Imò vt ait S.Tho.n.1.p.q.18.art.3.perfectior modus viuendi est eorũ, quæ habent intellectum: hæc enim perfectius mouent seipsa. Et huius est signum, quod in vno, & eodẽ homine virtꝰ intellectiua mouet potentias sensitiuas, & potentiæ sensitiuæ per suum imperium mouẽt organa, quæ sequuntur motum. De vita sensitiua idem est perspicuum: & ideò ipse S.Tho. eadem q.18.art.1.ait. Viuere manifestè animalibus cõuenit: dicitur enim in libro de Vegetabilibus cap.1. quod *vita in animalibus manifesta est.* De plantis verò inquit S.Dionysiꝰ 6.de Diuinis Nominibus, quod *plãtæ secundum vltimam resonantiam vitæ habent viuere.* Ex quo potest accipi, inquit S.Tho. quod vltimum gradum vitæ obtinent plantæ.

4 Quod vltimũ, quia à Stoicis, & à nonnullis Recentioribus negatur; ideò diligenter stabilitur à M.Bañez 1.p.q.78.art.2.toto dubio 6.& à P.Suarez lib.1.de Anima cap.4.vbi n.11.ait, quod *in hac veritate asserenda omnes Philosophi, & Theologi conueniunt.* Ad quod ponderat S.Augustinus lib.1.de Ciuitate cap.20.illud 1.ad Corint.15. *Tu quod seminas, non viuificatur, nisi prius moriatur*: si enim non viuerẽt plantæ, non possent mori, & occidi: & tamen dicitur Psal.77. *Et occidit in grandine vineas eorũ.* Et Ioan. 12. *Nisi granum frumenti cadens in terra mortuum fuerit.* Et S.Greg.Magn. hom.29.in Euangelia docet, quod homo *habet commune esse cum lapidibus, viuere cum arboribus, sentire cum animalibus.*

5 Probat Suarez ratione S.Thomæ, quam vocat *physicam demonstrationem*: quia in hoc distinguuntur viuentia à non viuentibus, quod non viuentia non habent principium intrinsecum se mouẽdi, per se loquendo, vt in elementis, lapidibus, metalis, & similibus videre licet: viuentia autem seipsa mouere perse postulant, ita vt ad illorũ perfectionẽ hoc perse pertineat. Constat autẽ plantas perse, & ab intrinseca natura postulare esse in continua motione sui, vt se augeant, & nutriant, & generent: ergo viuentia sunt, & opera vitalia exercent: ac percosequens forma illorum vera est anima. Videãtur quæ diximus 1.de Gen.q.20.

6 Alio argumento idem ostendunt Philosophus textu.14. & S.Tho.lec.3.lit.d. quia natura non mouet ad contraria loca: motus autem augmenti, & decrementi plantarum est secundum contraria loca: augentur enim vegetabilia omnia, non solum sursum, & deorsum, sed vtroque modo. Manifestum est ergo, quod principiũ horum motuum, non est natura, sed anima.

7 Obijcies: nulla res creata viuit, nisi quatenus participat vitam Dei, ex quo derinatur omnis perfectio creata: sed sola cognoscentia participant vitam Dei: ergo sola cognoscentia viuunt.

Facilè retorquetur argumentũ, quia si probaret, ostẽderet nec homines viuere: quia Deꝰ nõ est discursiuus, nec rationalis. Nec Angeli viuerent; siquidem non sunt ipsa vita, sicut est Deus. Dicitur ergo, quod conceptus vitæ est conceptus perfectionis simpliciter, & sic reperitur formaliter in Deo, & in creaturis; sed non vniuocè, sed analogicè: vita tamen vegetatiua, & sensitiua corporea, quoad rationes differentiales, nõ est perfectio simpliciter: & ideò non reperitur in Deo formaliter, sed solum eminẽter, sicut reperitur ratio corporis in Deo, qui est spiritus creans corpora.

8 Alterum principale subtiliꝰ, & solidius conclusionis fundamẽtum proponitur à D. Tho. 1. p. q. 78. art. 1. in hac forma. Diuersæ animæ distinguũtur secundũ quod diuersimode operatio animæ supergreditur operationem naturæ corporalis. Sed hoc contingit tripliciter: ergo exactè diuiditur anima in tres animas iam expositas. Maior patet primo, ex D. Augustino 11. de Ciuitate cap. 16. & alibi sæpè docente, quod *præponuntur viuentia non viuentibus*. Et de Vera Relig. cap. 29. *Quælibet substantia viuens naturæ ordine præfertur substantiæ non viuenti*. Quod esse *manifestum*, docet S. Tho. 1. p. q. 3. art. 1. ratione 3. Secundo patet maior, quia anima est actus, & forma corporis: vnde tota natura corporalis subiacet animæ, & comparatur ad ipsam sicut materia, & instrumentum. Tertio, quia viuentia mouẽtur à principio intrinseco, non viuentia vero solum ab extrinseco: quod prouenit ex nobilitate viuentiũ præ non viuentibus.

9 Primam ergo minorẽ probat S. Thomas: nam est quædam operatio animæ, quæ intantum excedit naturã corpoream, quod nec etiam exercetur per organum corporale: & talis est operatio animæ rationalis. Est autem alia operatio animæ infra istam, quæ quidem fit per organum corporale: non tamen per aliquam corpoream qualitatẽ: & talis est operatio animæ sensibilis; quia etsi calidum, & frigidum, & humidum, & siccum, & aliæ huiusmodi qualitates corporeæ requirantur ad operationem sensus; non tamen ita quod mediãte virtute talium qualitatum operatio animæ sensibilis procedat: sed requirũtur solum ad debitam dispositionem organi. Infima autẽ operatio animæ est, quæ fit per organũ corporeũ, & virtute corporeę qualitatis: supergreditur tamen operationem naturę corporeę: quia motiones corporum sũt ab exteriori principio: huiusmodi autẽ operationes sunt à principio intrinseco; hoc enim commune est omnibꝰ operationibus animæ: omne enim animatum aliquo modo mouet seipsum. Et talis est operatio animæ vegetabilis: digestio enim, & ea quæ consequuntur, fit instrumentaliter per actionem caloris, vt dicitur in 2. de Anim. tex. 50. ergo tripliciter anima supergreditur corporeæ naturæ modũ: ac per consequens dantur tria genera

nera animarum. ¶ Aliæ duæ rationes latè proponuntur à D.Thoma: vna in 1.p.q.18.artic.3.altera q.de Anima art.13. in illo videndæ.

§. 2.

*Diuisio est vniuoca.*

10 INquiri tamen solet, an prædicta diuisio sit analoga, vel vniuoca?

Auerrois enim 2.de Anima cõment.7.& lib.3.com.5.Themist. 3.de Anima cap.23. & alij arbitrãtur animam rationalem non nisi æquiuocè, vel analogicè esse animam, quia non informat corpus, vel solum secundum quid est corporis actus. ¶ Per oppositum alij arbitrati sunt diuisionem esse analogam, quia solã anima rationalis est talis simpliciter. Ita Alexander de Sensu, & sensibili in principio. Iandunus 2.de Anima q.3. & alij. Alia via idem defendit Arriaga relatus q.5.n.3. siquidem non agnoscit communem conceptum vitæ vegetatiuæ, & vitæ sensitiuæ, & intellectiuæ, quas ipse vocat vitas intentionales: quas negat vniuocari cum vita vegetatiua physica.

11 Asserendum est secundo, diuisionem hanc esse vniuocam. Ita docuisse Phylosophum, probant S.Tho.2.Contrag.c.61. & ibi Ferrara: & est iam communis Interpretum. Et probatur, quia definitiones animæ supra expositæ vniuocè, & secundum rationem eandem conueniunt omnibus animatibus: ergo & anima vniuocè de eis prædicatur. Secundo, quia ratio vitæ dicitur vniuocè de omnibus viuentibus creatis, vt dictum est q.5.à nu.24.ergo & ratio animæ. Patet consequentia, quia *anima est primum principium vitæ in his, quæ apud nos viuunt*, vt diximus q.1.n.1.

12 Denique idem ostenditur, quia prima sentẽtia supponit aliquid erroneum infra reijciẽdum, quod anima nostra nõ sit vera forma corporis. Aliæ supponunt aliquid iam impugnatum, quod conceptus vitæ physicæ non propriè, & vniuocè de omnibus prædictis dicatur. Et ideo ex dictis, & dicendis corruũt. Si vis, lege Suarez lib.1.de Anima cap.8.à num.1. vsque ad 15.latè de his differentem.

13 Est autẽ hæc diuisio ex parte animæ rationalis in species infimas, quia omnes animæ rationales sunt eiusdem speciei, sicut, & omnes homines: nam species sumitur a forma. Ex parte verò animæ vegetatiuæ, & sensitiuæ est in species subalternas, quia plures dãtur species arborum, & plantarũ, & plures species animalium. Nec omnes siggillatim potuerunt comprehendi sub vna diuisione in omnes species infimas: eadem autem proportionalis ratio est de diuisione substantiæ compositæ, ac de diuisione formæ, seu animæ eam componentis.

*******
*****
***

## §. III.

### *Quatuor sunt modi viuendi.*

14 SEcunda difficultas est, quomodo tres tantum constituãtur animæ, cum quatuor ponãtur modi viuendi à Philosopho 2. de Anima text. 13. nempè intellectiuum, sensitiuum, loco motiuum, & vegetatiuum: cum tamẽ ex eodem principio multiplicentur animæ, & modi viuendi?

15 Respondet P. Suarez lib. 1. de Anima cap. 7. nu. 13. quod non est maior ratio multiplicandi animas, quam modos viuẽdi. Et ideò sicut animæ sunt tres; ita & modi viuendi. Nam quod quædam animalia non habeant omnes sensus; quibus animalia perfecta prædita sunt, parum refert ad multiplicandos gradus animarũ, quia omnes illi sub anima sensitiua comprehẽduntur; nec distinguuntur in altiori modo abstrahendi à materia in sua operatione, sed solum in maiori, vel minori perfectione specifica subalterna, vel vltima eiusdem modi, & gradus animæ.

16 At verò PP. Conimbricenses lib. 2. de Anima cap. 3. q. 2. art. 2. docent, quod, si viuens sumatur vt dicitur a vita substantiali; sic tãtum sunt tria viuẽtiũ genera, quia non possunt plus multiplicari concreta, quam formæ, nec viuentia, quam substantialia earum principia. Sumẽdo verò viuentia, vt denominantur a vita accidentali, sic numerantur quatuor gradus viuẽtium, propter gradiendi potentiã, quæ in animalibus perfectis, & nõ in inferioribus reperitur.

17 Asserendum tamen est tertio, conuenienter à Philosopho distingui quatuor modos viuẽdi, non obstante quod animæ sunt tãtum tres. Est communis Interpretum hic, & 1. p. q. 78. art. 1. vbi S. Thom. ita ait. Tres dicuntur animæ, quatuor verò dicuntur modi viuẽdi. Et huius diuersitatis ratio est, quia diuersæ animæ distinguuntur secundum quod diuersimode operatio animę supergreditur operationẽ naturæ corporalis (vt cum ipso D. Tho. explicuimus n. 8. & 9. Modi verò viuendi (prosequitur S. Tho.) distinguuntur secundum gradus viuentium. Quædam enim viuentia sunt, in quibus est tantum vegetatiuum, sicut in plantis. Quædam verò in quibus cum vegetatiuo est etiam sensitiuum, non tamen motiuum secundum locum; sicut sunt imnobilia animalia, vt conchilia. Quædam verò sunt, quæ supra hoc habent motiuum secundum locum, vt perfecta animalia, quæ multis indigent ad suam vitam: & ideò indigent motu, vt vitæ necessaria procul posita quærere possint. Quædam verò viuentia sunt in quibus cum his est intellectiuum. Hæc D. Thomas. Cuius doctrina, si percipiatur, sine contradictione recipietur à Modernis, sicut sine dubio admittitur ab Antiquis.

18 Pro eius ergo intelligentia notandum, quod vltra diuisionẽ datam de anima, in eius speciebus

valent

valent subdistingui plures gradus; quia non in omnibus reperiuntur cum eadem perfectione, & est sua latitudo in participādo rationem vitę. Est tamen hoc notandum discrimen, quod animarum infima, quæ est vegetatiua, si sola reperiatur, subdiuisionē, & gradus in modo viuendi non admittit, propter maximā imperfectionem, & propinquitatem cū corporibus. Animarum suprema, quæ est rationalis, quia est species infima, subdiuidi nequit. Quamuis autē in genere intellectuali dentur vitæ species, & genere inter se distinctæ, vt patet in Angelis, quos specie differre docet S. Thomas. 1.p.q.50. art.4. Tamen diximus iam q.5. vitam Angelorum non esse de considerātione Phyſicę. In nostra ergo cōsideratione sub sola vita sensitiua restant considerandi diuersi gradus, & ad hos intelligēdos tradita est à Philosopho, & explicata à D. Thoma diuisio quatuor modorum viuendi.

19 Ex quibus patet, quod siue sumatur vita pro substantia, siue pro accidēte, tot sunt animarum, & vitæ differentię substantiales, & per se, quot sunt modi viuēdi essēcialiter differentes. Quia tamē sub anima sensitiua sunt duo gradus realiter separabiles, vt probat ratio S. Thomæ: nam animalia quædam imperfecta sentiunt, & non mouentur localiter, vt conchilia; animalia vero perfecta mouentur localiter, quia multis indigent ad suam vitam. Ideo ad hoc exponēdum, tradita est diuisio modorum viuendi in quatuor membra, cum diuisio animæ sit trimembris: quia videlicet subdiuiditur vita sēsitiua in duos gradus, & hoc, & nō aliud misterium latet in diuisionibus istis.

20 Obijcies primo, falsum vīderi, quod sensitiuum detur sine loco motiuo, quia animalia imperfecta, nempè ostria, & cōchilia mouētur motu dilatationis, & cōstrictionis, qui est cum motu locali. Immo omnia viuentia, quæ augētur ab intrinseco, necessario localiter mouentur: nam vt ait S. Thomas 3.p.q.35.art. 1. *Augmentū non est sine motu locali*: Vt etiam docet Philosophus 1.de Gener.cap. 5. & Sanctus Thomas ibi lec. 11. & nos explicuimus ibidem quæst. 22. numer. 13. ergo loco motiuum est commune omni viuenti.

Facile respondetur ex D. Thoma 2.de Anima lec.6.lit.b. dicente. Motiuum non potest esse sine sensitiuo; sensitiuum autem potest esse sine motiuo: aliqua enim habentium sensum, habēt etiam motum secundum locum, sed aliqua non habent. Sed intelligendum est de motu progressiuo animalium, secundum quod animalia mouentur de loco ad locū: hic enim motus nō inest omnibus animalibus. Sed quæ carent hoc motu, habent aliquem motum localem, scilicèt dilatationis, & constrictionis, sicut apparet in ostreis. Hæc S. Thomas, ex cuius doctrina constat, quod motus localis absolute est communis omni viuenti; motus vero lo-

localis progressiuus ad acquirenda necessaria vitæ procul posita, solum conuenit animalibus perfectis, quæ valent quærere procul posita vitæ necessaria.

21 Sed instabis: nam animalia imperfecta sunt illa, quæ decisa viuunt, vt docet Sanctus Thomas libr. 1. de Anima locis relatis hoc libro 2. quæst. 1. num. 19. Sed ista mouētur motu progressiuo, vt patet in vermibus, & lacertis. Ergo loco motiuum motu progressiuo, non constituit modum viuendi animalium perfectorum proprium.

Respondet Iabellus 2. de Ani. q. 13. §. *Quantum ad* 2. dub. 3. quod motiuum secundum locum motu progressiuo constituit modum viuentium animalium perfectorum. Vermes autem, & alia quæ dicuntur reptilia, non mouentur proprie motu progressiuo; sed potius motu dilatationis, & constrictionis: qui est communis omni animali imperfecto. Quod autem moueantur motu dilatationis, & constrictionis, patet ex eo quod videmus reptile quādo se mouet, primo retrahit se, & constringit secundum partem anteriorem, & deinde trahit post se partē posteriorem: & postquam se constrinxit, & traxit post se partem posteriorem, se dilatat in parte constricta; & sic mouet se ad vlteriorem locum. Ex quo patet, quod motus reptationis magis propinquat motui dilatatiuo, & constrictiuo: quam motui progressiuo. Vnde non indicat in animali reptibili perfectionem, sed potius imperfectionem. Hæc ille.

22 Sed contra primo: nam ad sensum, videmus lacertas decisas viuere: & tamen non reptāt omnino; sed pedibus ambulant: ergo signum illud non est adæquatum. Secūdo, adhuc in reptantibus, quāuis reperiatur aliqua constrictio, & dilatatio: tamen non sola; sed simul verus motus progressiuus ad quærendum cibum, & reliqua omnia vitæ animalis necessaria: ergo vere in illis reperitur loco motiuum motu progressiuo vt in animalibus perfectis.

23 Aliter ergo respondetur, quod id quod in se est perfectum, comparatiue ad aliud, est imperfectum, & hoc modo *dicitur mons parvus, & milium magnum*, vt ait Sāctus Thomas 1. 2. quæstion. 113. articul. 9. quia comparatiue, & attenta quantitate proportionis, de illis loquimur. Animalia ergo, quæ moueri possunt motu progressiuo, sunt perfecta comparatiue ad illa, quæ solum possunt constringi, & dilatari semper ex parte manendo in eodem loco: & ad distinctionem istorum, loco motiuum motu progressiuo cōstituit specialem modum viuendi. Quāuis quædam animalia reptent, alia pedibus ambulent, alia volēt, alia natent. Omnia tamen ista non pertingunt ad perfectionem animalium, quorum animæ sunt indiuisibiles, propter rationem supra insinuatam, & infra latius explicandam. Quia tamen hæc differentia, nec est manifesta, nec

ab

ab omnibus admissa, nec facile in particulari determinari potest, quibus animalibus conueniat diuisibilitas, & quib⁹ indiuisibilitas in forma; ideò non debuit de indiuisibilitate & diuisibilitate animarum dari specialis animæ, vel modorũ viuendi diuisio.

24 Præterea arguitur potentiæ animæ sunt principia operum vitæ, vt diximus q 5. sed potentiæ animæ sunt quinque, vt docet Philosophus 2.de Anima text.27. ergo nec animæ sunt tres, nec modi viuendi sunt quatuor.

Respondet S. Tho. 1.p.q.78.ar. 1.in fine corp. quod appetitiuum non cõstituit aliquem gradum viuẽtium, quia in quibuscumque est sensus, est etiam appetitus, vt dicitur in 2.de Anima tex.27. Idẽ docet S. Tho. 2.de Anima lec.3.lit.c. & lec.5.lit.a.in fine. Et in 3.dist.8. q.1.artic.1. ad 8. Vbi non negat, quod appetere sit viuere in actu secundo: sed solum docet, quod non est specialis vita distincta à vita sensitiua, vel intellectiua: quia appetitiuum consequitur, vel cõmitatur sensitiuum, vel intellectiuum.

## §. IIII.

### *Qualiter vna anima aliam contineat?*

25 TErtia, & maior difficultas est in explicanda distinctione harum animarum: quia vna species alteri oppositã non potest aliã continere, nec eius munia exercere, vt homo non potest esse irrationalis nec exercere operationes proprias equi. Videmus autẽ quod anima rationalis est intellectiua, & sensitiua, & vegetatiua: nam homo viuit vita rationali & sensitiua, & vegetatiua: siquidem formaliter sentit, sicut alia animalia; & formaliter nutritur, & crescit sicut plantæ. Ergo diuisio prædicta non est exacta; siquidem nõ datur per membra inter se opposita, & impermixta.

26 Vt respondeatur supponendum animam vegetatiuam posse realiter dari sine sensitiua, & intellectiua. Quod docent Philosoph⁹ text.15. & S. Tho. lec 3. lit.e. esse manifestũ in plantis, in quibus nulla alia potentia animę ineſt, nisi vegetatiua. Quod euidenter patet ad sensum: plantæ enim nec organa sensuum habent, nec dolent si pungantur. Nec habẽt essendi modum eleuatum supra corporalia, vt sensus sint capacia. Vnde S. Augustinus lib.2. de moribus Manichæorũ.c.17. irridet Manichæos, qui sensum, & rationem arboribus tribuebant. Et de Quantitate animæ cap.33. eorum positionem appellat *impietatem rusticam, & errorem sacrilegum, magis ligneam opinionem, quam sint ipsæ arbores quibus patrocinũ prebet.* Contra eundem errorem videndus S. Tho. 1.p.q.18 art.1. Pariter est certum animam sensitiuã esse in brutis, siquidem sentire experimur. Et realiter separari ab intellectiua, fides docet, iuxta illud Psal.31. *Nolite fieri sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus.*

27 Certum est secundo, quod anima

anima sensitiua non separatur à vegetatiua, siquidem experimur animalia vegetari. Et similiter animã intellectiuam non separari à vegetatiua, & sensitiua in homine, est manifestum, & docet S. Tho. 1.p. q.76.artic.4. Præcipuè hoc dicere necessarium est, tenendo quod in vno composito nõ est nisi vna forma substantialis, vt diximus lib.1. de Gener.q.12.de quo in præsenti latè Caiet.2. de Anim.cap.1.q.5. Ioann.à S.Thom.q.1.art.3.Rubio q.6. Quia tamen alibi tradita sufficiunt. Nunc solum restat mota difficultas de modo quo vna anima alias continere dicatur?

28 Variant Doctores in explicãdo qualiter anima, vel gradus superior contineat inferiorem? Caietanus lib.2.de Anim. cap.3.text.30. §.*circa secundam conclusionem*, expressè asserit, & latè probat, quod *vegetatiuum claudatur in sensitiuo, non formaliter, sed virtualiter: ita quod anima sensitiua, non est formaliter essentialiter vegetatiua; sed potestatiuè tantum, & denominatiuè*. Probat, quia tota latitudo formalis vegetationis attingere nequit ad sensitiuum; quia omnis per se differentia vegetationis vegetatio est: sensitiuum autẽ non est vegetatiuum; quamuis illud supponat. Sensitiuum igitur non est per se differentia vegetatiui: ac percõ sequens non se habet ad illud sicut inferius ad superius essentialiter; sed vt genus perfectum ad minus perfectum, cum ordine consequẽter se habendi.

29 Ex quo sequitur, quod anima sensitiua non est formaliter essentialiter vegetatiua, quia vegetatiuũ habet id, quod vegetatiui est in sensitiuo; sed non secundum terminos vegetatiui, qui sunt differẽtiæ vegetabilis: sed secundum terminationem alterius naturæ altioris, scilicet sensitiuæ. Ergo vegetatiuum non est in sensitiuo actu: sed solum potestatiuè, & denominatiuè, seu virtualiter, & eminentialiter.

Quod amplius explicatur: nam anima intellectiua non est formaliter forma corporea; siquidem est spiritualis; & tamen compositum cõstitutum per ipsam est verè corpus; homo enim est formaliter, & essentialiter substantia corporea. Proportionaliter ergo anima sensitiua non est formaliter vegetatiua; & tamen animal constitutum per eam est substantialiter substantia vegetabilis, quia forma constituit compositum vegetabile; & ideò habet potentias vegetabiles. Hæc est sentẽtia Caietani fere eiusdem verbis relata. Quam & tenẽt expressè Ianellus 2.de Anim.q.14. Toletus.quæst.7. concl.3. & 4. & alij.

30 Asserunt alij animam sensitiuam continere vegetatiuam eminenter formaliter simul. Ita Bañez 1.p.q.76.art.4.dub.2.concl 4.Rubio hic quæst.2.Conimb. Carmel. disp.4.q.2.Ioann. à S. Thom. q.1. art.5.& passim alij. Priorem partẽ probant ex Philosoph. & D.Tho. hic text.31.lec.1.in fine. Et 1.p.q. 76.art.4.vbi docet, quod *anima rationalis virtute cõtinet inferiores*. Quod & dicit Quodlib.1. articulo 6. &

Quodlib. 11. artic. 5. & de Spiritua lib. creat. artic. 3. ad 16. & ratione, quia illa forma dicitur alias continere virtualiter, vel eminēter, quæ potest in omnes effectus, in quos posset alia, si adesset, & adhuc amplius valet. Sed anima sensitiva præstat, quod faceret vegetativa, & aliquid amplius, vt ex dictis patet: ergo eā continet eminenter.

31 Quod vero anima sensitiva sit formaliter vegetativa probatur, quia præstat formaliter esse vegetatiuum, & ei cōuenit formaliter definitio animæ vegetabilis, & ab ea dimanant potentiæ partis vegetatiuæ, quæ verificari nequeunt, si ipsa non sit vt *quo* formaliter vegetativa: vt late prosequuntur PP. Carmelitani à n. 54. vsque ad 58. ergo est eminenter formaliter vegetativa: & pariter anima rationalis est eminenter formaliter vegetativa, & sensitiva.

32 Diligenter tamen Authoribus perlectis, & eorum argumentis expensis, inuenio in hoc puncto inter Doctores non esse dissidiū de re ipsa, sed solum diuersam vocū acceptionem. Quam expresse notarunt Bañez, & Toletus, & post eos alij, dicentes aliud esse loqui de gradibus, qui ponūtur, in recta linea prædicamētali: & sic sensitiuum, & intellectiuum dicunt radicale principium sentiendi, & intelligendi, nō excludendo quod simul sit principium vegetandi. Aliud vero esse loqui de animabus ipsis specifice sūptis, secundum quod includunt propriam differentiam, qua vna anima ab alia differt. Quam distinctionem in simili euētu tradit S. Thomas 3. capite de Ente, & essentia, & alijs locis relatis quæstione secunda numero 9. & libro secundo Logicæ quæstione 18. numero. 5. docendo, quod corpus accipitur vt genus, & vt pars, & vt species.

33 Sententia ergo Caietani est vera loquendo de anima vegetativa specifice sumpta, quia vt probat S. Thomas 1. p. q. 84. art. 2. ad 3. vna species non potest formaliter cōtinere aliā, quia finitur, & limitatur per terminos essentialiter ab alijs differentes. Et hoc probant argumenta pro Caietano relata. Vnde ex eius mente notat Bañez conclusione prima in fine, quod si fiat sensus præcisus, etiam in concreto sensitiuum, vt sensitiuum est, nō est vegetatiuum. Et in isto sensu omnes Authores pro secunda sententia relati, à prima non recedunt, vt patet in PP. Carmel. n. 61. & in M. Ioan. à S. Thom. §. *hinc colliges*.

34 At vero secunda sententia est vera loquendo de gradu, vel de anima quasi generice sumpta: nam genus prædicatur de sibi inferioribus quidditatiue, & essentialiter. Vegetatiuum autem est genus respectu omnium participantium formaliter vitam vegetatiuam, siue solam, siue simul coniunctam cum sensitiua, & rationali. Vnde conuenienter Philosophus, & S. Thom. hanc continentiam eminētialem, non explicarunt exemplo virtutis.

Solus

Solis continentis effectus in genere causæ efficientis. Sed exemplo figuræ, cuius continentia est formalis, vt quadrangulus triangulum licet non quoad terminationẽ. Deinde, quia anima perfectior non est sicut differentia methaphisicè præcisa ab alijs gradibus, seu differentijs subalternis, modo exposito libro 1. Log. q. 25. n. 20. Sed est quid physicè realiter præstãs, quod aliæ formæ, præstarent: in genere autẽ causæ formalis nemo dat quod nõ habet, vel formaliter tantum, vel formaliter eminenter simul: ergo anima superior continet inferiorẽ virtualiter quoad differentias, in quibus opponuntur: formaliter vero quia continetur sub gradu, vel genere vegetatiuo, quamuis cum eminentia, & eleuatione.

## §. V.

### *Vltimum dubium soluitur.*

35 SEd adhuc exponẽdum restat, quæ sit differẽtia illa per quã essentialiter differt forma vegetatiua animalis à forma vegetatiua plantæ? Videlicet an sit aliqua magis particularis, & determinata intra eundum gradum vegetatiuum, sicut distinguuntur duæ animæ plãtarum? An vero sit distinctio per differentiam alterius ordinis, & rationis?

36 Respondet Suarez lib. 1. de Anima cap. 6. n. 7. non differre per differentiã specificam intra genus vegetatiui; sed per differentiam alterius ordinis, nempe sensitiui. Ratio est, quia intra genus vegetatiui nec potest cogitari illa differentia specifica, & vltima; nec vt subalterna: ergo nullo modo. Prior pars probatur, alioquin per illam cõstitueretur anima equi in quadã specie vltima animæ vegetabilis non transcẽdẽtis gradum plãtæ: quod patet esse falsum, cum constituat formam equi. Secunda pars constat, quia illa differentia non est cõmunis alijs pure vegetabilib⁹, cum nullum tale sentiat. Si autem est communis omnibus, non erit differentia distincta a communi differentia animæ vegetatiuæ. Ergo genus animę vegetabilis prout est in animalibus, immediate contrahitur per differentiam eleuantem illud ad genus sensitiuum.

37 Hanc tamen doctrinam merito impugnant Patres Carmelitani à numero 58. vsque ad 61. & Magister Ioannes à Sancto Thoma. §. *vltima pars* quia principium vegetandi & sentiendi vt sic debent cõtrahi per speciales modos vegetandi, & sentiendi: alioquin diuisio non erit essentialis, & per ea quæ sunt eiusdem generis.

38 Quod explico ex doctrina Caiet. relati. n. 28. docentis, quod differẽtia cõstitutiua inferioris, est essentialiter est perse diuersificatiua superioris intra eandẽ lineam, alioquin erit diuisio accidẽtalis. Sicut siquis diuidat habens pedes per album, & nigrum, non constituit aliquid perse inferius ad habens pe-

des, quia differentia secundum album, & nigrum, non diuersificat perse pedē. Si verò fiat diuisio per pedes scisos, vel nō scisos, tangere tur iam diuersitas pedis; ita quod sicut *scisio pedis quædam pedalitas est*, vt dicitur 7. Met. tex. 43. vnde omnis perse differentia, perse loquendo, nihil aliud quā quoddā id cuius est differentia. *Omnis igitur perse differentia vegetationis, vegetatio quædam est.*

39 Cum igitur anima sensitiua duo habeat, & quod sit quasi quædam species vegetatiui (eo quod vegetatiuum diuiditur in vegetatiuum purè tale, & in vegetatiuū coniunctum cum sensitiuo, vel rationali) & habeat ratione suæ differentiæ, quod eleuet, & perficiat vegetatiuum trahendo ad nobili⁹ genus. Quamuis, loquendo præcisiuè de sola hac vltima differētia, verissimum sit, quod ait ibi Caietanus, quod sensus nō est vegetatio, quamuis illam supponat. Tamē loquendo (vt nunc loquimur) de vegetatione sensitiua, vt continetur sub vegetatione vt sic, non potest non esse vegetatio quædam intra lineā vegetationis perfecta. Et hęc duo distinguēdo, omnia cōsonār, & claresc unt explicando duos cōceptus inadæquatos in forma perfectiori. Et sic cessat argumentū factum.

40 Fortè in isto sensu B. Albert. Mag. 2. de Animal. c. 6. dixit, quod *homo plusquam specie differt ab equo, & ab aliis animalibus.* Quod explicat Tol. 2. de Anim. q. 6. ante 1. concl. iam plus differunt homo, & leo, quam leo, & equus: differt enim homo per differentiam alterius generis, ideſt, per intellectiuum; quāuis reuera homo sit sub genere animalis, sub quibus sunt leo, & equ⁹. Pariter plus differunt vegetatiuū plantæ, & vegetatiuū animalis bruti, & vegetatiuum hominis, quam differant vegetatiuum duarū plantarum, & arborum: plantæ enim inter se differunt specie per differentiam non eleuantem ad genus nobilius; at verò vegetatiuum animalis eleuat ad genus sensitiui: quod est nobili⁹ vegetatiuo; & vegetatiuum hominis eleuat ad genus intellectiui; quod excedit omnia sēsibilia, & vegetabilia. Omnia autē hæc proueniunt ab eminentia formæ, & differentiæ nobilioris, quæ non solum propriam naturam constituit; sed inferiorem gradum, quē supponit, perficit, & eleuat: quia gradus cōmunior imperfectior perficitur ex coniunctione ad superiorem.

41 Sed aduersus supra dicta arguit Recens quidam Complutensis Societatis, vt probet animam rationalem non continere vegetatiuum plantæ, nec sensitiuum bruti, nec formaliter, nec eminenter: quia illud dicitur continere aliud eminenter, quod cum sit superioris ordinis, vel potest illud efficere, vel saltē operationes proprias illius: sicut lux dicitur continere eminenter calorem. Sed anima rationalis neque potest efficere animam vegetatiuam plantæ, aut sensitiuam bruti, vt constat. Neque proprias operationes elicere ea-

rum,

tum, quia homo neque potest per nutritionem acquirere partem plātæ, neque efficere propriam sensationem bruti, eam videlicet, quæ ex se deseruire nequit ad ratiocinationem: ergo anima rationalis non continet eminenter vegetatiuam, & sensitiuam inferiorum.

42 Hæc tamen doctrina est contra omnes Authores supra relatos. Et contra Philosophum 2. de Anima text. 31. & contra S. Thom. ibi lect. 5. in fine. Et 1. p. q. 76. art. 4. expressè ait Sanctus Thomas, quod *anima intellectiua, sicut virtute cōtinet animam sensitiuā, & nutritiuam; ita virtute continet omnes inferiores formas: & facit ipsa sola quicquid imperfectiores forma in alijs faciunt.* Et quæst. vnica de Anima art. 11. inquit: *Forma perfectior dat materiæ quicquid dabat forma inferior, & adhuc amplius* (& hoc est continere eminenter in genere causæ formalis.) *Vnde anima rationalis dat corpori humano quicquid dat anima sensibilis brutis, vegetabilis plantis, & vlterius aliquid.* Nec post supra dicta opus est amplius firmare.

43 Ad formam argumenti facillimè respondetur primo, posse negari maiorem, quia in ea confundi tur continentia in genere efficientis (de qua non loquimur) cum cōtinentia in genere causæ formalis (de qua est sermo.) Nec explicatur à priori propria ratio continentiæ eminentialis; quæ est perfectio formæ tanta, quæ se sola præstat quid quid aliæ inferiores, & aliquid pl⁹.

Admissa etiam maiori, distinguēda est secunda pars minoris; & concedenda de operationibus cum ad missione imperfectionis propriæ formæ imperfectæ; neganda vero de operationib⁹ imperfectarū animarum seclusis imperfectionibus: nam in isto sensu verissimū est, & experientia notū, quod ait S. Tho. quod anima rationalis, *facit ipsa sola quicquid imperfectiores formæ in alijs faciunt*: homo enim crescit, & nutritur sicut plantę. & sentit sicut alia animalia; licet perfectiori modo. Quod non obest, sed poti⁹ exigitur ad continentiam eminentialem; quæ ab alijs dicitur continentia *virtualis*, vel *potestatiua*. Sed dum dere constat, parum refert in præsenti istis, vel illis vocibus vti.

## QVAESTIO VII.

### *Virum anima rationalis sit forma corporis?*

1 FVit antiquis tēporibus quæstio hæc valdè celebris in Scholis, propter errorē Auerrois, & aliorum; contra quos sapientissimè, vt semper assolet, disputat Sāctus Thomas libro 2. Contragentes à cap. 56. vsque ad 71. & ibi Ferrara, & Soncinas lib. 12. Metaphis. quæst. 23. & duabus sequentibus. Bañez. 1. p. quæst. 76. art. 1. dub. 1. Copiosè Toletus 2. de Anima q. 2. Suarez lib. 1. cap. 12. Quia tamen errores isti Gentilium, iam nec audiuntur in Scholis Catholicorum; ideò eis omissis.

***

I.

*Veritas catholica stabilitur.*

2 DIco primo, secundum fidem catholicam, anima rationalis, siue intellectiua, perse, & essentialiter est substãtialis forma humani corporis. Ita diffinitur in Concilio Vienensi sub Clemẽte quinto, & habetur titulo de sũma Trinitate. §. *porrò*, vbi ita dicitur. *Porrò omnem doctrinam, seu positionem temere asserentem, seu vertentem in dubium, quod substantia animæ rationalis, seu intellectiua, vere, ac perse, & essentialiter non sit forma humani corporis; tamquam erroneam, & inimicã veritati, & catholicæ fidei, sacro approbante Concilio, reprobamus.* Et deinde subdit, quod *qui oppositum defendere, vel tenere pertinaciter præsumpserit, tamquam hæreticus censeatur.* Idem habetur in Concilio Lateranensi sub Leone 10. sess. 8. & sumitur ex Concil. Lateranẽsi sub Innocentio 3. & habetur in capite *firmiter*, de summa Trinitate.

3 Præterea in Symbolo Athanasij dicitur, quod *sicut anima rationalis, & caro vnus est homo, ita Deus, & homo vnus est Christus.* Sed humana natura vere, & substãtialiter est vnita Verbo Dei: ergo anima verè substantialiter vnitur materiæ. Et cum ipsa sit forma, & actꝰ, vere erit corporis forma.

Denique in Sacra Scriptura homo dicitur ad imaginẽ Dei, particeps rationis, & libertatis: & quod *vnusquisq; astabit ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis prout gessit, siue bonum, siue malũ.* Quæ verificari nequeũt, si aliquod principium corpore altius, non ponatur vnitum corpori, quod sit simul ad imaginem Dei, & radix operationum intellectus, & voluntatis. Nec possent puniri mali, & præmiari boni, si omnium est anima vna.

4 Dico secundo, ratione naturali demonstratur animam rationalem esse substãtialiter formam corporis. Probatur demonstratione Aristotelis 2. de Anima textu 24. quam in hac forma proponit Sanctus Thomas 1. p. q. 76. art. 1. & est *argumẽtũ contũdens capita Auerroistarum*, vt inquit Toletus. Illud quo primo aliquid operatur, est forma eiꝰ, cui operatio attribuitur: quia nihil agit, nisi secundum quod est actu. Vnde quo aliquid est actu, eo agit. Manifestum est autem, quod primum quo corpus viuit, est anima. Et cum vita manifestetur secũ dũ diuersas operationes in diuersis gradibus viuentium, id quo primo operamur vnũquodque horũ operum vitæ, est anima, vt ex eius definitionibꝰ patet. Hoc ergo principiũ quo primo intelligimus, siue dicatur intellectus, siue anima intellectiua, est forma corporis.

5 Confirmatur. Primum principium vegetandi est anima plantæ, & primum principiũ sentiendi est anima equi: ergo pariter primum principium intelligendi est anima rationalis. Sicut ergo aliæ animæ sunt formæ substantiales viuentium, pariter anima rationalis erit forma substantialis hominis.

6 Aliam rationem format ibi S. Thomas

Thomas ex ratione speciei: natura enim vniuscuiusque rei ex eius operatione ostenditur. Propriè autem operatio hominis, inquãtum est homo, est intelligere. Per hanc enim omnia animalia transcendit. Oportet ergo, quod homo secundum illud speciem sortiatur, quod est huius operationis principium. Sortitur autẽ vnumquodque speciem per propriam formam. Relinquitur ergo quod intellectiuũ principium sit propria hominis forma. ¶ Argumenta contraria vide soluta in D. Tho. & in Authoribus relatis.

## §. II.

### *Vtrum anima quatenus rationalis sit forma corporis?*

7 HInc nascitur quęstio inter Catholicos, vtrum non solum entitatiuè anima eadem, quæ est rationalis, & intẽllectiua, sit forma, & actus corporis; sed etiam reduplicatiuè inquantum intellectiua, & rationalis sit verè, & propriè corporis forma?

8 Sententia negatiua tribuitur à Patre Rubio vbi infra, Caietano, & Ferrara. Caietano, quia 1. p. q. 76. art. 1. §. *in responsione ad primum*, ait: *Ipsa quidem anima est actus corporis: sed ipsa inquantum intellectiua non est actus corporis: id est, anima intellectiua idemicè, non formaliter est actus corporis.* Expressè etiam illam videtur tenere Ferrara libro secundo Contragẽtes capite quinquagesimo octauo, ratione sexta, §. *Ad primum locum*, inquit: *Dicitur, quod ratio illa nõ procedit solum de potẽtia intellectiua, sed etiam de ipsa anima. Anima enim intellectiua vt sic, non est actus corporis; sed tantum inquantum virtute continet sensitiuam, & vegetatiuam, eoquod non vniatur materiæ nisi propter vires sensitiuas, quibus ad intelligendum indiget: & ideò, si ponatur â sensitiua, & vegetatiua distincta in homine, vtpotè habens tãtum, quod intellectiua est, nullius corporis est actus: & idcircò nõ poterit sibi assignari aliqua pars corporis pro materia.* Hucusque Ferrara: cuius verba, inquit Recẽtior quidam Societatis hic Controuers. 1. punct. 3. num. 30. mitissima indigent interpretatione, vt in verum sensum explicari possint, & cohæreant cum dogmate tradito in Clementina cap. *firmiter*.

9 Cæterum etiam contra rigidissimum censorem verba sapientissimi Magistri intacta manebũt: tum, quia etiam si superficie tenus, vt sonant, accipiantur, opinio negatiua, cui videntur fauere, nullius cẽturæ est digna. Quod iam diu notauerat Cardinalis Toletus 2. de Anima quæst. 3. ad 5. ita scribens: *Ibi petitur difficultas an rationalis anima, vt intellectiua est, sit forma? Dico igitur duo. Alterum est, quod ipsam secundum suam substantiam, & entitatẽ, formam esse informantem, nõ licet dubitare. Dico secundo, quod an ipsa secundum illum gradum intellectiuum informet? Non puto esse periculosum negare, cum multis affirmantibus ipsam esse formam secundum gradum sentiendi.* Et infra, alium probabilem dicendi modum proponit his verbis: *Igitur dici probabiliter potest, licet non in-*

*formet secundum gradum vltimum intellectiuum, in quo conuenit cum Angelis: tamen informare, non solum sensitiuum, & vegetatiuum, sed rationale quoque.* Ergo censura longè abest, quia Cõcilia præcisiones has metaphisicas graduum Phylosophis distinguendas relinquunt. Vnde excesit P. Rubio tractatu de substantia animæ.q.7.n.80.& 60.dicens: *Sine periculo erroris non posse omnino negari, quod anima rationalis, vt rationalis est, informet corpus.* Cum Concilium expresè loquatur etiam de anima intellectiua, & de illa, vt sic, solũ verificatur specificatiuè, & non reduplicatiuè, iuxta sententiam, quam Toletus dicit probabilem. Secũdo illa mitissima interpretatione non indiget Ferrara, quia eius verbis relatis, ostendemus Sancti Thomæ, & communem expresè docuisse sentẽtiam. Quod pariter manifestum fiet de Cardinali Caietano.

10 Dico ergo tertiò, anima rationalis secundum gradum rationalis, & intellectiui radicaliter, est verè substantialiter forma corporis. Ita Sanctus Thomas 1.p.quæst. 75.artic.7.ad tertium, vbi ait: *Anima ex natura suæ essentiæ habet quod sit corpori vnibilis.* Et quæst.76.artic.1. ratione 2.& ad 4. *Nihil prohibet aliquam eius virtutem non esse corporis actum: quamuis anima secundum suam essentiam sit corporis forma.* Et libro 2. Contragentes cap.69.ad 4.ait: *Secundum essentiam quidem suam dat esse tali corpori.* Et quæst. de Anima articulo 1.& 2.& alibi sæpè.

Idem docet Caietanus 1.p.quæstione 76.artic.1.§.*Ad rationes autem*, expresè asserens, *quod anima intellectiua secundum omnem sui gradum informat materiam.* Idemque docet lib.1.de Anima cap.1.dub.vltim. pag.mihi 19. Verba autem in contrarium relata, loquuntur de intellectiuo proximo, in sententia Scoti asserentis, quod distinguitur formaliter ab anima. Vnde subdit Caietanus: *Vel, & melius, intellectus identice, nõ formaliter est actꝰ corporis.* Quæ verba antecedentibus coniuncta, non indigent interprete, sed lectore.

11 Manifestè idẽ exprofesso docet Ferrara libro secundo Contragentes capite sexagesimo octauo per totum. Sed præcipuè 2.p. capitis.§.*Ad secundum*, pag.172. in editione Romana columna.1.litt.d. vbi ita ait: *Ad secundum dicitur, quod anima secundum supremum sui gradum essentialem vtique informat materiam; sed non immergitur materiæ; immo remanet per se subsistens, & nõ dependens à materia secundum esse: quod est animam materiam excedere: & hoc est sibi ratio quare possit intelligere.* Quibus verbis, & expresit communem sentẽtiam, & verba ipsius pro contraria relata ipse exposuit, quod solũ negat non ita actuare materiam, quod in illa immergatur. Quod expresè docet S.Thomas 2. Contragentes cap.68.in fine, & 1.p.q.76.ar.1.ad 4. Nostram conclusionem docent Bañez ibi dub.2.Ioan.à S.Tho.hic q.1.art.2.in fine, & latius.q.9 art. 2.PP.Carm. disp.2.q.6. dicentes: *Ita tenere omnes fere Phylosophos.* Specialiter Tolet.in fin.q.3.Rub.q.7.

Cõ-

Conimb. Hurt. & alij cõmuniter. Imò Caiet. lib. 3. de Anima cap. 2. dub. vlt. §. *propter hæc*, ait: *Communi animi conceptioni hominum cõsentiendo, hominem cõpositum ex natura sensitiua, & verè intellectiua fateamur.* Et infra. *Auicena autem, B. Albertus, & S. Thomas, & tandem veritas ipsa, iungunt animam intellectiuam corpori secundum esse, & separant eam ab eodem secundum independentiam.* Hanc ergo esse veritatem, & communem hominum conceptionem, Caietanus docet. Non ergo fideliter pro prima sententia refertur.

12 Probari solet ex relata Clementina, in qua *indicatur hæreticus, qui tenere pertinaciter præsũpserit, quod anima rationalis, seu intellectiua, non sit forma humani corporis per se, & essentialiter.* Nam id, quod conuenit rei essentialiter, conuenit ei inquantum tali: & ita si anima rationalis, iuxta definitionem Concilij, *per se, & essentialiter*, est forma corporis; habebit vtique, iuxta eandem Concilij definitionem, hoc ipsum quatenus rationalis reduplicatiuè.

13 Cæterũ licet specie tenus faueat hæc definitio huic veritati; nullam tamen fidei certitudinẽ ei vllo modo tribuit: nã qui assereret eandem simpliciſsimã animã habere plures gradus, & entitatiuè, seu *specificatiuè esse per se*, & nõ per aliud, *essentialiter*, & non accidẽtaliter formam humani corporis: quamuis *reduplicatiuè* secundũ vltimũ gradũ in quo supergreditur corpus, & cõuenit cum spiritualibus substãtijs, & potest elicere operationes sine corpore, non intelligatur secundũ hanc formalitatẽ vniri: nõ video quid diceret censura dignũ: quia è diametro opponeretur errori Auerroistarũ (contra quos procedit Concilij definitio) siquidem non daret esse vnionẽ mediatam physicè, nec esse accidentalem, nec inciderẽt in positionẽ Platonis, qui in Alcibiade, & in Phædone posuit, quod anima intellectiua non vnitur corpori, sicut forma materiæ; sed solum *sicut motor mobili*, dicens, quod anima est in corpore, *sicut nauta est in naui*, vt latè S. Tho. 2. Contrag. c. 57.

14 Ratione probatur vrgẽdo rationẽ S. Tho. relatã. n. 6. Eatenus anima rationalis est forma substãtialis hominis, quatenus physicè constituit naturam humanam, vt pars formalis: quia sortitur vnumquodque speciem per suam formã. Sed non cõstituit speciem hominis, nisi quatenus est rationalis distincta ab anima brutorum. Ergo anima formaliter vt rationalis vnitur, vt forma hominis.

15 Præterea, operationes connaturales animę, vt rationali, & intellectiuæ pro statu præsentis vitæ, exerceri ab ipsa non possunt, nisi prout vnita corpori. Ergo anima, vt rationalis, est forma corporis. Consequentia patet, quia inquantum forma substãtialis, est radix operationum hominis, inquantũ est homo. Antecedẽs probatur, quia, vt docet Philosoph⁹ 3. de Anim. textu 30. *nihil sine phantasmate intelligit anima.* Quod late probat S. Th. 1. p. q. 84. art. 7. & nos infra lib. tertio. Conuersio autem ad phantas-

mata

mata corporea nō nascitur nisi ex coniunctione substātiali animę rationalis ad corp⁹. Et similiter risꝰ, & fletus, si proprie sumantur ab anima rationali procedunt: & sine corpore exerceri nō possunt. Hāc secundam rationem indicat S. Th. lib. 2. Cōtrag. cap. 68. in fine dicēs. *Quia tamen ipsum intelligere anima humana indiget potentijs, quæ per quadam organa corporalia operantur, scilicet imaginatione, & sensu; ex hoc ipso declaratur, quod naturaliter vnitur corpori ad complendam speciem humanam.* Quę ratio exponetur ad 2.

## §. III.

## *Soluuntur argumenta.*

16 OBijcies primo: ad hoc quod anima, inquantum rationalis, esset forma corporis, deberet anima cōmunicare corpori esse rationale, vel esse intellectiuū: sed anima rationalis nōcōmunicat corpori esse rationale, nec esse intellectiuū: tū quia esse intellectiuū est esse spirituale, quod repugnat communicari corpori: tum quia *intelligere est actus, qui non potest exerceri per organum corporale, sicut exercetur visio*, vt docet S. Thom. ad 1. ergo anima inquātum rationalis nō est forma corporis. Probatur maior primo, quia forma cōmunicat effectum formalem subiecto cui vnitur, sicut albedo parietem reddit album. Et vt ait S. Tho. initio art. *quo primo sanatur corpus est sanitas, & quo primo scit anima, est scientia: vnde sanitas est forma corporis, & scientia animæ.* Et ideo corpus denominatur sanū à sanitate, & anima denominatur intrinsece sciens à scientia: ergo si anima vt rationalis est forma corporis, corpus denominatur rationale, vel intellectiuum. Secundo probatur maior. nam anima sensitiua, & vegetatiua ex eo quod est forma corporis, dat illi esse sensitiuum, & vegetatiuum: ergo si nō dat illi esse intellectiuum, & rationale, non vnitur corpori, vt forma inquantum rationalis.

Respondetur negando maiorē, & habemus instantiam: nam anima non dat corpori, quod sit forma, nec dat ei quod sit animal; quia ad istas denominationes nō quælibet pars est proportionatum susceptibile; sed sunt denominationes quæ conueniunt toti composito. Vnde S. Thomas 1. p. q. 76. ar. 8. ad 3. ait, *quod animal est quod componitur ex anima, & corpore toto, quod est primum, & proportionatum eiꝰ perfectibile. Sic autē anima non est in parte. Vnde non oportet, quod pars animalis sit animal.* Similiter in rigore loquendo homo dicitur sensitiuus, & nō corpus, & similiter homo dicitur rationalis, & intellectiuus.

17 Per quæ patet ad vtramque probationem. Ad primā quidem, quod est dispar ratio: nā illæ denominationes in proportionato susceptibili indifferenter respiciūt totum, & quālibet partem: denominationes vero animalis requirunt partes organicas, & non possunt indifferenter cuilibet attribui. Deinde intelligere, & ratiocinari nō solum dicit essentiam animæ, sed virtutem intelligendi. Vnde sicut a-

*nima non secundum quālibet suam potentiam est in qualibet parte corporis; sed secundum visum in oculo, secundum auditum in aure, & sic de alijs*, vt notat S. Thomas in cor. illius ar. 8. Ita actiones intellectus, & voluntatis, quæ sunt in anima, quatenꝰ excedit totam capacitatem corporis, *in nulla parte corporis esse*, sicut de potētia intellectiua, & volitiua ait S. Thom. ibi ad 4. Ac perconsequens, adhuc dato, quod corpꝰ denominaretur vegetatiuum, & sensitiuum; non sequitur quod corpus denominetur rationale; licet sit pars substantialis, & physica animalis rationalis: quod nō est sine anima vt rationali. Et sic patet ad secundam probationem.

18 Secundo arguitur: virtus, siue potentia intellectiua, inquantum talis non est actus alicuius corporis: ergo nec anima, vt intellectiua, vnitur corpori vt forma. Consequentia patet primo, quia virtus, siue potētia nō potest esse abstractior, vel simplicior, quā essentia, à qua virtus, vel essentia deriuatur. Secundo, quia probabile est intellectum identificari cum anima, vt tenet Scotus: immo sunt, qui dicāt nec formaliter distingui animam, & intellectum. Implicat autē, physice loquēdo, duo, nec formaliter distincta, ita vniri, quod vnum sit forma corporis, & aliud nō sit forma corporis, sed à corpore abstractum. ¶ Antecedens vero multipliciter probatur. Primo ex Philosopho 3. de Anima textu 6. & 7 dicente, quod *intellectus est separatꝰ, & quod nullius corporis est actus*. Secūdo, quia id expresse docet S. Thomas sæpe citato art. 1. in corp. illis verbis. Anima humana est vltima in nobilitate formarum. Vnde intantum sua virtute excedit materiam corporalem, quod habet aliquā operationem, & virtutē, in qua nullo modo cōmunicat materia corporalis. Et hæc virtus dicitur intellectus. Tertio idē probatur alia ratione eiusdem S. Thomæ ibi ad 1. & ad 4. nam eiusdem est potentia, & actio: idem enim est quod potest agere, & quod agit, vt etiam Philosophus dicit in principio de somno, & vigilia, & ex ipso S. Th. 1. p. q. 77. ar. 5. sed intelligere est operatio, quę nō potest exerceri per organum corporale: alioquin non probaretur bene animā esse incorpoream ex eo quod intelligit: cuiꝰ contrarium demonstrat S. Thom. 1. p. q 75. art. 2. ergo virtus intellectiua inquantum talis non est actus alicuius corporis. Quarto, accidens spirituale completum, & permanens non potest inhærere, præcipue natiue, & connaturaliter in corpore; sicut è cōtra accidēs corporeum, non potest esse connaturaliter, & permanenter in substantia spirituali. Ergo virtus intellectiua vt talis non est actus corporis. Ac perconsequēs nec anima, à qua dimanat, vel cum qua identificatur, potest esse actus, & forma corporis.

19 Respondetur iuxta dicta nu. 15. negando antecedens, quia virtus intellectiua ad intelligendum, & volendum indiget corpore, nō quidem vt subiecto, aut organo; sed

sed vt obiecto, & vt medio ad recipiēdas species, & vt organo phā tasmatum. Quod sufficit, vt connaturaliter exigat vnionē ad corpus.

Hæc solutio, sufficit quidem, vt propter hoc argumētum non incidamus in errorē Platonis, qui posuit hominem esse animam intellectiuam; vel in errorem Auerrois, qui animæ intellectiuæ negauit vnionem substantialem cum corpore: quia saltim quoad modū in operando operationes rationales anima depēdet à corpore. Non tamē videtur sufficere, vt anima secundum omnes gradus sit forma corporis: quia anima, vt radix intellectus, non est forma corporis: ergo secundum aliquem gradum nō est forma corporis. Deinde solutio non satisfacit alijs probationibus in argumento adductis, quia intellectus, inquantum intellectus, non est actus corporis, attenta substantia intellectionis, quæ est quid spirituale: ergo anima substātialiter, & simpliciter, & reduplicatiue in quātum intellectualis, non est forma corporis: quamuis identice, & secundum aliquid, ipsamet propter aliquas operationes sit forma corporis.

20 Facilem arbitrantur se adhibere respōsionem quidam Neotherici dicendo, quod licet anima nō eliciat intellectionē in singulis partibus corporis; nihilominꝰ taliter est vnita illis, vt si non deficerēt dispositiones, intellectionē eliceret in singulis: quod sufficit vt dicatur vnita illis formaliter vt intellectiua.

Euasio tamen hæc, vt argumento non satisfaciens, & multa includens absurda, facile reijci valet. In primis, quia dicerent alij, quod sicut in corpore nō possunt esse dispositiones ad intellectiones eliciēdas, quia sunt quid spirituale: ita nec esse posse ad animā propter eādem rationem. Secūdo intellectio in nulla parte corporis elici valet, non solum defectu dispositionis, sed quia intellectio nequit esse actus organi corporalis: & ideo probant Theologi cum D. Thoma 1. p.q.12.art.3. per sensus corporeos non posse spiritualia videri. Tertiō, licet verisimum sit, & experiētia compertum, quod tradit S. Thomas 1.p.q.84.art.8. iudicium intellectus impediri per ligamentum sensus; tamen non subinde infertur, quod si non deficerent dispositiones, per organa corporalia elici possent operationes intellectus: alioquin incidemus in omnia incōuenientia, quæ objicit S.Th. libro 2.Contrag.cap.66.cōtraponentes intellectum, & sensum esse idem, & capite 67. contra illos, qui dixerunt intellectum posibilem esse ipsam imaginationem.

21 Recurrēdū ergo ad solutionē, qua huic argumento vbiq; respōdet S.Tho. sed præcipue 1.p.q.76. art.1.ad 4. vbi ait, *dicendum, quod humana anima nō est forma in materia corporali immersa, vel ab ea totaliter comprehensa, propter suam perfectionem. Et ideo nihil prohibet aliquam eius virtutē non esse corporis actum: quamuis anima secundum suam essentiam sit corporis forma.* Eodem modo respōdet 2.Cōtrag.

trag. cap. 69. ad 4. & quoties argumentum tetigit. Vnde cōcedit antecedens, & negat cōsequentiam.

22 Cæterum adhuc probationes consequentiæ videtur vrgere. Rursum anima rationalis est quid simplex: ergo vel tota est immersa in materia, vel nihil illius est immersum materiæ: nā ponere quod est in materia, & nō tota in materia immersa, est imaginari partes in anima, quarum vna sit in materia, & alia extra materiam. Et rursus in casu quod anima sit ipse intellectus, nihil horum locum habet.

23 His, & alijs non obstantibus, arbitror nullam meliorē posse dari solutionem huic argumento, quā illā, quę ex D. Thom. est relata. Pro cuius expositione notandum cum Ferrara 2. Cōtrag. cap. 68. 2. p cap. §. *ad maiorem euidentiam*, quod pro eodem accipit S. Thomas, formā nō esse immersā materiæ, & formā non esse totaliter comprehensam à materia, & materiam nō adæquare esse formę. Quod probatur, nam illa forma dicitur esse materiæ immersa, cuius esse est obligatum materię, & ab ea dependens, vt patet ex D. Thoma de Spiritual. creatur. art. 2. quia esse nō potest sine materia. Dicitur etiam esse totaliter cōprehensa à materia, quia nullo modo materiam egredi potest, vt sit absque materia. Et similiter dicitur materiā adæquare esse formæ, quādo accipit totā perfectionem esse formæ, ita quod extra materiam, illa forma esse nō possit: nam si potest forma habere esse extra materiam, iam materia illud esse nō adæquat. Patet autem per omnia huiusmodi idem importari. Vnde cū anima intellectiua, quæ esse suum cōmunicat materiæ, eleuando ipsam ad superiorē ordinem, aliquomodo possit habere esse extra materiā: quod ex eius operatione aperte cōstat: oportet dicere ipsam nō esse materię immersam, aut illi adę quatam secundum esse, aut totaliter ab illa comprehensam.

24 Secūdo notandum, quod sicut docet S. Thom. illa q. 76. art. 8. *quod anima tota est in qualibet parte corporis, secundum totalitatem perfectionis, & essentiæ; non autem secundum totalitatem virtutis*; quia nō secundum quālibet suam potētiam est in qualibet parte corporis, sed secundum visū in oculo, secundum auditum in aure, de quo dicem⁹ q. 9 Ita quamuis anima secundum vltimum gradū sit forma coporis: tamē quia ei nō totaliter immergitur; ideo verificatur quod ait S. Tho. ad 4. quod potentiarum animæ *quædam sunt in ea secūdum quod excedit totam corporis capacitatem, scilicet, intellectus, & voluntas. Vnde huiusmodi potentiæ in nulla parte corporis esse dicūtur.* Ex ea ergo parte, qua dimanant à forma, quę secūdum omnes gradus est actus corpori, istæ potentiæ habet pro obiecto connaturali quid corporeū, & ministerialiter dependent à sensibus. Ex ea verò parte, qua istæ potētiæ dimanant ab illa forma, vt non totaliter immersa materię, excedunt operationes istæ totā corporis capacitatem, & non sunt in corpore, nec eliciuntur medio organo corporeo. Vnde vt notat Bañez illo

dub.

dub.2.ad 4.notab.3.quamuis tota anima sit in toto corpore; tamen *non est totaliter*: hoc est nō exhauritur tota eius virtus per operationem, quam exercet in materia: sed adhuc manet potens, vt exerceat nobiliſsimas quasdā operationes ſine commercio materiæ, quæ sūt intelligere, & velle, præcipue ſpiritualia.

25 In applicanda doctrina iſta S. Thomæ ad formam argumēti ſunt duæ probabiles opiniones Thomiſtarū. Caietanus enim 3.de Anima cap.2.dub.vlt. ad 5.& 1.p.illo art.1.circa ad 4.& late Bañez ibi poſt dubium tertium, dicunt concedēdū eſſe antecedens, & negandam conſequentiam. Ad primam probationem dicunt negandum eſſe, quod intellectus ſit abſtractior, & ſimplicior, quam anima; imo e contra anima eſt abſtractior, & ſimplicior intellectu, quia habet eſſe ſubſtantiale independens à materia, & perſe ſubſiſtens. Et quia omnis propria paſsio, & virtus alicuius eſſentiæ habet dignitatem, & excellentiam ab eſſentia, à qua dimanat. Vnde à priori concluditur immaterialitas virtutis, & operationis ex independentia animæ ſecundum eſſe à materia: licet à poſteriori procedatur ab operatione ad eſſentiam. Quare numquam eſt aſſerēdum, quod intellectus ſit perfectior ſecundum immaterialitatem, quam ipſamet anima. Quamuis alio modo abſtrahat intellectꝰ quam anima: eo quod intellectus non eſt actus, & forma corporis; & eſſentia animæ, adhuc ſecundū vltimum gradum, eſt forma corporis. Et rationem diſparitatis aſsignat Bañez notabili quarto: quia anima vnitur ſubſtantialiter corpori; & ideo corpus trahitur ad eſſe animæ. Intellectus verò cum ſit accidens, traheretur ad eſſe ſui ſubiecti, ſi eſſet actus alicuius partis organicæ, eſſetque diuiſibilis ad diuiſionem illius.

26 Cæterum hāc ſolutionem, nec eſſe ad mentem Sancti Thomæ, nec ad intentionem argumenti, probat Ferrara libro ſecundo Contragentes cap.69.ad 5.quia licet anima ſit perfectior, quam intellectꝰ; tamē abſolutè iſte debet eſſe abſtractior a corpore: quia intellectus non eſt forma corporis; anima verò eſſentialiter, & perſe eſt forma corporis. Argumentum autē nō faciebat vim in maiori perfectione entitatiua; ſed nitebatur in maiori abſtractione in actuādo.

27 Intendit ergo Ferrara mentem Sancti Thomæ eſſe, concedere intellectum eſſe abſtractiorem, & ſimpliciorem anima. Quod eſt ipſam excedere ſecundum quid: ipſa tamē excedit ſimpliciter, quia eſt radix, & cauſa, vt tam nobilis potentia ab ipſa egrediatur, ex ea parte, qua non immergitur totaliter materiæ. Hanc eſſe mentem Sācti Thomæ, conſtat ex ipſo Opuſculo 16. cap.3. & in quæſtione de Anima articulo ſecundo ad quartum, inquit: *Dicendum, quod intellectus poſsibilis conſequitur animam humanam inquantum ſupra materiam corporalem eleuatur. Vnde per hoc, quod nō eſt actus alicuius organi, non excedit totaliter*

*taliter essentiam animæ.* Et de Spiritualibus creaturis artic.4.ad 3.ait, quod huiusmodi potentiæ *sunt animæ secundum quod excedit corpus.* Qua si dicat, quod licet intellectus excedat animam, in hoc quod est abstractior, & simplicior: & sic sit secundum quid sublimior ea; nō tamē hoc derogat dignitati animæ; quia propter hoc nō excedit *totaliter* essentiam animæ: sed remanet simpliciter, & absolutè anima secūdum essentiam suā dignior intellectu. Qua propter hæc solutio solidior videtur, & ad mentē S. Tho. Et replicæ cessant, quia essētia formæ simplicis vnita materiæ ab ea indepēdēs, potest essentialiter vniri materiæ, & potestatiuè, seu quo ad vires, & potentias eleuari supra conditionem materiæ.

28 Ad secundam probationē cōsequentiæ respondet bene Caietanus 1.p.q.76.ar.1.circa ad 1.quod cum prima conclusio sit de fide, & aliæ duæ sint in Philosophia certę, debēt, si possunt, *saluari secūdum omnem opinionem, quæ non euidenter sit impossibilis*; quia non videtur res tanta arctanda sub iugo quæstionis de distinctione potentiarum ab anima. Qui ergo distinctionem negant, dicere debent intellectum identice esse actum corporis; non tamē formaliter inquātum intellectus, quia intelligere non suscipitur in corpore, nec elicitur à corpore. Qualiter respondeant, qui tenent, nec formaliter distingui, ipsi viderint: quia mea non interest exponere opiniones, in quibus parum video veritatis similitudinis.

29 Tertio principaliter arguitur: nam si anima reduplicatiue quatenus rationalis, & intellectiua, est forma corporis, adhuc si solum esset intellectiua, & non sensitiua, esset actus corporis: alioquin nō formaliter, sed solum identice gradui intellectiuo, & solum propter idētificationem cum sensitiuo, conueniret esse actum corporis. Sed hoc est falsum; quia intellectiuum sine sensitiuo ad nil indiget corpore; nec ab illo, vt sic, dimanant nisi potentiæ, & operationes spirituales: ergo anima secūdum vltimum gradum non est forma corporis.

Bene respondent PP. Carmelitani a n.57. vsque ad 60. primo negādo maiorem, quia non à sola ratione differentiali, cum præcisione sumpta, sed à forma physice sūpta vt dat speciē, prouenit actuare corpus: sicut homo non est rationalis, nisi supponendo, quod sit animal, nempe viuens sensibile: sic ad speciem animæ rationalis spectat, tam quam ratio eius superior, esse sensitiuam vt *quo*, & ad speciem sensitiuæ esse vegetatiuam. Et specialiter quia diximus q.6. animam rationalem eminenter formaliter reliquos gradus continere.

Secundo respondent quod data maiori, minor est falsa, propter secundam rationem conclusionis, quia ab anima vt rationali dimanat posse intelligere depēdenter à phātasmatibus, & posse ridere, & flere, quæ solū medio corpore possunt fieri.

30 Vltimo arguitur: si anima rationalis, vt rationalis, esset forma

corpo-

corporis sequeretur, quod dum est in corpore, non subsisteret *vt quod*, sed solũ *vt quo*: sed hoc est falsum: ergo anima inquantum rationalis non est forma corporis. Maior videtur nota, quia forma informans, & actuans, non existit *vt quod*, sed solum *vt quo*, sicut inductione constat in omni alia forma, tam substãriali, quam accidentali. Minor verò probatur primo, quia id quod creatur *vt quod*, habet esse subsistẽs *vt quod*, quia creatio est subsistentium, vt docet S. Tho. 1. p. q. 45. artic. 4. Sed anima rationalis verè creatur à Deo, vt docet S. Tho. 1. p. q. 118. art. 2. ergo verè subsistit *vt quod*. Secundo, vt arguit S. Tho. 1. p. q. 75. art. 2. Nihil potest perse operari, nisi quod perse subsistit: vnde eo modo aliquid operatur, quo est. Sed anima perse operatur sine corpore, ad differentiam aliarum formarum: ergo perse subsistit vt quod.

31 Circa difficultatem, quæ tangitur in hoc argumento, videntur variè opinari Thomistæ. Nam Caietan. 1. p. q. 76. art. 1. circa ad 5. & q. 90. art. 2. docet animam subsistere, nõ solum vt *quo*, quia est forma corporis; sed etiam vt *quod*, quia adhuc vnita est independẽs, & perse operans. ¶ At verò Ferrara 2. Contrag. c. 68. & Bañez. 1. p. q. 76. art. 1. dub. 4. post 2. concl. negant animam subsistere tamquam *quod*: nã anima intellectiua eo quod est vnita corpori tanquam forma propria hominis, habet subsistentiam vt *quo*, & non vt *quod*. Secus verò, quando est in statu separationis.

32 Distinctione tamen adhibita rem componit Ioan. à S. Thom. hic. q. 9. art. 2. ad 2. dicẽs, quod subsistentia importat duo: primum est esse perse, vt opponitur modo inhærentiæ: secundo vt opponitur omni communicabilitati in alio. Anima ergo dũ est in corpore, habet esse subsistens priori modo in actu, & secundo modo in aptitudine: & sic docet S. Tho. in 4. ad Anib. dist. 12. art. 1. ad 3. quod animę quandiu est in corpore, conuenit subsistere aptitudine, non actu. Sẽper tamen habet esse independẽs, etiam cum actu est forma corporis. Et sic omnia consona inueniũtur, nisi de vocibus mouéatur dubitatio.

## QVAESTIO VIII.

*Quæ partes informẽtur anima?*

1 CErtum est omnes partes viuentium, quæ experimur ab intrinseco se mouere, verè viuere, quia ista operatione vita exercetur, & manifestatur. Vnde in plantis viuunt omnes partes, quæ per intus sumptionem augẽtur, & nutriuntur. Et animaliũ ossa, & nerui ad minus viuunt vita sensitiua ratione eadem. Immò, & vita sensitiua negari nequit carni, & neruis, quia in eis experimur dolorem. Et eadem ratione ab aliquibus vita sensitiua tribuitur ossibus, quæ dolore solent premi. Quamuis carni, & neruis immediatis alij melius sẽsum tribuant, & non ossibus, vt expressè docet S. Thom. in 4. dist. 44.

q. 1.

quæst. 1. artic. 2. quæstiunc. 2. ad tertium, negans ossa participare sensum.

2 Certum est secundo, in corpore humano quatuor reperiri humores: vt etiam docent Theologi cū Diuo Thoma 3. p. quæst. 54. ar. 2. & in 4. dist. 44. q. 1. art. 2. nempe sanguinem; pituitam, seu phlegmam; flauam bilem, seu coleram; & melancoliam, seu atrambilem. *Quibus quatuor humoribus naturam carnis temperari, etiam Medicinæ disciplina refert*, vt inquit Sanctus Augustinus Epistola 146. non longe à principio. In piscibus autem, & plātis, nō isti, sed alij similes humores correspondent. Quia tamē ratio eadem, quo ad hoc, est de alijs humoribꝰ, ac de sanguine, qui inter humores est nobilior: ideò de sanguine specialiter inquiretur.

## §. I.

### *An sanguis informetur anima totius?*

3 SVnt in hoc puncto tres opiniones. Quidam absolutè negant sanguinem viuere, seu animari anima totius animalis. Ita Scotus in 4. dist. 10. quæst. 1. art. 1. Durandus in 4. dist. 44. quæst. 2. ad 2. Abulensis Paradoxa 2. quæst. 40. Suarez 1. tomo 3. p. disp. 16. sec. 6. Vazquez ibi disp. 36. cap. 4. Conimbric. 1. de Generatione cap. 4. quæst. 24. ar. 2. Rubio ibi tract. de Augment. quæst. 5. & hic tract. de informat. animæ q. 8. & alij Moderni. Ex Thomistis docuerunt Paludanus in 4. dist. 44. q. 1. art. 2. n. 28. Capreol. dist. 10. q. 2. art. 3. ad 4. Scoti contra 1. Soto q. 1. art. 1. in medio, & alij.

4 Per aliud extremum alij opinantur totum sanguinem anima totius viuificari. Pro qua referuntur à Rubio vbi supra; Conradus, Hispalēsis, & Medina, Astudillo, & Toletus. Sed primi reuera vltimā amplectuntur sententiam. Toletus verò quæst. 4. post tertiam conclusionē, potius amplectitur primam opinionem; licet hanc dicat *non carere aliqua probabilitate*. Ex professo eā docent Hurtadus Mendoça disp. 1. sect. 9. subsect. 2. & alij.

5 Distinguunt multi ex Thomistis, quod sanguis alius est perfectꝰ, pertinēs ad integritatem animalis; alius imperfectꝰ, seu humor sanguineus, qui dicitur sanguis nutrimentalis. Primum dicunt informari anima totius; secundum verò alia inferiori forma. Ita Caietanus 3. p. q. 54. art. 2. circa finē. Syluester in Rosa aurea tractat. 3. q. 32. & 33. Medina 3. p. q. 3. art. 2. ibi Nazar. controu. vnica 1. p. Aluarez ibidem disput. 28. Cipullus. & alij. Bañez 1. de Gener. cap. 4. q. 8. art. 5. PP. Carmelitani disp. 6. de Anima q. 1. & alij ex Thomistis. Quæ sententia est reliquis probabilior. Et ideo pro eius expositione.

6 Dico primo, admittenda est distinctio duplicis sanguinis, nempe sanguinis perfectè decocti, qui est de integritate animalis, & sanguinis nutrimentalis, qui potius est humor sanguineus, adhuc non perfectè sanguinis naturam participans.

Colligitur ex D. Thoma Quodlibeto 5. art. 5. sic dicente. Quamuis circa ea quæ sunt de veritate humanę naturæ, sit diuersorum opinio, *secũdum quamlibet opinionem non totus sanguis nutrimentalis, ideſt, qui ex cibis generatur, pertinet ad veritatẽ humanæ naturæ.* Ergo distinguit Sanctus Thomas aliquem sanguinem nutrimentalem, & aliquem, qui sit de integritate humanæ naturæ.

7 Rursum Phylosophus 3. de histor. anim. cap. 19. docet ex naturali causa sanguinem posse exsudari. Et tertio de partibus animaliũ narrat contigisse quibusdam propter laxũ, fluxumque corpus. Quæ de humore sanguineo, & non de sanguine perfecto verificantur.

8 Ratione arguit Nazarius: nam cibus virtute caloris naturalis alteratus mutatur in sanguinem: sed sanguis formam, & speciem non habet, antequam recipiatur in Epate, vel in lecure, secundum Medicos, vel in Corde, secundum Aristotelem. Tunc autem, vel proximè ante, materia illa, in perfectum sanguinem transmutanda; in colore, & in alijs accidentibus magnam habet cum perfecto sanguine affinitatem: ergo bene potest hic humor appellari sãguis nutrimẽtalis, quia est proximè in sanguinem perfectũ conuertendus.

9 Deinde, vt bene aduertunt Patres Carmel. n. 7. licut ad hoc, quod denuo animal generetur, debet prius materia pluribus formis eam veluti disponentibus actuari: quod prouenit, quia ad formam perfectã animalis non nisi gradatim peruenitur, vt ex Diuo Thoma diximus secundo de Generatione quæstione quinta nu. 7. & 8. Ita ad hoc vt cibus in sanguinem conuertatur, priꝰ conuertitur in formam chili, & postea in sanguinem nutrimentalẽ, & non perfectè decoctum, & postea in perfectum sanguinem. Vnde sanguis de vtroque analogicè dicitur. Et virtus caloris naturalis omnes has transmutationes valet facere, sicut valet cibum in carnem cõuertere.

10 Sed obijcies cum Suarez: nam totus sanguis animalis est cõtinuꝰ, vt in sanguine è vena effuſo ad sensum patet: sed quæ sunt diuersarũ specierum non possunt continuari ad inuicem, vt docent Phylosoph. & S. Tho. 5. Physicorum lec. 7. litt. a. Ergo totus sanguis humanus erit eiusdem speciei, & solum accidentali perfectione distinguẽtur penes maiorem, vel minorem decoctionem.

Respondetur, quod è vena scissa, non solum sanguis, sed alij tres humores exeunt, vt ad sensum appareat, cum sanguis congelatur, & alij humores ab illo diuiduntur. Vnde à principio solum erat contiguus cum illis; & non cõtinuus, nisi quo ad apparientiam, vt in simili diximus lib. 1. de Generat. q. 32. num. 25. Pariter ergo sanguis calore concoctus, & participans perfecte speciem sanguinis; & sãguis crudꝰ, & solum analogicè, & secundum quid habens rationem sanguinis, sicut in corpore non continuantur, sed

sed continguantur: ita cum extra corpus exeunt. Quamuis regulariter sanguis, qui emittitur à vena rupta, sāguis perfect⁹ sit: licet in infirmis prodeat humor sanguineus, & aqueus.

11 Dico secūdo, indubitatū est perfectum sanguinem esse partem integrantem naturam humanam. Neminem ex relatis pro tribus sententijs, arbitror ab ista conclusione recedere: vnde non bene aliqui Authores nostræ, hanc conclusionem probando arbitrantur vltimam sē tentiam esse confirmatam. Quamuis ex ista ad tertiam conclusionē, probabile deducatur argumentum, vt ibi videbitur.

Hæc est expressa Phylosophi 1. de historia animalium capite primo, vbi ait. *Partes autem animalium similares, aut molles sunt, & humidæ: aut siccæ, & solidæ. Molles, vt sanguis.* Idēque asserit libro tertio de sanguine differens.

12 Estque expressa Sancti Thomæ tertia parte quæstione 44. articulo secundo ad tertium, & quæstione 54. articulo secundo, & quæstione 76. articulo primo ad secundū, & in quarto distinct. 44. quæst. 1. articulo secundo quæstione tertia ad secūdū, & tertiū, inquit. *Sicut sunt elementa in via generationis respectu corporum mistorum, quia sunt eorum materia; non autem, ita quod semper sint in transeundo in corpore misto, ita etiam humores se habent ad membra. Et propter hoc, sicut elementa in partibus vniuersi habent formas determinatas, ratione quarum sunt in perfectione vniuersi, sicut corpora mista. Ita, & humores sunt in perfectione corporis humani, sicut & aliæ partes; quamuis non perueniant ad totam perfectionem sicut aliæ partes; &c.* Quasi dicat, quod sicut elementa in mūdo suntactu partes vniuersi, & simul sunt partes in potentia; quia sunt materia transiēs in mista, quia ista componuntur ex elementis, iuxta dicta primo de Generatione quęstione 31. & 33. Ita humores habent duplicem habitudinem, seu proportionem ad corpus animalis; alterum quidem partis integrātis totum, imperfecte in suo ordine: alteram vero materiæ transeuntis in alias partes perfectiores, quia ex humoribus generatur caro, & nerui, & ossa, quæ sunt perfectiores partes animalis. Et iuxta hoc intelligitur, quod Sanctus Thomas inquit tertia parte quæstione. 31. articul. 5. ad primum, quod *sanguis non est actu pars, sed potentia tantum*: nā est potentia caro. Et similiter 1. p. quæst. 119. artic. 1. ad tertium, ait, quod *humidum nutrimentale nondum peruenit ad suscipiendam perfecte naturam speciei, sed est in via ad hoc, sicut sanguis.* Vbi notat Caietanus, non negare Sanctum Thomam esse partes participantes rationem partium integrantium: sed negat esse partes perfectas, sicut membra, caro, & nerui.

13 Ratio physica sumitur ab experientia; non enim minus experimur esse de integritate animalis sanguinem, & hanc requiri ad eius cōsistentiam, quam requirantur aliæ partes organicæ: ergo sicut aliæ dicuntur integrare animal, ita sanguis, & reliqui humores. Et sicut

moritur animal defectu aliarũ partium, vel mala earum affectione, & dispositione; multo magis extractione, vel corruptione sanguinis. Denique non minus requiritur sanguis ad operationes humanas exercendas, ac aliæ partes exigantur.

Præterquamquod homo componitur ex quatuor humoribus, sicut mundus ex quatuor elemẽtis: ergo sicut elemẽta illo duplici modo explicato sunt partes vniuersi, ita humores sunt de integritate humanæ naturæ.

14 Theologicæ rationes plures facile occurrent. In primis, quia in Christo Domino, & in alijs beatis post resurrectionem erit verus sanguis, & alij humores, vt cum Diuo Augustino epist.146. communiter docent Theologi 3.part.quæst.54. & in quarto dist.44. Et tamen non in nutrimentum vitæ vegetatiuæ, quæ in Patria exercitium non habebit, iuxta illud primæ ad Corint. 15. *Seminatur corpus animale, resurget autem spirituale.* Ergo hoc erit, quia humores sunt de integritate humanæ naturæ.

15 Secundo, quia Concilium Tridentinum sess.13.cap.3.docet, Sanguinem Christi Domini esse sub speciebus panis, ex vi illius connexionis, *qua partes corporis inter se copulantur.* Ergo supponit sanguinem esse partem corporis humani. Idem supponit Innocentius Tertius in quadam extrauaganti de *Celebratione Missarum*, hac ratione probans de latere Christi Domini sanguinẽ, & aquam exisse, vt esset signum habere quatuor humores, qui sunt de integritate humani corporis, quale verbum assumpsit. Similiter Caius Papa in Decretali ad Felicem, sic arguit. *Si Christus veras partes naturæ humanæ non assumpsit, quo sanguine redempti essemus?* Inter partes ergo naturæ humanæ sanguis numeratur.

16 Ex quo aliud sumitur procõclusione argumentum: nam Verbum diuinum immediatè sanguinem assumpsit. Quod *esse dogma fidei certissimum*, asserunt Nazarius 3. part.quæst.5.artic.2.Controuersia vnica conclusione tertia. Araujo ibi dub.2.Alij pronuntiant ita certum *vt contrarium non possit sine errore defendi.* Sic docent Suarez ibi disputatione 15. sectione 6. Cabrera disputatione 1.concl.1. Aluarez disputatione 28.& in isto sensu ad litteram exponunt Patres illa verba Apostoli ad Hebræos 2. secundo: *quia ergo pueri communicauerunt carni, & sanguini: & ipse similiter participauit eidem.* Sed Verbum diuinum solum assumpsit partes humanæ naturæ: ergo sanguis est pars integralis humanæ naturæ. Indicatur hæc ratio à Diuo Cyrillo epist.8.ad Nestoriũ circa finem, asserente, quod *cum dicitur*, Ioann.1. *Verbum caro factum est, nihil aliud est, quam quod in carne, & sanguine, nobiscum communicauerit.* Quod refertur in Concilio Calcedon.act. 1.pag.33.ad finem. Et homil.5.eiusdem, quæ approbata est in Concilio Ephesino, & Epistola 29. Quare nullum Theologum video de ista conclusione dubitare.

17 Dico tertiò, probabilius est perfectum sanguinem anima totiõ-

informari; secus verò dicēdum de sanguine purè nutrimentali, seu humore sanguinis speciem non participante. Sic conclusionem propono, quia nullum euidens argumentum pro ea reperio. Vnde excesserunt, qui cōfundunt certitudinem præcedentis conclusionis, quasi sit eadem, & præsentis. Quos falli cōstat, quia de illa nemo dubitat: & hanc multi, etiam ex Thomistis, negant, vt vidimus. n. 3.

18 Secunda pars sequitur ex prima cōclusione, in qua diximus sanguinem illum analogicè dici sanguinem, quia non est plenè decoctus, sed crudus: sed nullus humor de nouo ab animali acquisitus potest informari ab anima, nisi media nutritione in se conuertat: nutritio verò nō nisi media perfecta cōcoctione alimenti, introducit formā aliti in illud. Ergo sanguinis purè nutrimentalis non informatur forma totius compositi in quo est; sed alia inferiori forma substantiali.

19 Prior pars, de qua præcipuè est quæstio, sumitur ex D. Thoma in 4. dist. 44. q. 1. art. 2. quæstiuncula 3. ad 3. vbi ait: *Etiam humores aliquo modo perficiuntur ab anima rationali, non tamen eodem modo, sicut partes perfectiores.* Et in 2. distinct. 30. quæst. 2. art. 2. ad 2. dicit: *Sanguis enim aliquo modo dicitur de substantia generantis.* Ideò addit S. Thomas vtrobique illam dictionem limitatiuam *aliquo modo*, quia anima nō præstat humoribus gradum vitæ rationalis, & sensitiuę; sed solum gradum corporis vegetatiui; vt de dentibus, & alijs huiusmodi partibus dici solet: & ideò non negat ab anima informari; sed solum aduertit non informari eodē modo, sicut partes perfectiores.

20 Planè fauet Philosophus libro. 3. de Historia animalium cap. 19. dum ait. *Palpitat intra venas sanguis animalium omnium, pulsuque simul vndique mouetur, solusque omnium humorum sparsus per totum corpus animalium est; & semper, quandiu vita seruatur, sanguis vnus animatur, & feruet.* Ibidemque docet, quod *nutritur, & augetur*: quæ sunt propria animatorum.

21 Iuxta hanc etiam sententiam melius verificantur illa verba Leuitici 17. *Anima carnis in sanguine est*: accedente explicatione S. Augustini quæstione 57. in Leuiticum, dicētis, *aliquid vitale est in sanguine, quia per ipsum maximè in hac carne viuit: ipsam vitam corporis vocauit animam.*

22 Duæ rationes in authoritatibus adductis indicantur. Prima, nā ex vi apprehensionis, & appetitus animalis, perse loquendo, solum mouētur ea quæ eadem forma substantiali informantur: vt inductione patet: & prouenit ex naturali colligatione partium sub eadem forma. Sed sanguis in animali habet diuersos motus prouenientes à diuersis apprehensionibus; vt experientia est compertum: in erubescentibus sanguis ascendit ad faciem; in timentibus, & aliquibus iracūdis accedit ad cor: in gaudētibus diffunditur per totum corpus: ergo sanguis informatur anima totius.

23 Confirmatur: nam organa, & instrumenta interna data animali ad proprias vitales operationes exercendas, anima totius informantur, vt inductione in alijs partibus apparet. Sed sanguis est mediū ad operationes vitales, & est vehiculum caloris naturalis: ergo informatur anima totius.

24 Cōfirmatur secūdo, id quod ab intrinseco nutritur, & augetur, animatur anima vegetabili: sed experimur nutriri sanguinē, imo non nutritur animal cibo, nisi sanguis nutriatur: experimur item sanguinem crescere: ergo anima viuentis informatur.

25 Dices, sanguinem non augeri more viuentium: hæc enim nutriuntur per intus sumptionem attrahendo alimentum per venas, & poros: sanguis vero, nec habet venas, neque poros: imo neque ipse auget per propriam actionem; sed id præstat hepar. Ergo non informatur anima.

Respōdetur, quod vt docet Philosoph⁹ 1. de Gener. textu 35. mēbra disimilium partium augētur, auctis membris partium similium, vt explicuimus ibi q. 20. vnde aucto sanguine, & attracto per venas, & poros, totum animal augetur. Sicut ergo hepar, & venæ, & pori viuunt, & animantur; quamuis nō habeāt alias venas; & alios poros, & aliud hepar, in quibus alimentū suscipiatur, quia sibi, & toti alimētum suscipiunt: ita sanguis dicitur vere augeri, quia sibi, & toti incrementum suscipit.

26 Instabis: nam alimētum, antequam in substantiam aliti conuertatur, non informatur forma ipsius viuentis aliti, vt diximus 1. de Gener. q. 18. & 19. vtrobique num. 9. sed sanguis est alimētum animalis, vt docet Phylosophus 8. de partibus anim. cap. 5. & defectu sanguinis ab alimento externo producti, pituita, vel alius humor crasior solet peraccidēs supplere vicem alimenti, vt nos admisimus 1. de Generat. q. 22. n. 7. & optime docet Beatus Albertus Magnus. 2. de Anima tract. 1. cap. 2. cuius verba refert Iauellus, & sequitur 2. de Anima q. 4. ergo sanguis non informatur forma viuentis.

Respondetur primo, concedo maiorem, & distinguo minorē, & concedo de sanguine crudo, & nō plene decocto, qualis est sanguis nutrimentalis: nego vero de sanguine naturali plene decocto, quia iste non est purum alimentum, sed pars viuentis iam nutriti per hoc, quod cibus in sanguinem est conuersus.

27 Secundo respondetur concedendo maiorem, & minorem: & distinguo consequens: ergo non informatur forma viuentis perfecte, & secūdum vltimum gradum formæ, concedo: non informatur imperfecte secundum gradum vitæ vegetatiuæ, nego consequentiā, iuxta ea quæ ex D. Thoma diximus n. 12. & 19. & tūc solum est mutatio substantialis ab imperfecta participatione formæ ad perfectam participationē eiusdem formæ secundum alium gradum. Quāuis omnes mutationes computando

do, plures formæ deperdantur, & acquirantur.

28 Altera ratio conclusionis est: quia sanguis est pars integralis naturæ humanæ: ergo informatur anima hominis. Probatur consequētia, quia omnes partes hominis anima informantur, cum in vno homine vna tantum sit forma substantialis, iuxta dicta 1. de Generat. q. 12. ex D. Thoma 1. p. q. 76. art. 4. & 5.

Respondent, quod partes primariæ, & solidæ bene possūt informari anima; secus vero partes secundariæ, & fluidæ; quia istæ non possunt cum solidis continuari. Vnde potius contra nos retorquetur argumentum, quia Philosophus 2. de partibus animalium cap. 3. in fine inquit: *non enim sanguis continuus carni, neque cognatus est; sed in corde ac venis quasi in vase cōtinetur.* Quæ autē discontinua sunt, non possunt vna numero forma informari: immo nec possunt esse vnum numero.

29 Sed contra hoc est, quod anima est formarum omnium perfectissima; ergo quamuis requirat diuersitatem partium, tamen omnes adunabit vt integretur vnū totum perse ex eis coalescens: quod esse nō posset, nisi omnes vna forma informentur. Secundo non obstante, quod sanguis sit fluidus, est vera pars eiusdem corporis, quod alias partes habet solidas: ergo eadem forma physica informabitur. Patet consequētia, nam in ente substantiali perse vno, omnes partes materialiter integrātes totum, vnica totius forma informantur, vt inductione constat, ad differentiam entium artificialium, & entiū peraccidens.

30 Ad authoritatem Philosophi bene respondet Bañez illo artic. 5. ad 1. quod vel loquitur de sāguine nutrimētali, & impuro. Vel intelligit non continuari immediate per seipsum; continuatur tamen per fibras, & venas, & quoad hoc verificatur illa loquutio: sicut medullarum locus sunt ossa, in quibus continentur vt in vase & tamē secundum esse vegetatiuum informātur ab anima. Pro quo aduertit, quod sanguis habet quasdam partes crassiores, quas Medici fibras vocant, & sanguis cum illis continuatur, illę vero venis: & sic sāguis continuatur toti corpori. Quod manifeste apparet in sanguine taurorum, & asinorum (quorum sanguis, secundum Philosophum vbi supra, spissior est, & crassior.) Idē contingit in homine; licet non ita ad sensum appareat, quia sanguis illius omnium est purissimus. Vnde quoad apparientiam difficile iudicatur continuari propter maximā fluxibilitatem.

## §. II.

### *De semine, & lacte.*

31 MVlti arbitrantur semen nō viuere. Ita PP. Carmelitani disp. 6. q. 2. n. 28 dicentes *esse communem Philosophorum.* Idem sequuntur Arriaga, Hurtadus, & alij. Probant ex Philosopho 2 de Gener. animalium cap. 3. ante finem, de se

mine, asserente: *nam illud quoque excrementum est, habetque omnes partes potentia, actu nullam.* Cum ergo non sit pars hominis, non habet vitam. Similiter S. Thomas q.3.de Potentia art.9.ad 9.ait; *quod in semine à principio suæ decisionis non est anima, sed virtus animæ*, & latius toto art.12. Quod & probat 1.p.quæst. 119. articulo 2. ¶ Rursum in 4.dist. 44. quæstione 1.articul.2.quęstiunc. 3.docet, quod lac & semen non resurgent in hominibus.

32 In quibus rationes duæ indicantur, quia semen non est pars hominis. Vnde pueri non censentur minus integri, & imperfecti, ex eo quod non habeāt semen. ¶ Secūdo, quia ea solum quæ pertinēt ad integritatē indiuidui, in quo sunt, informantur eadem numero anima. Semen autem, & lac non pertinēt ad integritatē proprij indiuidui, sed ad conseruationem speciei in alio indiuiduo: ergo semen, & lac nō informantur anima viuentis.

33 Sed cōsequenter ad supra dicta, asserendum est, semen, & lac, quandiu sunt intra animal, viuere illius vita vegetatiua. Ita Magister Ioan. à S. Thomas q.8.de Generat. art.3. Manifesteque sumitur ex D. Thoma in secundo distinc.30.q.2. art.2.ad 2.dicente, quod *sanguis aliquo modo dicitur esse de substantia generātis; & multo amplius semen, quod est ad vlteriorem digestionem perductum.*

34 Indeque probatur primo: nā semen, & lac magis sunt elaborata calore viuentis, quam sanguis, & alij humores: sed sanguis informatur anima vegetatiua: ergo, & semen, & lac. ¶ Secundo idem cōstat, quia habent accidentia vitæ; si quidem nutriuntur, atque augentur; participantque calorem vitalem; mediaque vitali actione decidūntur.

35 Tertio, alioquin non verificaretur filium gigni de substantia patris, si semen nō est de substātia ei⁹: nam *generatio*, vt dicit S. Damascenus lib.1.fidei cap.8. *est opus naturæ, ex substantia generantis producens, quod generatur.* Denique, in semine arborū experimur augeri, & nutriri eo modo quo aliæ partes ipsius. Si autem rationes oppositæ efficaces essent, eque militarēt in semine arborum, ac in semine animalium.

36 Argumenta contraria probāt semen, & lac non informari anima prout confert gradum sensitiuum, & multo minus vt confert gradum rationalē. Imo nec anima in ea perfectione qua informantur ossa, & alia membra solida: nam respectu istorum est in potentia: quia videlicet vt ait S. Thomas q.3.de Potentia art.12. ex Philosopho *semē fuit superfluum vltimæ digestionis, quod nondum erat vltima assimilatione assimilatum.* Similiter sunt in potentia ad animam in ea perfectione qua erit in genito medio ipso semine, vel nutrito ipso lacte. Et quia in gloria non erit status generationis, & nutrimenti; ideo ibi non erunt.

37 Pueri autem non habent totam perfectionem debitam naturæ in statu potētis generare sibi simile. Nec est per quid probetur, quod ea quæ prouidit natura, vt vnum

indiuiduum

individuum aliud generare possit, nō informentur eadem anima: alioquin genitalia membra generationi deseruientia anima non informabuntur: quod est aperte falsum.

## §. III.

### *De capillis, & vnguibus.*

38 MEdicorum multi negant capillos, & vngues viuere. Ita Fernelius lib. 2. Physiologiæ c. 2. Thomas de Garuo lib. 1. tract. 4. q. 53. Peramatus de hominis pro creatione cap. 8. sequitur Toletus 2. de Anima q. 4. conc. 3. & alij Moderni. Et quantum ad capillos idē docuit Valles lib. 2. cōtrou. Med. cap. 5. quamuis vnguibus non solū concedat propriam nutritionem, sed etiam sensum tactus.

39 Id in quo conueniunt, probant, quia ista non sunt partes, sed solum ornamenta animalium facta excrementis ciborum. Et quia non nisi per additionem ab extrinseco augentur. Specialiter augmētum capillorum maximum esse solet: sunt enim aliqui equi, qui crinibus solum verere possunt: quod signum est nullum habere determinatum terminū magnitudinis. Denique, quia non augentur versus omnem differentiam loci; sed versus vnam tantum prorrahuntur.

40 Dicendum tamen est, capillos, & vngues viuere, & informari anima vegetatiua, seu secundum istum gradum. Ita Sanctus Thomas in quarto distinctione 44. quæstione prima articulo secūdo quæstiūcula secunda: *Ad tertium dicendum, quod capilli, & vngues nutriuntur, & augentur: & sic patet, quod aliqua operatione participant: quod non posset esse, nisi essent partes aliquo modo ab anima perfectæ. Et quia in homine non est nisi vna anima. s. rationalis, cōstat, quod ab anima rationali perfecta sunt. Quamuis non vsque ad hoc, quod operationi sensus particípent, sicut nec ossa: de quibus cōstat, quod resurgent, & non sunt de integritate individui.* Hæc Sanctus Thomas: quem omnes Thomistæ sequuntur, vt testantur Patres Carmelitani hic disputatione 6. quæstione 2. §. 2. cum Magistro Bañez primo de Generatione capite. 4. quæstione octaua articulo quinto conclusione tertia. Et melius id prosequitur prima parte quæstione 76. articulo octauo dubio tertio, citans Beatum Albertum Magnum in quarto distinctione 44. articulo 10. Sanctum Bonauenturā ibi articulo primo quæstione prima. Immo Sanctum Augustinum libro de Vera Religione cap. 55. & Sanctum Gregorium Nissenum hom. 15. in Cantica Philos. 3. de historia Animalium cap. 11. & 12. Sequuntur ex Recentioribus late Rub. hic q. 9. Hurt. & Arriag. sec. 9. subsec. 3. cocl. 3. & 4. Quāuis iste nitatur quibusdā experientijs, quas ad rem conuincendam parum esse aptas, alij contendunt, an vere? nō vacat examinare.

41 Melius probatur rationibus S. Thomæ. Prima, quia omnes partes, quæ sunt de integritate, & perfectione humani corporis, siue primaria, siue secundaria, informātur eadem anima, vt dictū est: sed vngues, & capilli, vt probat S. Thomas in corpore illius quæstiūculæ, sunt

sunt partes secundariæ hominis ad conseruationem aliarum, *sicut folia ad cooperimentum fructuũ*. Ergo informantur eadem anima animalis, sicut folia informantur anima arboris, & plumæ informantur anima auium.

42 Secunda, quia conspicimus nutriri, & augeri. Esse autem nutritionem viuentium propriam, colligitur ex fibris, seu venulis, per quas cum carnibus continuantur, & alimentum sugunt. Imo Philosophus libro 3. de historia animalium cap. 12. docet vngues aliquando ad tantam duritiem peruenire, vt nil differant ab ossibus: quæ constat anima informari.

Denique, quia cõmuniter admittitur dentes anima viuentis informari, quia conspicimus nutriri, & augeri, & neruos, siue venullas habere, quibus alimentum attrahunt, & alijs partibus continuantur: vnde non sine magno dolore extrahuntur. Sed totum hoc magna ex parte, in vnguibus procedit: ergo anima totius informantur.

43 Ad primam probationem in contrarium, negatur antecedens: nam sunt partes secundariæ: *sicut enim ars militaris vtitur gladio ad bellum, & vagina ad gladij cõseruationem: ita etiam in partibus corporis animati*, inquit S. Thomas vbi supra, *quædam partes sunt ad conseruationem aliarũ partium; sicut folia sunt ad cooperimentũ fructuum; ita etiam capilli, & vngues sunt in homine ad custodiam aliarum partiũ: vnde sunt de secunda perfectione corporis humani, quamuis non de prima.*

44 Ad secundã negatur antecedens iuxta dicta in secunda ratione. Ad tertiam quod arbores, & vites conspicimus miræ extensionis, & tamen terminum habent magnitudinis, & informãtur anima viuẽti: ita, & de capillis, & vnguibus asserendum est. Præcipue, quia non requiritur, quod ex omni parte continuẽtur vt eadem anima informentur, vt in pedibus, & brachijs apparet.

45 Ad vltimum dicitur, nõ esse necessarium vt eodem prorsus modo omnes partes animalis augeantur, sed id contingit iuxta finẽ a natura intẽtũ, & ex varia materiæ dispositione: vt in dẽtib⁹, & plumis, & alijs partibus valet explicari: quas constat anima informari: & nõ crescere sicut carnem, & ossa. Aliæ duę solutiones videri possunt in M. Bañez illo dub. 3. ad 2.

## QVAESTIO IX.

### *Vtrum omnes animæ sint indiuisibiles?*

### §. I.

### *De anima rationali.*

1 A Certioribus incipiendo, tractamus primo de nostra anima rationali. De qua Cleantes, & Chrisippus relati à S. Gregorio Nisseno lib. 2. de Anima capit. 2. dixerunt animam humanam esse corpoream, & diuisibilem. Et Tertulian⁹ de Anima cap. 6. & sequentibus, cũ animam, quamuis immortalẽ, existimauerit esse vere, & proprie corpoream, vt referunt S. Augustinus hæresi

hæresi 86. & Epist. 157. & S. Isidor⁹ lib. 8. Originum cap. 5. consequenter fatetur eam esse diuisibilem. Pō ponatius vero lib. 1. de Nutritione cap. 11. putat secundum Phylosophiam animam omnem diuisibilē esse; solaque fide tenet rationalem esse indiuisibilem.

2 Arriaga vero hic disp. 1. sect. 4. subsectione 8. n. 139. inquit. Ego dicerem, nec ex fide posse eam veritatē suaderi: licet enim fide teneatur animam esse spiritualem, & immortalem, capacemque visionis Dei. Hæc tamen omnia recte possunt saluari, etiam si cōster partib⁹: quia potest esse aliqua substātia spiritualis cōstans partibus: & expresse nullibi definitur partib⁹ carere. Cum autem per totam subsectionem, etiam rationes omnes, vt inefficaces reliquerit, valde videtur in negatiuā sententiam inclinare. Licet dissimulet: & absque probatione velit conclusione tertia, auctoritate Phylosophorum communi, reddi certam indiuisibilitatem animæ rationalis. Cum tamen ipse sæpissime contra communes sentētias glorietur se euidentiam habere.

3 Dico ergo primo, anima rationalis est indiuisibilis, partibus integralib⁹ carēs: vnde est tota in toto, & tota in qualibet parte. Hāc cōclusionem esse *certam secūdum fidem*, docet Durādus in 1. dist. 8. q. 3. asserēs eadem fide qua credimus animam esse immortalē, & spiritualem, credendum esse indiuisibilem. Idē docet Ioan. à S. Thoma, si coniungantur, quæ dicit q. 2. artic. 1. in principio, cum his quæ docet q. 9. art. 2. §. *at vero*. Suarez vero libr. 1. de Anima cap. 13. n. 1. docet, quod si nō est de fide, est tamen *fidei proxima*, quia fere euidenter sequitur, ex definitionibus fidei: si enim est omnino spiritualis, debet esse indiuisibilis. Bañ. 1. p. q. 76. a. 8. dub. 1. expresso disputans qua certitudine sit tenenda hęc cōclusio? Dicit, quod est ita certa, quod *oppositū sit erroneū*: quamuis quoad secūdam partem, solum habeat (iuxta aliquos Thomistas) talem certitudinem, vt oppositum sit *maxime temerarium*.

4 Bene etiam probat Bañez, & post eū Suarez, rem hanc ad fidem mediate, vel immediate attinere, quia vt fidei proxima traditur à Sāctis Patribus, scilicet à D. Augustino Epis. 22. & 28. ad Hieronimum. Et contra Epistolam fundamēti c. 16. & 19. & lib. 6. de Trin. cap. 6. & libro 10. c. 7. & de immortalitate animæ cap. 17. S. Ambrosio de cōditione dignitatis humanæ cap. 2. S. Greg. hom. 17. in Ezequielem. S. Damasceno 1. de fide ort. cap. 17. Sub terminis autem, quibus nos loquimur, traditur à S. Augustino 6. de Trin. à D. Tho n. 1. p. q. 76. art. 8. & 2. Contra g. cap. 72. & in 1. dist. 8. q. 5. art. 3. & ab vniuersis Doctorib⁹ scholasticis eisdem locis. Quapropter non potest tuto sine fidei periculo tota hæc conclusio negari; quia per bonam consequentiam deducitur ex his, quæ in Concilijs definita sunt, & à Patribus vt fidei Doctrina tradita.

5 Probatur ergo ratione S. Thomæ, quia anima est spiritualis: ergo totalitas.

totalitas quantitatiua non potest attribui animæ, nec per se, nec per accidens: ergo est indiuisibilis: & tota in toto, & tota in qualibet parte; secundum totalitatem perfectionis, & essentiæ; non autem secundum totalitatem virtutis. Cōsequentiæ patent, quia diuisio in partes integrantes non conuenit proxime nisi ratione quātitatis; & radicaliter ratione materiæ, vel substantiæ corporeæ. Antecedens vero primum, sumitur ex Sacra Scriptura, in qua frequenter anima humana vocatur *Spiritus*, vt Matthęi 27. *emisit spiritum*. Ioan. 19. *tradidit spiritum*. Et 1. ad Corint. 2. *Spiritus hominis, qui in ipso est*: & alibi sæpe. Et in Cōcil. Lateranensi sub Innocentio 3. & habetur in cap. *firmiter*, de summa Trinitate, definitur Deum sua omnipotenti virtute de nihilo condidisse creaturam *humanam quasi communem ex spiritu, & corpore cōstantem*. Et ex contextu constat loqui de spiritu proprie, & in rigore vt distinguitur contra corpus, & corporeum in sua entitate. Et in Concil. Lateranēsi sub Leone 10. sess. 8. idem habetur.

6 Dices, cum Deus posśit producere substantiam spiritualem partibus constantem, non bene infertur, ex eo quod anima sit spiritualis, quod careat partibus.

Retorqueo argumentum, quia ostendimus q. 2. n. 28. in terminis implicare substantiam spiritualem partibus constantem integralibus: ergo bene demonstratur carentia partium integralium, & indiuisibilitas animæ, ex eius spiritualitate.

7 Secundo, permisso disputationis gratia, quod de potentia absoluta talis substātia producibilis sit: tamen de facto non datur, nec cōnaturaliter loquendo dari potest: ergo cum quæstio procedat de facto, bene deducimus indiuisibilitatem animæ ex eius spiritualitate.

8 Præterea à M. Bañez dub. 2. cōclus. 3. deducitur animæ rationalis indiuisibilitas ex eius immortalitate; quia si pars abscisa naturaliter perseuerat: posset dimidia anima præmiari in cælo, & alia dimidia esse in inferno. Immo hoc connaturaliter contingeret, si vna pars abscinderetur, cū esset in gratia, & alia cum esset in mortali peccato. Quæ salua fide catholica sustineri non possunt, vt de facto euentura. Si autem pars animæ abscisa nō perseuerat; sequitur, quod naturaliter corrumpatur.

9 Respondet Arriaga. n. 129. omnes partes animæ tūc futuras in eodem puncto: & ideò nullam partē animæ separari ab altera. Vel omnes partes semper fore vnitas: & cōsequenter omnes idem præmium, aut supplicium mereri. ¶ Facilè tamen illæ euasiones præcluduntur: nam substantia admittens partes integrales, etiam admittit, quod per accidens media quantitate diuidi posset substantialiter. Substantia autem sic extensa, & diuisa, nequit sine miraculo esse in puncto, vt in alijs corporibus apparet.

10 Secundo, vel illa vnio est substantialis; vel accidentalis? Si primum, non est casus de quo loquimur, quod pars substantialis integralis

gralis sit abscisa. Si secundum, non euaditur argumentũ, quia duæ substãriæ possunt esse in eodem loco, & vna cruciari igne inferni, & alia non, vt patet in homine posseſſo à Dæmonibus, qui non exuritur, nec ipse, nec eius anima igne inferni, quo Dæmones ipsum torquentes, vruntur, & cremãtur. Alias impugnationes non prosequimur, quia in re sine fundamẽto excogitata, frustra chartæ consumuntur.

Rationes aliæ pro conclusione, & argumentorum solutiones à fortiori accipi possunt ex dicendis de animabus animalium perfectorũ; & ideo nunc non oportet amplius detineri.

## §. II.

### *De animabus plantarum, & animalium imperfectorum.*

11 SVnt qui asserant etiam plantarum, & animalium imperfectorũ esse indiuisibiles. ita Simplicius lib. 1. de anima text. 47. & lib. 2. textu 20. Tienẽsis, & alij. Immo S. Bonauentura in 2. dist. 8. parte 2. art. 1. q. 3. expresse asserit animam vegetatiuam & sensitiuam esse totam in toto, & totam in qualibet parte. Et Marsilius Ficinus lib. 1. de Theologia Platonis cap. 3. & libro 8. cap. 1. tribuit Platoni, Amonio, Plotino, & Porphyrio, & ipse eam sequitur.

12 Probatur primo ex D. Augustino libro de quantitate animæ c. 31. vbi loquens de vermiculo diuiso, ait. *Si ergo satis perspexisti in hac similitudine, quomodo possit dissecto corpore, anima non secari; accipe nunc quomodo frustra ipsa corporis, cum anima secta non sit viuere possint.* In quibus verbis videtur manifeste docere animas vermiculorum esse indiuisibiles, etiam si corpora diuidantur. Idemque expresius videtur docere Sanctus Nemesius de natura hominis cap. 2. habetur tom. 9. Bibliot. veterũ Patrum. ¶ Philosophus etiã libro de Iuuentute, & senectute c. 1. docet, quod *quædam animalia imperfecta sunt insecta, quia diuisa non viuunt, vt apes, & vespæ.* Non ergo animę imperfectę sunt diuisibiles: alioquin omnibus imperfectis animab⁹ conueniret.

13 Præterea probatur, quia si in parte lacertæ abscisa, manet vera anima, sequitur quod illa pars abscisa sit animal; sicut ramus abscissus ex arbore est arbor, germinans, si plantetur: & quia animal nihil aliud est quam compositum ex corpore, & anima sensitiua: quæ definitio illi partiali abscisę cõuenit. Sed consequens est falsum, quia signari non potest in qua specie animalis sit illa pars. Ergo in parte abscisa non est vera animæ pars. ¶ Deinde probatur, quia ex oppo⁹to sequetur, quod non referret qua parte lacerta diuideretur, vt animam conseruaret per aliquod tempus, vt patet in arboribus. Sed experiẽtia cõstat, quod si lacertæ diuidantur secundum logitudinem, animã perdunt: ergo etiam cum diuidũtur secundum transuersum, animã amittunt, licet aliquos vitales spiritus retineant.

14 Amplius, si pars lacertæ viueret, quia

quia à se mouetur localiter, etiam in illa esset phantasia, & imaginatiua, sine quibus motus localis ab intrinseco esse non potest, vt docet Philosophꝰ 2.de Anima textu 20. Sed hoc est aperte falsum, quia phãtasia, & imaginatiua sunt potentiæ, quæ determinant certum organũ, & situm in corpore animalis, vt in homine in capite: ergo anima sensitiua non manet in qualibet parte abscissa.

14 Dico tamen secundo, animæ plantarum, & aliquorum animaliũ imperfectorum diuidũtur peraccidẽs ad diuisionem corporis. Est cõmunis Authorum, quos in sequentibus referemus: nam qui dissident circa animas perfectorum animalium, concorditer docent diuisibilitatem animalium imperfectorũ. Est expressa Philosophi 1. de Anima textu 68. vbi ait. *Plantæ autem, & animalium multa diuisa viuunt: & videntur eãdem habere animam speciei.* Et iuxta translationem Sophiani. *At vero plantæ, & pleraque animalium, si secantur, viuunt, & eandem specie habere animã videntur.* Vbi S. Thomas lec.11.lit.c.& lec.14. lit.e. Clarius inquit Philosophus textu 93. *Dicũtur autem, & plantæ viuere diuisæ, & animalium, quædam incisorum, tanquam eandem habentia animam specie, & sinõ numero.*

15 Rursum in hoc libro secundo text.20. id exprofesso probat Philosophus, quem explanans S. Thomas lect.4.lit.b. ait quod in plantis quædam partes diuisæ ab eis, & seratæ ab alijs partibus, videntur viuere, & hoc manifestatur per hoc, quod ramusculi abscisi inserũtur, vel plantãtur, & coalescũt. Quod nõ esset, nisi remaneret in eis vita, & per consequens anima, quæ est principium viuendi. Quod contingit tamquam in vnaquaque planta anima sit vna in actu, & multiplex in potentia. Sicut enim accidere videtur in formis corporum naturalium inanimatorum; ita in eis, quæ propter sui imperfectionem nõ requirunt diuersitatem in partibus, quod in aliquo vno toto anima est in actu vna, & plures in potentia; sicut, & ipsum corpꝰ est vnũ in actu, & plura in potentia. Et post alia ad intentum de plantis; subdit de animabus animalium imperfectorum dicẽs. Et sic etiam videmus in alijs differentijs animę, sicut in entomis decisis, idest in animalibus, quæ de cita viuunt: quia vtraque partium habet sensum: quod patet ex hoc, quod retrahit se, si pungitur. Et etiã habet motum secũdum locum; vt ad sensum apparet. Sic ergo in vna, & eadem parte apparet, & sensitiuum, & motiuũ principium. Hæc S. Thomas ex Philosopho. Qui idem docet de longitudine vitæ cap.7.& de Iuuentute cap.1. & S. Thomas libro 2. Contrag. cap. 86. ad 2.& quæst.3.de Potentia artic. 12.ad 5.& de Spiritualib. creaturis ar.4.ad 19.& de Ani.art.10. in corpor.& ad 15.& in 1. dist.8.q.5.art. 3.ad 2.& in 2. dist.18.q.2.art.3. & in 4. dist.10.ar.3. quæstiũc.3.ad 1.

16 Duæ rationes satis efficaces à D. Tho. proponũtur. Altera quasi à priori desũpta ex materialitate, & imperfectione istarũ formarũ, quæ

prop

propterea est radix, quod paucam exigant partiū diuersitatem: & ita quodāmodo in hoc assimilētur formis inanimatorū, ita vt istæ animæ sint vnū in actu in vnoquoque, & plures in potentia.

17 Altera ratio sumitur ab irrefragabili experiētia sensuū, quibus experimur ramusculos abscisos, si plātentur, vel inserātur, coalescere. Similiter lacertæ partē abscisā viuere, patet: quia à se mouetur: & sentire constat, quia retrahit se, si pūgitur. Cuius experientiæ etiā oculatus testis fuit S. August. illo lib. de Quātitate animæ. c. 31. vbi expressæ fatetur partes abscisas viuere.

18 Respodēt Marsil. Ficin. & Tianensis 2. de Ani. tex. 22. quod diuisa planta, corrūpitur forma, quæ erat in tota plāta, & aliæ duæ formæ ita tim producuntur: sicut dicitur de forma cadaueris: & diuiso cōtinuo producuntur superficies terminantes de nouo.

19 Hāc tamē euasionē bene præcludit Bañ. dub. 2. conc. 4. dupliciter. Primo, quia talis pars diuisa habet sufficientē dispositionē vt recipiat animā de nouo, vt ipsi dicunt: ergo multo magis habebit conuenientes dispositiones vt conseruet priorē animā: cū maior dispositio requiratur ad rē de nouo producēdā, quā ad cōseruandā iā productā. Secūdo formæ succedētes in partibus diuisis, essent eiusdē speciei cū forma, quę est in tota arbore, vel in toto animali. Ergo frustra corrūpūtur, si alia solo numero diuersa debet aduenire. Allerere verò distingui specie, est cōtra experientiā, cū videamus eosdem motus, & eandē organizationem in partibus, ac in priori toto.

20 Quod si respōdeatur cū alijs vtrāq; partē viuere eadē anima. Bene aduertit Suar. lib. 1. de Ani. c. 12. n. 5. *esse incredibile* formas tā imperfectas informare materias loco distātes, & nullo modo vnitas. Itē si in partib⁹ abscisis est vna numero anima, operationes vnius partis impedirēt operationes alteri⁹: vel vehemēs dolor vnius debilitaret alterā: quod est contra experientiam. Ergo hæc, inquit Suarez, reddit conclusionem in Philosophia certam.

21 Alia via respondet Simplici⁹, quod partes decisæ viuūt, nō actu, sed potētia proxima: quia ramus, si plātetur, aptus est habere vitam. In lacertis autem in ea parte in qua est caput, est vita: in alijs verò tantum remanent spiritus vitales, qui cito euanescunt. Et hoc in animalibus perfectis etiam contingit: quia Auerrois 7. Physicorum text. 4. refert se vidisse taurū sine capite ambulantem. Et quod Galenus asserit posse animal abscisso corde aliquantulum ambulare. Et alia frequentior experientia etiam labefactare videtur illam de ramusculo abscisso: nam si ab animali perfecto, vel etiam ab ipso homine abscindatur aliqua pars, v. g. nasus, & statim iterum ei coniungatur, tunc facta consolidatione illius partis, non minus viuit ac antea: & tamen forma est indiuisibilis: ergo ex eo quod ram⁹ abscisus viuat, non infertur animam illius esse diuisibilem.

Expe-

22 Experientia tamen manifesta revincitur hæc solutio: quia videmus motus, & sensus perfecti indicium in lacertis diuisis. Immo in lũbricis terræ videmus quod adhuc insectæ, & diuisæ nutriũtur: in quo non est recursus ad spiritus vitales, qui tandiu durare non possent. Itẽ videmus, quod ramusculus plantatus statim attrahit alimẽtum, & nutritur. Nec à priuatione ad habitũ naturaliter est regressus: ergo non amisit vitam quam habebat: ergo anima diuiditur.

23 Nec quæ in contrarium adducuntur vrgent: quia illud de tauro ambulante, vel est figmẽtum Auerrois, vel fuit præstigium dæmonis. Paruo vero tempore ex virtute, quæ in neruis manet, & ex spiritib⁹ manẽtibus, in parte abscisa anima lis perfecti potest esse motus, vt explicat B. Albertus in summa de homine. q. 2. artic. 3. Non tamen cum tanta permanentia, & cum alijs inditijs vitæ, quæ in animalib⁹ imperfectis abscisis apparent.

24 Difficilior est alia experiẽtia. Cui respondent Caietanus lib. 2. de Anima cap. 1. q. 4. pag. mihi 43. Soncinas 8. Metaphis. q. 10. ad 7. præcipuè persistens in prima solutione. Vtramque tamen ex Herueo docuit Capreolus in 2. dist. 15. q. 1. ad 3. cõtra 3. pag. 349. Bañez 1. de Generat. c. 4. q. 8. art. 4. ad 9. & Carm. de Anima disp. 5. à nu. 14. vsque ad 16. dupliciter. Primo, quod caro illa abscisa, & toti vnita nũquam recuperat, quam semel amisit vitam: apparet autem extrinsecus viuere, quia facile alteri conglutinatur, & habet dispositiones simbolizantes, & conformes carni viuæ. Quod autem si illa pars lædatur, videatur sẽtire, est propter coniunctionem ad carnem, & neruos, in quibus est dolor.

25 Secundo respondent admittẽ do partem abscissam iterum viuificari: & quoad illam partem, à priuatione ad habitũ esse regressum: quia est virtus in toto ad reuniendum sibi illas partes, sicut ad conuertendum alimentum in substantiam aliti: eoquod illę partes propter suam imperfectionem ito, vel altero modo possunt produci, quãdo perseuerant dispositiones debitæ similes illis, quas habebat materia, cum erat vnita toti. Partes autẽ principaliores animalis, vt cor, caput, hepar, & similes semel abscissæ non possunt viuificari. ¶ Indeque sumitur disparitas inter partes animalium perfectorum, & partes plãtarũ, quia istæ seorsum plantatæ in magnam arborem crescunt, & aliquæ partes animalium perfectorũ abscissæ viuunt, & nutriuntur: quorum nil in animalibus perfectis experimur: quia magnam requirunt organorum diuersitatem. Oppositum verò contingit in animalibus imperfectis: quia, vt docet S. Thomas q. 3. de Potentia artic. 12. ad 5. *Huiusmodi animalia fere sunt similia in toto, & partibus: nam eorum animæ, quia imperfectiores sunt aliis modicam diuersitatem organorum requirunt. Et inde est, quod vna pars decisa potest esse animæ susceptiua, vtpote habens tantum de organis, quantum sufficit ad talem animam suscipiendã, sicut accidit in alijs corporibus simi-*

*similibus, vt pote ligno, & lapide, aqua, & aere.*

26 Ad authoritatem S. Augusti ni obiectam n. 12. respondetur ibi expresse nostram docuisse sententiam, asserēs vtrāque partem abscisam viuere vita animali sensitiua. Verbis ergo illis solum docere voluit, animas nō diuidi perse, eo modo quo corpora diuiduntur, etiā si aliquæ animæ peraccidens ad diuisionem corporum diuidantur. Hāc esse eius mentē constat, quia ibi in fine c. 31. inquit. *Planū tibi factū sit, non loco animam contineri, atque ob hoc nullius talis esse quantitatis, qualē in corporibus cernimus.* Et clarius c. 32. ait. *Vt possis intelligere liquidissime, vtrum quod à quibusdam doctissimis viris dicitur, ita se habeat; animā per seipsam nullo modo; sed tamen per corpus posse partiri.* Quomodo autem anima non sit in loco nisi media quantitate? explicuimus 4. Phys. q. 5. §. 4.

27 Authoritas autē Philos. pro nobis est expressa, adhuc vbi cōtra nos obijcitur, quia ibi distinguit, quod animalia imperfecta, quædā sunt insecta, vt vespes, & apes: alia annulosa, vt lumbricæ, & lacertæ: & ista decisa viuunt. Non est autē eadem ratio de omnibus, quia non omnia animalia imperfecta *sunt similia in toto, & in partibus*: nec in tā pauca organorum diuersitate possunt formam conservare, & operationes proprias exercere.

28 Ad primam rationē respondetur primo cum Gaiet. 1. p. q. 76. ar. 8. §. *Ad primam horum.* Iauello 2. de Anima. q. 9. ad 2. & alijs, quod non producitur nouum animal, sed nouum animatum partiale, quod est reductiue in specie, in qua erat animal à quo fuit pars abscissa.

29 Secundo respondet Bañ. 1. p. q. 76. art. 8. dub. 2. ad tertium secundæ opinionis, quod illæ partes sunt simpliciter viuentia, & animalia: & sunt simpliciter in specie viuentis, & animalis: quia sic melius verificatur, quod ait Philosop. tex. 20. quod ista anima est *vna actu, & multiplex in potentia.* Et quod ex D. Tho. diximus. nu. 25. quod istorū diuisio est sicut diuisio aquæ, vel ligni. Et denique, quia in toto, & in partib⁹ est materia, & forma eiusdem rationis, & experimur motum, & sensū eiusdē rationis. Et hæc solutio mihi magis probatur, & videtur expressa S. Tho. de Spirit. creat. art. 4. ad 19. inquit: *Dicendum, quod in illis animalibus, quæ decisa viuunt, est vna anima in actu, & multæ in potentia: per decisionem autem reducuntur in actum multitudinis; sicut contingit in omnibus formis, quæ habent extensionem in materia.* Idē habet lib. 2. Contrag. c. 86. rat. 2. Quod si libuerit duas alias nosse solutiones, lege M. Bañez.

30 Ad secundam respondet bene Iauell. §. *quantum ad primum*, notans ex B. Alber. Mag. animalia huiusmodi habere dorsum proportionale cordi animalium perfectorū. vnde sicut læso corde, animal perfectum statim deficit: sic etiam læso, & diuiso dorso in lōgum, annulosum animal deficit. Rursus tam minima posset esse pars, quæ ex tā uerso secaretur, quod nō posset viuentis animam cōseruare, iuxta dicta 6. Phys. q. 6.

31 Ad vltimum respondetur cō cedendo maiorem, vt eam expressè cōcedit Phylo. textu.20. dicēs. *Etenim sēsum vtraque partium habet, & motum secundum locum. Si autem sensū, & phantasiam, & appetitum.* Vbi S. Thomas lec.4.lit.b.ait. *Etsi est ibi sēsus, necesse est quod sit ibi phantasia: phantasia autem nil aliud est, quam motus factus à sensu secundum actū, vt infra dicetur* lib.3.tex.162. Idē docet Auerrois ibi. Ex quorum doctrina Iauellus ad 3. & Bañez ad 4. dicūt, quod duplex est phātasia: quædam determinata, & perfecta; quæ absentibus sensibilibus retinet eorum species sensatas, & potest circa ea imaginari. Et hæc determinat certum situm in corpore, & non reperitur in qualibet illius parte. Alia est imperfecta; & ideo nō determinat sibi proprium organum, sed per totum corpus est diffusa, sicut tactus. Et hæc est in omni parte decisa animalis annulloſi, quæ se mouet localiter: & hæc sufficit ad aliquos motus vagos, & incertos.

## §. III.

### *An animæ animalium perfectorum sint indiuisibiles?*

32 MAior difficultas est de istis animabus: nam multi opinantur omnes animas animalium perfectorū (excepta rationali) esse extēsas, & diuisibiles, ita vt sint totæ in toto corpore, & partes in partibus corporis. Ita Scotus in 4. dist.44.q.1. Durandus in 1.distin.8. parte 2.q.3. AEgydius eadē distinctione, & q. Iandunus 2. de Anima q.7. Toletus q.5. Hurtado, Arriag. & alij. Auersa q.46. sec.3. & *probabiliorē* dicit Suarez disp.15. Methap. sec.10.n.32. & *probabilissimā* appellat lib.1.de Anima cap.2.n.19. quā uis contrariam doceat c.13. cōc.4. dicens esse S. Augsti 6. de Trinit. c. 6. & S. Thom. Disiidium, quod est in modo defendendi hanc sententiam, tractabitur q.10.

33 Per oppositum animas animaliū perfectorū esse indiuisibiles, & totas in qualibet parte corporis, cū D. Tho. vbi infra, docēt Caiet. 1.p. q.76.artic.8. ibi late, & optime Bañez dub.2.conc.5. Ferrara 2. Contrag.c.72. Herueus in 1.dist. 8.q.4. Iauel. 1.de Gener.q.4. Astudillo q. 15. Iterum Caietanus 2.de Anima c.2.circa textū 20. & Ferrara 2.de Anima q.3. Ioan. à S. Tho. q.2. art. 1. PP. Carmel. disp.5. Thomas Hurtado de Anima sensitiua controu. 2. mēbro 3. & alij omnes Thomistæ. Item Alexander 2.de anima c. 10. B. Albertus Magnus 1.de Ani. c.vlt. S. Bonauent. in 1.dis.8.parte 2.ar.2.q.3. Suarez 1.de Anima cap. 13.n.9. & Conimbric. 2. de Anima cap.1.q.8.art.1. licet primam sententiam problematice etiam defendāt. Immo Arriaga dis.1.sec 4. sub sec.9. omnia argumenta, quæ fiunt contra sententiā D. Thomæ, reputat in efficacia: vnde gratis ab illa recedit subsectione 10.

34 Dico tertio, animæ animaliū perfectorum sunt indiuisibiles. Ita manifeste docet Philosophus de Senectute, & Iuuentute cap.1. vbi postquam docuit secundam cōclusionem de diuisibilitate animaliū

imper

imperfectorum; loquens de perfectis, inquit. *At quæ optima fabricatione constant, haud quaquam viuere dissecta queunt; quod eorum natura, quam maxime poteſt, vna habeatur.* Rationes duę in verbis iſtis inſinuatas, poſtea ponderabimus.

35 Idem docuiſſe S. Auguſtinum 6. de Trinitate cap. 6. & B. Albert. Magnum lib. de quatuor coæuis, refert eorum diſcipulus, & omniũ Angelicus Magiſter Sanctus Thomas in 1. diſt. 8. q. 5. ar. 3. in corp. & ſequitur ibi ad 2. & 1. p. q. 76. artic. 8. vbi ait. *Sed forma, quæ requirit diuerſitatẽ in partibus; ſicut eſt anima, & præcipuè animalium perfectorum, non æqualiter ſe habet ad totum, & partes. Vnde non diuiditur per accidens, ſcilicet per diuiſionem quantitatis. Sic ergo totalitas quantitatiua non poteſt attribui animæ, nec perſe, nec per accidens.* Habet idem de Spiritualibus creaturis ar. 4. ibi. *Vnde formæ, quæ requirunt magnam diſſimilitudinem in partibus, non habent huiuſmodi extenſionem* (loquitur expreſſe de partibus integrantibus) *& totalitatem; ſicut animæ, præcipuè animalium perfectorum* Videatur ad 9. & quæſt. de Anima ar. 10.

Cum authoritates iſtæ expreſſæ ſint, ſunt qui reſpondeant Sanctum Thomam ſolum intendere negare animam diuidi eo modo, quo diuiditur albedo, quæ diuiditur vt quælibet pars poſt diuiſionem ſit albedo, &c.

36 Iſti tamen non videntur legiſſe S. Thomam, quia expreſsè diſtinguit triplex totum, nempe, *quantitatiuum*, in partes integrales; totũ *diſſimilitudinis*, in materiam, & formam, genus, & differentiam: *tertium antè totũ eſt potentiale, quod diuiditur in partes virtutis.* Quam diſtinctionẽ præmiſſam, applicat ad intentum, dicens. *Primus totalitatis modus non conuenit formis, niſi forte per accidens: & illis ſolis formis, quæ habent indifferentem habitudinem ad totum quantitatiuum, & partes eius; ſicut albedo, &c.* Poſtquam verò oſtendit diuerſam eſſe rationem de anima, non ſemel, ſed bis repetit. *Sed quia anima totalitatem quantitatiuam, non habet, nec perſe, nec per accidens, vt dictum eſt, ſufficit dicere, quod anima tota eſt in qualibet parte corporis ſecundum totalitatem perfectionis, & eſſentiæ; non autem ſecundum totalitatem virtutis.*

37 Ex quibus euidenter patet concluſionẽ eſſe expreſſam S. Thomæ. Primo, quia quoad hoc idem reſponder S. Thomas de animabus animalium perfectorum irrationalium, ac reſpõdet de animabus hominum. Sed de illis ponit indiuiſibilitatem omnimodam, vt ipſi fatẽtur. Ergo & in animabus animaliũ perfectorũ irrationaliũ. Et ſicut euaſiones eſſent futiles applicatæ ad animã humanã, ita nullius ſunt apparietiæ traditę de brutis perfectis.

38 Secundo, intendit S. Tho. deducere, quod diuiſio in partes integrãtes, nec perſe, nec peraccidens habet locũ in animab⁹ animalium perfectorũ: ſed hæc ipſa eſt noſtra concluſio: ergo dubitare illã eſſe S. Th. eſt per ſe notis nõ acquieſcere.

39 Tertio, ipſe S. Tho. ſe explicat lib. 2. Contragentes cap. ſeptuageſimo ſecundo (non 27. vt cõtrarij malè citant) dicens: *Si igitur eſt*

*aliqua forma, quæ non diuidatur diuisione subiecti, sicut sunt animæ animaliũ perfectorum, non erit opus distinctione, quũ eis non competat nisi vna totalitas: sed absolute dicendum est eam totam esse in qualibet parte corporis.* Et infra: *Non est autem inconueniens animam, cum sit forma quædam simplex, esse actum partium tam diuersarum.* Quod & docet quæstione vnica de Anima art. 10. ad 15. & 17. & Opus. 32. c. 9. Vnde manifestũ sumitur argumentum. Forma simplex per carentiam extensionis partium integraliũ, quæ est tota in toto, & tota in qualibet parte, est indiuisibilis, in sensu in quo nunc loquimur. Sed S. Th. affirmat animas animalium perfectorum esse huiusmodi: ergo indubitatum, & perse notum est nostram conclusionem esse S. Thomæ.

40 Sed obijciunt primo: nam S. Th. 2. de Ani. lec. 12. ad text. 9. ait. *Sicut enim se habet vna pars animæ sensitiuæ ad vnam partem corporis sensitiui, sic se habet totus sensus ad totum corpus sensitiuum.* Vbi loquitur de omni anima sensitiua, & expresse concedit partes in illa.

41 Respondetur, ex isto argumẽto manifestè cõstare, quod volunt dicere S. Th. cõtra vnanimẽ discipulorũ eius intelligentiã, iudicare, ipsum S. Th. non legẽtes. Nã expositio tex. 9. nõ est lec. 12. sed lec. 2. litt. b. Et quod ex illo textu posset contra S. Th. argui, ipse sibi obijcit 1. p. q. 76. vbi sup. argum. 3. Cui manifeste respõdet, *quod animal est quod cõponitur ex anima, & corpore toto, quod est primũ, & proportionatũ eius perfectibile. Sic autem anima nõ est in parte: vnde nõ oportet, quod pars animalis sit animal.*

42 Deinde dicitur, quod in anima sunt partes virtutis; & istę nõ sunt in singulis partib⁹, quia vt ait S. Th. in corp. *Nõ secundũ quãlibet suã potẽtiam est in qualibet parte corporis; sed secundũ visũ in oculo, secundũ auditũ in aure, & sic de aliis.* Et hoc est intentũ S. Thõ. Deniq; adhuc dici potest, etiã in anima rationali esse partes eminenter, & radicaliter; quia est forma corporis habentis partes in linea substantiæ, sed diuisibiles per quantitatem.

43 Secũdo obijciunt; nã S. Tho. 1. p. illo art. 1. aperte agit de omni anima, vt colligitur ex illis verbis: *Et præcipue animalium perfectorum*; ergo eam hic adstruit in diuisionem, quæ omni animæ conueniat. Sed in perfectis animalibus nõ cõuenit indiuisio non admittens partes integrales, vt diximus concl. 2. ergo ex hoc loco nõ colligitur animam esse ita indiuisibilem, vt non habeat partes integrales.

Facile respõdetur, quod vt dixi mus n. 27. ex Phyl. adhuc inter animalia imperfecta dãtur quædã, quę requirunt magnã dissimilitudinem in partibus, & quæ secta moriũtur; & ideo eorũ animę, quoad hoc sũt sicut animę perfectorũ animalium: ac perconsequens S. Tho. loquitur quodãmodo de omnib⁹, & ponẽs exẽplũ in præcipuis animalibus, in quibus doctrina est clarior. Exceptionẽ autẽ de plãtis, & quibusdã animalib⁹ imperfectis, satis expressit nu. 14. & 15. vbi erat locus de illis disputãdi. Et in 2. Contr. sine illa limitatione vniuersaliter loquitur, vt vidimus.

## §. IIII.

## *Rationes conclusionis examinantur.*

44 VAriæ rationes conclusionis solēt assignari. Licet autē singulæ non sint demonstratiuę: ex omnibus tamen valde cōfirmatur assertio. Duplici fundamento niti tur Suarez illo c.13. Primo, quia conuenit esse in vniuerso omnes modos formarum possibiliū. Sed non repugnat forma materialis indiuisibilis, quia nulla est necessaria cōnexio inter indiuisibilitatem, & independentiam à materia: & quo ad aliquid est simile in accidēte spirituali; quod dependet à subiecto. Ergo animæ brutorū, quæ sunt perfectissimæ inter materiales, de facto sunt materiales, & indiuisibiles.

Confirmatur, quia non fit transitus ab extremo ad extremum, nisi per medium: sunt autem inter animas quædam omnino materiales, & extensæ; aliæ immateriales, & inextensæ: inter quas est possibile quoddam medium, scilicet animæ materiales, & inextensæ: ergo datur tale medium. Sed nō alibi, quā in his viuentibus perfectis: ergo animæ sensitiuæ animalium perfectorum indiuisibiles sunt.

45 Occurrit Hurtadus. §.90. & 91. negans, quod indiuisibilitas, & inextensio partium possit competere rei materiali: quia ex tali positione sequitur esse corporeā, quia dependet à materia; & esse incorpoream, & spiritualem, quia caret partibus.

Posset facile præcludi hæc euasio, constituendo conceptum rei incorporeæ in independentia, & elōgatione à materia; qui videtur cōceptus prior, & independens ab extensione, & diuisibilitate: & hoc modō impugnat eam Thomas Hurtado mēbro 3. §.2. Et est valde probabile, & satis indicauerant Bañez vbi supra ad 2. tertiæ sententiæ, cū Caietano. 1.p.q.75.art.2.notab.2. & Carmelitanis illa disp.5.n.18.

Sed quia nos supra q.2.conc.5.n. 25. diximus implicare corpus simplex per cārētiā partiū integraliū.

46 Ideo aliter dicitur, quod simplicitas per carentiam partium integralium proxime, & remote, repugnat rei corporeæ: & ideo hęc conuenit soli animæ rationali, quæ est spiritualis formaliter, & solum eminenter corporea, quamuis formaliter sit actus corporis. Simplicitas vero propter modum informādi perfectum, quæ conuenit formis indiuisibilibus proxime, vt sunt formæ cælorum, hæc conuenit animabus animalium perfectorum. Vnde ego concederem has formas habere radicaliter diuisionem quidditatiuam partium, seu partē extra partē, diuisibiles per nō repugnantiā, sicut sunt formæ cælorum; ex quo non infertur esse diuisibiles proxime: quia vt diximus lib.2. Logicæ q.13. amplius exigitur ad diuisibilitatē formalē, quā extēsio partium. Et nos in conclusione de indiuisibilitate sumus locuti, & nō de omni modo inextēsione, quæ soli animæ rationali spirituali conuenit. De quo iterum inf.n.70. & deinceps.

47 Aliter occurrit Arriaga dicēs, quod licet huiusmodi formæ materiales, & indiuisibiles, sint posibiles; non ideo de facto dantur, quia experimur animalia quædam habere formas diuisibiles. Et eadem est ratio de omnibus, quia disparitas nō potest oriri ex maiori perfectione: non enim est dubium quin colubet, & anguila perfectiores sint mure, vel vespertilione, aut musca: & tamen insecti non viuunt, secus illi. Et addunt alij, quod ideo de facto non dantur, quia non sunt multiplicandæ perfectiones sine efficaci fundamento.

48 Sed leuissimo isti nituntur, vt gratis sententiam S. Thom. impugnent. Simili enim argumento possent probare Angelos non esse substantias spirituales. Deinde dicim⁹, quod ad sensum experimur diuersitatem organorū in animalibus perfectis, maiorem, quam in imperfectis: & quod istorum quædam decisa viuunt, nullum verò animal perfectum experti sumus, cuius vtraque pars decisa viuat. Inde autem conclusionem deduci, exponēdo rationes S. Thom erit manifestum. Ex qua etiam constabit, quod licet in ordine ad vsus humanos, anguila sit perfectior mure, vel vespertilione; in ordine tamen ad specificū esse formæ, maiorē requirentis diuersitatem organorum, aliter contingit, vt experiētia suadet. De illa autem perfectione nūc loquimur.

49 Secunda ratio Suarez formatur ex varijs experientijs: nā in animalibus perfectis reperitur tanta fere consonantia organorum, ac tantus consensus inter illa, quantus in homine. Ratio autem tanti consensus non est alia, nisi quod tota anima in capite est, atque in pede. Deinde, quia in his animalibus vehemens operatio vnius partis impedit operationem alterius, vt grandis dolor tactus impedit actionem visus. Deniq; animalia perfecta habēt vim discernendi inter res duas simul propositas: & imaginatio discernit inter apprehensa per sensus. Ergo idem est principium cognoscens has omnes res, & gubernās potentias.

50 In istis tamen experientijs nō video quomodo probetur animæ indiuisibilitas; licet aliquæ earum sint à D. Tho. propositæ ad probandam vnitatem animæ in eodem cō posito. Sed sicut in animalibus imperfectis, cum vnitate in actu, stat pluralitas in potētia, ita possent alij respondere sustinentes animarū diuisibilitatem: & ideò ad indiuisibilitatem probandam ad alia argumenta est recurrendum.

51 Tertio probatur conclusio ratione Caiet. 1.p.q.76.artic.8. *Ad secundum dubium*: nam forma extensa, in maiori est maior, & in minori minor, secūdum virtutem, quia in maiori quāto est maior virtus crescit, loquendo de virtutibus extensis. In animalibus verò videmus sæpè totum oppositum; eoquod animalia magni corporis secūdum rationem speciei suæ; videmus debiliora alijs eiusdem speciei, quę sūt commensuratæ magnitudinis; tam quam anima non sufficiente ad tantum corporis molem fouendam.

Ergo

Ergo animæ perfectorum animaliũ sunt indiuisibiles, tam perse, quam peraccidens. *Quamquam potentiæ omnes earum sint extensæ peraccidens, & diuisibiles; eoquod sunt qualitates corporis partibus accomodatæ.* Videtur hæc ratio insinuata à Phylos. loco citato num. 37. vbi ex maxima vnitate arguit indiuisibilitatem istarum animarum. Et 3. de Partibus animaliũ c. 4. docet Aristot. animalia habentia magnũ cor esse timidiora, quæ verò paruum habent cor esse audaciora. Eadẽ ratione vtitur Bañez, & alij.

52 Respondet Suarez. nu. 8. hoc quoque commune esse animabus extensis: arbor enim, si nimiũ crescit, non tanta virtute fructificat. Illud ergo prouenit, non ex indiuisibilitate animæ, sed ex magnitudine organorum, quæ non possunt tã facile applicari ad opus, nec sibi inuicem deseruire. Itẽ quia alimentum in tot, ac tam porrectas partes distributum, minores vires illi præbet.

Sed contra: nam independenter ab alimẽto extrinseco, ex propria specie, & ab intrinseco loquendo, animalia magni corporis secundũ rationem suæ speciei debiliora sũt quo maiora: ergo hoc prouenit ex modo informandi magis vnito.

53 Aliã coniecturam affert Caietanus: nam partes formæ extensæ per solam diuisionem nõ pereunt, sed quodammodo perficiuntur: nã erant in potentia ad diuisionem, & postea fiunt actu. Ergo arguendo à destructione consequẽtis, si in animalibus perfectis pars decisa nõ potest retinere eãdem speciem, ergo non erat extensa, & diuisibilis ad diuisionem subiecti.

54 D. Thomæ rationes sunt duę: quarum vna sumitur ab experientia, quia in causis adæquatis, si affirmatio est causa affirmationis, negatio est causa negationis. Sed videmus, quod quia animalia decisa viuunt, eorum animæ sunt diuisibiles peraccidens: ergo cum in animalibus brutorum experiamur partes decisas non viuere, sicut nec partes hominum, signum est animas brutorum esse indiuisibiles.

55 Alia ratio, quamuis à posteriori, indicat radicem indiuisibilitatis: nam forma habens totaliter diuersam habitudinem ad totum, & ad partes, informat indiuisibiliter. Sed animæ animalium perfectorũ sunt huiusmodi. Ergo informant indiuisibiliter. Maior patet, quia si informaret diuisibiliter, communicaretur pars formæ parti subiecti, & ideo non esset totaliter diuersa habitudo ad totum, & ad partes. Minor vero probatur ex perfectione harũ animarũ; propter quã in proportionato perfectibili exigunt maguam organorum diuersitatem.

56 Sed respondent rationes has parum vrgere, quia stante diuisibilitate animarum, potest verificari, quod in parte abscisa non perseueret, quia illa formæ perfectæ nõ est proportionatum perfectibile quia in tam parua materia, non est tam perfecta dispositio, quantam exigit illa forma. Et quia non est in il-

lo subiecto vbi potentiæ, & vires exercere possint suas functiones. Sicut si minimum naturale diuidatur, amittit formam, defectu dispositionis requisitæ quantitatiuè. Quāuis ibi non sit tota in qualibet parte. Præterea, etiam in animalibus imperfectis anima diuerso modo se habet in ordine ad totum, & in ordine ad partes: vt patet ex diuerso effectu formali, & denominatione diuersa, & ex operationibus diuersis. Et tamen illæ sunt diuisibiles. Ergo ex isto capite non bene deducitur indiuisibilitas animarum.

57 Contra has, & alias euasiones iam firmauerant Sancti Thomæ rationem Caietanus dub. 1. & Bañez ad vltimum. Et cōtra primam replicatur: nā illa forma, quæ sua natura est diuisibilis, non est cur naturaliter non conseruetur, perse loquendo, in partibus diuisis. Quod sola explicatione terminorum videtur constare: natura enim nihil facit diuisibile, neque perse, neque peraccidens, nisi illud quod secundum se potest conseruari in partib⁹ diuisis; aliàs illa nō esset diuisio, sed corruptio. Ergo semel concesso, quod formæ animalium perfectorum conseruari non possunt in parte abscisa; vt experientia patet; negari nequit illas formas esse indiuisibiles.

58 Instantia autem illa de minimo naturali parum vrget; quia illud est peraccidens ex incapacitate recipientis. At verò nunc loquimur perse de forma quantum est ex parte sua, & de toto, & partibus secundum se, & absolutè sumptis: non autem de tanto, & tali toto, vel de tanta, & tali parte. Vnde includit argumentum *fallatiam figuræ dictionis*: de quo genere sophismatis agit Sanctus Thomas Opusc. 39. de Fallatijs capite septimo. Mutatur enim totum in tantum, & pars in partem tantam: quod est sophisma figuræ dictionis.

59 Contra secundam instantiam bene notat Caietanus, triplex esse genus formarū: quædam enim omnino æqualiter respiciunt, vt primū perfectibile, totum, & partes: & tales sunt formæ merè naturales; vt forma aquæ, ignis, & aliorum huiusmodi. Quædam verò sunt omnino æqualiter respicientes totum, & partes. Et istæ nullam partē seorsum respiciunt vt perfectibilem, nec vt primum perfectibile. Huiusmodi autem sunt animæ animaliū perfectorum. Quædam autem formæ medio modo se habent; nam partim æqualiter, & partim inæqualiter respiciunt totum, & partes: sic enim respiciunt totū vt primo perfectibile, quod partem possunt habere, nō vt primū perfectibile simpliciter, sed secundū quid. Et tales sunt anima vegetariua, & sensitiua animalium imperfectorum. Inter quas tamen est sua latitudo: sicut non in omnibus est eadem extēsio materialis partium.

60 Igitur cum S. Thomas dicit, illas formas esse inextensas, seu indiuisibiles, quę differentem habent habitudinem, & ad totum, & ad partes; intelligitur de diuersa omnino, & totaliter, tam simpliciter, quam

quam secundum quid. Ita quod illa tantum pars totum differenter respicit, quæ nec potest esse talis formæ primum perfectibile simpliciter, nec secūdum quid: & sic est totaliter differēs habitudo formæ ad totum, & partes. In cæteris verò est aliquomodo conueniens, & aliquomodo differens. Omniumque ratio est: nam animæ istæ perfectæ sunt essentialiter actus corporis perfecti organici: vbi autem est incapacitas perfectę organizationis, est incapacitas talis formæ. Ad vitam autem animæ imperfectæ sine tali organizatione est capacitas in materia. Licet non in qualibet saluetur, vt dictum est. Quod totum videtur tradidisse S. Tho. q. vnica de Ani. art. 10. ad 15. Videatur etiam Author Opusc. 32. apud D. Th. c. 9.

## §. V.

## *Argumenta soluuntur.*

61 SEd contra tertiam conclusionem arguitur primo: nam si anima equi esset tota in qualibet parte, sequitur, quod idem secūdū se totū simul moueretur, & quiesceret: imò sequitur, quod idē motibus cōtrarijs moueretur; vt si vno pede quiescēte, alium moueat: vel vnum moueat sursum, & aliū deorsum. Pariterque sequitur, quod præcisa parte corporis, tota anima auferatur, & tota simplex se retrahat ad alias partes. Sed hoc est apertè falsum. Non ergo tota anima equi est in equi cuiuslibet parte; sed tota in toto, & pars in parte.

Respondetur hoc argumentum æquè militare in anima rationali. De omnibus autem respondet S. Thom. q. vnica de Anima dicto artic. 10. ad 12. inquit: *Dicendum, quod anima non mouetur, nec quiescit, moto, seu quiescente corpore, nisi peraccidens. Non autem inconueniens est, si aliquid moueatur, & quiescit simul peraccidens: sicut non est inconueniens, quod aliquid moueatur peraccidens contrarijs motibus; vt puta si quis in naui deferretur contra cursum nauis.* Eodem modo respondet de Spiritualibus creaturis artic. 4. ad 7. *Dicendum, quod anima moto corpore mouetur peraccidens, & non perse. Non est autem inconueniens, quod aliquid simul moueatur, & quiescat peraccidens secundum diuersa: esset autem inconueniēs, si perse simul quiesceret, & moueretur.* Videātur, quæ diximus 4. Phys. q. 4. §. 4. & quæ Theologi docent cū D. Th. 3. p. q. 76. a. 6. ad 1. de corpore Christi in diuersis hostijs, quarū vna moueatur, & alia quiescat: nā quoad hoc par ratio est ac de anima in diuersis partibus. ¶ Per quæ respondet S. Tho. ad tertium inconueniens, illo art. 4. de Spirit. creat. ad 15. quod *præcisa parte, nō sequitur, quod auferatur anima, vel quod ad aliā partem trāsmutetur; nisi poneretur, quod in illa sola parte anima esset: sed sequitur, quod illa pars desinat perfici ab anima.*

62 Secundo arguitur: nam omnes animæ (rationali exceptā) quæ fiunt ex vi transmutationis materiæ, educuntur de potentia materiæ, vt diximus 1. Phys. quæst. 12. quod competit omnibus animabus animalium perfectorū, vt pater. Sed omnis forma educta de potentia materiæ, est extensa,

& diuisibilis media quantitate. Ergo non sunt indiuisibiles, & in extensę animæ animalium perfectorum. Minor probatur primo, quia quantitas dimensiua est prima dispositio materię eam extendens, & diuisibilem faciens: ergo forma, ex ea vt sic educta, non educitur tota ex qualibet parte, sed pars ex parte. Secundo, nam eductio est actio corporalis extensa, & diuisibilis: ergo forma educta etiam educitur modo extenso, & diuisibili. Patet consequentia: nam fieri proportionatur facto esse, & via commensuratur termino. ¶ Tertio formæ eductæ de potentia materię dependent in esse, & fieri à materia. Si autem animæ brutorum sunt indiuisibiles, non dependent in conseruari à materia: quia per continuam nutritionem poterunt amittere totam materiam ex qua fuerunt eductæ à principio: ac per consequens nō dependent in esse à materia. Quod tamen est proprium solius animæ rationalis.

Cōfirmatur, quia sequitur, quod in nutritione equi, ipsa forma equi educat seipsam de potentia materiæ, quod est absurdum. Et quod id sequatur; probatur, quia in nutritione acquiritur noua pars materiæ: sed forma materialis, ab agente naturali producta, eam partem informat, de cuius potentia educitur: ergo cum nouam partem informet de nouo, se ipsam ex illa parte de nouo educet.

63 Ad argumentum respondetur concedendo maiorem, & negādo minorem. Ad primā probationem respondetur, quod quantitas est dispositio prima materiæ, nō nudæ, sed vt informata forma substātiali secundum gradum corporis: & cum realiter eadē sit forma, quę dat omnes gradus, si forma secundum vltimam differentiam non petit, quod sequatur conditionē materiæ, & quantitatis in extensione, & diuisibilitate, forma substantialis, quamuis educta ex materia, potest quoad hoc eleuari supra conditionem materiæ. Quia vt notat Durand. in 1. dist. 8. p. 2. q. 3. nu. 11. ex hoc, quod forma educitur de potētia materiæ, non sequitur, quod tota educatur de tota, aut pars de parte; cum forma educatur de materia vt præuenit quantitatem, antecedenter ad quam non est partium extensio, aut diuisibilitas. Sicut ergo effectus educitur ex virtute agentis, & non correspondet pars parti agentis, ita pariter dicēdum de potentia materiæ. Vnde argumērum petit principium, supponens extensionem, & diuisibilitatem formæ, quam probare debebat.

64 Sed instabis: vnumquodque recipitur admodum recipiētis, seu omne quod est in altero, est in eo per modum eius in quo est. Sed anima est act⁹ corporis: ergo est in eo per modum corporis, præcipuè anima, quæ non est spiritualis. Sed modus corporis est, vt vbi est vna pars non sit alia propter extensionem, & situm. Ergo vbi est vna pars animæ equi non est alia.

Respondetur argumentum suo modo procedere de anima rationali. De omnibus respondet S. Tho. citato

citato art.10. q. de Anima ad 14. *quod cum dicitur*, vnumquodque esse in alio, secundum modum eius, in quo est, *intelligitur quantum ad capacitatis ipsius modum, non quantum ad naturam eius. Non enim oportet vt id, quod est in aliquo, habeat naturã, & proprietatem eius, in quo est: sed quod recipiatur in eo secundum capacitatẽ ipsius: manifestũ est enim, quod aqua non habet naturam amphoræ. Vnde nec oportet, quod anima habeat istam naturam corporis, vt vbi est vna pars eius ibi sit alia.* Eòquod forma nõ est materia, nec anima est corpus, nec transit in corpus: licet proportionentur vt actus, & potẽtia. Vnde & anima non est in loco, nisi peraccidens, quamuis corpus ratione quantitatis perse commensuretur loco.

65 Ad secundam probationem M. Bañez in 2. fol. ad 4. nõ reputat inconueniens concedere, quod generatio equi sit inextensa, sicut & ipsa forma, cum qua identificatur. Nec reputat inconueniens, quod equus possit elicere actionem materialem inextensam, cum formam materialem inextensam producat. Hæc solutio est probabilis, dum tamen loquatur de generatione substantiali vltimate, & completiue, vt reductiuè est in genere substantiæ. Et dum non neget realiter, saltem modaliter, generationẽ à substantia differre: alioquin sustineri non posset, iuxta dicta 3. Physic. q. 2. §. 3. & 1. de Gener. q. 7. n. 20.

66 Secundo facilius respõdetur, quod vt diximus 1. de Gener. q. 5. n. 15. Formæ materiales educũtur de potentia subiecti eadem actione, qua generatur totum: vnde generatio vt terminum *qui* respicit compositum subsistẽs: formam vero solum vt terminum *quo* cõstituitur genitum, vt latè ibi tota q. 6. Satis ergo est ad hoc, quod generatio sit extensa, quod compositum sit extensum: nam illud respicit vt *quod* generatur. Præterquamquod, cum generatio non sit motus, sed mutatio instantanea, successio generationum, & earum extensio potius attendenda est in alterationibus, quam in ipsa instantanea introductione, quæ est extrinsecus terminus alterationis præcedentis.

67 Ad tertiam probationem cõcedo maiorem, & nego minorem. Ad probationem M. Bañez ad tertium respondet, quod quemadmodum in effectibus, qui dependent à causis suis efficientibus in fieri, & conseruari, non est inconueniens, quod idem numero effectus producatus ab vna causa, conseruetur ab alia numero distincta: sicut patet in lumine producto ab vna lucerna, quod potest conseruari, si alia loco prioris sine aliqua interruptione substituatur. Ita forma aliqua, quæ educitur de potẽtia materiæ, & dependet a materia in fieri, & conseruari, non est necesse, quod semper sit in eadẽ numero materia, absque aliqua variatione illius: sed potest conseruari in alia materia, quæ loco prioris per continuam nutritionem substituitur.

68 Exemplum quod in hac solutione assumitur, difficultate non caret, quia diximus ex mente S. Tho. & omnium Thomistarum, quod natura-

turaliter loquendo idem effectus numero non potest dependere, ad huc diuisim,& successiue,à duplici causa totali efficiente, vt patet 2. p.Methaph.controu.16.ar.4.& 2. Phys.q.23.Quare vt procedat, debet intelligi de cõseruatione indirecta,iuxta ea quæ diximus primo de Generat.q.12.n.44. Recolenda etiam sunt, quæ in eodem libro q. 21.§.2. dixim⁹, vt exponeremus, quod toto tempore augmenti manet eadẽ materia formaliter: quoad hoc enim par ratio est de forma hominis,ac de animabus animaliũ perfectorum.

69 Ad confirmationem nego sequelam. Ad probationem concedo maiorem: & distinguo minorẽ, & concedo de prima introductione formæ;nego vero de extensione ad informandum nouas partes, quæ per nutritionem vniuntur præexistentibus,& anima quasi extenditur ad eas de nouo perficiendas. Et cum perduntur illæ partes desinunt perfici ab anima, vt dicebam⁹ n.61.in fine ex D. Thoma. Nec ad hoc opus est formam esse diuisibilem, aut vnionem ab ea realiter differre:sed satis est,quod eadem forma vi actionis,& passionis trãsmutetur,vt possit actuare, & perficere,& dare esse parti, cui antea esse non communicabat actuãdo, & se ipsam illi communicando.

70 Tertio arguitur:animæ brutorum sunt corporeæ, & materiales,vt pater,quia nullam operationem eliciunt independenter a materia;ex qua operatione deducim⁹ spiritualitatem animæ rationalis. Sed de ratione formæ corporeæ est,quod peraccidens diuidatur in partes quãtitatiuas;vt patet ex propria ratione corporis:& constat inductione in omnibus alijs formis corporalibus.Ergo animę perfectorum animalium sunt diuisibiles ad diuisionem quantitatis : & nõ sunt totæ in qualibet parte corporis.

Respondet Caietanus 1.p.q.75. art.2.notab.2.& alij Thomistæ supra relati n.45.quod corporeum dupliciter accipitur : vno modo pro re extensa, & diuisibili secundum trinam dimensionem. Et sic, non solũ anima rationalis; sed etiã animæ perfectorũ animaliũ sunt in corporeæ. Alio modo accipitur corporeũ,pro eo quod est cõclusũ intra corporis perfectiones, nõ excedẽs coporis facultates, sed depẽdens ab illo in fieri, & in esse, & in operari.Et in hoc sensu sola anima rationalis est incorporea, & immaterialis;reliquæ autem corporeæ, & materiales.Iuxta hoc ergo concessa maiori,neganda est minor: nã de ratione rei corporeæ hoc secũdo modo non est diuisibilitas, sed solum de ratione illius est dependẽtia à materia.

71 Sed contra hoc est primo: nam id quod est de ratione generis, omnibus speciebus sub eo contentis debet essentialiter conuenire. Sed vt ostensum est q.2.n.25.de ratione corporis,vt sic,est extẽsio, & radicalis diuisibilitas in partes. Ergo cum animæ brutorum corporeæ sint,non potest non illis conuenire extensio,& diuisibilitas in partes.

Secundo,

Secundo, non aliunde colligere possumus animam rationalem excedere corpus: & esse spiritualem, nisi quia operatur operationes spirituales, & incorporeas, vt patet ex D. Thoma 1.p.q.75.ar.2. & pro eodem reputamus probare indepẽdentiã in operari, & in esse, & in fieri, ac ostendere eius spiritualitatẽ: ergo cum nil horum experiamur in brutis, omnino sunt corporeæ: ergo solutio videtur petere principium, ex vna parte admittens corporeitatẽ cõdistinctã cõtra spiritũ, & ex alia parte fingens dari corporeitatẽ, cui non conueniãt prędicata quidditatiua corporeæ formæ.

72 Quare, quidquid sit de ista solutione probabili, aliter respondetur iuxta dicta n. 46. concedendo maiorem, & negando minorem: quia de ratione corporis nõ est diuisibilitas proxima, sed radicalis: quia potest quãtitas dare extensionem in partes, & aliunde impediri proxima diuisibilitas: vt patet in forma cæli, cui repugnat diuidi in partes, quãuis sit corporea. Formæ ergo animalium perfectorum, quia requirunt diuersitatem organorũ, nõ possunt cõseruari nisi in toto, & nõ in parte abscisa; & ideò habẽt indiuisibilitatem in modo informandi: quamuis non pertingant ad perfectionem animæ rationalis, quæ non solum est indiuisibilis, sed etiã spiritualis.

73 Sed instabis: nam S. Thomas locis relatis. §. 3. docet animas brutorũ esse simplices, & totas in qualibet parte corporis: & hoc ipsum nos in tota quæstione docuimus: Sed hoc non saluatur docendo habere partes integrales; quãuis sint indiuisibiles. Ergo non sufficit concedere indiuisibilitatẽ his formis, si affirmetur ipsas habere partes. Probatur minor primo, exemplo ipso, quo nos explicamus doctrinam, quia formæ cælorum non sunt totæ in qualiber parte cæli. Secũdo, quia id quod formaliter habet partes, si est in corpore habẽte partes, totum correspondet toti, & pars parti, vt patet cum duæ tabulæ iunguntur. Ergo admittendo animas brutorum habere partes, verificari nequit ipsas totas esse in qualibet parte totas. Tertio, vbi sunt partes integrales, est compositio ex partibus: sed non est partium diffinitiuarum; neque partium virtutis: ergo est compositio quantitatiua in radice: ergo forma illa est diuisibilis peraccidens ratione quantitatis: & sic corruit totus discursus S. Tho.

Respondetur perpẽdẽdo omnia, & singula fundamenta nostræ sententiæ, nullum probare, quod animę brutorũ sint ita simplices, quod careant partibus in linea subst ãtiæ: sicut non probant, quod istę animę sint spirituales. Et certe, si Deus vellet, posset miraculose animã equi in partes diuidere, siue media quantitate, siue cum ordine ad illam. Quod implicat contradictionem affirmare de anima rationali spirituali, & simplici.

74 Dicitur ergo quod doctrina S. Thomæ, & nostra, intelligẽda est per distributionem accomodatam: nam de anima rationali verificatur vt sonat, quia est sicut Angelus spiritualis,

ritualis, & simplex: & ita *quoad substātiam* est tota in qualibet parte, & informat indiuisibiliter. At vero animæ brutorum quoad substātiam habent partes, & extensionem per accidens ratione quantitatis; at vero *quoad modum informandi*, quia supremum infimi attingit infimū supremi, informant indiuisibiliter, quia diuersam totaliter habitudinē ad totum, & ad partes dicunt. Vnde sicut corpus Christi habens partes, est in Eucharistia indiuisibiliter, quia est ad modum substantiæ: ita istæ formæ, quia assimilantur nostræ animæ in modo informandi; quamuis nō pertingant ad eius simplicitatem per carentiam partium, quam habent solæ substantiæ spirituales; tamen illi assimilantur in modo requirendi diuersitatem organorum, & in modo informandi totum per modum vnius perfectibilis.

## QVAESTIO X.

*Vtrum aliquæ animæ habeant partes hetereogeneas substantialiter, & intrinsecè?*

### §. I.

*Duæ opiniones.*

1 ESse homogeneas, tenent Soncinas 8. Metaph. q. 10. ratione quinta, ita dicens. *Huiusmodi anima vegetatiua est substantialiter ita similis in omnibus suis partibus, sicut forma aeris; licet habeat diuersas potentias. Istud patet, quia si substantialiter differrent essent diuersæ secundum speciem.* Et indicat Bañez referendus num. 8. licet expressè non loquatur. Sequuntur Patres Carmelitani disp. 6. de Anima q. 3. Thomas Hurtado de Anima sensitiua controu. 2. memb. 4. Fonseca 7. Metaph. cap. 17. q. 1. Conimbric. 1. de Gener. cap. 4. q. 22. art. 2. Latè Arriaga disp. 1. de Anima sec. 6. subsec. 2. dicens, ita tenere communiter Thomistas, & alios relatos à Conimbric. Sed Thomistæ, & alij Doctores ibi relati, de hac quæstione non disputant, sed de alia longè diuersa, vtrū in viuentibus sint plures formæ iuxta diuersitatem partium organicarum? Constat enim, quod adhuc tenendo formam esse vnam, relinquitur huic quæstioni locus quoad vtramque opinionē extremam.

2 Per oppositū asserunt alij partes omnium animarum diuisibiliū esse hetereogeneas. Tribuitur omnibus illis, qui in diuersis partibus viuentis hetereogeneis ponunt partiales formas hetereogeneas. Ita Scot. 7. Met. q. 20. ibi Ant. Andr. q. 17. Venet. 2. de Ani. q. 23. & alij. Ité tribui potest Capr. & Caiet. qui vt retulimus hoc lib. q. 3. n. 36. & 37. duplicem constituunt organizationē, aliam substantialē, & aliā accidentalē. Cæterū cum loquantur etiā de anima humana, facile exponi possunt de hetereogeneitate virtualiter præhabita in forma substātiali, quæ facit partes substātialiter, & accidentaliter organicas.

3 Igitur in proprijs terminis partes animarum diuisibilium esse hetereogeneas substātialiter, & intrinsecè

secè, docet Suar. lib. 1. de Ani. c. 14. nu. 3. compendio eius probationes proponens his verbis. Probatur primo, quia eiusmodi partiales formę requirunt ex propria ratione diuersas dispositiones: ergo sunt diuersarum rationum. Item habent ex se diuersos effectus formales: nã pars formæ arboris, quæ cõstituit foliũ, non posset constituere radicem arboris, neque è contrario. Itẽ operationes diuersarum partium sunt diuersæ: forma autẽ coaptatur diuersis partibus dispositionum.

4 Tandem forma integra totius arboris, quæ informet radices, trũcum, folia, &c. secundum se sumpta, nõ potest esse tam homogenea, sicut forma ignis: alias nulla esset ratio cur vna illius pars esset magis in vna parte materiæ, quam alia: ergo, &c. Nec inferas: ergo illæ partes non sunt cõtinuabiles, quia sũt specie diuersæ. Nam id habet verũ, in his, quæ differunt totali specie, non verò in his, quæ partialiter differunt, & ordinantur ad integritatẽ totius suppositi. Hæc ille; qui idem docet ibi c. 2. n. 19. & disp. 15. Met. sec 10. n. 31. Sequũtur Pereira lib. 6. Phyl. c. 6. Petrus Hurtado disp. 2. sec. 5. subsec. 3. & alij Moderni, qui absolutè dicunt tales partes specie distingui. At verò Rubio tractatu de modo quo anima informat corpus. q. 7. docet non esse diuersitatẽ specificam, sed solum individualẽ; non ex solo diuerso modo vnionis, vt aliqui dixerunt; sed ex diuersitate, & hetereogeneitate substantiali animæ.

## §. II.

### *Certa præmittuntur.*

5 PRo resolutione notandum ex D. Thoma 1. p. q. 11. ar. 2. ad 2. quod *duplex est totum: quoddã homogeneũ, quod cõponitur ex similib⁹ partib⁹: quoddã verò hetereogeneũ, quod componitur ex dissimilibus partibus.* Dissimilitudo autem partium potest esse dupliciter, aut in forma substantiali; aut in forma accidentali. Prima ad huc dupliciter; vel propter realem diuersitatem actualem formæ; vel propter dissimilitudinem partiũ eiꝰ dẽ formæ realis. Dissimilitudo autem accidentium, vel est in radice, quia virtualiter prçhabentur in substantia, vel est cum inhærẽt actu in toto, vel in partibus.

6 Certum est; primo, quod omnes animæ, includẽdo etiam rationalem, in proprio susceptibili, vel antecedẽter, vel consequenter, requirunt partes hetereogeneas, accidentaliter saltem, & extrinsece; quia ad minus in hoc sensu anima est actꝰ corporis organici, iuxta dicta q. 3. Pariterque certũ est, quod omnis ista accidentium diuersitas præhabetur in anima virtualiter, seu in radice, quia forma substantialis est radix, & causa formarum accidentalium.

7 Certum est secundo, quod nõ ita aliqua anima est substantialiter homogenea, quod in materia, seu corpore nõ habeat diuersa exercitia substãtialia. Quod ex duplici capite constat: primo, quia animæ

est actus corporis organici organizatione, non solum accidētali, sed substantiali, vt suo loco exposuimus. Secundo id cōstat, quia vt diximus lib. 2. Log. & in libris de Generatione, substantia corporea habet partes in linea substantiæ; licet earum extensio, & diuisibilitas proueniat à quantitate. Quod locis citatis est stabilitum.

8 Certum est tertio, quod partes non sunt ita hetereogeneæ, quod habeant formas substantiales realiter distinctas; nec ita quod differāt specie perfecta propriè loquendo: bene tamen specie imperfecta, & accidentali. Quod probatur: nā ita docent S. August. de Quantitate animæ cap. 33. S. Gregor. homil. 17. in Ezechielem. S. Thomas. 1. p. q. 76. art. 5. ad 3. & 2. Cōtrag. c. 64. & Thomistæ omnes, vt testatur Bañez. 1. de Gen. c. 4. q. 8. art. 4. & frequenter alij Doctores, præter paucos relatos. n. 2. pro sententia Scoti. Rationemque assignat S. Tho. 1. p. q. 76. art. 8. nam recedente anima, sicut non dicitur animal, & homo, nisi æquiuocè, quemadmodū, & animal pictum, vel lapideum, ita est de manu, & oculo, aut carne, & osse, vt Phylos. dicit 2. de Ani. text. 9 Cuius signū est, quod nulla pars corporis habet proprium opus anima recedente: *Cum tamen omne, quod retinet speciem, retineat operationem speciei.* Deinde, quia vnica anima sufficit ad causandam totam hanc partium diuersitatem, sicut sufficit vnica vt ab ea dimanarēt tot virtutes, potentiæ, & sensus: ergo frustra plures formæ constituentur. De quo latius Soncin. illā. q. 10.

9 Iuxta secundam partem intelligendus S. Tho. in 4. dist. 49. q. 4. artic. 4. ad 5. & dist. 44. q. 1. ar. 2. ad 1. & de Spirit. creat. artic. 4. ad 14. Ita enim debere intelligi, patet conferendo cum his, quæ docet. 1. p. q. 76. art. 5. ad 3. & artic. 8. ad 5. Quia partes nō sunt in specie, sed totū: hoc autem dicitur organicum, & hetereogeneum, quia constat partibus diuersæ rationis inter se; licet eiusdem rationis ex parte formæ, à qua species sumitur. Quod totum optimè docet S. Tho. illa solut. ad 14. videndus.

10 Manet ergo tota difficultas in exponendo, vtrum illæ animæ, quæ sunt extensæ, & peraccidens diuisibiles, quia sunt multæ in potē tia, habeant actu, non solum distinctionem substantialem, sed dissimilitudinem partium in genere substā tiæ vt præuenit quantitatem? Hoc enim erit habere partes hetereogeneas substantialiter, & intrinsece, actu, & formaliter.

## §. III.

### *Anima hetereogenea accidentaliter.*

11 DIcendum est igitur, omnes animas substātialiter esse homogeneas; esseque hetereogeneas virtualiter, quatenus continent diuersas dispositiones organicas requisitas ad diuersas operationes animalis. Probatur primo, à fortiori: nam maiorem diuersitatem organorū, & partium hetereogenearum habent homines, & alia animalia

lia perfecta, quam habeant plantæ, & animalia imperfecta. Sed in homine, cuius anima est simplex, & indiuisibilis, & in animalibus perfectis, diuersitas, seu dissimilitudo partium, non est intrinseca, & substantialis; sed solum in anima præhabetur virtualiter, & eminenter; & ab accidentibus causatur formaliter: ergo pariter dicēdum de omnibus animabus. Quo argumēto poterūt instari omnes rationes contrariæ, quia si vim haberent, etiam in homine procederent.

12 Dices, hoc argumento solum probari esse possibiles animas homogeneas substantialiter; non tamen de facto dari: tum quia animæ imperfectę non debent habere tantam homogeneitatem, quātam habent perfectæ animæ: sicut nos diximus non habere tātā indiuisibilitatem. Tum quia sine vrgenti fundamento non est tribuenda parti animæ pedis tanta virtus, quanta parti capitis tribuitur.

13 Sed contra: nam in primis admissa possibilitate, corruunt omnia fundamenta contraria; & omnia indicia hetereogeneitatis animarū. Et cum magis sit iuxta naturas rerum, quod in genere substantiæ nō sit diuersitas, nisi specifica, vel integralis partium eiusdem rationis, vt inductiue patet in omnib⁹ alijs formis; habemus vrgens fundamentum vt sic de facto constituamus. Nec constituitur tanta virtus parti animæ pedis conueniens quanta parti animæ capitis, quia anima secūdū totalitatem virtutis nō est tota in qualibet parte: & quoad hoc eodem modo loquitur S. Thomas 1.p.q.76.art.8.de omnibus animabus. Cū quo stat, quod animæ perfectæ sunt indiuisibiles: de imperfecta vero, inquit Phylosophus text 20. & S. Tho. lec. 4. li. b. quod *est vna actu, & multiplex in potentia.*

14 Secundū fundamētū, & à priori, sumitur ex Phyl. & S. Tho. multis locis relatis 2. de Gen. q. 8. n. 69. docētibus, quod omnis distinctio, vel diuisio, vel est per quantitatē, vel per formā: quia omnis diuersitas, vel est formalis, vel materialis. Si formalis; est specifica, quia est à forma dāte speciē. Si pure materialis; est à quātitate. Diuisio autē per quātitatē non cōuenit istis formis, nisi peraccidens: & est in partes homogeneas: nā vt ait S. Tho. 1.p.q. 11.art.2.ad 2. *talis est constitutio continui ex suis partibus.* Cum ergo supponamus formaliter esse eiusdem speciei has partes animæ, nō est vnde in linea substantiæ habeant partiū dissimilitudinē: ac perconsequens erunt homogeneæ. Videtur ratio insinuata à Phyl. 7. Metap. tex. 49. & à D. Thoma ibi lec. 3. lit. h.

15 Dices, hoc non obstante discursu, nos ponere partes in linea substantiæ, non prouenientes a quātitate, nec esse specificas prouenientes à forma: ergo pariter possumus in his partibus ponere hetereogeneitatem substantialem.

Facile precluditur hæc euasio, quia partes integrales substantiæ, non sunt tales, nisi inquantum in radice præhabet quantitatem; nec reducuntur ad actū indiuiduationis, & diuisionis, nisi media quātitate,

quæ est ratio formalis extendendi, & diuidendi, & cōditio indiuidui substātialis. Cum ergo diuisio hæc sit in partes eiusdē rationis, etiā illa quæ est radix illius.

16 Iterū respondebis has partes distingui specie partiali: & ideo posse prouenire à forma; & esse hetereogeneas substantialiter.

Sed cōtra; omne totum quod nō est in partes definitionis, nec in partes potestatiuas, est in partes integrales, vt docet S. Thomas illo articulo. 8. & omnes admittunt. Omnes autem partes pure integrales differūt pure materialiter: ergo nō ex diuersitate formæ; sed ex diuersitate materiæ, & quantitatis: quę diuisiones sunt in partes eiusdem rationis. Nec partes istę possent cōtinuari, quia quantitas, & alia accidentia non sūt intrinseca vnio partium substantiæ. Duo etiā actus per se in vna linea non possunt per se in eodem genere adunari. Concludēdum ergo, quod sūt partes in linea substantiæ eiusdem rationis adunatę, quia forma est vna retinens indiuisionem in eodem esse; quæ tamē est diuisibilis peraccidens ratione quantitatis in partes eiusdem rationis substantialis, & diuersæ dispositionis in accidentibus.

17 Ad argumenta Suarez respondetur, omnia instari in anima humana. Et ita concesso antecedēti, negatur cōsequentia, quia sufficit esse hetereogeneas virtualiter. Coaptatio autem formę, & materiæ nō est imaginanda vt adunētur partes eiusdē rationis, vt cōiūguntur duo ligna; sed vt vniūtur actus, & potētia. Nec proportio animę cū suis virtutibus, & accidentibus est intelligēda ita vt similis figurā, & situs, & alia huiusmodi habeantur in actu in substantia; alioquin hęc accidentia superfluerent. Sed quia propter excellētiā formæ, debentur istæ potētiæ, & virtutes, quarū operationes exigunt accidentalem organorum hetereogeneitatē, & substantialem partium similium distinctionē. Per quæ ceſſant tres primæ rationes.

18 Ad vltimā dicitur, hoc prouenire à dispositionibus præcedētibus, & ab alijs principijs extrinsecis, & intrinsecis indiuiduationis: sicut materia de se indifferēs siggillatur, vt recipiat hanc numero formam, eo modo quo explicuimus in lib. de Gene. ita hæc numero forma de se nō hetereogenea substātialiter, & pro tunc hetereogenea accidentaliter solum negatiue, & in potentia; fit actu hetereogenea, propter diuersas causas extrinsecas, & intrinsecas indiuiduationis. Et quo ad aliquid idē argumentum militat in partibus homogeneis, quia posset inquiri, cum forma aquæ de se sit indifferens ad omnes partes materiæ, cur potius hæc recipiat hāc, & illa illam? Cum autē desunt omnes dispositiones, & causæ secūdæ determinātes, recurrendum ad causam primā, tam in formis homogeneis, quā in hetereogeneis, siue sint eiusdē, siue diuersæ speciei. Quod expresse docet S. Th. 1. p. q. 23. art. 5. ad 3. in fine, dicens. *Sed quare hæc pars materiæ est sub ista forma, & illa sub illa, dependet ex simplici diuina voluntate: sicut ex simplici voluntate artificis dependet,*

*pendet, quod ille lapis est in ista parte patietis, & ille in alia. Quamuis ratio artis habeat, quod aliqui sint in hac, & aliqui sint in illa.* Itaq; designatio quasi formalis, & in genere, est ex arte; sed designatio materialis ex volūtate efficientis artificis, vel primi conditoris naturæ, qui est Deus. Et iuxta doctrinam huius q. intelligenda sunt, quæ diximus q. 3. §. 3.

## QVAESTIO. XI.

*Vtrum omnes animæ eiusdem speciei sint æquales individualiter?*

### §. 1. Opiniones Doctorum.

1 Æqualitas est proportio habētium vnam quantitatem, vt docet S. Th. in 1. dist. 19. q. 1. art. 1. ad 4. quia vnum in quantitate facit æquale, vt ex Phyl. docet S. Tho. 5. Met. lec. 9. & lib. 4. lec. 2. in fine. Et ideo illæ quantitates dicūtur æquales, quæ se non excedunt: eo quod æquale dicitur quasi per negationē minoris, & maioris, vt ex Phyl. 10. Met. docet S. Th. 1. p. q. 42. a. 1. Quia tamen vt ibi aduertit ad 1. & 2. alia est quantitas dimensiua, & alia est quantitas perfectionis; ideo æqualitas non solum habet locū in corporalibus, sed etiā in spiritualibus. De quo S. Th. in 1. dist. 7. q. 2. ar. 1. & dist. 19. vbi sup. ad 1. & q. 4. a. 1.

2 Loquendo de animabus extēsis, & diuisibilibus, facile apparet earū inæqualitas individualis: sicut etiam duæ quantitates, & duæ qualitates eiusdem speciei inæquales sunt in extēsione, & multitudine maiori partiū. Præcipua ergo quæstio est de animabus rationalibus; quas certum est accidentaliter, & extrinsece inæquales esse ex nobilioribus dispositionib⁹ corporum, quorū sunt actus. Vndè solū manet dubium, vtrum intra eandē speciē infimam habeāt inæqualitatem substantialē perfectionis individualis?

3 Opinionem negatiuā, ex Thomistis tenent Sonc. 8. Metaph. q. 26. per totā. Soto in Prædicamentis c. de substātia q. 2. ad 5. Ex aliis docēt Henricus quodlib. 3. q. 5. Darādus in 2. dist. 32. q. 3. Fōseca 5. Metaph. c. 28. q. 16. sec. 2. & 3. Petrus Hurt. disp. 2. sec. 6. subsec. 4. & alij. Immo Toletus 3. de Ani. q. 18. cōgerit nouē rationes pro hac sententia; & dicit, quod *sententia Caietani est temeraria, & periculosa, & nullo modo tenenda.*

4 Per oppositū, affirmatiuā sententiam, quod animæ rationales in seipsis sint inæquales in perfectione substantiali, hi omnes docēt. Mag. sent. in 2. dis. 32. c. 8. S. Bonau. in explic. litteræ. Ricard. ibidē ar. 4. q. 2. Aegid. q. 3. Abul. Matth. 25. q. 656. Rubio de pluralitate animarū, q. 3. Et vtrāque esse probabilē, & facile defendi posse, dicunt Ioānes Maior in 2. dis. 31. q. 2. Cōmb. 2. de Ani. c. 1. q. 5. ar. 3. Sed assertiue hāc tuētur Capreolus in 2. dist. 32. q. vnica. Caiet. 1. p. q. 85. a. 7. vbi Bañ. dub. vnic. asserit, quod *censura Toleti cōtra Caietanum indigna est Authore Christiano. Qua propter non credam* (inquit) *esse illius viri, alias docti, & pij: sed existimo insertā esse eius scriptis ab aliquo imperito, & audaci.* Quod probat conclus. 1. & 1. de Gener. cap. 4. q. 3. in fine. Imo P. Rubio vbi supra nu. 61. ait, quod *merito reprehendit Toletū Beñez*: quia opinio tot grauissimorū Doc-

torum,contra quam nil momenti affertur,non sine iniuria ita acriter reprehenditur.

5 Imò tam varia sunt hominum iudicia,quod schola Parisiēsis, referente Henrico, quondam talem ediderit articulum. *Siquis dicit omnes animas ab origine esse æquales,errat:quoniã alias anima Christi non esset perfectior anima Iudæ.* Verũ quia articuli sunt reuocati, & Sequanam,quod est ipsorum Parisiensium flumen, non transeunt; & censura soleti est parum attēte prolata; manet ex Doctoribus vtrimque relatis firmum, quod in hoc puncto vnusquisque potest in suo sensu abundare. Nos hanc secundam eligimus, vt de mēte S.Th.& grauiorũ Theologorũ, & fortioribus nitentē fundamētis.

## §.II.

## *Opinio.S.Thomæ eius rationibus firmatur.*

6 DE mente S.Tho.cōstat primo ex 1.p.q.85.art.7. vbi dicit: *quanto corpus est melius dispositũ, tanto meliorē sortitur animã.* Et quod nō loquatur solũ de perfectione extrinseca, & accidētali, patet: quia ibi ex duplici capite probat, quod eādem rem vnus melius alio intelligit: & quia habet meliorem animã, *& maioris virtutis in intelligēdo*: quæ est perfectio substantialis, & intrinseca. Et postea de perfectione extrinseca, ait: *Alio modo contingit hoc ex parte inferiorum virtutũ, quibus intellectus indiget ad sui operationem, &c.* Et ad 3 soluit præcipuũ argumentum contrariorum. Idem latissime prosequitur S. Thomas in 2.dist.32.q.2.art.3. per totum. Et in 2.dist.21.q.2.art.1.ad 2.vbi ait. *Mulier, etiam quantum ad animã, viro imperfectior erat.* Videatur etiam in 1.dist.8.q.5.art.2. ad 6.

7 Sed obijcies: nāS.Th.3.p.q 69. ar.8.ad 3.ait: *Diuersa capacitas naturaliũ in hominibus non est ex diuersitate mentis, quæ per baptismũ renouatur; cum omnes homines eiusdē speciei existentes in forma conueniāt: sed est ex diuersa dispositione corporũ.* Ergo non agnoscit S. Th.inæqualitatē indiuidualē intrinsecā in animabus, sed solũ extrinsecā. Et quod de indiuiduali loquatur, patet, quia alioquin nō solueret argumentũ: cui sat erat, quod sicut animæ sũt inæquales indiuidualiter, ita, & effectus baptismi.

Respondetur, quod si sequentia verba legātur, nullam cōtinēt difficultatē: inquit enim: *Secus autē est in Angelis, qui differũt specie. Et ideò Angelis dātur dona gratuita secũdũ diuersã capacitatē naturaliũ: nō autē hominibus.* Itaq; vult docere aliã rationē esse de Angelis, qui differũt specie; aliã verò de hominibus, & animabus solo numero differētibus, vt declarat ipse S.Tho.1.p.q.62.art.6.ad 3.& 2.2.q.24.art.3.ad 3. Vnde cum inquit 2.2.q.5.art.4 ad 3.quod *natura humana æqualiter in omnibus inuenitur.* Loquitur de æqualitate specifica: cũ inæqualitas indiuidualis, saltem ex parte corporis, ad sensũ pateat. Et eodē modo intelligendus 3.Met.lec.8.lit.n. cũ ait, *Sed manifestũ est, quod inter indiuidua vnius speciei, non est vnum primum, & aliud posterius secundum naturam, sed solum tempore.* Debere enim sic intelligi, patet, quia loquitur de omnibus indiui-

duis

duis vnius speciei: & tamen patet inter aliqua esse excessū indiuidualem in corporibus.

8 Duæ rationes proponūtur à D. Thoma: altera à priori, & alia à posteriori; præter aliam, quā insinuat à paritate desumptam. A qua incipiendo, sic probatur conclusio primo. Quanto corpus est melius dispositum, tanto meliorem animam sortitur. Quod manifeste apparet in his, quæ sunt secundum speciem diuersa: nam meliores dispositiones, & melius corpus requirit hominis anima, quam requirat anima lacertæ, vel plantæ: & sic de alijs. Vnde Phylosophus 2. de Gener. anim. cap. 3. asserit, quod secūdum quod anima est magis perfecta, vel minus, præparat corpus magis, vel minus perfectum. Ergo pariter inter animas eiusdem speciei, quanto corpora fuerint indiuidualiter perfectiora, exigent animas indiuidualiter perfectiores; vt sit proportio actus, & potētiæ, siue sumātur specifice, siue indiuidualiter.

Dices, corpora esse perfectiora accidentaliter, & extrinsece, penes nobiliores dispositiones accidentales: non vero substantialiter, & intrinsece penes principia substantialia. Vnde & animæ solum extrinsece, & accidentaliter intra eandē speciē erunt perfectiores.

9 Sed contra: nam materiæ, & formæ inanimatorum, non solum accidēraliter, sed etiam substantialiter, & intrinsece intra eandem speciem sunt indiuidualiter inæquales: vt patet comparando lapidem magnum valde, cum alio lapide paruissimo; cum ille diuidi possit in plurimos, vt experientia constat. Ergo pariter materiæ, & formæ animatorum sunt inæquales in diuidualiter substantialiter, & intrinsece.

Secundo, accidentia, quæ dimanant à substantia, sequuntur perfectionem, & inæqualitatem substantiæ: sicut specifice accepta, ita & sumpta in indiuiduo. Immo à posteriori, & quoad nos, non habemus aliud indicium, quo sensibus possimus percipere inæqualitatem specificam, & indiuidualem substantiarum; nisi inæqualitatem accidentium: ergo inconsequenter in hac materia conceditur inæqualitas in accidētib⁹, & negatur in substātia.

10 Secunda ratio S. Thomæ, quæ est a posteriori, sic formatur. Experientia manifestū est, quod aliqui alijs profundius intelligunt: sicut profundius intelligit, qui conclusionem aliquā potest reducere in prima principia, & causas primas; quam qui potest reducere solum in causas proximas. Et videmus vacantes eidem scientiæ sub eisdem magistris, quosdam pauca, & valde confuse percipere: alios vero multa subtiliter speculari. Ergo vn⁹ alio meli⁹ intelligit. Ergo est melioris virtutis intellectiuę. Ergo est melioris animæ substantialiter indiuidualiter. Consequentiæ patent, quia melior operatio arguit meliorem potētiam intellectiuam: sicut meli⁹ videt visione corporali rem aliquam, qui est perfectioris virtutis, & in quo virtus visiua est perfectior: & e contra arguimus ad pro-

bandam perfectionem potentię ex perfectione actus. Melior autem intellect⁹ arguit perfectiorem subsłātiam, à qua naturaliter dimanat.

11 Respondet Soncinas ad primum, & post eum omnes alij Sectatores primæ sententiæ, quod intellectus, & voluntas vnius hominis non sunt perfectiores secundum se, quam alterius: quia sunt proprietates perse consequentes essentiam animæ intellectiuæ, quæ non suscipit magis, & minus. Operatio tamen, vel vsus intellectus est nobilior, & promptior in vno, quam in alio. Cuius ratio non est ex parte intellectus; sed ex parte virium sensitiuarum interiorum deseruientiū intellectui in eius operatione; quarum viriam vna est perfectior in vno, quam in alio, propter variā dispositionem organorum, seu instrumentorum. Idem enim aliquando malè, aliquando benè scribit, cum calamus nō vno modo aptatus est.

12 Hæc euasio in primis è diametro repugnat cum Diuo Thoma 1.p. illa quæst. 85. art. 7. vbi docet, quod *vnus alio potest eandem rem melius intelligere, &c. vno quidem modo ex parte intellectus, qui est perfectior, &c. Alio modo contingit hoc ex parte inferiorum virtutum, quibus intellectus indiget ad sui operationem, &c.* Expressè ergo S. Thomas inæqualitatem in intelligendo, non solum reducit in inæqualitatem instrumentorum; sed multo magis ad inæqualitatem ipsius intellectus, & animæ.

Secundo retorquetur exemplū: nam eodemmet instrumento vnus alio melius scribit, vel pingit. Et qui arte carent, quantumuis sint bene aptata instrumenta, non bene pingent, vel scribent. Ergo præcipuus defectus non semper est ex parte instrumenti; sed potius ex defectu interno potentiæ, vel artis. Ergo si exemplum debet quoad hoc tenere, præcipuus defectus in intelligēdo erit ex parte intellectus; quamuis extrinsece etiam proueniat ex parte instrumentorum.

13 Tertio, animæ separatæ in intelligendo non vtuntur his corporeis instrumentis: & tamen naturaliter loquendo, non omnes animæ æqualiter idem obiectum intelligunt; sicut nec omnes Angeli, proportionaliter accipiendo. Ergo tota inæqualitas intelligendi nō prouenit ab instrumentis.

Quarto, cum intelligimus Deū, vel Angelos, licet in via quoad modum sit dependenter à phantasmatibus corporeis: tamen subsłantia operationis est spiritualis, ex parte actus, & obiecti. Ergo quod hæc operatio sit melior illa alterius indiuidui, præcipuè non est ex parte instrumētorum, quæ corporalia sūt; sed ex parte intellectus, & animæ, quæ spiritualia sunt.

14 A priori probatur conclusio: nam quæ habent principia indiuiduantia intrinsece, & subsłantialiter inæqualia, & ipsa inæqualia sūt indiuidualiter intra eādem speciē. Sed animæ, etiam rationales, habēt principia indiuiduantia intrinsecè subsłantialiter inæqualia. Ergo & ipsæ animæ inæquales sunt in perfectione subsłantiali indiuiduali. Maior patet primo, quia vt ostendim⁹

2.de

2. de Gen. q. 8. §. 3. principium intrinsecum individuationis proximum non differt realiter à substantia individua. Secundo, quia vt diximus lib. 1. Log. q. 24. n. 8. differētia individualis est differentia propriſsima individui, quod constituit: vnde eoipso, quod physicè loquēdo, sit inæqualitas in principio individuationis, etiam erit in re individua. Minorem verò ostendim⁹ 2. de Gener. q. 8. ex doctrina S. Thomæ 2. Contrag. cap. 81. & cap. 6. de Ente, & essentia. In quibus locis videndi Caiet. & Ferrar. & ipse Soncinas 7. Metaph. q. 34. ad 2. & rationem assignat S. Thom. de Spiritua lib. creat. art. 9. *Nam sicut de ratione animæ est, quod sit forma corporis; ita de ratione huius animæ, inquantum est hæc anima, est quod habeat habitudinē ad hoc corpus.*

15 Quod autem hæc coaptatio animæ humanæ cum hoc corpore organico reducto ad æqualitatem tāgibilium, quam maximè, quæ est complexio animæ intellectiuæ, nō consistat in individuibili, sed suscipiat magis, & minus, probat Sanctus Thomas prima parte illo ar. 7. *Quia actus, & forma recipitur in materia secundum materiæ capacitatem. Vnde cū etiam in hominibus quidam habeāt corp⁹ melius dispositū, sortiuntur animam maioris virtutis in intelligendo. Vnde dicitur in 2. de Anima tex. 94. quod molles carne bene aptos mente videmus.* Datur ergo inæqualitas individualis in principio individuationis animæ: acperconsequens inter ipsas animas.

16 Respondet Durandus, & alij hanc rationem militare ad summū in formis eductis de potentia materiæ: secus verò in anima rationali, quæ à Deo creatur pri⁹ naturā, quā vniatur corpori.

Hoc tamē iam præoccupauerat S. Thomas illo cap. 6. de Ente, & essentia, docens ex Auicena, quod individuatio animæ pendet ex corpore quantum ad sui principium; sed non quoad sui finem. Quod latius prosequitur in primo distinct. 8. q. 5. ar. 2. ad sextum, addēs, quod *impossibilis est error ponentium animas prius creatas, & postea incorporatas, quia non efficiuntur plures, nisi secundū quod infunduntur pluribus corporibus.*

17 Differentia autem inter nostram animam, & reliquas assignatur à Caiet. illa quæst. 85. & quæst. 76. art. 2. circa ad 2. & Ferrara 2. Cō tragētes. c. 75. & Bañez ad 3. quod nostra anima *causaliter* non accipit individualem perfectionem à corpore, sed à Deo ordinante ad diuersa corpora: ab illis verò accipiunt suam perfectionem *occasionaliter*. Sicut enim materia prima nō est causa, sed occasio, quod creetur hæc anima, & non illa; ita non est causa, sed occasio, quod hæc anima creetur perfectior, quam illa.

18 Sed instant: nam si melius dispositi corporis melior est anima, sequitur quod idem varietur substantialiter quoad animam per totam vitam. Quod est aperte falsū: ergo. Sequela probatur, quia non sunt maioris efficaciæ dispositiones præcipuæ, quam conseruantes.

Respōdetur negando sequelam. Ad probationem dicitur, quod nō prouenit ex efficacia dispositionū:

sed ex statu illo prævio in quo solo sunt occasio individuandi; quia anima essentialiter est perfectio coaptata suo perfectibili: & cum sit substantia spiritualis, semel individuata, variatur solum accidentaliter, & extrinsecè: non verò substantialiter, & intrinsecè.

19. Adhuc instabis, quia nulla est implicatio; quod Deus creet animas non creatis corporibus: sicut eas conseruat sine illis. Ergo tunc nec in fieri, nec occasionaliter animæ individuatio pendet à corpore. Ergo seipsis, & intrinsecè semper sunt æquales.

Respondetur concedendo antecedens, loquendo de potentia absoluta; secus verò ex natura rei: & vtrumque docere videtur S. Thomas. 1 p. quæst. 90. art. 4. & alibi sæpè. Et distinguo primum consequens, non dependet à corpore actu existente, concedo consequentiam. Non dependet à corpore posibili, nego consequentiam. Sicut enim accidentia miraculosè conseruantur sine subiecto; non tamē sine ordine ad subiectum. Ita dicē dum de anima nostra, ipse Soncinas fatetur 7. Metaphis. quæst. 24. ad 2. ex S. Tho. de Spiritualibus creaturis artic. 9. ad tertium, ita concludens. Animæ igitur, quæ fuerunt in materia, receperunt distinctionē in instanti primo vnionis earum ad materiam: & ideò post separationem sunt distinctæ, quia fuerunt in distinctis materijs. Illæ verò, quæ numquam fuerunt in materia; si fierent; ideò essent distinctæ, quia possent esse in distinctis materijs; sicut ideò essent animæ, quia possent esse in materia. Hæc ibi. Et sic patet, quod inefficaciter, & minus consequenter arguit contra nos, ex eo quod anima prius habet esse, quam vniatur materiæ; & ex eo quod potest Deus producere animam intellectiuam separatā à materia: vt patet lib. 8. q. 26.

Quibus si addas, quod hæc coaptatio, & commensuratio animæ cū corpore, ex illo latitudinē habet, manifestum relinquetur, quod non tantum de posibili, sed de facto animæ erunt inæquales individualiter. Quamuis non videam rationē cur omnes debeant esse inæquales: quidquid aliqui dixerint: contra quos Rubio. n. 70.

## §. III.

### *Argumenta soluuntur.*

20 IN primis arguit Durandus, quia sequitur, quod substantia susciperet magis, & minus: contra receptam doctrinam Phylos. in Prædicam. Sequela probatur, quia participatio vnius formæ secundū speciem secūdum diuersos gradus, est propriè comparatio secundum magis, & minus.

Cōfirmatur ex Soncinate vbi supra rat. 3. nā sequitur, quod forma substātialis posit intendi, & remitti. Cōsequens est falsū, vt patet ex dictis lib. 1. de Gen. q. 14. ergo animæ eiusdē speciei nō possunt habere inæqualitatē intrinsecā substantialem. Cōsequentia patet: nam sequitur, quod forma substātialis posit habere perfectius esse, quam haberet: ergo sequitur, quod posit inten-

intendi. Antecedens verò probatur: esse formæ substantialis, secundum nos, est tanto perfectius, quanto dispositiones, quæ simul introducuntur cum forma substantiali, sunt perfectiores. Sed istæ possunt intendi, postquam forma est introducta. Ergo forma substantialis habebit perfectius esse.

21 Respondet bene Caiet. quod vocabula propriè sumendo, & seclusis modis significādi minus proprijs, quamuis vna res sit perfectior altera, siue eiusdē, siue alterius speciei; nūquam dicitur suscipere magis, & minus; nisi possit esse motus, aut mutatio de magis in minus, aut è conuerso: quia nihil aliud est suscipere magis, & minus, quam intendi, & remitti: quæ sine mutatione de minus in magis, aut è conuerso, intelligi nequeunt. Hoc autem nō conuenit animæ intellectiuæ, quia *intransmutabilis* substantiæ est; & cōmensurationem illam, quam semel accepit, *imperdibiliter* sortita est: quia est idem realiter, quod substātia sua, quæ est ingenerabilis, & incorruptibilis. Per quæ patet ad cōfirmationem: cui satisfecimus. nu. 18. & lib. 1. de Gen. q. 14. n. 10.

22 Præterea arguitur argumēto, quod vocatur à Toleto *valdè efficax*: nā sequitur, quod duæ animæ inæquales specie differrent. Quod est cōtra suppositionē quæstionis, quæ procedit de animab⁹ eiusdem speciei. Sequela probatur, inquit, *manifestè*, quia ex recta Metaphysicę doctrina non est alia differentia specifica, quam illa, quæ gradū perfectionis substantialis addit; & ideo probam⁹ hominem specie differre ab equo. Ergo data inæqualitate graduali animarum, different animæ, & homines sicut duo Angeli diuersæ speciei.

Facile iam respondetur S. Th. illo art. 7. ad 3. inquit, *dicendum, quod differentia formæ, quæ non prouenit, nisi ex diuersa dispositione materiæ, non facit diuersitatem secundum speciem, sed solū secundum numerum. Sunt enim diuersorū individuorum diuersæ formæ secundū materiam diuersificatæ.* Cuius solutionis sensum bene declarat ibi M. Bañez docens ad 3. quod perfectio substātialis est duplex. Altera est quidditatiua, & essētialis, quæ desumitur ex principijs formalibus, & specificis (quia species sumitur à forma) & ista semper est vniformis: nā vt dicitur 8. Metaph. text. 10. species rerum sunt sicut numeri, in quibus addita, vel subtracta vnitate varia tur species. Alia vero est perfectio substātialis, & intrinseca, sed individualis, quæ desumitur ex cōmensuratione ad materiam; & prouenit tantum ex principijs individualibus. Vnde stante æqualitate, & vnitate naturæ specificæ, verificatur in diuersis individuis realiter distingui, & inæqualem esse.

23 Arguūt deinde ratione Theologica: quia multæ animæ hominum, qui ignorātes fuerunt in hoc sæculo, & imperfectiores substātialiter; excedent in gloria alias animas, quæ habuerunt corpora optime temperata; & ideo erunt perfectiores in substantia. Hoc autem dicere videtur inconueniens: nam hunc potius ordinem habere debe-

rent,

rent,vt perfectiores naturæ essent in gratia,& in gloria,sicut, & Angeli.Debuit ergo idem esse in animabus,si inæquales.

Iam diu S.Thomas responderat 1.p.quæstione.62.artic.6.ad 3. red dēdo disparitatem:nam diuersitas naturalium aliter est in Angelis,qui differunt specie; & aliter in hominibus, qui differunt solo numero. Differentia enim secundum speciē est propter formā: sed differentia secūdum numerum est propter materiam.In homine etiā est aliquid, quod potest impedire,vel retardare motum intellectiuæ naturæ: nō autem in Angelis. Vnde non est eadē ratio de vtroque. Hæc S.Thomas videndus 2.2.q.24.art.3.ad 3. vbi acceptatur ab omnibus Theologis.

22 Retorqueturque argumētū: quia præmiū,& beatitudo non correspondent naturæ,sed operationibus. Sed est de fide,quod non correspondent operationibus naturalibus, vt volebat Pelagius. Ergo congruentia illa, quæ est in Angelis,de correspondentiagratiæ cum natura;in omni sententia non militat in hominibus: quos inæqualiter intelligere,& velle euidēter experimur.

23 Vltimo,inquit Toletus,*manifesta ratione à posteriori conuincitur, non esse vnam animam substantialiter, & intrinsece perfectiorem altera.* Quia omnis differentia,quæ reperitur in diuersis hominibus, quātumvis maxima,cōtingit vt reperiatur in eodemmet homine, contingit enim vt nunc valeat ingenio, & memoria, & paulo post ex morbo fiat hebes,tardus,imo & amens;nunc bonus,postea malus. Quod prouenit ex diuersa dispositione corporis. Nisi vellis stultissime dicere in eodē animā immutari: quod est plusquam ridiculum, & error stultissimus.Est ergo temeraria, & periculosa talis assertio de inæqualitate intrinseca animalium rationalium.

Facile respondetur ex dictis n. 8.negando antecedens,si sermo sit de differentia substantiali, & intrinseca:admittendo vero de variatione accidentali, & extrinseca. Et in isto sensu docet Sanctus Thomas 1.p.q.84.ar.8.quod *iudicium intellectus impeditur per ligamentum sensus:* propter necessitatem intelligendi per conuersionem ad phātasmata. Et variatio ista superueniens peraccidens se habet ad indiuidua-tionē animæ.Solum eam diuersificat accidētaliter,& extrinsece. Ex quibus patet quantum Toletus excesserit censurando Caietanū.

## QVAESTIO XII.

*Vtrū omnes animæ specie distinctæ,sint perfectione inæquales?*

1 COmmunis sententia affirmat ex Phylosop.8.Metaph.textu 10.dicente,*quod species rerum sunt sicut numeri.*

***

§.I.

## §. I.

### *Opiniones Recentiorum.*

DE veritate tamen huius axiomatis primus cepit dubitare P. Suarez 2.to. Metaph. disput. 29 sec. 3. n. 16. nã licet duæ res æquè distent, à non ente, videtur esse posse dissimiles in natura: nam in Deo alia est relatio æqualitatis à relatione similitudinis. Vnde in relationibus diuinis paternitas, & filiatio dissimiles sunt: & tamen *coæternæ sibi sunt, & coæquales.* Ergo cũ distinctione specifica, compatitur æqualitas in perfectione.

2 Deinde Arriaga disp. 1. sec. 8. & alij Recentiores, absolute affirmãt animas specie distinctas esse posse æquales in perfectione. Quod vlterius probant: nam duę cognitiones æquè intensæ, ac claræ, vna de Petro, ac de Paulo altera, sunt aliqualiter dissimiles; siquidẽ sunt de diuersis: nec tamen vllo modo sunt inæquales: perfectio enim quà in vna dicit esse representatiuam Petri, dicit in altera esse representatiuam Pauli: ergo dissimilitudo non dicit formaliter inæqualitatem. Ergo possunt duæ species diuersæ æquales esse inter se.

3 Præterea, ex ipsis terminis videtur manifestum, aliud esse diuersitatem; aliud inæqualitatẽ. Ideoque in moralibus, quantumuis videamus res valde diuersas, adhuc sæpè tanti vnam, ac alteram æstimamus. Item in physicis æqualem solent ad ferre voluptatem, duo bona quantũuis specie diuersa. Et intellectui æqualiter solent arridere duo ingeniosi conceptus quantumuis diuersi inter se. Ergo diuersitas specifica non arguit necessario inæqualitatem.

Confirmatur totum hoc, inquit Arriaga, *manifestissima ratione*: nam videmus ipsis oculis colorem rubrum, & viridem esse notabiliter diuersos: esse autem inæquales, & vnum esse perfectiorem altero, nõ videmus. Vbi enim vides excessũ? & in quo est? Cur ergo debemus dicere, necessario eos esse inæquales?

4 Alij Neotherici cẽsent in hac re insignem æquiuocationem committi, qua ablata, facilis est quæstionis solutio. Potest inquiri de rebus à parte rei independenter ab intellectu. Et hic, interrogandi modus, in quo multi quæstionem pertractãt, *plane est ineptus*, quia à parte rei independenter ab intellectu nõ est conceptus specificus distinctus ab indiuiduali. Si verò quæstio procedat de similitudine, & æqualitate secundum nostrum modum concipiendi, locum habet quæstio, quia secundum nostrum modum concipiendi sunt gradus generici specifici, & indiuiduales.

5 Addit, quod infra eandẽ speciẽ possunt per prædicatũ quoddã medium aliqua indiuidua esse æqualia inter se, & inæqualia ab alijs: nam possunt conuenire in aliquo prædicato, per quod non notabiliter differant. Vt si vnum indiuiduum possit simul habere tres cognitiones, & aliud solũ duas, & aliud vnam tã

tum

tum. Vel si vnum exigat materiam extẽsam per duas vlnas, & alia vnã, & dimidiam tãtum. Vel si exigant diuersa temperamenta: hæc enim prædicata non sunt specifica, quia non sunt essentialia. Nec propria, quia non omni conueniunt. Nec singularia, quia ista conueniunt vni tãtum. Ergo sunt prædicata media inter speciem, & indiuiduum.

6 Denique hinc arguit ad probãdum, non requiri inæqualitatẽ perfectionis, ad distinctionem specificam: nam præcisè ex sola notabili operationum differentia, sufficienter species distinguuntur. Ergo nõ est necessaria inæqualitas ad hanc distinctionem constituendam. Antecedẽs probat cõmunis omnium hominum consensus: nam illa indiuidua dicunt specie distingui, quæ operationes habent notabiliter differẽtes, nulla alia ratione ducti: tota autem prædicamẽtorum series, non ex certa regula, neque ex ratione metaphisica, vel naturali desumitur, sed ex prudenti arbitrio Aristotelis, & Phylosophorum, qui illum sunt secuti.

## §. II.

### *Status quæstionis.*

7 INcipiendo ab hac vltima sentẽtia, nihil veritatis in illa reperio. In primis, quia incidit in sententiam Nominalium, iam ab scholis exulantem, & reiectam lib. 1. Log. q. 11. Vbi ostendimus dari vniuersalia in rebus, iuxta illud Phyl. 1. Periher. lec. 10. in princ. *Rerum alia sũt vniuersales, alia particulares.* Et ex cõmuni modo concipiendi hominũ. Et quia licet distinctio actualis naturæ ab vniuersalitate, fiat per rationem: tamen fundamentum illi reperitur in rebus.

8 Deinde falsũ est, & contra omnes Phylosophos, & Logicos, quòd detur gradus medius inter gradum specificum, & indiuidualem: quia, vel prædicatum à quo sumitur, est essentiale; vel accidẽtale; propriũ, aut commune. Inter hæc enim hucusque non est inuentum medium; illa autẽ, quę vt intermedia in argũmẽto referuntur, vel cõueniũt omnibus? Et sic sunt prædicata, vel specifica, vel propria. Vel cõueniunt aliquibus. Et sic sunt prædicata accidẽtalia, aut sicut indiuiduum vagum. Et inter hæc, & prædicata omnino indiuidualia, nõ reperitur medium. Et implicat dari exigentiam specificam, quæ non cõueniat omnibus: quia quod conuenit perse, omnibus, & vbique conuenit.

9 Falsum etiam est, quod distinctio prædicatorum, proueniat ex mera opinione Phylosophi: licet enim ab illo acceperimus prædicamẽtorũ numerum. Tamẽ, quod in primo prædicamento inter speciẽ, & indiuiduum nihil mediet, prouenit ex ipsa essentia quidditatis, & indiuidui; prædicati essentialis, & accidentalis. Et ideò in nullius Phylosophi mentem hucusque venit prædicata media inter speciem, & indiuiduum excogitare.

10 Vt de aliorum sententia iudicium fiat, præmittenda est illa maxima Phylosophi, adducta à D. Th. in

in 1. dist. 19. q. 1. & in 3. dist. 19. q. 1. art. 1. q. 1. & 4. Met. lec. 2. in fine: videlicet, *vnum in substantia facit idem; in quantitate, æquale; in qualitate, simile.* Quia verò quantitas est duplex, nempè, mollis, & virtutis. Ideò etiam æqualitas, & quantitas etiã est duplex, scilicet, mollis, & virtutis, vt docet S. Tho. in 1. dist. 7. q. 2. art. 1. & q. 8. de verit. art. 14. ad 19.

11 Singulariter autem aduertit S. Tho. 1. p. q. 42. artic. 1. ad 2. *quod vbi attenditur æqualitas secundum quantitatem virtualem, æqualitas includit in se similitudinem, & aliquid plus: quia excludit excessum. Quæcumque conueniunt in vna forma, possunt dici similia, etiã si inæqualiter illam formam participent. Sicut si dicatur, aer esse similis igni in calore. Sed non possunt dici æqualia, si vnũ altero perfectius formam illam participet.*

12 Præterea aduertendum, quod comparatio in perfectione, potest attendi dupliciter: vno modo in esse physico: alio modo in esse morali. Prima comparatio attenditur, penes ipsam entitatẽ rei. Et formaliter propria ratio boni est appetibile fundamentaliter, vt diximus 1. p. Met. Controu. 14. art. 2. n. 39. Altera verò comparatio est in ordine ad vtilitatem humanam: cõstat enim, quod viuentia sunt perfectiora non viuentibus: & tamen in ordine ad vsus humanos, præfertur multitudo auri, multitudini locustarum. Aliud exemplum affert S. Thomas Quodlib. 8. art. 7. de lapillo, qui in computationib⁹ ponitur loco centum marcarum, cum in se nihil valeat, vt dicitur Prouerb. 26. *Sicut qui mittit lapidem in acervum Mercurij, ita qui tribuit insipienti honorem;* Mercurius enim dicebatur Deus ratiocinij, & mercationis. Et rationẽ assignat S. Tho. in simili 1. 2. q. 20. art. 6. quia nihil prohibet aliquid esse vnum, secũdum quod est in vno genere, & esse multiplex secũdum quod refertur ad aliud genus. Cum ergo perfectio physica sumatur ab actualitate, integritate rei in se: & perfectio moralis sumatur in ordine ad conuenientiam quoad vsus humanos. Ideò potest esse aliquid melius quoad nos, & secundum se esse deterius. Hoc supposito.

## §. III.

### *Communis, & vera sententia.*

13 DIco primo: loquendo secũdum æstimationem moralem, bene possunt duæ animæ specie diuersæ esse æqualis æstimationis, & illa, quæ in esse entis est imperfectior, plus appeti, quam illa, quæ in esse entis est perfectior. Hãc damus argumentis primæ sententiæ: & sequitur ex proximè dictis. Et rursus patet experientia: nã non constat, specificè loquendo, an formicæ sint excellentiores, quam apes: & tamẽ magis apetimus apes, quam formicam: quæ sibi soli congregat: apis verò appetibilior est, si quidem nobis melificat. Similiter de perfectione specifica Perdicum, & Gallinarum, parum curamus: sed solum prospicimus, & ardentius appetimus, quæ vtiliora nobis iudicamus.

Dico

14 Dico secũdo: animæ omnes speciæ distinctæ in esse physico, sũt perfectione inæquales. Ita Sanctus Thomas prima parte quæstione. 76. articulo. 3. ita dicens. Inueniuntur rerum species, & formæ differre ad inuicem secundum perfectius, & minus perfectum. Sicut in rerum ordine animata sunt perfectiora inanimatis: & animalia plãtis: & homines animalibus brutis. Et in singulis horum generum sunt gradus diuersi. Et ideo Aristoteles in 8. Metaph. assimilat species rerũ numeris: qui differunt specie secũdum additionem, vel subtractionẽ vnitatis. Et in 2. de Anima text. 30. comparat diuersas animas specieb⁹ figurarum, quarum vna continet aliam: sicut pentagonum continet tetragonum, & excedit. Sic igitur anima intellectiua continet in sua virtute quidquid habet anima sensitiua brutorum, & nutritiua plantarum. Hæc ibi.

15 In quibus efficaces rationes conclusionis continentur. Prima à priori: nam illud secundum quod aliquid sortitur speciem, oportet esse fixum, & stans, quasi in indiuisibili. Et quidquid attingit illud, sub illa specie continetur: & quidquid recedit ab eo in plus, vel min⁹, pertinet ad aliam speciem perfectiorem, vt docet Sanctus Thomas prima secundæ quæstione 52. articulo primo. Et ratio est, quia si constitutiuum speciei, non esset aliquid indiuisibile, species non prædicaretur de pluribus solo numero, & materialiter differentibus; sed de differentibus formaliter; & ita confunderentur definitiones generis, & speciei: ergo differentia vnius speciei ab alia, est per aliquid inæqualiter ab illa distans. Ergo per aliquid perfectius illo. Probatur cõ sequentia: nam perfectio, de qua loquimur, non differt ab ipso constitutiuo speciei: quod si sit æquale præcedenti, erit eiusdem speciei: quia quælibet species prædicatur æqualiter de suis indiuiduis, vt docet Sanctus Thomas Quodlibeto tertio articulo sexto: & septimo, Metaphisicæ lectione nona in fine: ergo constitutiuum non est æquale præcedenti speciei. Ergo neque eius perfectio est æqualis præcedenti. Patet consequentia: nam entitas, bonitas, & perfectio, de qua loquimur, sunt realiter idem.

16 Quod amplius explicatur: nam sic se habet quantitas virtutis vnius perfectionis spiritualis, ad aliam perfectionem spiritualem eiusdem generis; ac se habet vna quantitas mollis ad aliam quantitatem extensam, & corpoream: sed implicat duas quantitates corporeas esse inæquales in extensione, & esse æquales in eo quod est proprium quantitatis mollis: ergo implicat, quod duæ species, quarum quantitas virtutis est inæqualis, eorum etiam perfectio, quæ non differt ab ipsius entitate, ponatur æqualis in perfectione. Contra rationem hoc modo formatam, non habet locũ euasio ab aliquibus conficta: & ideò ommittẽda.

17 Præterea, vt duæ animæ sint æqua-

æquales in perfectione entitatiua, debent assimilari in quantitate virtutis, seu eorum quantitas debet esse formaliter vna, iuxta dicta numero 10. Sicut duæ quantitates corporeæ non erunt æqualis extensionis, si vna aliam excedat in extensione corporali. Sed animæ diuersarum specierum non possunt habere vnam quantitatem virtutis: ergo non possunt habere æqualitatem perfectionis. Probatur minor, quantitas virtutis, est idem ac rei perfectio, iuxta illud Sancti Augustini sexto de Trinitate, adducti à Diuo Thoma quæstione 42. articulo primo: *In his, quæ non molle magna sunt, hoc est maius esse, quod melius esse.* Et hoc non differt à rerum essentia, & specie. Ergo stante inæqualitate in esse specifico, non potest non esse inæqualitas in quantitate virtutis, seu perfectione: cum hæc non differat à perfectione entitatiua. Alia argumenta pro nobis ponderat Pater Vazquez prima parte disputatione 122. capite secundo in fine.

18 Ratio Patris Suarez in multis deficit. Primo, in sententia asserente, quod relationes diuinæ, secundum quod differunt inter se, & ab essentia, non dicunt perfectionem. Quæ est sententia Scoti in tertio distinctione prima quæstione quarta, & Caietani, Ferrariensis, Capreoli in primo distinctione septima quæstione prima ad tertium. Et ferè communis aliorum Thomistarum prima parte quæstione 28.

Item locum non habet argumentum in sententia eorum, qui etiam increatis asserunt relationes secundum conceptum *ad*, non dicere perfectionem. Quos refert, & latè sequitur Araujo libro quinto Metaphisicæ quæstione quinta articulo tertio. Etiam argumentum caret vi asserendo cum Nominalibus, relationes dicere perfectionem: & non esse inconueniens, quod vna reperiatur in vna persona, quæ non reperitur in alia. Tandem deficit, quia argumentum debet esse à certioribus: & vt negetur maxima ab omnibus admissa, non debet argui ex opinione à paucis recepta, vel à sensibus tam remota.

19 Ad argumentum aliorum respondetur; quod ex illa parte qua obiecta differunt, etiam ipsæ cognitiones sunt inæquales: licet inæqualitas illa in esse physico; in æstimatione humana ad inuicem compensetur: quia differentia individuorum, quæ physicè est primo diuersa; quo ad nos est minima.

20 Ad aliam probationem respõdetur, nos non asserere idem esse diuersitatem, ac inæqualitatem: sed dicere, quod diuersitas fundat inæqualitatem: sicut conuenientia in quantitate, fundat inæqualitatem, & conuenientia in qualitate, fundat similitudinem: & hæc distinguuntur, sicut differt relatio a fundamento. Reliquæ probationes sunt pro nostra prima conclusione; & nihil opponuntur secundæ.

Ad

21 Ad cõfirmationem facillimè respondetur, quod idem, & diuersum cognoscere pertinet ad solum intellectum, cuius est cognoscere rationes metaphisicas. Vnde argumentum manifestissima laborat æquiuocatione. Deinde non est quærēda resolutio huius quæstionis ex materialibus sensuum operationibus.

22 Ad vltimum, reiectis duab⁹ suppositionibus illius à Thomistis iam impugnatis: respondetur operationes non distinguere species à priori: sed tantũ à posteriori. Quando autem ex operationibus habemus fundamentum ad distinctionẽ specificam formarum; etiam ad inæqualitatem formarum. Et oppositum nulla ratione arguens probat: sed petit principiũ. Deinde illa notabilis differentia operationum, si est notabilis essentialiter: sicut variat speciem, debet reperiri in omnibus eiusdem speciei; nisi peraccidens impediantur. Si ad hoc nõ pertingit, solum erit, vel accidens proprium, aut commune.

## QVAESTIO XIII.

### *Vtrum potẽtiæ distinguantur ab anima?*

1 REcto ordine doctrinæ postquã egimus de natura animæ, disputandum sequitur de viribus, seu potentijs, quibus immediatè operatur. Et quamuis quæstio hæc prior videatur iam determinata ex dictis 2.p.Met.& lib.2.Phys.q.10.tamen vt in particulari doctrinam tradamus, oportet nominatim de animę distinctione tractare.

2 Sententiam negatiuam tenẽt Scot.in 2.dist.16.q.vnica. Et Greg. in 2.dist.16.& ibidem Gabr. OKã, & alij Nominales. Gerson alphab. 64.lit.q. Hurt.disp.4.sec.4. Arriaga disp.3.sec.3. Ripalda lib.3. de Ente supern.disp.45.nu.6. Et passim alij Recentiores, præcipuè Scriptores Societatis.

### §. I.

### *Sententia S. Thomæ Patrum authoritate probatur.*

3 PEr oppositum potẽtias animæ realiter ab anima distingui, docet Angelicus Præceptor S. Thom. 1.p.q.77.art.1.& Quodl.20.art.5. & q.de Spirit.creatur.art.11.& de Anima ar.12.& art.19.& in 1.dist. 3.q.4.art.2.& 1.p.q.54.ar.3. quem sequuntur eius Discipuli. Item ex alijs tenent B.Alb.Mag.in 1.dist.3. art.vlt.& 2.de Anima tract.1. cap. 11. Alexand.Alens.2.p.q.65. mẽb. 1.& Aegyd.Rom. illa dist.3.q.17. art.2.& quodlib.3.q.10. Item Apolin.lib.2.de Ani.q.7. Iand.q.9. Eandem sententiam docuisse Platonẽ, & Photinũ in Thimæo refert Marsilius Ficinus lib.10. de Theologia Platonis. Et tenere Plutarchum lib. 4.de Placitis. c.4. & Tertulianum lib. de Anim. testatur M. Bañez, & quod communiter tenent omnes Iuniores sui temporis. Et verè ita est: nam tunc eam docuerunt Toletus 2.de Anim.q.9 Suarez disp.18. Met.sect.3.n.30.& latius lib.2. de

Anima

Anima cap. 1. & de Angelis lib. 2. c. 1. & lib. 3. c. 1. & lib. 4. c. 24. Molina 1. p. q. 14. art. 3. Vazq. 1. 2. disp. 34. c. 3. PP. Conimb. lib. 2. de Anim. c. 3. q. 4. Rub. hic. q. 1. n. 6. Valent. to. 1. disp. 6 q. 6. punct. 2. Et Albertinus relatus in Metaph. vbi sup. n. 14. dicit *communem Scholæ*.

4 Vnde mirandum, quod Recentiores Societatis in contrariam opinionem conspirarint, cum hanc eorum Doctores Antiqui, & Sapientissimi tã vnanimiter tradiderint?

Sed dicunt non esse mirandum, se fultos authoritate Patrum, relinquere D. Thomam. Hoc tamen potius auget admirationem: nam authoritates ab ipsis transcriptæ, iam fuerant à suis Antiquis ponderatæ: & non potest non quilibet inquirere, cur veneratio Patrum prævaluerit in Recentioribus cõtra D. Thomam? Cum tamen eorum Magistros, & Patres à D. Tho. non separauerit in hoc puncto? Præterquamquod numquam contra Patres S. Tho. sed compendiũ Patrũ ab omnibus iudicatus, vt latissimè, & eruditissime M. Grauina lib. inscripto, *Cherubin Paradisi*. Quomodo non mirandum, quod in re opinabili S. Thom. Patres reliquerit?

5 Affero ergo S. Tho. à Patribus suam accepisse opinionem. Quod in primis probatur ex S. Dionys. c. 11. Cæles. Hier. ante mediũ, dicente, quod *cælestes spiritus diuiduntur, in essentiam, virtutem, & operationem*. Multo igitur magis in anima, aliud est essentia, & aliud virtus, siue potentia. Respondent verum esse ibi hęc tria reperiri. Sed nõ affirmat S. Dionys. interse realiter distingui, sed solum ratione. Ita Durãd. in 2. dist. 3. q. 5. ad 2. Et addit Gabr. hic de causa addere S. Dionys. *altissima ratione*, vel secundum aliam translationẽ, *supermundana ratione*, quod Hugo exponit, ideſt, *spirituali ratione*.

6 Sed contra est: nam eodẽ pacto diuidit essentiam ab operatione, ac virtutem, seu potentiam ab vtraq; sed operatio, & essentia distinguũtur realiter: ergo, & virtus realiter distinguitur ab essentia. ¶ Nec video quo fundamento Moderni alí qui nomine *potentiæ*, intelligant, *intellectum*, & nomine *actionis, voluntatem*; quã hoc nomine appellat; quia ipsa reliquis potentijs sibi subditis imperat. Hanc expositionẽ extortam esse, patet: quia etiã intellect⁹ operatur. Et secundo, quia imperare est act⁹ intellect⁹. Et tertio, quia non apparet congruus sensus verborum S. Dion. Nam voluntas etiã est virtus.

7 Secundo probatur ex D. Aug. 15. de Trinit. c. 7. vbi ait: *In homine inuenimus Trinitatem, ideſt, mentem, & notitiam, qua se nouit, & dilectionem, qua se diligit. Sed hæc tria sunt in homine, vt non ipsa sit homo*. Et infra subdit: *De tracto etiã corpore, si sola anima cogitetur, aliquid eius est mens, tãquam caput eius, vel oculus, vel facies: sed non hæc vt corpora cogitanda sunt. Non igitur Anima, sed quod excellit in anima, mens vocatur. Ergo anima non est mens, seu intellectus*. Quod prosequitur per totum caput: & cap. 17. asserit. *Nec distant in eis ista: sicut in nobis aliud est memoria, aliud intelligẽtia, aliud dilectio, siue charitas*. Ergo ex mẽte Diui Augu-

stioi potētiæ ab anima distinguuntur.

8 Respondent, quod Sāctus Augustinus loquitur ibi de actibus intellectus, & voluntatis, quos constat ab anima differre. Hoc sufficit intento Sācti Augustini, quod erat distinguere Trinitatem nostram à Trinitate Dei.

Euasionem tamē hanc esse insufficientem, constat, quia indifferenter loquitur de actibus, & potētijs: ergo si admittit mentem ab anima distingui: de potentia, & eius actu verificatur, quod ab anima distinguitur: quia de vtraque verificatur, quod excellit animam, saltem secundum quid: & sic sincerè verificantur verba Augustini. *Non anima, sed quod excellit in ea, mens vocatur.*

9 Sed obijcies: nam Sanctus Augustinus libro 10. de Trinitate cap. 11. parum ante medium, docet, quod *memoria, intelligentia, & voluntas sunt vna vita, vna mens, & vna essentia.* Et lib. 10. Confessionum capite 14. ait: *Cum anima sit etiam ipsa memoria.* Et tomo 9. tractatu 15. in Ioannem, loquens de intellectu, ait: *Nō enim aliquid aliūde est, quam anima; sed aliquid animæ est intellectus.* Et tomo 10. serm. 3. de Tempore, recensens diuersa munera potentiarum, ait: *Et cum vnum sint, &c.*

Ad has authoritates, in primis retorquetur argumētum, ipso S. Thoma, aduertente. q. de Spirit. creat. art. 11. ad 1. *quod quidquid dicatur de potentijs animæ: tamen nullus vnquam opinatur, nisi insanus, quod habitus, & actus animæ sint ipsa eius essentia. Manifestum autem est, quod notitia, & amor, de quibus Augustinus ibi loquitur, non nominant potentias: sed actus, aut habitus.* Vnde non intendit Augustinus dicere, quod *notitia, & amor sint ipsa essentia animæ, &c.* Ecce quam clare argumenta retorqueat: nam quæ videntur probare multum, nihil probant.

Deinde ipse S. Thomas respondet iam dupliciter 1. p. illo art. 1. ad 1. quod *Sanctus Augustinus loquitur de mente, secundum quod nouit, & amat se. Sic ergo notitia, & amor, inquantum referuntur ad ipsam rem cognitam, & amatam substantialiter, vel essentialiter, sunt in anima: quia ipsa substantia, vel essentia animæ cognoscitur, & amatur:* & ex cognoscēte, & cognito fit vnum in esse intelligibili, vt lib. 3. dicitur. Et videndus Sanctus Augustinus decimo Confessionum capite. 16.

10 Secundo respondet S. Tho. quod locutiones S. Augustini verificantur, secundum modum quo *totum potestatiuum adest singulis partibus secundum totam suam essentiam, sed non secundum totam virtutem.* Et ideò quodammodo potest prædicari de qualibet parte; sed nō ita proprie, sicut totum vniuersale. Per quæ patet ad duas priores authoritates. Specialiter illa desumpta ex libro 10. Confessionum, solum intendit loqui de prædicatione accidentis de suo subiecto. Et expressè ibi concedit, quod sicut dicimus: *Vide illud in animo habeas*: ita anima est memoria, seu habet memoriam: quia loquitur de memoria recipiēte species de foris.

Quod

11 Quod affertur ex tractatu 15. in Ioãnem, potius nobis fauet: nam intendit Aug. quod idem est, quod Iesus dixit Samaritanæ, *voca virum tuum*, quasi spiritualiter diceret: *non me capis: non me intelligis: voca intellectũ tuum*: vbi supponit distinctionem inter animam, & intellectum. Cũ autem subdit Augst. *Sed aliquid anima est intellectus*. Quo modo id contingat, declarat conuenienti exemplo, dicens: *Quomodo non aliud quam caro est oculus, sed aliquid carnis est oculus. Cum autem aliquid carnis sit oculus; solũ tamen luce perfunditur: cetera tamen membra carnalia luce perfundi possunt, lucem sentire non possunt: solus ea oculus, & perfunditur, & perfruitur. Sic in anima nostra quidam est, quod intellectũ vocatur.* In his verbis firmatur 1. solutio S. Thomæ. Habetur, quod intellectus est in anima, nempe vt accidens illius propriũ. Habetur etiam, quod sicut potentia visiua est accidens corporis, licet non sit in toto corpore: cuius signum est, quia non totum corpus est capax videndi. Ita intellectus est quidem aliquid animæ: licet non sit tota anima conuertibiliter. Quibus expositionibꝰ intelligitur S. Isidorus 11. Aetymologiarum. Et S. Bern. serm. 11. super Cantica.

12 Vltima authoritas mirum est, quod obijciatur, cum expresse nostram cõtineat sententiam. Pro qua firmanda, non grauabor formalia verba S. Aug. transcribere: inquit ergo: *Sed dicit mihi Hæreticus: ergo si vnam sunt.* (nempe tres diuinæ personæ) *Omnes sunt incarnati? non. Ad solum Christum pertinet caro: nempe aliud est anima, aliud est ratio: & tamen in anima est ratio, & vna est anima. Sed aliud anima agit, aliud ratio: anima viuit; ratio sapit: & ad animam pertinet vita: ad rationem pertinet sapientia. Et cum vnum sint, anima sola suscipit vitam: ratio sola suscipit sapientiam: & tamen nec anima sine ratione; nec ratio sine anima. Sic & Pater, & Filius, licet vnum sint, & vnus Deus sit; ad Christum solum pertinet caro: sicut ad solam rationem pertinet sapiẽtia, licet non recedat ab anima.*

*Ecce iterũ aliud, in Sole, calor, & splendor in vno necessario sunt; sed calor excalfacit, splendor illuminat: aliud suscepit calor, aliud splendor. Et licet calor, & splẽdor adinuicem non queant separari, suscepit splendor illuminationem, non feruorẽ: suscepit calor feruorem, non illuminationem. Aliud simul, aliud singulariter agũt.* Hæc ibi Augustinus.

13 Quam authoritatẽ valdè vrgere pro nostra sententia. Patet primo, ex illis verbis, *aliud est anima, aliud est ratio.* Qui modus loquendi planè indicat distinctionem realẽ. Secundo, quia nisi de ista loqueretur, nõ satisfaceret hæreticis loquẽtibus de distinctione reali personarum inter se. Tertio, quia Sanctus Augustinus animæ assignat effectum formalem substantialem; intellectui verò suscipere habitum sapientiæ, & operari accidentaliter: vt patet ab illis verbis: *Anima viuit; ratio sapit, &c.*

Denique exemplum de Sole, calore, & splendore, nõ esset ad rem, si anima non esset substantia; & intellectus, & voluntas nõ essent illiꝰ accidentia propria. Hæc pro mente Augustini ponderanda: qui libro

quinto de Ciuitate Dei capite. 11. asserit, quod *Deus rationali animæ contulit mentem, intelligentiam, & voluntatem.*

Nec obstat, quod affertur ex lib. de Spiritu, & Anima cap. 13. Quia nō est opus S. Augustin. cum ibi citetur Boet. qui post tēpora S. Augustin. floruit integro seculo. Et S. Thom. de Spiritualibus creaturis articulo primo ad secundum, dicit *apocryphum*: de quo inf. q. 17. n. 23.

14 Sed & in Tractatu *de creatione hominis*: qui est tomo 9. inter opera August. pag. mihi 442. exponendo illud Matth. 22. vers. 27. *Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo: & ex tota anima tua: & ex tota mente tua*: ita dicitur: *Id est, ex toto intellectu tuo: & ex tota voluntate tua, & ex tota memoria tua. Nam sicut ex Patre generatur Filius, & ex Filio, Patreque procedit Spiritus Sanctus; ita ex intellectu generatur voluntas: & ex his iterum ambobus procedit memoria, sicut facile à sapiente intelligi potest.* Pro qua expositione legendus est S. Augustin. & Glos. relata in Catena D. Tho. Matth. 22. ibi. *Vel ex toto corde, id est, intellectu. Anima id est, voluntate. Mente, id est, memoria.* Adiit S. Thomas in illo scripto super Matthæum, quod *Magistralis quædam glossa exponit, quod anima est imago Dei secundum suas potentias, secū dum memoriam, intelligentiam, & voluntatem. Ita, quod illud, quod dicitur, ex corde, ad intelligentiam referatur; quod dicitur, ex anima, ad voluntatem; quod ex mēte, ad memoriam: ita vt perfectè Deo viuatur.*

15 Sed mentem Sancti Augustini ex intelligentia eius Discipulorum possumus clarè cognoscere. In primis ita exposuit Magister in primo distinct. 3. Item manifestissimè Sanctus Anselmus lib. de concordia capite 29. ita asserens. *Sicut habemus in corpore membra, & quinque sensus, singula ad singulos vsus apta, quibus quasi instrumentis vtimur. Ita & anima habet in se quasdam vires, quibus vtitur, velut instrumentis ad vsus congruos. Est namque ratio in anima, qua sicut instrumento vtitur ad ratiocinandum: & voluntas, qua vtitur ad volendum. Non enim est ratio, & voluntas tota anima: sed vnaquæque aliquid in anima.* Quæ authoritas est adeò expressa, quod Gregorius Ariminensis fatetur, quod Beatus Anselmus videtur fuisse illius opinionis. Similiter de Magistro, sicut & plerique alij solemnes Doctores.

16 Sed adhuc ex Patribus Græcis illustria habemus testimonia. In primis Epiphanius hæresi 67. docet *mentem non esse substantiam.* Quod facillimè verificatur tenendo intellectum non esse animam. Deinde Sāctus Damascenus in sua Dialectica cap. 51. cum Philosopho, constituit potentias vitales in prædicamento qualitatis. Anima verò, cū sit in prædicamento substantiæ, nō potest non differre à potentijs, seu qualitatibus: cum substantia non sit qualitas. Hic iterum possumus citare Sanctum Augustinum, qui cum Philosopho to. 1. lib. de 10. Categorijs cap. 12. asserit, potentias naturales constitui inter species qualitatis: animam verò esse substantiam, negari non potest.

Respon-

Resp̃onderant Moderni huic authoritati, Damascenũ loqui ex suppositione, quod, iuxta probabilem opinionẽ, tales potẽtiæ sint ab animo distinctę. Bene. Ergo iuxta mẽtẽ Damasc. est nostra probabilis opinio, & oppositа ab ipso nullibi insinuatur, siquidẽ ipse hic, nec leuiter insinuat, se à Phylosopho recedere. B. Theodoret⁹ lib. 5. *qui est de natura hominis*, pag. mihi 1091. testatur, quod *Aristoteles aliud esse intellectũ ab ipsa anima, opinatus est.* Quo certificamur de mente Aristotelis. Prę ter authoritates adductas à D. Th. fere tota q. 77.

17 Sed multis parco, vt S. Athanasij Magni egregium testimonium; pro nobis expressum, ponderare liceat. Habetur to. 4. in quæstionib⁹ varijs. q. 4. vbi lit. g. ait: *homo imago est Dei; ac propterea anima hominis: est autẽ anima hominis vna quidẽt sed trib⁹ subsistentijs constans; tres subsistentias habet anima. Et quomodo? audi. Et anima vna subsistẽtia; anima vero generat ratione, & ecce ratio altera subsistentia; anima autem mittit spiritũ; & ecce spirit⁹ tertia subsistẽtia. Ecce subsistẽtiæ tres, anima, ratio, & spiritus.* Et post multa, ad suũ intẽtũ applicãs, ait. *Et quidẽ anima effigies Patris; ratio animæ effigies Filij, & sermonis Dei: spiritus vero animæ, effigies Spiritus Sancti.* Intendebat S. Athanasius explicare Trinitatis mysterium, quod consistit in vnitate essentiæ Dei in personarum Trinitate reali. Et ad hoc vtitur exemplo animæ nostrę, quæ duas potẽtias habet, ab anima quidem procedentes, ipsa tamẽ ingenita ab homine: licet ita a Deo creata. *Quanammodo*, inquit, *anima ingenita: ita Deus Pater ingenitus. Et quæ nãmodo ratio genita ab anima, ita & sermo Dei natus ex Patre: & sicut Spiritus procedit ab anima: ita & Spiritus Sanct⁹ procedit à Patre.* Et concludit. *Sicut anima mea vna est; sed constat tribus subsistentijs*; anima, ratione, & spiritu: *ita Deus vnus est; sed constat tribus personis.* Ecce ex Magno Athanasio distinctionem intellectus, & voluntatis procedẽtium ab anima, deseruire ad exponendum SS. Trinitatis Mysterium.

18 Sed merito desiderabis, vt exponamus verbum illud obscurum: *Tribus subsistentijs*: cum videatur falsum, in omni sententia, animam nostram constare *tribus substantijs*; vel *subsistentijs*. Has enim voces idẽ significare, patet ex eodem Athanasio ibidem. q. 7. ¶ Respõdetur ipsum Sanctum se explicare. q. 4. dum asserit, quod *sunt in Sole tres subsistentiæ, orbis, radius, & lux.* Et infra. *Ecce ignis vnus est: sed ex tribus cõstat subsistentijs. Ipse enim vnus est subiecto ignis: vrès vero est alia subsistentia.* Hoc ergo vocabulo designat S. Athan. *substantiam, vel proprietates*: quibus ex Trinitate creata, significatur Trinitas increata. Vnde cum anima sit vna subiecto, & habeat duas proprietates ab ipsa distinctas; ita concludit Athan. *Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus tres personæ, & vnus natura Deus, & nõ tres Dij: ita si ratiocineris vbique, non effundes blasphemiam in Sanctam Trinitatem.* Quo est expositum testimoniũ: alioquin non pertinuum.

***

§. II.

*Ratio S.Thomæ ponderatur.*

19 RAtiones plurimæ ad conclusionem stabiliendam habentur 2.p.nostræ Metap.& lib.2.Physic.q.10.§.3. Sed ibi omissas oportet ponderare. Arguit ergo S.Tho. illa.q.77.ita dicens: *Secundo hoc etiã impossibile apparet in anima: nam anima secundum suam essentiam est actus. Si ergo ipsa essentia animæ esset immediatum operationis principium, semper habens animam actu, haberet opera vitæ; sicut semper habens animam actu, est viuum: non enim inquantum est forma est actus ordinatus ad vlteriorem actum: sed est vltimus terminus generationis. Vnde quod sit in potentia adhuc ad aliud actum, hoc nõ competit ei secundum suam essentiam, inquantum est forma, sed secundum suam potentiam. Et sic ipsa anima, secundum quod subest suæ potentiæ, dicitur actus primus ordinatus ad actum secundum. Inuenitur autem habens animam, non semper esse in actu operum vitæ. Vnde etiam in definitione animæ dicitur:* quod est actus corporis, potẽtia vitam habentis, quæ tamen potentia non abijcit animam. *Relinquitur ergo, quod essentia animæ non est eius potentia: nihil enim est in potentia secundum actum, inquantum est actus.*

20 Contra hanc rationem obijcit Scotus vbi supra. Anima est principium viuendi formale; operandi verò est principium effectiuũ. Sed causa efficiẽs potest esse in actu primo, etiam si nõ sit in actu secundo operans: causã verò formalem implicat esse absque effectu formali. Ergo non sequitur incõueniens intentum à D.Tho.

Respondet Caietanus, quod licet hoc sit verum simpliciter in cõmuni; non tamen est verum in causa actiua, cuius actio sequitur immediatè actum, secũdum quod est actus; quoniam ab actu inquantum actus, non prouenit potentia: constat autem, quod esse in actu primo tantum, est esse in potẽtia. Et ideò in præsenti par ratio est de effectu formali, & causalitate effectiua, quoad actum, & potentiam.

21 Sed instabis: nam ex hac solutione solum infertur potentias distingui formaliter ab anima: quia negatio formalis, non infert identicam: quia secundum diuersas rationes, idest in ordine ad subiectũ habere rationem actus: & in ordine ad operationem, habere rationem potentiæ.

Occurrit idem Caietanus, quod licet absolutè negatio formalis nõ inferat identicam: infert tamen eã in præsenti: & in omnibus rebus, quæ sunt essentialiter oppositarum rationum. Anima autem essentialiter est actus; & potentiæ operatiuæ animæ sunt essentialiter potentiæ; & constat rationẽ actus, & potentiæ opponi. Et similiter esse terminum vltimum generationis; & ordinari ad vlteriorem actum, opponuntur. Et vtrumque inuenitur in anima essentialiter. Ergo anima est quid realiter diuersum ab accidentibus.

22 Addit Bañez dub. 3. notab. 2. quod similitudo D.Tho. non attenditur quantum ad hoc, quod est esse principiũ viuendi, & esse principium

cipium operandi: Sed quantum ad hoc, quod est esse vtrobique principium per essentiam suam; supposito, quod illud, quod est tale per suã essentiam; semper est actu tale. Vnde cum anima per suam essentiam sit actus, si simul per suam essentiã esset principium operum vitæ; semper operaretur actu; sicut semper dat vitam. Neque differt in proposito, quod sit principium formale, aut effectiuum.

23 Sed contra has omnes solutiones, est instantia manifesta in habitibus animæ: qui secundum idem sunt actu, & in potentia operatiua. Ergo falsa est illa propositio S. Thomæ, in qua totus nititur discursus: *Nihil est in potentia secundum actum, in quantum est actus.* Probatur antecedens, quia quilibet habitus est essẽtialiter actus: alioquin nõ esset per se terminus generationis. Et est essentialiter potentia, quia essentialiter ordinatur ad vlteriorem actũ, scilicet operari. Ergo pariter anima posset esse actus, inquantum est substantia subsistens; & habere rationem potentiæ, inquantum essẽtialiter ordinatur ad operari.

24 Respondet bene Caietanus, cuius verba placet transcribere: quia subtiliter punctum attigit: inquit ergo. Ad secundam autem obiectionem *omnium difficillimam*; quia affert per mistionem actus essentialis, & potentiæ essentialiter, absque distinctione reali. *Dicendũ* est, quod habere permistionem actus, & potentiæ essentialiter: contingit dupliciter: scilicet, *per se primo*; & *per accidens*, seu *per aliud*. Et, quod sermo noster est de habente hæc per seipsum: & non de habente hæc ratione alterius. Et rationabiliter, ac merito hoc dicitur quoniam eius, quod conuenit alicui per aliud, assignanda est ratio ex illo alio, & nõ ex se. Et per oppositũ, eius, quod conuenit alicui per seipsum, assignanda est in seipsõ causa propria. Modo constat, quod habere in se hæc duo, actum essentialiter, & potentiam essentialiter, animæ conuenit ex propria ratione, quia ex hoc ipso, quod est actus primus; quod est eius diffinitio: & consequenter in ipsa ponẽda est propria causa huius permistionis, quę vt ex dictis patet, est distinctio generica actus à potentia, cui coniungitur; & consequenter distinctio realis.

Habitui verò cuicumque nõ cõuenit ex seipso, sed ex ipsa anima. (vt docet S. Th. ad 3. & 4.) ex hoc enim habent habitus, & reliqua, quæ in anima sunt, quod non semper vigilent, sed quandoque sint vt somnus, quia ipsius animæ sunt. Cuius signum est, quod in solis qualitatibus animæ hæc permistio inuenitur. Et confirmatur ex definitione habitus 3. de Anima tex. Commẽt. 17. *Habitus est, quo quis vtitur cũ vult.* Vbi libertas animæ ponitur causa vigiliæ, & somni ipsius habitus.

25 Nec obstat, quod leue non semper ascendat. Quoniam deductis impedimentis; & de operationibus conuenientibus rei in sua naturali dispositione physosophicus sermo intelligendus est, quando de operationibus rerum habetur. Vnde cum in eis nõ sit talis permistio,

actus,& potentiæ,nisi ratione subiecti; consequens est, quod hæc instantia non sit contra rationē factā, quæ causā permissionis talis in eo in quo ex se inuenitur, assignat, distinctionē realē permistorū includere. *Et in hoc gratias ago Deo meo*: inquit Caietanus.

§.III.

*Aliæ ponderationes.*

26 POssum⁹, & forte magis ad mētem D.Thomæ, rationem ei⁹ aliter formare: hoc modo. Formæ essentialiter oppositarum rationū, non possunt non realiter distingui: & si possint mater.aliter adunari. Sed anima rationalis, & intellect⁹, & voluntas, sunt formæ essentialiter oppositarum rationū. Ergo nō possunt nō realiter distingui. Maior patet inductione in alijs formis, sicut albedo, & nigredo: imo omnes aliæ formę hoc pacto distinguūtur. Minor vero probatur, quia formarum distinctionem à priori cognoscimus penes distinctos effectus formales; à posteriori vero per operationes distinctas: vel per distinctum modū, quo fiunt: vel ex alijs huiusmodi circūstātijs. Sed multæ istarū cōcurrūt inter animā, & potētias. Ergo realiter distinguētur. Probatur minor primo: nam anima est forma substantialis, nō ordinata ad vlteriorem actum: potentiæ verò sunt principia proxima operationū vitalium. Ergo realiter distinguuntur. Probatur consequentia, quia forma substantialis proximè nō ordinata ad vlteriorē actū, distinguitur à forma ordinata tota ad operationem. Sed anima non ordinatur ad aliud; cum sit forma substantialis: & potentiæ ordinātur totæ ad operationem. Ergo realiter distinguuntur.

27 Secundo probatur, ideo ignis, & calor realiter distinguūtur, quia forma ignis constituit essentiam, & naturam ignis; calor verò est principium proximū calefactionis. Sed eadē est ratio intellectus, & animæ. Ergo realiter distinguuntur. Sumitur hæc probatio ex D.Th. ad 3. dicente. *Vnde sic se habet forma accidentalis actiua ad formam substantialem agentis, vt calor ad formam ignis: sicut se habet potentia animæ ad animam.*

28 Præterea probatur, ad præstandos diuersos effectus formales, diuersas formas natura instituit. Sed diuersus effectus formalis est esse substantialiter viuum, ac esse potentem intelligere. Ergo potentia proxima ad intelligendum, est realiter distincta ab ipsa anima. Insinuatur hæc ratio à D.Tho.1.p.q.79.art.1. quando dicit. *Sicut enim potentia se habet ad operationē, ita se habet essentia ad suum esse.*

29 Potest respōderi primo, quod anima primario dat esse substātiale: & secundario dat esse principium operationis. Vnde nō est necessariū ad hoc ponere accidens medium. ¶ Secundo potest respōderi, quod nō ponitur duplex effectus formalis ab vna forma: sed, quod forma vitæ in actu primo est anima: forma verò vitæ est operatio: quā ab anima distingui omnes fatentur. Ad quid ergo potentia realiter media inter animam, & operationem?

Sed

30 Sed cõtra primo, quia solutio probat nullã esse necessitatẽ accidentium: nã si vnica forma præstat hoc, quod est esse, & hoc, quod est posse accidẽtaliter; iam vna forma dat, quod pertinet ad diuersas lineas. ¶ Secundo sequitur, quod in rerum natura non dentur potentiæ accidẽtales, quia anima, & aliæ substantiæ, seipsis possunt operari: & tamen seipsis non qualificantur; neq; extenduntur. ¶ Tertio, vltra hoc, quod est viuere, & hoc, quod est operari; datur medium, quod est proximè posse operari: ergo nõ est idẽ effectus formalis animæ, & intellectus: ergo realiter distinguuntur.

31 Explicatur magis vis huius rationis: nam intellectus, & voluntas sũt formę realiter distinctæ: ergo & anima realiter distinguitur ab illis. Cõsequẽtia patet: nam quę realiter sũt eadem vni tertio; sunt realiter idẽ inter se in creaturis. Antecedẽs verò est Phylos. 2. de Anima textu 27. distinguentis diuersa genera potentiarum. Et facilè probatur, quia ideò distinguimus realiter, & specificè hominem ab equo, quia videmus illarũ animarũ diuersos effectꝰ formales, & operationes diuersas specie. Sed formæ intellectiuæ, & volitiuę videmus diuersum effectũ formalẽ, & diuersas species operationũ: ergo realiter distinguuntur.

32 Præterea, tantum distinguitur habitus residẽs in volũtate, ab habitu residẽte in intellectu: ac differunt intellectus, & volũtas, quia intellectiuũ, & volitiuum sunt genera distincta. Sed manifestũ est aliquos habitus, siue naturales, siue supernaturales, realiter inter se distingui: imo, & realiter separari: sicut Fides, & Spes sũt in peccatore sine Charitate: & habitꝰ sciẽtifici possũt esse in eo, qui caret virtutibꝰ residentibus in voluntate. Ergo distinctus effectus formalis correspõdet qualitati vni, ac alteri.

33 Sed contra has omnes probationes potest iterum vrgeri instantia supra adducta de habitu: de quo loquens S. Tho. 1.2.q.49.art.3. ad 1. ait, *quod habitus est actus quidam, in quantum est qualitas: & secũdum hoc potest esse principium operationis, sed est in potentia per respectum ad operationem. Vnde habitus dicitur actus primus, & operatio actus secundus, vt patet in 2. de Anim.* text. 5. Ergo pariter potentia identificata cum anima posset, inquantum substantia, esse principium vitę: & inquantum potentia, esse principium operationis.

Respõdetur, quod hoc argumẽtũ peccat, quia trãsit de genere ad genus: nã forma substantialis secundum suam essentiam est actus, in se existens, & substantialis: potẽtia vero proxima ex natura sua est accidens: licet ex principijs rei causatum. Vnde, ita inhæret, quod actuã do, ordinat subiectum ad aliud. Et ideo actio est proximè à potentia, & radicaliter ab anima, vt docet S. Th. ad 4. Vnde in vno accidenti potest participari ratio actus, & ratio potẽtiæ, vel habitus, quia potẽtia, & habitus eiusdem ordinis sunt cũ operationibus; secus vero substãtia cum linea operatiua proxima.

§.4.

§. IIII.

*De potentijs sensitiuis.*

34 PRæterea, non omittendum aliud argumentum commune, sed efficax: nam, si intellectus, & voluntas non distinguuntur ab anima; nec aliæ potentiæ sensitiuæ distinguentur ab illa, quia frustra fit per plura, quod potest fieri per pauciora. Et quia nullum prædicatum est in prædictis operationib⁹, quod non possit prouenire ab anima immediatè. Sed potentiæ sensitiuæ distinguuntur ab anima: quod constat ex diuersitate subiectorum: nã dicit Philosop. 2. de Somno, & Vigilia, quod *sentire non est proprium animæ, neque corporis, sed coniuncti.* Quod demonstrat S. Tho. q 77. ar. 5. quia *oportet, quod eius sit potentia, sicut subiecti, cuius est operatio.* Quædam autem operationes sunt animæ, quæ exercentur sine organo corporali, vt intelligere, & velle: & istæ sunt in anima, sicut in subiecto. Quædam verò operationes sunt animæ, quæ exercentur per organa corporalia; sicut visio per oculum, auditus per aurem; & simile est de alijs operationibus nutritiuæ, & sensitiuæ partis. *Et ideò potentiæ, quæ sunt harum operationum principia, sunt in coniuncto sicut in subiecto, & non in anima sola.* Cum ergo, quæ subiecto differunt, realiter differant, sequitur potẽtias sensitiuas, & nutritiuas realiter differre ab intellectiuis.

Præterea idem probatur: nam destructo subiecto, non potest accidẽs remanere. Sed in morte destruitur coniunctum. Ergo non manent potentiæ in anima separata, vt probat S. Thom. q. 77. art. 8. Ergo cum quædam istarum proprietatum, vt intellectus, & voluntas, sint proprietates solius animæ: aliæ verò sint proprietates coniuncti. Ergo non possunt non proprietates inter se, & ab anima distingui.

35 Tertio probatur ratione D. Tho. q. 78. art. 1. nam potentiæ, seu genera potentiarum animæ distinguuntur secundum obiecta: quanto enim potentia est altior, tanto respicit vniuersalius obiectum. Cõstat autem potẽtiam vegetatiuam respicere solum corpus animæ vnitum; potentiam verò sensitiuam omne corpus sensibile materiale: potentiam verò intellectiuam, omne ens. Et vltra has potentias sunt potentiæ loco motiuæ, & intellectiuæ: quas omnes non solum realiter, sed genere distingui, ex dictis compertum est. Ergo eodem modo distinguuntur inter se, & ab anima.

36 Respondent Greg. Ariminẽs. in 2. dist. 17. q. 3. art. 1. & Gabri. dis. 16. ar. 2. ad 2. & Arriaga disp. 3. sec. 3. n. 108. & frequenter alij Moderni, quod & reputat probabile Lessius lib. 2. de summo bono capit. 8. nomine harum potentiarum materialium, non solum intelligi ipsum principium effectiuum actuũ materialium: sed etiam organa materialia, & materiales dispositiones, quibus eget anima ad productionẽ horum actuum, & cum hæc non secũ ferat anima separata; licet ferat secum

secũ principia, & (vt melius dicã) ipsa sit principium harum operationum. Ideo non est incõueniens cõcedere has potentias esse in anima separata; & quod sint in anima.

Neque obstat, quod dicãtur materiales; quia solum sunt materiales, ex parte subsecti inadęquatè, & dispositionum. Nam ex parte principij omnino sunt spirituales in homine; ideoque recte possũt cũ eius anima identificari.

37 Sententiam hanc impugnat M. Bañez 1.p.q.77.art.8. inter alia dicens. Hisce diebus quidam Author in quodã libello vocato *Examen de ingenios*, tenet hanc ridiculã opinionẽ Gregorij: & addit, quod manẽt potentiæ sensitiuæ in anima separata cum suis actibus, &c. Subdit vero M. Bañez. *Quare merito Sanctæ Inquisitionis mandato totum illud caput ex eius libro deleri iussum est.*

38 Præterea M. Ioã. a S. Th. q. 2. ar. 2. §. *scio non deesse*, asserit, quod *assertio hæc euertit multa Philosophiæ principia.* Quod probat primo: nam actio, & obiectum essentiale necessario proportionari debẽt inter se. Si ergo actio visiua est entitatiue spiritualis, oportet, quod proportionetur, & specificetur ab obiecto spirituali: ergo quãdo videt, vel audit, respicit obiectũ spirituale. Ergo indiget lumine, & specieb⁹ spiritualib⁹, & tẽdet modo immateriali. Ergo nihil illi deest vt sit intellectio. Et sic cõfundetur intellectio cum sensatione.

39 Deinde, quod nã est illud obiectum spirituale circa quod versatur auditio, vel visio, aut gustus entitatiue; quãdo nihil de obiecto spirituali recordantibus, actus horum sensuum exercentur? ¶ Item, species sensibiles, aut tolendæ sunt vt superfluæ; aut ab illis emanabit actus in entitate spiritualis, scilicet, visio, & auditio.

40 Denique. Similiter dicetur, quod actiones animæ vegetatiuæ, nutritio, & generatio, entitatiue spirituales sunt; & cõnotatiue, seu ratione organorum solum dicẽtur corporeæ: si enim potentiæ animæ sunt in entitate spirituales, etiam istæ potentiæ spirirituales earumq; actiones spirituales erũt entitatiue. Constat autem nullum dari obiectum spirituale, vnde possent desumere illæ actiones spiritualitatem; neq; modo aliquo spirituali fieri. Ergo hæc absurda sunt. Hæc ibi. Et quod *deceptus est Gregorius*, late probat Suarez lib. 2. de Anim. cap. 3. n. 2. ¶ Ad soluenda argumenta Gregorij, sufficit S. Tho. omnino vidẽdus art. 5. & 8. illius. q. 77.

## §. V.

### *Distinctio rationis potentiarum inter se, & ab anima certissima.*

41 SOlet frequenter probari nostra conclusio, ex eo, quod si anima est idem ac intellect⁹, & voluntas, verificaretur realiter loquẽdo, quod *voluntas intelligit, & quod intellectus amat.* Quod aduersatur cõmuni modo loquẽdi. Id autem sequi probatur: idem est intellectus,

ac

ac voluntas, quia realiter, in istorū sententia, identificantur cum anima: ergo cum anima immediate intelligat, & amet, vt ipsi existimant. Pariter idē potest attribui animæ, ac intellectui.

42 Contemnunt aliqui hoc argumentum, quia dicūt instari in diuinis attributis, quia ibi sunt eadē res: & tamen concedūtur illæ propositiones in sensu identico, & negantur in sensu formali. Quod pariter posset dici in creaturis. *Quod res, quæ est intellectus, amat*: non tamē sub formalitate intellectus, quia sic cō notat operationem diuersam, ab operatione animæ, secundū quod dicitur voluntas.

43 Cæterū, si simplicitas creaturę adæquaret simplicitatē actus puri, instantia esset ad rem. Quia tamen distantia est infinita; perutendo in ipso exēplo, retorquetur in simili contra arguentes: nā non bene valet. *In Deo idem est esse, & operari: ergo & in creaturis. Ergo nec valet: in Deo nō distinguuntur attributa ab essentia: ergo in creaturis potentiæ identificantur animæ.*

Melius arguit S.Tho. 1.p. q.79. art.1. *Tūc*, inquit, *solū immediatū principium operationis est ipsa essentia rei operantis, quādo ipsa operatio est eius esse: sicut enim potentia se habet ad operationē, vt ad suū actum; ita se habet essentia ad esse. In solo autem Deo idem est intelligere, quod suum esse. Vnde in solo Deo intellectus est eius essentia.*

44 Alij occasione huius argumēti inquirunt, vtrum potentiæ formaliter distinguantur ab anima?

Neothericus quidam Societatis (cuius memini in margine 2.p. Metaph.cont.2.art.9.in principio, vt monerem ne gloriaretur de inuentione quæstionum, quas ex professo iam Antiqui disputarunt) hic Cōtrou.3.puncto 3.n.1.sic ait. Difficultas hæc tantum inter Recētiores huius temporis exagitatur: anti qui in distinctione reali defendenda, vel impugnanda intenti, de hac distinctione rationis non egere. Affirmant aliqui potentias realiter idētificatas cum anima, ab ipsa formaliter distingui. Alij, qui rem subtilius inspexere, nullam distinctionem formalem inuenere inter animam, illiusque potentias. Hucusq; Recentior.

45 Sed non contentionis spiritu; sed veritatis eruendæ gratia, manifeste ostendemus, multis ab hinc seculis quæstionem disputatā; & ab omnibus (vno aut altero excepto Ochā, & Gabriele) affirmatiuè determinaram. Quia ergo inconsultis Authoribus Antiquis, determinari nequit, quid ipsi senserint? Eos audiamus. ¶ Scotus in 2.dist.16.q. vnica, cum retulisset opinionem istā. §. *Dico igitur*, ita concludit. *Ista via sustineri posset, sicut sustinetur de Deo, quod omnino idem re, & ratione reali, est principium realiter distinctorum. Sed quia via hæc nō posset saluare aliquas authoritates; quæ ponunt, quod potentiæ exeūt, & quod fluunt ab essentia, & huius modi. Ideo dico aliter.* &c.

46 Ex Scoto idē refert Gabriel ibi art. 2. ita scribens. *Quidam dicūt, quod sunt omnino idem sibi, & essentia, ac indistincta, re, & ratione. Alij dicūt, quod non distinguuntur realiter; nec tamen sūt*

idem

*idem omnibus modis ex natura rei. Distinguuntur ergo formaliter. Illas duas vltimas opiniones tangit Scotus, & ambas reputat probabiles, &c. Sed ex principijs, & probationibus illius Doctoris videtur prima illarũ vltimarũ opinionũ probabilior. Quam imitatur Guillelmus Ocham q. 22. secundi. Secundum hanc respondetur ad hũc articulum, &c.* Eodem omnino modo sententias referũt PP. Conimb. & P. Suarez, & M. Bañez vbi supra. & M. Nazar. 1. p. q. 54. & alij frequenter. Falluntur ergo, qui putant sibi solis reseruatum de hac quęstione disputare. Illud tamen sibi fatear permissum, hic, sicut, & alibi sæpe, Nominalium antiquatas opiniones, susciare, statim iterum sepeliendas, vt in ista contingere experimur.

47 Hanc autem esse falsam, constat primo, quia S. Augustin⁹ 15. de Trinit. cap. 20. docet, quod *reminiscimur per memoriam, intuemur per intelligentiã, amplectimur per dilectionem.* Et lib. 12. cap. 13. ait: *Et quemadmodum de illis dictum est: erũt duo in carne vna: sic de his dici posset: duo in mente vna.* Et cap. 4. explicat, quod *hæc duo secundum officia geminamus.* Vel ergo loquitur iuxta nostram sententiã de distinctione potentiarum, & quia sunt in vno subiecto dicuntur vnũ quodãmodo. Vel ad minus hic, ad huc abstrahendo à tententia de distinctione realĩ, supponit distinctionem formalem, vel rationis.

48 Ratio est facilis: nam quæ definitione differunt, non possunt nõ ratione differre: cũ definitio sit oratio explicans, quod concipimus de re, quoad quid est res. Sed de anima, & singulis potẽtijs diuersas tradimus definitiones; vt patet in omnibus scribentibus; & disputãtibus de anima: ergo ratione differre indubitatum est.

Argumenta Recentiorum laborant in æquiuoco, arguendo ab idẽtica ad formalem; & ideo non expedit ea referre. Præcipue, quia facilius diluuntur, quam à legẽtibus percipiantur.

49 Gabriel vero arguit. §. *secũda pars*; quia talis distinctio causatur per actum intellectus: sed illę potẽtiæ præceduut omnem actum intellectus. Ergo non distinguuntur ratione.

Hoc argumentum, si quid probat, tollit de medio compositionem, & distinctionem metaphysicã. Negat dari diuersa obiecta scibilium. Et cætera quę lib. 1. Logicæ obiecimus contra Nominales.

50 In forma ergo distinguitur maior: & concedo quoad existentiam actualẽ distinctionis: nego vero, si loquatur de existẽtia in virtute sui fundamenti, quod datur in rebus: sicut dicimus dari vniuersalia, & esse priuationes. Et in eodem sensu dantur in re sacramenta: cum tamen institutio, & significatio sacramentorum non semper actu sit in ratione formali ter actua liter.

§ 6.

## §. VI.

*Vtrum potentiæ possint realiter ab anima separari?*

51 CONtra nostram conclusionē arguit Scotus; quia si potentiæ animę distinguerētur ab anima, possent ab illa separari. Sed hoc est falsum; aliàs in intellecto separato, posset beatitudo recipi: quod contradictionem implicat: siquidem sequeretur, quod esse actio vitalis, vt supponitur, & nō esset actio vitalis, quia esset àprincipio extrinseco. Et esset homo beatus peraccidens, nē pe, mediante intellectu.

Respondet Caietanus 1.p.q.54. art.3.§. *Ad tertiam autem*, quod illa propositio: *Realiter distincta sunt separabilia ad inuicem*: est falsa, etiam in doctrina Scoti, quoniam partes essentiales simul sumptę, apud ipsum distinguntur realiter à toto: & tamen non posset alterum sine altero fieri.

52 Deinde respondet Caietanus, quod connexio necessaria inter substantiam, & eius potentiam: dato quod esset ex causalitate actiua; non tamen inferret substātiam esse immediatum principium alicuius operationis, vt patet ex dictis. Nō infert etiam quod Deus possit eas separare; quia potest suplere vicem causæ efficientis: quoniam hoc intelligitur de efficiēte proprie, scilicet, per operationem mediam: tale autem non est substantia respectu suæ passionis, nam potentiæ consequentur substantiam in genere causæ effectiuæ, & materialis, per modum naturalis sequelæ.

53 Addit Caietanus. §. *Ad alteram*, quod operari mediāte virtute propria vt *quo* non est operari peraccidens. Et quod illa conditionalis, *si potentia esset separata à substantia, beatitudo esset in potentia*; est falsa: quia beatitudo est essentialiter operatio vitalis, quæ intelligi non potest esse nisi viuentis. Tum, quia beatitudo non potest esse nisi in beato: nō potest autem fingi, quod potentia separata esset beata, quæmadmodū superficies esset colorata. Vnde nō solum antecedens, & consequens illius conditionalis sunt impossibilia; sed etiam conditionalis ipsa.

54 Priorem solutionem Caietani omnes aceptāt; vt patet in his quæ diximus tractando de existētia materiæ sine forma: & de distinctione relationis à fundamēto. Vnde Suarez in præsenti lib.2.cap.1.n.8. ait, quod ex sola distinctione reali non colligitur separabilitas: si adsit essētialis dependentia, qualis inter relationem, & terminum intercedit.

55 Secundam verò Caietani solutionē amplectuntur Sonci.8. Met. q.1.ad 4. Imò & Capr. in 1.dist.3.q. 3.art.2.ad 9.contra 1.conclus.docens, quod impossibile est propriā passionem separari à subiecto. Quā opinionem exercitij gratia posse tuēri, dicit Bañez 1.p.q.77.art.1. dub.1.ad 4.concl.2.

56 Dicendum tamen est propriā passionem (dum tamen sit rigorosè passio) posse diuina virtute à subiecto separari: quamuis naturaliter repug-

repugnet. Ita late, & optimè Ferrara 4. Contrag. cap. 65. 9. *ad difficultatem tactam in 2. argumento.* Soto in 4. dist. 49. q. 2. art. 5. & in Log. cap. de Proprio quæst. 2. ad 5. & ibidem Sachez quæst. 41. Imò Capreolus in 4. distinct. 44. q. 3. ad argumenta Durandi contra tertiam conclusionē. Vnde loco supra relato interpretādus est ex natura rei, vt Diuū Thomam interpretatur Hispalensis in 1. dist. 3. q. 6. artic. 4. ad 9. quod loquatur de potentia ordinaria. Hāc sententiam dicit probabiliorem Magister Bañez vbi supra conclusione prima. Et sequitur Suarez libro 2. de Anima cap. 1. & vt communem, & veram, Rubio de potentijs animæ quæstione secunda.

57 Et quantū ad mētem D. Tho. multa affert Ferrara. In primis, quia existentia, perse consequitur formam & conuenit secundum quod ipsū. Et tamen anima Christi non habet propriam existentiam, secundum mentem Sancti Thomæ, & Thomistarum 3. p. q. 17. art. 2. Ergo pariter passiones possunt esse sine subiecto.

Secundo, ideo probat Sanctus Thomas Quodlibeto 9. articulo 5. ad primum: accidentia posse esse sine subiecto; nec tamen sequi contradictoria: *quia subiectū nō est de substantia accidentis.* Sed ratio æquè militat in præsenti, vt patet. Ergo etiā propria passio potest esse sine subiecto.

58 Præterea, Sanctus Thomas in 4. distinctione 10. articulo 2. quæstiuncula 3. ad 3. docet, quod Deus posset facere, quod substantia corporis Christi esset sine proprijs accidentibus. Rursus. 1. p. q. 66. artic. 1. & q. 67. art. 4. & in 2. sentēr. dist. 13. art. 4. ad 1. reputat esse possibile, quod corpora prius fuerint producta quantum ad formas substantiales, & postea quātum ad proprietates. Ergo manifestè S. Th. admittit possibile potentias posse separari ab anima.

59 Sed obijcies S. Th. q. vnic. de spirit. creat. art. 11. ad 7. dicentem: *Non potest intelligi substātia sine proprio: non enim potest intelligi, quod homo nō sit risibilis; vel triangulus non habeat tres angulos duobus rectis æquales; hic enim est repugnātia intellectuum; quia oppositū prædicati dependet ex natura subiecti.* Et q. vnic. de Ani. ar. 12. ad 7. cōcludit, quod *sine potentijs animæ, animam esse, nec est possibile, neque intelligibile.* Tum sic. Vbi contradictoriæ sequuntur; & aliquid intelligibile, non est, sed chimericum, à Deo fieri nō potest. Sed potentias esse sine anima, est *inintelligibile*; & est in hoc *repugnātia intellectuum*: ergo à Deo fieri nō potest.

60 Cōmunis, & vera solutio est, quod S. Th. loquitur, attentis naturis rerum, & de potentia ordinaria: non verò attenta potentia absoluta. Quod colligit M. Bañez ex ipso D. Thoma prima parte. q. 15. art. 3. ad 4. vbi ait, quod *de accidentibus, quæ inseparabiliter concōmitātur subiectum, non habet Deus specialem ideā, quia hæc simul fiunt cū subiecto.* Loqui enim ex natura rei, constat: quia ad hāc pertinet dispositio idearū: Deus enim aliter posset res ordinare, & producere, & facere, quę nō facit. De quo iterum. n. 68.

Spe-

61 Specialiter potest argui ex D. Thoma. 1. p. q. 49. art. 3. ad 3. dicente, quod relatio creationis est vera relatio, hoc est prædicamētalis, vt ibi interpretatur Caietanus. Sed relatio creationis, quæ est propria passio creaturæ, non potest à creatura separari, vt docet S. Thomas Quodl. 7. art. 10. ad 4. ergo nō omnia accidētia propria possunt à subiecto separari.

Respondetur, quod relatio illa non est propria passio creaturæ, vt docet S. Tho. q. 3. de Potentia ar. 3. ad 3. & prosequitur late Ferrara vbi supra ad 3.

62 Vel secundo respondetur, notando ex dictis 1. p. Metaph. cont. 8. in fine, quod aliæ sunt proprietates reales; & aliæ notionales: quādo diximus proprietates distingui a subiecto, loquimur de proprietatibus realibus: in isto autem casu est probabile hanc relationem à subsistētia, non distingui: nam vt docet S. Tho. 1. p. q. 44. art. 1. ad 1. *hæc relatio sequitur ad ea, quæ sūt de ratione rei causatæ.* Vnde non est passio creaturæ: est tamen aliquomodo de ratione eius. ¶ Prior tamen solutio videtur magis iuxta mentem S. Thom. & iuxta dicta lib. 2. Log. quæst. 22. n. 33.

63 Attentā autem ratione, idē asserendum esse, patet primo à pari tate: nam est certum secundum fidem, quod Deus potest facere vt accidens sit sine substantia, quamuis naturaliter fieri non possit. Ergo pariter potest facere, quod anima sit sine potentijs, vel potentiæ sine anima.

64 Secundo, quia vsque modo non est assignata vlla contradictio, nec facilè assignari possit, cum passio non sit de essentia subiecti; sed magis subiectum ingrediatur diffinitionē passionis. Aliud genus causalitatis, vel dependentiæ non admiscetur, ratione cuius nō possint seorsim conseruari substantia, & eius potentiæ.

65 Denique, quia nullā implicat contradictionē, quod est altero naturaliter prius secūdum suum esse, & ab ipso secundum suum esse essentialiter non dependet; absque illo, saltem per diuinam potentiam, inueniri. Sed anima est prior naturaliter potentijs, quæ ab ipsa per naturalem resultantiam dimanant: & animam in tota sua perfectione constitutam præsupponunt. Ergo diuinitus potētiæ possunt dari sine anima.

66 Sed pro priori sentētia argui tur: nam separato intellectu ab anima, vel anima esset intellectiua, vel non? Si esset intellectiua; iam non esset separatus intellectus. Vel erit effectus formalis sine forma. Si vero negetur tunc esse intellectiuam, sequitur, quod erit ablq; eo, quod est de eius essentia: anima enim essentialiter est rationalis: ac percon sequens intellectualis.

Respondetur ex D. Thoma prima secūdæ q. 110. art. 4. ad 4. quod dato, quod *anima sine potentijs esset, adhuc tamen anima diceretur secūdum speciem suā intellectualis, & rationalis; non quia actu haberet has potentias: sed propter speciem talis essentiæ, ex qua natæ sūt huiusmodi potētiæ effluere.* Vnde esse in

telle-

*tellectiuum*. Sumitur dupliciter: vno modo *radicaliter*, seu potẽtia remota: alio modo *formaliter*, cum habet principium proximum intelligẽdi. Separatis ergo potentijs, anima esset radicaliter intellectiua. Vnde hęc prædicatio *anima est intellectiua*; si loquatur radicaliter, est prædicatio per se in primo modo: si verò loquatur formaliter, est ac si diceretur, *homo habet intellectum*; est in secũdo modo dicendi per se. ¶ Vel vt ait Sanctus Thomas quæstione vnica de Spirit. creat. artic. 11. ad 17. *quod ex hoc ipso, quod anima immunis est â materia secundum suam substantiam; sequitur, quod habeat virtutem intellectiuam: non autem ita quod eius virtus sit eius substantia.*

67 Præterea arguitur: secundum Philosophum 1. Poster. text. 10. vsque ad 22. conclusio demonstrationis est per se, & necessaria. Sed propositio in qua prædicatum est propria passio subiecti, est conclusio demonstrationis. Ergo est necessaria, & non potest prædicatum à subiecto separari. Ergo virtute etiam diuina subiectum non potest esse sine propria passione.

Respondet bene Ferrara ad primum, quod aliter loquendum est de propositionibus necessarijs in primo modo dicendi per se; & aliter de necessarijs secundi modi per se: nam illæ nullo modo falsæ esse possunt; & opposita ipsarum per se implicationem dicunt, sicut homo irrationalis. At verò quæ sunt secũdi modi per causas naturales falsificari non possunt: nam subiectum suæ naturæ derelictum non posset absque prædicato esse. Et ideò Philosophi dicũt ipsas esse necessarias, & sempiternæ veritatis, quia considerant quid naturæ rei conueniat secundum se, ab intrinseco; non tamẽ, quid sibi diuino miraculo possit accidere. Vnde possunt per diuinam potentiam esse falsæ; cum possit Deus prædicatum à subiecto separare.

68 Ex hac doctrina nouam lucẽ accipiunt authoritates S. Tho. relatæ. n. 59. nam verificatur, quod *esset repugnantia intellectuum*, si anima suæ naturæ derelicta esset absque proprijs ipsius animæ potentijs; quia sequeretur esse naturales animæ; & non esse naturales. Non autem hoc sequeretur, si hoc fieret virtute diuina, quæ potest immutare modũ operandi naturæ.

69 Vltimo arguitur: si intellect⁹ esset separatus ab anima, sequitur, quod possit intelligere: & sequitur quod nõ possit intelligere: illæ sũt contradictoriæ. Ergo a Deo id fieri nõ potest. Prima pars probatur: nã potentia quælibet suæ naturæ relicta, potest operari, sicut calor calefacere: sicut videmus in Eucharistia accidentia omnia eo modo operari, ac antea, quãdo erant in proprio subiecto. Ex alia parte actio vitalis non potest esse nisi à principio intrinseco. Ergo iam sequitur contradictio. ¶ Respõdetur, quod in illo casu non posset operari, vt dixim⁹ cum Caiet. & sequitur Suar. in fin. cap. Et Rub. n. 29. Vnde in illo casu nõ posset anima intelligere sine intellectu, qui est principium proximũ intellectionis; neque intellect⁹

sine anima; quia actio vitalis debet esse à principio intrinseco. Et ex prędicato vitalitatis sumitur disparitas inter hunc casum, & eos, qui in argumento refferuntur.

## QVAESTIO XIV.

*Vtrum anima sit immediate operatiua?*

1 VIdetur hæc quæstio iam determinata ex dictis, quia ad hoc ponimus potentias ab anima distinctas vt eis mediantibus possit operari, quod se sola non valet. Nō potuit tamē omitti propter illos, qui opinantur, quod adhuc si potentiæ ab anima distinguantur; non potest non substantia esse immediate operatiua. Ita Suarez. & alij relati 2. Physicor. q. 10. n. 7. & 2. p. Metaph. controu. 9. toto art. 5. Item Hurtadus disp. 4. sec. 2. Arriag. disp. 3. sec. 1. & alij Recentiores.

### §. I.

*Certa conclusio.*

2 ASserendum tamen est, animā nec partialiter esse immediate operatiuam. Ita Authores relati q. precedente n. 3. prærer nunc relatos pro prima sententia. Specialiter Caietanus 1. p. q. 54. art. 3. & 1. p. q. 77. ar. 1. & ibi Bañez dub. 5. cū alijs Thomistis. Est S. Thomæ in 1. dist. 3. q. 4. ar. 2. vbi ait. *Similiter dico, quod ab anima, cum sit substantia, nulla operatio egreditur, nisi mediāte potentia.*

3 Et ratio est clara, quia si anima posset naturaliter operari sine potentijs medijs, frustra ponūtur potentiæ superadditæ: quia vt arguit Scotus in 2. dist. 16. quæst. vnica. §. *dico igitur*: illud ponendum in natura, quod melius est, si fit possibile. Quod sumitur ex 2. de Gen. textu 59. natura enim semper desiderat, quod melius est: sed paucitas sine multitudine est melior, vt patet. 1. Phys. text. 35. 41. & 50. ergo loquēdo (vt nunc loquimur) ex suppositione opinionis de distinctione potentiarum ab anima; frustra ponitur cōcursus immediatus animæ, & potentiarum, cum alter superfluat.

4 Deinde, infirmantur omnes rationes S. Thomæ, vt patet singulas percurrenti. Quas tamen validas esse iā ostendimus. Et vel probant, nec partialiter posse immediatè operari, vel nihil probant. Specialiter cum 1. p. q. 79. art. 1. ait. *Tunc solum immediatum principium operationis est ipsa essentia rei operantis, quando ipsa operatio est eius esse, &c.*

5 Denique nulla est necessitas talis influxus: quia accidens in virtute substantiæ potest producere substantiam: eo quod est virtus substātiæ: & instrumentū in virtute causæ principalis agit vltra propriam speciē, prout locis citatis diximus. Aliud caput indigentiæ nō assignatur: vt patebit ad argumenta respōdendo: ergo gratis hic immediatus influxus introducitur. Et ex suppositione sententiæ S. Thomæ, & Patrum, & communis, de qua iam dictum est, mihi hæc cōclusio est indubitata. Et minus dubito, cum debilia argumenta, quæ contra eam fiunt, magis attendo.

§. 2.

## §. II.

### *Argumenta soluuntur.*

6 PRimo arguit Recentior quidã Societatis hic disp.6.sec.1.à n. 3.vsque ad 18.ex D.Tho. qui 1.p. q.76.ar.3. vt probet nõ esse plures animas in homine, hæc habet. *Tertio apparet hoc esse impossibile, per hoc, quod vna operatio animæ, cum fuerit imẽ sa, impedit aliam: quod nullo modo contingeret, nisi principium actiuum esset per essentiam vnum.* Quod argumentum nullam vim haberet, si anima non concurreret simul cum potentijs immediate ad earum operationes: quia alioqui principium actiuũ earum, non esset vnum, sed plura: cum potentię plures sint.

Respondetur concedẽdo authoritatem, vt sonat. Ex qua habetur, quod vna sola sit anima, cui⁹ virtute homo operatur: cum quo componitur, quod principia proxima, nempe, potentiæ sint plures in vna anima radicatæ. Aduerte etiam cõtradictionem in isto Recentiore: nam n.4.ex vnitate animę intendit deducere propter illam experientiam, vnitatem potentiarum. Et tamen illudmet argumentum n.19. dicit inefficax. Ergo quamuis antecedens, quod solum est D. Thom. sit verum. Consequentia tamẽ, ipso fatente, est nulla.

7 Secundo idem arguit ratione: quia anima intellectiua proprijssimè est vita substantialis (melius diceret, dat vitam substantialem) ergo debet elicere aliquam actionem vitalem, sed nullam elicit: quia potentiæ resultant. Et *per nos* non elicit actiones vitales potentiæ intellectiuæ: ergo nullam. *Si dicatur*, animam in se sustentare potentiam: quod sufficit vt dicatur elicere eius actus. Contra. Ergo anima non magis proprie elicit intellectionem, quam aqua calida elicit calefactionem manus illi applicatæ.

Hoc argumentum solutione nõ indiget; sed fideli relatione arguẽtis: supponit enim nos concedere minorem: & tamen de illa est tota controuersia; & eam negamus, & nullam probationem isti afferunt. Secundo fingunt solutiones, quas non adhibemus. Vnde non est opus alia solutione, quam negare minorem, & ad replicas negamus suppositum, quod nos ita respondeamus.

8 Imo audiant Diuũ Thomam in 1.distinctione 3. in verbis antecedentibus ad relata num. 5. *Deus solus est, qui non agit per potentiam mediam differentem à sua substantia: in omnibus autem alijs, operatio est accidens; & ideò oportet, quod proximum principium operationis sit accidens. Sicut videmus in corporibus, quod forma substantialis ignis nullam operationem habet, nisi mediantibus qualitatibus actiuis, & passiuis, quæ sunt quasi virtutes, & potentiæ ipsius.* Sed ignis calefacit medio calore, & tamen vere dicitur calefacere omne cui applicatur. Ergo etiã anima proprijssime dicetur intelligere, quod intelligit intellectu mediante.

Et disparitas est inter aquam calidam, & intellectionem factam medio intellectu: nam calor in igne, quia operatur in subiecto connaturali, & in virtute ignis, operatur proximè, & radicaliter ignis: in aqua verò cum est calor, deest principium radicale, & subiectum connaturale. Idem in nostro casu est ac cum calor est in igne.

9 Veniamus ad argūmēta Arriagæ, qui subiectione secunda sic arguit. Si anima non concurreret immediatè ad actus voluntatis, sed sola potentia ipsius animæ, ipsa non esset digna odio, & pœna ratione peccati: neque amore, & præmio ratione bonorum operum: hæc sūt manifestè absurda: ergo debet anima concurrere immediatè. Probatur sequela, quia nemo meretur laudem, vel vituperium, nisi ob id quod ipse facit: sed anima non efficeret peccatum, nec bonum opus: sed à sola potentia vtrumque præstaretur. Ergo sola hæc esset digna vituperio, & laude: ergo no anima.

Dices, sufficere potentias esse aliquid animæ, vt ipsū tribuatur quidquid ipsæ operantur: sicut membra puniuntur, etiam si non operentur libere, pro eo quod sūt in corpore hominis, cuius anima operatur libere.

10 Sed contra: nam si anima nō habet dominium suarum operationum, non est libera. Sed si anima nō concurrat simul cū voluntate, nullum habet dominiū in actiones voluntatis: quia neque illas impedire, neque inperare potest. Ergo non poterunt animæ prædictæ actiones tribui laudi, vel vituperio. *Nec video* (inquit Arriaga) *quid hoc clarius esse possit?*

Vlterius ponamus animam miraculosè separatā à voluntate, peccare. Rogo an illud peccatum voluntatis tribueretur animæ? an nō? Respondebis, & merito, nō tribuē dū. Vnde ego infero. Ergo non peccabit anima, etiam si voluntas illi vnita peccet. Patet consequentia, quia voluntas non aliter operatur in vno casu, quam in alio. Item, anima non magis influit vnita, quā nō vnita: ergo non magis peccabit in vno casu, quam in alio.

11 Respondetur hoc argumentum solutum à D. Thom. 1.2.q.17. art.5. ad 2. his verbis. *Dicēdum, quod sicut in membris corporalibus, quodlibet membrum operatur, non sibi soli, sed toti corpori. Id etiam est in potentijs animæ: nam intellectus intelligit, non solū sibi, sed omnibus potentijs: & voluntas vult, non solum sibi, sed omnibus potentijs. Et idcò homo imperat sibi actū voluntatis, inquantum est intelligens, & volens.* Sola verba D. Tho. absque alia ponderatione satisfaciunt argumento.

12 Replica, quæ tam manifesta iactatur, sola negatione minoris, cuius probatio in arguente desideratur, soluitur. ¶ Ad secundā replicam iam diximus cum cōmuni Caietani, Suarez, & aliorū, casum illū implicare contradictionē, quia ex vna parte actio illa esset vitalis: & ex alia parte esset à principio extrinseco; siquidē principiū radicale totius vitalitatis esset separatū. Vnde non mirum, quod ex impossibili sequatur quodlibet.

Secundo

13 Secundo arguit idē Author: nam voluntas est potentia cæca, & nō potest ferri in incognitum. Sed in casu distinctionis potentiarum, voluntas ferretur in incognitum; quia, cum intellectus realiter distinguatur à voluntate; cognitio intellectus omnino impertinenter se habet respectu volūtatis.

Hoc argumentum est Adam Godan relati à Capreolo in 1. distin. 3. q. 3. art. 2. & ad illud posset primo responderi solutione præcedentis argumenti: quam nec isti viderūt, nec impugnarunt.

14 Secundo dicitur, quod, vt asserit S. Thomas illa. q. 77. art. 1. ad 4. *Hoc ipsum, quod forma accidentalis est actionis principium, habet à forma substantiali. Et ideò forma substantialis est primum actionis principium, sed non proximum.* Per hoc ergo, quod omnes potentiæ radicantur in vna anima, dicūtur esse animæ, sicut principij, vt docet S. Thomas articulo. 5. Et ideò omnes ei deseruiunt; & ad inuicem se possunt mouere. Cuius rationem assignat Sanctus Thomas prima secundæ quæstione 17. articulo primo, dicens, quod quia actus voluntatis, & rationis, supra se inuicem possunt ferri, prout scilicet, ratio ratiocinatur de volendo, & voluntas vult ratiocinare; contingit actum voluntatis præueniri ab actu rationis; & è conuerso. Et quia virtus prioris actus, remanet in actu sequenti: contingit quandoque, quod est aliquis actus volūtatis, secundum quod manet virtute in ipso aliquid de actu rationis; vt dictum est de vsu, & electione: & è conuerso aliquis est actus rationis secundum quod virtute manet in ipso, aliquid de actu voluntatis.

15 Ex qua doctrina S. Thomę cō stat potentias animæ ad inuicem se mouere, & adiuuare. Siue hoc fiat per sympatiam: siue per physicam qualitatem impressàm, siue quia actus vnius potentiæ determinando illam, determinat etiam animā ad actum alterius potentię, vt nouissime subtiliter tradit Magister Baptista 1. 2. disp. 114.

Et in casu præsenti bene respondet Capreolus pag. 133. dicens. Quod voluntas non est cæca, nec videns; quia non est apta nata videre: sufficit enim quod idem sit subiectum, quod videt, & quod vult, scilicet, anima, cui principaliter attribuuntur intelligere, & velle; & non alicui potentiæ. Si enim voluntas esset, quasi suppositū volēs, bene esset incōueniens, quod nihil intelligeret. Sicut si vis⁹ esset vna anima; inconueniens esset, illam nō habere gustum. Et si oculus esset animal, inconueniens esset, quod non haberet os. Sed quia sunt instrumenta animalis, & non animalia; non oportet eandem virtutem videre, & gustare, & olfacere. Ita in proposito. Videatur etiam Sanctus Thomas prima parte quæstione 87. articulo 4. ad primum: vbi *quia potentiæ radicantur in vna substantia animæ*, infert, *vt quod est in voluntate, sit etiam quodammodo in intellectu.*

¶ Per quæ cessant replicæ, quas per tres subsectiones vsque ad nauseā proponit Arriaga.

17 Demum arguunt alij Recentiores, quia in nostra sententia, animæ ponuntur tãquam tot statuæ, & stipites, vt potè quæ omnino nihil agant; neque operationem vitæ eliciant, magis quam si essent ex ligno, vel lapide. Et quia, nisi anima immediatè recipiat actus intellectus, & voluntatis, non erit propriè beata; nec damnata: sed merè denominatiuè: quia denominatio, quæ propriè, & immediatè tribuitur alicui potentiæ, in anima existẽti, impropriè, & mediatè tribuitur toti. Quod, & durum videtur, & contra communem omnium conceptum.

Respondetur, quod istam imposturam, vel rudem istorum intelligentiam, iam abstulerat Capreolus loco relato, & ad secundum cõtra primam pag.127. col.1. aduertens cum D.Tho.1.2.q.56.art.1.ad 3. *quod vnum accidens dicitur esse in alio, sicut in subiecto; nõ quia accidens perse possit sustentare aliud: sed quia vnum accidens inhæret substantiæ mediante alio accidente.* Quod prosequitur S. Tho. in 3.sentẽt.dist.33.q.2.art.4.q.1.& alijs locis, quæ retulimus 2.p.Met. Controu.3.art.4. vbi ostendimus, quod vnum accidens non est subiectum *quod* alterius; sed tantum subiectũ *quo*, seu ratio recipiendi, *quia substamia recipit vnum accidens alio mediante, sicut colorem mediante superficie; & scientiam mediante potentia intellectiua*, vt ait S.Tho.de Spirit.creat.artic.11.ad 13. Ex quo patet ad argumentum, quoad priorem partẽ negandum esse antecedens: quod quia sine probatione assumitur, nec illis occurrit mediũ, quo probare possint, fingunt illud à nobis concedi.

18 Ad secundam partem argumenti, quod desumptum est ex Scoto, iam supra respondimus, cum Caietano. Addimus nunc cũ Capreolo, quod visio beatifica propriè recipitur in essentia animæ: licet potentia intellectiua sit ipsi animæ ratio subijciendi; vel quod subest tali accidenti. Quasi dicat, quod id, quod videt Deum, *vt quod*, est ipsa anima: licet id quod videt *vt quo*, sit intellectus, vt eleuatus lumine gloriæ, quod est tota ratio agendi supernaturaliter.

19 Præterea respondet Capreolus, quod visio beatifica nõ potest recipi in intellectu separato ab anima; duplici ratione: quia sine miraculo non potest intellectus ab anima separari: & iuxta Capreolum est probabile, neque per miraculũ. Secundo, quia dato per impossibile, quod visio esset in intellectu separato, adhuc neque illa esset beatifica; neque illud accidens beatum: quia beatificari non potest nisi natura viua, rationalis, & quæ nata est constituere suppositum, & habere amicitiam cum Deo: quæ omnia tali accidenti deficerent. Videatur etiam Capreol.in 4.dist.49.q.4.ar.3.& alij Authores, quos refert M. Baptista 1.2.disp.40. Et S. Thom. Quodlib.7.art.5.ait. *Propriè loquendo, neque potentia anima fruitur, neque essentia, sed homo; vel anima per se subsistes.*

20 De emanatione potentiarum ab anima, & ad inuicem, agit S.Th. 1.p.q.77.ar.6. sufficiunt, quæ diximus 2.Phys.tota q.11.

QVAE-

## QVAESTIO. XV.

### *Vtrum potentiæ Animæ distinguantur per actus, & obiecta?*

### §. I.

### *Certa pars affirmatiua.*

1 COnclusionem affirmatiuam probat S. Tho. 1. p. q. 77. art. 3. ex Phylos. 2. de Ani. tex. 33. dicẽte, quod *priores potentijs actus, & operationes secundũ rationem sunt: & adhuc his priora sũt opposita, sine obiecta.* Ergo potentiæ distinguuntur secundum actus, & obiecta.

2 Respondet Gabriel in 2. dist. 10. art. 2. lit. p. quod malè allegatur Phylosophus, non enim dicit, *quod potentiæ distinguuntur per actus.* Nam Phylosophus in illo capite intendit tradere ordinem dicendorum, non distinctionem potentiarum. Vnde vult dicere, quod prius dictum est de actibus, quam de potentijs: & prius de obiectis, quam de actibus. Et in verbis relatis à D. Tho. nihil loquitur de distinctione, vel identitate.

3 In primis hæc calumnia nõ militat contra S. Tho. qui verba ipsa textus ad pedẽ litterę retulit. Deinde verissimum est, quod Phylosophus intendit explicare, quo ordine determinandum sit de partibus animæ: & vt causam assignet, cur prius sit agendum de actibus, quam de potentijs; dicit rationem esse, quia secundum rationem difficultatiuã, actus, & operationes sunt priores potentijs.

4 Hanc autem esse mentem Phylosophi, sola textus lectione constat: nam iuxta translationẽ Ioannis Sophiani, ita dicitur, *quod si oportet dicere, quid quodque ipsorum sit? Vt quid intellectiuum, aut sensitiuum, aut nutritiuum; multo ante dicendum est, quid sit intelligere, & quid sentire: nam operationes, & actiones potentijs ratione sunt priores: quod si ita est, obiecta etiam multo prius, quam hæc, oportet considerare.* Vbi S. Tho. lect. 6. litt. d. inquit. *Sic igitur obiecta sunt priora operationibus animæ in via definiendi, vnde prius oportebit determinare de obiectis, quam de actibus; propter eandem causam, propterquã, & de actibus prius determinatur, quam de potentijs.* Hæc ibi S. Thomas. Ex quo manifestè patet cõclusionem esse de mẽte Phylosophi, hoc syllogismo. Ab eo specificatur potẽtia, quod est illa prius prioritate causę; sed secundum Phylosophum, actus sunt priores potentijs, & obiecta præcedunt actus, & potẽtias. Ergo dubitari nequit de mente Phylosophi, quod potẽtię specificantur per actus, & actus per obiecta.

5 Ratione arguit S. Tho. 1. p. vbi supra, his verbis. *Potentia, secundum id quod potentia est, ordinatur ad actum. Vnde oportet rationem potentiæ accipi ex actu, ad quem ordinatur: ac per consequẽs oportet, quod ratio potentiæ diuersificetur, vt diuersificatur ratio actus.* Quasi arguat S. Thomas: vnumquodque accipit speciem ab eo, ad quod secundum suam essentiam perse primo ordinatur: quia illud est eius

finis, & forma extrinseca. Sed potē tiæ animæ sunt perse primo, propter operationes: vnde istæ in earū definitione ponuntur. Ergo ab operationibus sumunt vnitatem, & distinctionem specificam.

6 Præterea, idem probatur experientia: visus enim distinguitur ab auditu, quia alter ordinatur ad videndum colores; alter verò ad audiendum sonos; & sic de alijs potē tijs externis, & internis dici potest.

7 Præterea, bene arguit Suarez lib.2.de Anima cap.2.n.9.nā quod in arte sunt instrumenta, sunt potē tiæ in natura: siquidem ars imitatur naturam. Sed ars facit instrumenta proportionata operationi, & fini artis: vt calamum ad scribendum, & serram ad secandum; & sic de alijs. Ergo cum homo debeat exercere diuersas operationes, natura dedit potentias ordinatas, & proportionatas talibus actibus, & obiectis: quod est specificari abillis. Hęc ratio insinuatur à D. Thom. in solutione ad 1. illis verbis. *Principio autē & fini proportionātur ea, quæ sunt extrinseca rei.* Et latius habetur.q.de Ani. ar.12.in corpore.

8 In conclusione præcedenti omnes Philosophos cum Aristotele conuenire, testatur Suar. vbi sup.n. 2. Ex quo deducit, quod minime certatur de quæstione an est; sed solū de modo quo hoc axioma verificetur, est difficultas inter Doctores.

9 Pro quo notandum ex Caiet. illo art.3.§. *ad euidentiam*, quod conclusio supra posita quadrupliciter intelligi potest. Primo, quod ly *per* denotet differentiam distinctionis; ita, quod actus sint principia, quibꝰ formaliter, vt propijs differentijs potentiæ distinguūtur. Et in isto sensu conclusio à nemine intelligitur, quia differentia est intima rei, actus verò in existendo est posterior potentia. Secundo, quia idem est quo formaliter res est talis in se, & vna, & diuersa ab alia essentialiter. Ergo neque actus, neque obiecta, possūt esse differentiæ intrinsecæ potētiarum.

10 Secundus sensus est, quod ly *per*, denotet principium declaratiuum tantū; ita, quod sit sensus: potentiæ distinguuntur per actus à posteriori. Ita indicat Scotus in 2.distinct.16.q.vnic. Et clare tenent Gabriel ibidem. Et Philoponus lib.2. de Anima. Venetus, & Apolin. & Jandun.q.8. Arriaga disp.3.sect.4. subsec.1.n.132. & alij Recētiores: de quibus 1.p.Met.Contr.2.ar.1.

11 Tertius sensus est, quod ly *per*, denotet principium distinctiuum omnino extrinsecum, nempe per causam finalem, & efficientem. Pro quo modo dicendi citatur Herue quodlib.1.q.12.

12 Quartus sensus est, quod ly *per* denotet principium diffinitiuū, extrinsecum quidem à re; intrinsecum autem diffinitioni rei, quæ fit per additamentum; ita quod potē tiæ distinguantur à priori per actus, & obiecta; quia distinguuntur per ordinem ad illa, quia sunt relatiua transcendentaliter, quia per suas essentias essentialiter ordinem habēt ad actus. Ita tenet S. Tho. solutione ad primum; & sequuntur Caiet. & omnes

omnes Thomistæ. Item Aegydius, Nimphus, Alexander, & alij supra textum 33. Esseque de mente Aristotelis, veramque sententiam, dicit Suar. n. 3. Pro cuius explicatione.

13 Notandum ex D. Thom. quod potentia est duplex: actiua, & passiua. Inter quas hæc est differentia, quod obiectum comparatur ad actum potentiæ passiuæ, sicut principium, & causa mouēs; color enim, inquantum mouet visum, est principium visionis: ad actum autem potentiæ actiuæ comparatur obiectū, vt terminus, & finis: sicut augmentatiuæ virtutis obiectū est quātum perfectum, quod est finis augmenti. *Ex his autem duobus actio speciē recipit, scilicet, ex principio, vel ex fine, seu termino.* Differt enim calefactio ab infrigidatione, secundum quod hæc à calido, scilicet, actiuo ad calidum: illa autem à frigido ad frigidum procedit.

14 Sed obijcies: nam Philosoph. 5. Physic. text. 4. docet, motum specificari à termino *ad quem*, vt nos ibidem diximus q. 2. Sed actio est cum motu. Ergo non habet distinctionem, vel speciem à principio, sed à termino.

Respondetur, quod actionē specificari à principio, docuit etiam S. Thomas 1. 2. quæst. 1. artic. 3. & prima parte quæst. 24. art. 5. ait. *Omnis operatio specificatur per formam, quæ est principium operationis.* Aristotelis verò loquitur de motu, quem omnes fatentur specificari à termino *ad quem*. De qua doctrina videātur Caietanus, & Conradus prima secūdæ quæst. 1. artic. 3. & alij multi, quos citat, & sequitur Magister Baptista disputatione 11. dubio primo: & Magister Ioannes à Sancto Thoma 1. 2. disput. 1. artic. 3. Et quod hoc, non solum sit in genere efficientis, sed etiam in genere causæ formalis, docet S. Thomas 1. 2. quæstione nona articulo primo in fine corporis. Et omnino videatur 1. 2. quæstione 18. articulo 5. & ibi Conradus.

15 Secundo respondetur cum Magistro Bañez prima parte quæstione 77. artic. 3. post primam conclusionem, quod cum principium motus debeat esse eiusdem rationis cum termino ipsius: formaliter quidem in causis vniuocis: virtualiter verò vt in causis æquiuocis: idem est, quod actus specificetur à termino, & quod specificetur à principio. Et hoc expressit Sanctus Thomas in articulo, dicens: *Ex his autem duobus actio speciem recipit, scilicet, ex principio, vel ex fine, seu termino.* Et quæstione sexta de Potentia artículo octauo.

16 Præterea aduertendum cum Caietano, quod actus, & potentia possunt dupliciter cōsiderari: vno modo vt effectus sunt potētiarum: alio modo, vt sunt fines earum: quia, vt dicitur secundo cæli textu 17. *vnumquodque est propter suam operationem.* Quo supposito.

§. II.

*Est specificatio à priori.*

17 Dico secũdo: specificatio potentiæ per actus, simpliciter est à priori. Ita expresse S. Thomas q. 15. de Verit. art. 2. referens, & impugnans cõtrariam opinionem, ratione, quam hic proponit ad 1. & formatur sic. Specificatio, quæ est per causam finalem, est simpliciter à priori, quia finis est causa causalitatis in omnibus causis: & ideo, quod prius est in genere causæ finalis, est simpliciter prius. Sed actus sunt fines potentiarum, quia potẽtia est propter actũ; & non è cõuerso: nam tota essentia potentiæ vitalis, quatenus talis, consistit in hoc, quod sit principium proximum, & immediatũ, quo viuens se mouet in actu secundo; quod est vitaliter operari circa aliquod obiectũ. Ergo simpliciter hæc specificatio est à priori.

18 Quod autem ratio actus pariter diuersificetur à priori, bene probat ratio S. Thomæ, tam in potentia actiua, quam in passiua: nam obiectum comparatur ad actum potentiæ passiuæ, sicut principium, & causa mouens: calor enim, inquantum mouet visum, est principium visionis, videlicet, in genere causæ efficientis, & formalis extrinsecæ; ad actum autem potentiæ actiuæ, comparatur obiectum vt terminꝰ, & finis: sicut augmentatiuæ virtutis obiectum; est quãtum perfectũ, quod est finis augmenti. *Ex his antẽ duobꝰ actio speciẽ recipit, scilicet, ex principio, vel ex fine*: vtroque modo est per cõparationẽ ad verã causã: ergo distinctio actuum ex obiectis, a priori est.

19 Secundo probatur ratione S. Thomæ 2. de Ani. lec. 6. in fine. Specificatio, quæ est secũdum causam, vel rationem diffinitiuam, est à priori. Sed *secundum rationem diffinitiuã actus, & operationes sunt priores potentijs: potentia enim secundum hoc ipsum quod est, importat habitudinem quandam ad actum: est enim principium quoddam agendi, vel patiendi. Vnde oportet, quod actus ponantur in diffinitionibus potentiarum.* Ergo *species actuum, & operationũ sumitur secundum ordinem ad obiecta*, quod est ab illis specificari à priori.

20 Sed obijcies, specificatio per aliquid extrinsecum, non dat speciem intrinsece: sed obiectũ est aliquid extrinsecũ actioni: ergo ab illa non specificatur, nisi improprie, iuxta tertium sẽsum supra reiectũ.

Respondet S. Thomas ad primũ, quod obiectum, licet sit extrinsecum; est tamen principiũ, vel finis actionis; *principio autem, & fini proportionãtur, ea quæ sunt extrinseca rei, per intrinsecam habitudinem.* Hæc ergo intrinseca habitudo, seu respectꝰ trãscendentalis potentiæ ad actum, intrinsece, & à priori specificat potẽtiam. Quia vero actus causantur à potentia: & vt docet S. Thom. ibidem, *actus sunt posteriores ipsa potentia, quantum ad esse.* Ideo loquendo limitate, & secundum quid, procedendo ex actibus ad potentias, procedimus à posteriori.

Ex

21 Ex quo soluitur argumentum Recentiorũ, qui sic obiiciunt: nulla entitas specificatur ab illo, à quo est independens tamquam à causa: sed potentia est independens tamquam à causa ab actibus: ergo potẽtia non specificatur ab actibus. Minor est certa, quia volitio, & intellectio nullam exercent causalitatẽ in potentiam intellectiuam, & volitiuam. ¶ Libenter cõcedimus maiorem; & minorem, quam dicunt *certam*, nos dicimus *omnino falsam*, vt potè contra Philosophum, & Sanctum Thomam. Et contra rationẽ, quia vt docet S. Tho. 2. de Anim. lec. 6. obiecta potentiarum actiuarum, comparantur ad operationes ipsarum, vt fines: obiecta enim potentiarum actiuarum sunt operata ipsarum. Manifestum est autem, in quibuscumq; præter operationes, sunt aliqua operata, quod operata sunt fines operationum, vt dicitur in 1. Ethic. sicut domus, quæ ædificatur, est finis operationis. Manifestum est igitur, quod omne obiectũ comparatur ad operationẽ animæ, vel vt actiuũ, vel vt finis. *Ex vtroque autem specificatur operatio.* Loquitur de rigorosa specificatione à priori, vt exempla, quæ subiungit, manifestant.

## §. III.

### *Non est ab obiecto materiali.*

22 SEcunda conclusio S. Tho. in art. 1. est, quod potentiæ non distinguuntur penes obiecta peraccidẽs, sed penes obiecta perse; *quia ea quæ sunt peraccidens, non diuersificant speciem.* Et in præsenti id patet, quia enim sensus perse respicit passibilẽ qualitatem, quæ perse diuiditur in colorẽ, sonum, & huiusmodi; ideò alia potentia sensitiua est coloris, scilicet, visus, & alia soni, scilicet, auditus. Sed passibili qualitati, aut colorato, accidit esse musicũ, vel grammaticum, vel magnũ, vel paruum, aut hominem, vel lapidem: & ideò penes huiusmodi differentias, potentiæ animæ non distinguũtur.

23 Contra hanc conclusionem tenet Arriaga disp. 1. Logic. sec. 3. subsec. 2. conc. 3. n. 19. Et disp. 3. de Anim. sec. 4. subsect. 2. docens, actũ etiam specificari ab obiectis materialibus. Quod vt probet, supponit hanc difficultatem fere totam esse de nomine: nullus enim negare potest, magis differre duos actus inter se, qui propter eandem rationẽ formalẽ amẽt duo media specie diuersa, vnus vnũ, alter alterũ: quã differant duo alij actus, qui, & motiuũ, & media eiusdẽ omnino speciei habeant. Hæc de re certa. An autẽ differentia dicenda sit specifica? Quæstio est de nomine. In qua cõuenientius dici esse specificam, probat.

24 Primo, quia actus tam essentialiter respicit obiectum materiale proximum (de quo solum est quæstio: nam de remoto certum est non specificare actum) quam respicit obiectum formale: vtrumque enim respicit per suã essentiã, & non per aliquid sibi superadditũ: ergo ab obiecto materiali diuersus, diuersus erit actus; sicut à formali.

li. Patet consequentia, quia ordo, & relatio diuersa, est à diuersitate termini, quem respicit essentialiter.

Dices, id solum esse verum de termino formali, & primario; nō vero de secundario.

Sed cōtra primo, quia termin⁹, seu obiectū materiale, licet minus principaliter respiciatur; respicitur tamen essentialiter: ergo ex eius variatione debet actus absolute variari: sicut licet materia sit pars minus principalis hominis, sufficit tamen eius varietas, vt homo varietur in specie. Ratio est, quia malū (quale est diuersitas) ex singulari defectu prouenit. ¶ Cōtra secūdo, ideo obiectum formale diuersificat actum, quia ipsum in se est diuersum, & nō potest tribuere solam vnam partē diuersitatis suæ, quin totam actui, ad ipsum terminato, tribuat. Atqui etiam obiectum materiale est in se diuersum; nec potest communicare partem diuersitatis sine altera, quia hæc quasi communicatio est necessaria, & indiuisibilis: ergo debet obiectum materiale, non secus ac formale, specificare. Confirmatur, quia si potest obiectū, quod essentialiter respicitur, non tribuere actui suam diuersitatem, poterit etiam quis dicere, neque ab obiecto formali diuersificari actum; sed vlterius requiri diuersitatem vtriusq; obiecti formalis, & materialis: quod nullus dixit.

25 Probatur secundo, quia negari nequit, in ordine ad prudentum æstimationem, notabiliter differre actū, quo quis vult ob Deū sūmè dilectū vitā profundere, ab actu, quo ob eūdē finē vult moderatè viuere. Sed hi actus differūt solū in obiecto materiali: ergo diuersitas huius obiecti sufficiens est ad diuersificandos act⁹ in specie. Idē est in intellectu: quis enim neget diuersos esse in specie discursus inferētes ex eisdem præmissis valde diuersas conclusiones? Certe, qui hoc negaret, facilius etiam posset negare, non differre inter se specie actus inferētes eandem cōclusionem ex diuersis principijs: ergo dicendum est ab vtroque obiecto actus, & potētias diuersificari.

26 Nec obest, si dicas Theologos omnes affirmasse visiones beatorū esse eiusdē speciei; licet diuersa obiecta materialia, idest, diuersas creaturas in Deo respiciant; eo quod habeant idem obiectum formale. ¶ Non, inquam obest, quia etsi id ab Antiquis, qui ex professo rē hanc nō examinarūt, doceatur; contrarium tamen iam est commune inter Recētiores, pro quibus rationes stare, constat ex dictis. Hæc Arriaga.

27 Illi per omnia subscribit Recentior Complutensis Societatis. Et solum addit Cōtr.15.de Anim. puncto 4.§.3.n.14. Nec refert cōmuniter Doctores tātum distinxisse actus per obiecta formalia; quia illi nō egere de quacumque distinctione specifica actuum; sed de illa, quæ actus ad diuersas virtutes spectantes constituebat. Recentiores vero, qui accuratius rem pertractāt, actu⁹ per obiecta (materialia, vt patet ex contextu) distingui

gui concessere. Hæc ibi.

28 Paradoxam hanc positionem penitus reijciendam iudico, vtpote leuissimis fundamentis, recedentē à communi Theologorum, & Philosophorum. Gratis autem cōfictam à Recentiore traditam explicationem, patet ex D. Thoma, & omnibus expositoribus 1. p. q. 77. art. 3. & 2. de Ani. text. 33. qui nulla mētione facta de virtutibus; sed loquendo in genere de potentijs animæ, dicunt non specificari ab obiecto materiali. Et specialiter Opusc. 70. q. 5. art. 1. dicit. *Sciendum tamen, quod quando habitus, vel potentiæ, penes obiecta diuersificantur, non distinguūtur, penes quaslibet differentias obiectorum; sed penes illas, quæ sunt per se obiectorū, inquātū sūt obiecta.* Expresse de habitibus, vel potētijs loquitur. Et 1. 2. q. 54. artic. 2. ad 1. ait S. Thomas, *quod in distinctione potentiarum, vel etiā habituum, non est considerandum ipsum obiectum materialiter; sed ratio obiecti, differens specie, vel etiam genere.* Quod millies in D. Tho. reperitur. Videatur 1. 2. q. 18. art. 5.

29 Falsum etiā est quæstionē hāc esse de nomine, vt in similibus apparet: nam quæstiones de distinctione specifica scientiarum, habituum, virtutum, & vitiorum, serio disputātur, vt valdè vtiles, & dignæ cōsideratione, nō solū Philosophorū, sed Theologorum. Esto autē quod esset differentia in modo loquendi: cedemus ne duobus recentibus arbitratu suo sic loquentibus; vel sequemur proprium, & genuinum loquendi modum Angelici Doctoris, qui per quadringentos annos in tus, & extra Scholas inualuit? Id cordatus cogitet.

30 Sed quod Modernorum omnem eleuat fidem, est, quod contra inauditam partem iudicant, & S. Thomæ. P. Suarez, & aliorum, nec visis, nec solutis rationibus; contrarium intrepide proferunt, ac si sola ipsorum authoritate res tota esset definienda. Et tamen S. Thomæ ratio est à priori. Cui nil respondent. Nec exemplis valent satisfacere. Imo consequenter fatentur actus fidei specie distingui, iuxta veritatum fidei materialem distinctionē. Contra communem Theologorū cum D. Thoma 2. 2. q. 4. ar. 6. & ita plusquam mille habitus fidei in vnoquoque fideli erunt, iuxta distinctionem specificam actuum. Idemque sequitur de Charitate, & alijs virtutibus. Imo, vt iam olim cuidā Nominali obiecerat M. Soto q. 3. proœmiali Logicæ in fine secundæ conclusionis, sequitur plures esse habitus iustitiæ cōmutatiuæ in me, alium ad emēdum frumentum, & alium ad vendendum oleum. Item aliam esse temperantiam ad comedendam lenticulam; aliam ad bibē dam aquam. *Quod certe est ridiculum.* Et aperte sequitur ex sentētia, quā impugnamus.

31 Præterea: si iuxta numerum colorum, & sonorum, distinguerētur actus specie in esse visibilis, incredibilis multiplicatio, & differentia specifica actuū cōsurgit in qualibet potentia. Imo incredibilis cō surgit distinctio potentiarum, quia si diuersitas materialis sufficit distinguere actus specie, vel genere; etiam

etiam sufficiet distinguere potentias.

32 Denique omnium ratio est; quia species sumitur à forma, quia vel est forma subsistens, vt Angeli; vel est forma dans actualitatem potentiæ, vt in compositis: in quibus videmus distinctionem specificam esse formalē. Vel est distinctio specifica per ordinem ad terminū: & ista respicit per se terminum formalem: alioquin quicquid se teneret ex parte termini, variaret speciem. Quod videmus esse falsū: alioquin animalia specie distinguerētur per diuersitatem cuiuslibet accidentis. Actus ergo non distinguuntur specie penes obiecta materialia. Clarius veritas nostri asserti patebit satisfaciendo argumentis.

33 Ad id, quod supponit, in primis possemus suppositum negare: sicut videtur negare S. Tho. solutione ad. secundum, dicens, quod *visus non respicit rationem albi; sed rationem coloris*. Secūdo dicitur, illos actus magis differre accidentaliter, materialiter præsuppositiue: non tamen differre formaliter. Distinctio autē specifica formalis est.

34 Inde patet ad primū argumētum negandū esse antecedens. Imò totum argumentum peccat nō distinguens inter terminum materialem, & formalem: cum tamen in Sacramento Eucharistiæ videamus aliqua esse *ex vi verborum*, & aliqua *per realem concomitantiam*. Et in reliquis potentijs experiamur auditū ferri in sonum; visum in colorem; non possumus non distinguere obiectum materiale à formali. Et illa consequentia *respicit per suam entitatem: ergo respicit essentialiter*; nulla est: & instatur in obiecto remoto: nam per suam entitatem visus respicit lucem, colorem, & hominē, quod est obiectum remotum: & tamen ab illo fatetur species actuum non variari. Et in rei veritate ibi procedit suum argumentum, quia malū (quale est diuersitas) ex singulari defectu prouenit.

35 Ad primam replicam negatur antecedens: & exemplū, quo probatur, laborat in æquiuoco, quia quando actus, & potentia perse respiciunt aliquod compositū ex materia, & forma; tunc materia non est obiectum peraccidens; sed est pars obiecti formalis, & perse: cum supponamus compositum perse attingi. Nunc vero loquimur de obiecto materiali, hoc est, non perse attacto à potentia: vnde non est simile.

36 Ad secundam replicam, quod ibi assignatur non causa, vt causa. Sed legitima ratio est, quod obiectum formale perse attingitur à potentia: est enim id, quod potentia perse respicit: obiectum autem materiale nō respicitur perse, sed quasi peraccidens: & quasi de materiali ibi coniungitur.

37 Ad confirmationem respondetur primo, non esse eādē rationē de obiecto, perse, & essentialiter inspecto; & de obiecto, quod materialiter, & peraccidens attingitur.

Secundo respōdetur, ex parte admittendo sequelam: quia iuxta cōmunem Philosophorū, & Theologorū, quos retulimus 1. p. Met. Cō

trou.

trou. 2. art. 2. duæ rationes formales distinguuntur in scientijs: altera obiecti, vt obiecti; altera obiecti, vt res. Vel altera *vt quæ*, & altera *sub qua*, vt loquitur Caiet. 1-p.q.1. a.3. Et ex vtriusque rationis cõiunctione sumitur specificatio actus.

38 Ad secundum respõdetur, ex D. Tho. 1.2.q.18.art.6. quod ibi est duplex actus; alius interior voluntatis, & actus exterior membrorũ, actus exterior accipit speciem ab obiecto, circa quod est: actus vero interior accipit speciẽ a fine: species autem actus humani formaliter consideratur secundum finem: materialiter autem secũdum obiectũ exterioris actus, vt ibi ex Philosopho probat. Vnde solutione ad 3. ad nostrum intentũ ait, quod *quando multi actus specie differentes ordinantur ad vnum finem; est quidem diuersitas speciei ex parte exteriorum actuũ: sed vnitas speciei ex parte actus interioris.*

39 Ad secundam partẽ argumẽti; respondetur ex D. Thoma, quod ũ illæ conclusiones deducantur per eadẽ media, erũt eiusdem speciei; & pertinebũt ad eãdem scientiam. Si vero deducãtur per diuersa media, iã erũt distinctę speciei à distincto obiecto formali. Vnde S. Tho. prima parte quæst. prima art. primo ad 2. ait, quod *diuersa ratio cognoscibilis diuersitatem scientiarum inducit: nã ĩ eum cõclusionem demonstrat Astrologus, & naturalis: puta, quod terra est rotũda; sed Astrologus, per medium mathematicũ, ideſt, à materia abstractũ: naturalis autẽ per medium circa materiam consideratũ.* Et ipse S. Thom. 1.2.q.54.art.2. ad 3. assignat rationẽ, quia tota virtus demonstrationis *dependet ex medio: & ideò diuersa media sunt sicut diuersa principia actiua secundum quæ habitus diuersificantur.*

## §. IIII.

## *Vtrum diuersa ratio obiecti sufficiat ad diuersitatem realem potentiarum?*

40 COntra primam conclusionẽ arguit S. Tho. nam si differẽtia potentiarum esset ex differentia obiectorum, idem obiectũ non pertineret ad diuersas potentias; siquidem remota causa, remouetur effectus. Sed hoc patet esse falsum: nã idem est, quod potentia cognoscitiua cognoscit, & appetitiua appetit: siquidem ens, bonum, & verũ, conuertuntur. Ergo potentiæ non distinguuntur per actus, & obiecta.

Respondet S. Thomas ad 3. *quod nihil prohibet id, quod est subiecto idem, esse diuersum secundum rationem: & ideò potest ad diuersas potentias animæ pertinere.*

41 Circa hanc solutionem mouet dubium Caietanus, quia diuersitas rationis in obiecto, non videtur sufficiens causa diuersitatis realis potentiarum. Tum, quia ens reale non causatur ab ente rationis, quoniam effectus nõ est perfectior causa finali, aut effectiua. Tũ, quia minor distinctio non est sufficiens causa maioris. Denique, quia nullo ente rationis existẽte, distinctiones reales rerum essent; quoniam non dependent ab opere animæ.

Respon-

42 Respondent Iauellus 2.de Anima.q.11.& Suarez lib.2.de Anim.a c.2.n.19.quod ex obiectis sumitur distinctio specifica; ideoque requirit obiecta formaliter saltim distincta: non enim eam darent obiectis, nisi præhaberent. Et hanc vocat S. Thomas distinctionem secundum rationem. Idētitas autem realis obiecti minime arguit identitatem potentiæ; sicut neque è contra, quia identitates hæ impertinenter se habent. Distinctio autem realis aliunde sumitur, nempe ex magna diuersitate in modo operandi, addita limitatione, & imperfectione potentiarum creatarum.

43 Quia tamen S. Tho. 1.p.q.59. art.2 ad 2.& 3.& q.80.art.1.ad 2. & q.15. de Verit.art. 2. distinctionem per rationem formalem obiecti, ponit esse sufficientem, vt potētiæ per actū realiter distinctos illas attingentes, distinguantur realiter, vt late exponit S. Tho.q.22.de Verit.art.10.ad 1. Ideo Caiet.circa ad 3.& Ferrara 4.Contrag. cap.24.circa finē. Bañez hic ad 1.& PP. Carmelit.disp.7.q.1.n.12.in fine (dicētes, quod communiter sequuntur fere omnes Philosophi) asserunt, quod distinctio realis potētiarum desumitur ab obiectis formalibus. Et cū arguitur: *Distinctio obiectorū est causa distinctionis potentiarum.*

Respondet Caietanus, quod non sēper distinctio actualis præcedit, quia sæpe fit per intellectum: sēper tamen distincto obiectorum virtualiter, seu fundamētaliter, præcedit. Itaque non ideo intellectus, & voluntas distinguuntur ratione actualiter, quia ens, & bonum distinguūtur ratione actualiter. Sed quia ens, & bonum distinguūtur tali distinctione formali virtualiter: quod non est per opus intellectus, sed ex ipsa re. Distinctio autem non est ratio formalis causandi, sed solū conditio causæ, quia perse solum conducit virtus causatiua; quod autē sit distincta ex limitatione prouenit: & distinctio non exprimit perfectionem, quia ab vnitate recedit. Et sic cessant omnes probationes positæ pro ratione dubitādi. Et specialiter ad secundam, dicit Caietanus, quod cū diuersitate effectuū, stet vnitas in causa, mirum non est; si cum maiore diuersitate effectuū, stet minor distinctio in causa; quia & vnitas causæ potest esse causa distinctionis, quia ab vno multa procedunt.

44 Sed inflat Suarez: nam solutio in primis nō explicat illam virtualem distinctionem. Videtur deinde petere principium: nam argumentum assumit, non perse habere virtutem ad distinguendum plura, id quod in se vnum est.

Facilè respondetur, quod distinctionem illam virtualem explicuerat Caiet.1.p.q.39.art.1. Deinde ipse Suarez, vel illa solutione vtitur; vel non soluit argumentum; quia distinctio formalis rationis, non est actu in rebus. Ergo vel ponit distinctionem formalem realem; & incidit in sententiam Scoti, ab ipso Suarez reiectā disp.7.Met.sec.1.n.20. Vel debet ponere pro fundamento distinctionem virtualē, de qua loquimur.

Ad

Ad secundum distinxit iã Caietanus consequens, dicens, quod id quod est vnum realiter, potest esse plura virtualiter, seu equiualenter, quia cum diuersitate effectuũ, stat vnitas in causa.

45 Et optimè S. Thom. q. 22. de Veritate art. 10. ad 1. ait, *quod distinctio potentiarum non ostenditur ex obiectis secundum rem consideratis: sed secundum rationem, quia ipsæ rationes obiectorum specificant ipsas operationes potentiarum. Et ideò vbi est diuersa ratio obiecti, ibi inuenimus diuersam potentiam; quamuis sit eadem res, quæ subest vtrique rationi; sicut est de bono, & vero.* Videatur S. Thomas, quia optimo exemplo id declarat. Vt autem intelligas, quid sibi vellit S. Thomas cum dicit, id *quod est subiecto idem, esse diuersum secũdum rationem.* Lege 1. p. Metaph. Cõtrou. 10. num. 17.

## §. V.

### *Vtrum visus hominis, & equi differant specie?*

46 ALtera difficultas cõtra primam, & principalem conclusionem S. Thomæ sic formatur. Potentiæ specie distinctæ versantur circa idem obiectum formale: ergo potentiæ non distinguuntur per obiecta formalia. Antecedens probatur: nam potẽtia visiua hominis, & equi versantur circa lucem: & tamen distinguuntur specie: siquidẽ sunt proprietates, quæ consequuntur naturaliter ad diuersas naturas secundum speciem: ergo potentiæ specie distinctæ versantur circa idẽ obiectum.

47 Circa hanc difficultatem notandum, quod Caiet. in præsenti. §. *Aduerte hic*, docet, quod de potẽtijs animæ possumus dupliciter loqui. Vno modo *inquantum potentiæ sunt*: Et sic est totus sermo præsens. Alio modo *inquantum proprietates sunt talis naturæ*: & sic non loquimur: siquidẽ distinguuntur iuxta diuersitatẽ naturarum, quibus insunt: iuxta illud Auerrois in 1. de Anima com. 65. *Membra hominis diuersa sunt specie à membris leonis.* Idem docuit Caiet. secundo de Anima cap. 10. in principio, sequutus B. Albertum 1. de Anima cap. penult. quos sequuntur Ferrara 2. Contrag. cap. 94. & latiꝰ 2. de Anima q. 22. Et Thienensis 2. de Anima textu 9. Et probabiliorem dicit Bañez 1. p. quæst. 77. art. 3. ad 2. Et Zumel 1. p. q. 59. art. 1. & 7. PP. Carmel. disput. 17. de Anima q. 1. §. 5.

48 Sed displicet distinctio Suarez lib. 4. de Anima. c. 1. n. 7. nam potẽtiæ non sunt proprietates essentiæ, nisi vt potentiæ sunt. Ergo si inquãtum potentiæ, nõ differunt specie, neque etiam inquantum proprietates different.

Præterea rogo, inquit, vt proprietates sunt, ad quam speciem qualitatis spectant? Ad nullam certe aliam, quam naturalem potentiam: nulla ergo distinctio intercedit.

Deinde, potentiæ illæ, qua potentiæ sunt, in accidentibus numerantur, & non in communibus: ergo in proprijs: ergo vt potentiæ sunt, proprietates sunt: ruit ergo allata distinctio.

49 Denique considerando potentias illas secundum entitates suas, abstrahēdo ab emanatione ex hac, vel illa essentia, sunt ne eiusdē speciei, an non? Si eiusdem; planè ex hoc, vel illo subiecto non variabunt speciem. Si diuersæ; etiam inquantū potentiæ erunt diuersæ. Ita quę arbitror distinctionem esse nullā; sed potentias, quæ vt potentiæ, eiusdem sūt speciei, non differre vt sunt proprietates. Hæc Pater Suarez.

50 Secunda solutio aliorū Thomistarum, quam vt probabilem refert M. Bañez ad 2. & sequitur Rubio de potentijs animæ in generali q.8. dubio appendice, & alij asserētes, quod potētiæ hominis, & equi, etiam in ratione proprietatis naturalis, sunt eiusdem speciei. Ratio est, quia istæ potentiæ non cōsequūtur ex proprijs principijs generis. Nam videre non cōuenit homini, quatenus homo est: sed quatenus animal quoddam perfectum est. In conceptu autem animalis vniuocè cōueniunt homo, & leo. Quapropter nullum est inconueniens dicere, quod istæ potentiæ sint eiusdem speciei. Neque est eadem ratio de membris, ac de potentijs; quia mēbra informantur diuersa forma substantiali, quia in vno compositō nō est nisi vna. Potentiæ verò sunt accidentia propria, quæ non participant speciem substantialē desumptam à suis obiectis.

51 Huic solutioni subscribit M. Ioan. à S. Tho. q.2. de Ani. art.3. ad vltimum, addens, quod in istis potētijs possumus considerare, vel speciem essentialem: & hæc semper desumitur ab obiecto. Et sic simpliciter sunt eiusdem speciei propter rationem assignatam. Vel possumus considerare speciem accidentalē, quoad peculiares aliquas qualitates, quæ aliter conueniunt vni animali, ac alteri sine variatione essentiali earum, vt quod Aquila perfectius videat homine: & quod homo perfectiorem tactum habeat, quam alia animalia: & quoad istas proprietates accidentales differūt specificè specie accidentali. Ita, quod id, quod est intrinsecum proprietati, vt proprietas talis, vel talis naturæ specie diuersæ, est accidē tale potentiæ, secundum se, & quid ditatiuè consideratæ.

52 In hoc puncto censeo, in primis distinctionem Caietani omnino admittendam esse. Primo, quia quoad hoc, eadem est ratio de specificatione habituum, ac de specificatione potentiarum; sed S. Tho. 1.2. quæst.63. art.4. similem distinctionem ponit in habitibus, docēs, quod habitus, aut possunt differre specie secundum actus, & obiecta; aut propter diuersas naturas, ad quas ordinantur: *Non enim est eadem specie sanitas hominis, & equi, propter diuersas naturas, ad quas ordinantur.*

Et simili argumento Beatus Albertus vbi supra probat potentias sensitiuas in homine esse alterius speciei à potentijs sensitiuis in brutis, *propter diuersitatem specificam animarum, ad quas consequuntur.* Et vniuersaliter Sanctus Thomas prima secundæ quæstione 54. articulo tertio, ait, *quod habitus specie distinguuntur,*

*tur, non solum secundum obiecta, & principia actiua; sed etiam in ordine ad naturam.*

53 Præterea, quoad hoc eadem est ratio de intellectu, & voluntate, ac de reliquis potentijs. Sed loquendo de intellectu, & voluntate, distinctio hæc expressè traditur à Diuo Thoma in 3. sententiarum distinctione 27. quæst. 1. articulo 4. in corpore, his verbis. *Si consideretur intellectus, & voluntas, & quæ ad ipsa pertinent, vt quædam proprietates, & accidentia eius, in quo sunt; sic intellectus est præstantior, & quæ ad ipsum pertinent. Si autem considerẽtur vt potentiæ, id est, secundum ordinem ad actus, & obiecta: sic voluntas, & quæ ad ipsam pertinent excedit.* Ergo pariter hæc duplex consideratio locum habet in alijs potentijs.

54 Ratioque est facilis, quia ante operationem intellectus propria passio ex principijs essentialibus speciei causatur, & est proprietas huius essentiæ naturalis; & totum hoc habet per ordinem ad subiectum; in quo nondum exprimitur formale potentiæ, vt potentia est relatiua transcendentaliter ad actus, & obiecta, à quibus specificatur. Ergo habemus fundamentum in essentia ipsa potentiæ, vt distinguere possimus, quid habet ab essentia, à qua dimanat; & quid ab actu, & ab obiecto, à quibus speciem recipit.

55 Confirmatur: nã potentia quodammodo specificatur per ea, quę se tenent ex parte principij, & per ea, quæ se tenent ex parte finis, seu per intrinsecam habitudinem ad finem, seu terminum, vt diximus numero 15. ex Diuo Thoma. Sed quæ se tenent ex parte principij, declarant potentiam materialiter in esse proprietatis; & quæ ex parte finis, exponunt eam in esse potentiæ. Ergo negari nequit distinctio.

Confirmatur secundo, quia vt prima parte Metaphisicæ Controuersia secunda diximus cum communi, obiectum consideratur *vt res*, & consideratur *vt obiectum*. Ergo pariter potentia potest considerari materialiter in esse proprietatis, & formaliter in esse potentiæ.

56 Ad primum argumentum Suarez, nego antecedẽs, formaliter, & reduplicatiuè loquẽdo; concedo autem entitatiue, & materialiter loquendo: quia vna ratio cõuenit per ordinẽ ad subiectum; alia per ordinem ad obiectum, & prima se habet de materiali; sicut ratio inhærendi in relatione; alia vero formaliter sicut ratio *ad*: & non mirum, quod relatiua transcendentalia explicemus per similitudinẽ ad veras relationes; cum transcendentales aliter non valeamus exponere.

57 Ad secundum dicitur, quod distinctio relata nõ est duarũ specierum, sed duorum conceptuũ inadæquatorũ: & ideo nõ est quærendum aliud prædicamentum ad quod pertineant. Et ideo in eodẽ collocãtur, siue reductiue, siue directe: vt cũ distinguim⁹ relationes, vel actiones in duos cõceptus. Per quæ patet ad tertiũ, quia arguit ab identica ad formalem.

58 Addunt PP. Carmelit. nu. 15. quod potentiæ, vt potētię, accidit quod sit accidens proprium, vel cō mune: sicut lux Solis, & lux aeris sunt eiusdem speciei in ratione lucis, *sicut calor ignis, & aeris est idem specie*, iuxta S. Thomam q. de Spiritua. creat. art. 3. ad 19. *Et eadem specie, non numero, lux est in aere illuminato, & in Sole illuminante*, vt ait S. Thomas q. 9. de Verit. art. 1 ad 7. & ad 17. & 2. de Cęlo lec. 14. & tamē lux est proprietas naturalis Solis, & accidens commune aeris: & vt ait S. Thom. 1. p. q. 104. art. 1. in fine. *Aer nullo modo natus est recipere lumen secundum eādem rationem, secundum quam est in Sole*, quia numquam eius potest esse proprietas, *vt scilicet, recipiat formam Solis, quæ est principium luminis.*

59 Ad vltimum dicitur, quod adę quate sumendo potentiam, non potest pręscindi ab essentia, seu à dimanatione ab illa, & ab ordine ad actum. Quia tamen ordo ad actum, & obiectum, conuenit reduplicatiue, formaliter, potentiæ, vt tali; ex hac parte iudicandum simpliciter, an sit vnius speciei?

60 Dico ergo secundo, istæ potētiæ, vt proprietates sunt, specie distinguuntur, quia dimanant à diuersis naturis iuxta ea, quæ dixim⁹ ex D. Thoma 1. 2. q. 63. at vero simpliciter in esse potentiæ, sunt eiusdem speciei. Quod probatur, quia habēt idem specificatiuum, nempe, lucē, & ab illa omnes visiones sunt eiusdem speciei, & ex operatione bene probari speciem, notat S. Thomas lib. 2. Contrag. cap. 94. rat. 4 dicens. *Ex propria operatione rei percipitur species eius: operatio enim demonstrat virtutem, quæ indicat essentiam.* Visio autem corporalis, à quocūque fiat, habet idem specificatiuum: ac perconsequens est eiusdem speciei formaliter.

61 Accedit ratio secundæ solutionis, quam approbamus, quoad id quod affirmat de vnitate specifica; non vero quoad id quod negat de diuersitate materiali, sed in suo genere formali; quia malle⁹ ferre⁹, & aureus, in esse naturæ, specie distinguuntur; secus vero in genere artis. Et alia exempla, possunt desumi ex Doctrina Sancti Thomę prima secundæ quæstione 18. articulo 6. & q. 20. art. vlt. Ex quibus patet nos sequi primam solutionem. Nec placet, quod additur in vltima; quia independenter à speciebus accidentaliter superuenientibus; authoritates, & rationes probant, quod in vna qualitate, hæc distinctio locum habet.

62 Vltimum argumentum cōtra conclusionem est quia eadem potentia elicit actus specie diuersos. Ergo potentiæ non distinguuntur per act⁹. Antecedēs probatur, quia intellectus assentit, & dissentit; scit, & opinatur, & errat: exercetque actus diuersarum scientiarum, & virtutum: qui etiam per actus distinguuntur: ergo intellectus habet actus specie distinctos.

Respondetur distinguo antecedens, & concedo de specie inadæquata, & materiali; nego vero de specie formaliter, & in rigore. Pariter distinguo consequens; & concedo de actib⁹ materialiter in esse rei; nego

nego vero de actibus adæquatis potentiæ respiciẽtibus obiectum adæquatum in esse obiecti. Bene autem potest obiectum esse inadæquatum potẽtiæ, & esse adæquatũ habitui. Quod vniuersaliter docet S. Tho. 1.p.q. 1.art.3.ad 2. & 1.2.q.18.art. 5.rationẽ assignat: *Quia nihil, quod est peraccidens, constituit speciem; sed solũ quod est perse. Potest autem aliqua differẽtia obiecti esse per se in comparatione ad vnum principium: & peraccidens in comparatione ad aliud. Sicut cognoscere colorẽ, & sonum perse differunt per comparationem ad sensum, non autem in comparatione ad intellectum.*

63 In particulari autem, loquendo in casu argumenti, illi respõdet S. Tho. 1.2.q.54.art.1.ad 1. dicens, quod *diuersitas obiectorum secundum genus facit distinctionem potentiarum: vnde Philoso. dicit 6. Ethic. cap. 1. quod alea, quæ sunt genere altera, sunt etiam animæ particulæ aliæ. Diuersitas vero obiectorũ secundum speciẽ facit diuersitatem actuũ secundum speciem: & perconsequens habituum.* Loquitur formaliter in esse obiecti: nam in esse rei obiecta aliqua sunt analoga: & alia sunt in esse entis valde distincta, & adunantur in vna ratione obiecti. Vnde ibi ar. 2.ad 1. ait S. Thomas: *Quamuis cõtraria specie differant diuersitate rerum; tamen eadem est ratio cognoscendi vtrũque, quia vnum per aliud cognoscitur. Et ideo inquantum conueniunt in vna ratione cognoscibilis, pertinent ad vnum habitum cognoscitiuũ.* Idem docet 1. p. illa q. 77. art. 1. ad 2. quod ibi declarãt Caie. & Bañez.

64 Quomodo autem vnicuique potentiæ assignari debeat actus adæquatus, propriumque obiectum? Tractat Rubio de Potentijs animæ in generali quæstione nona. Sed reuera ad tractatum de potentijs animæ in generali, non attinet ad singulas descendere in particulari.

65 Recentiores alij cum Arriaga hic disputatione tertia numero 138. & disputatione septima Physicæ à num. 21. iterum affirmant, quod potentiæ non respiciunt obiecta in communi; sed quod in particulari dicunt ordinem essentialem, & determinatum ad effectus in particulari: quia nil aliud est effectus vt sic, quam omnes effectus in particulari. ¶ Sed iam æquiuocationem abstulimus, & sententiam istam confutauimus 2. Physicorum quæst. 21. a nu. 36.

## QVAESTIO. XVI.

### *De numero potentiarum Animæ.*

### §. I.

### *Probatur esse quinque genera.*

1 CONclusio Philosophi 2. de Anima text. 27. est. *Potentias autem dicimus vegetatiuum, sensitiuum, appetitiuum, motiuum secundum locum, & intellectiuum.* Vnde quinque sunt genera potentiarum animæ, vt docet S. Tho. ibid. lect. 5. & 1.p.q.78. art. 1. & q.1. de Verit. art. 13. Et est cõmunis Philosophorum, quorũ plures referunt PP. Carmel. disp. 7. q. 2. Ratio Philosophi sumitur ab indu-

ctione: & in forma proponitur à M.Bañez 1.p.q.78.art.1.dub.1.cõ clus 3.

2 Nobis pro nunc sufficit ratio S.Thom.quam his verbis, ipse formatarticulo primo. Genera potentiarum animæ distinguuntur secundum obiecta: quanto enim potentia est altior, tanto respicit vniuersalius obiectum, vt supra dictũ est (scilicet quæst.77.art.3.& 4.) obiectum autem operationis animæ in triplici ordine potest considerari. Aliud enim potentiæ animæ obiectum est solum corpus animæ vnitum Et hoc genus potentiarum animæ dicitur *vegetatiuum*: non enim vegetatiua potentia agit nisi in corpus, cui anima vnitur. Est autem aliud genus potentiarum animæ, quod respicit adhuc vniuersalius obiectũ, scilicet, omne corpus *sensibile*; & non solum corpus animæ vnitum. Est autem aliud genus potentiarum animæ, quod respicit ad huc vniuersalius obiectũ, scilicet, non solum corpus sensibile; sed vniuersaliter *omne ens*. Ex quo patet, quod illa duo secunda genera potẽtiarum animæ habent operationẽ, non solum respectu rei coniunctæ, sed etiam respectu rei extrinsecę.

3 Cum autem operans oporteat aliquomodo cõiungi suo obiecto circa quod operatur, necesse est extrinsecam rem, quæ est obiectũ operationis animæ, secundum duplicẽ rationem ad animam comparari. Vno modo secundum quod nata est animæ coniungi, & in anima esse per suam similitudinem; & quantum ad hoc, sunt duo genera potẽtiarum, scilicet, *sensitiuum* respectu obiecti minus communis, quod est corpus sensibile: & *intellectiuum* respectu obiecti communissimi, quod est ens vniuersale. Alio verò modo secundum quod ipsa anima inclinatur, & tendit in rem exteriorem; secundum hanc etiam comparationem sunt duo genera potentiarum animæ. Vnũ quidem, scilicet, *appetitiuum*, secundum quod anima cõparatur ad rem extrinsecam, vt ad finem, qui est primum in intentione. Aliud autem *motiuum secundum locum*, prout anima comparatur ad rẽ exteriorem, sicut ad terminum cõparationis, & motuũ: ad consequẽdum enim aliquod desideratum, & intentum, omne animal mouetur. Ergo quinque sunt genera potentiarum animæ.

4 Circa hanc rationem recolẽda sunt, quæ scripsimus supra.q.6.

5 Præterea aduerte cum M. Bañez, quod cum S.Tho. *genera potentiarum* vocet, manifestè insinuat, quod sub istis generibus potentiarum continentur multæ aliæ species. Quarum seriem bene, & ordinatè ipse Magister proponit. Nam vegetatiuum continet sub se tres, scilicet, nutritiuam, augmentatiuã, & generatiuam. Nutritiua habet alias quatuor vires sibi deseruiẽtes, scilicet, attractiuam, retẽtiuam, digestiuam, & expulsiuam. Augmentatiua nullam habet sibi deseruientem, secundum Bañez. Sed melius S.Tho q.78 art.2. in fine corporis, ait, quod *generatiua deseruiunt, & augmentatiua, & nutritiua: augment. tiua verò nutritiua*: quia non augetur, neque

que acquiritur quantitas sine substã tia. Generatiua habet tres vires sibi deseruientes, scilicet seminatiuam, immutatiuam, & formatiuam.

6 Potentia sensitiua est duplex, scilicet, exterior, & interior. Sensitiua interior diuiditur in quinque sensus, scilicet, visum, auditũ, odoratum, gustum, & tactum. Sensus interior est quadruplex, scilicet, sensus communis, phantasia, cogitatiua, seu çstimatiua, memoria, seu reminiscentia. Potẽtia motiua secũ dũ locũ est duplex, scilicet progressiua, & dilatatiua, vel constrictiua. Potẽtia intellectiua est duplex, scilicet, intellectus possibilis, & intellectus agens. Potentia appetitiua est duplex, scilicet, appetitus intellectiuus, & appetitus sensitiu⁹. Appetitus intellectiu⁹ est ipsa voluntas: & hæc, & liberum arbitriũ non sunt duę potentię, sed vna, vt probat S. Tho. q. 83. art. 4. In appetitu autem sensitiuo distinguitur irascibilis à concupiscibili. Inueniuntur etiam diuersæ passiones: de quarũ diuersitate agit S. Tho. 1. 2. q. 23. in cuius articulo primo probat, quod passiones, quæ sunt in irascibili, & cõcupiscibili, differunt specie: *quia in actibus animæ, actus ad diuersas potentias pertinentes, sunt non solum specie; sed etiam genere diuersi.*

## §. II.

### *Duo argumenta soluuntur.*

7 COntra conclusionem duo inter alia proponit argumenta S. Tho. alterum est ad probandum, quod appetitiuum non constituat speciale genus potentiarum: nã ad illud, quod est commune omnibus potentijs, non debet deputari aliquod speciale potentiarum animæ genus. Sed appetere conuenit cuilibet potentiæ animæ: visus enim appetit visibile conueniens: vnde dicitur Ecclesiast. 40. *Gratiam, & speciem desiderabit oculus: & super hoc virides sationes.* Et eadem ratione quælibet alia potentia desiderat obiectũ sibi cõueniens. Ergo non debet poni appetitiuum speciale genus potentiarum animæ.

Respondet S. Tho. ad 3. *quod appetitus naturalis est inclinatio cuiuslibet rei in aliquid ex natura sua. Vnde naturali appetitu quælibet potentia desiderat sibi conueniens. Sed appetitus animalis consequitur formam apprehensam. Et ad huiusmodi appetitum requiritur specialis animæ potentia, & non sufficit apprehensio.* Et rationem assignat Sanctus Thomas, quia appetitus naturalis est solum ad actum propriũ illius formæ appetentis; & ideò sufficit ipsa inclinatio potentiæ: appetitus verò animalis est etiam ad alios vsus animalium, & hominum, qui appetunt nobiliori modo: & ideò indigent speciali potentia. *Si autem non indigeret anima reb⁹ perceptis à sensu, nisi propter actiones sensuum, scilicet vt eas sentiret, non oporteret appetitiuum ponere speciale genus inter potentias animæ: quia sufficeret appetitus naturalis potentiarũ.*

8 Quæ hic dicenda essent de appetitu naturali, iam scripta sunt 1. p. Met. Contr. 1. art. 5. & de appetitu animali videndus Caiet. 1. p. q. 19. artic. 1. & 2. de Anima cap. 3.

dub.2.circa primam cõclusionem.

9 Aliud argumentum, quod sibi obijcit S. Thom. est: nam principiũ mouens in animalibus, est sensus, aut intellectus, aut appetit⁹, vt dicitur in 3.de Ani.tex.48.& sequẽtibus. Non ergo motiuum debet poni speciale genus potentiarum animæ.

Respondet S. Thom. ad 4. *quod quamuis sensus, & appetitus sint principia mouentia in animalibus perfectis: non tamen sensus, & appetitus, inquantum huiusmodi, sufficiunt ad mouendum, nisi superadderetur eis aliqua virtus. Nam in immobilibus animalibus est sensus, & appetitus: non tamen habent vim motiuam. Hæc autem vis motiua non solum est in appetitu, & sensu vt imperante motum; sed etiã est in ipsis partibus corporis, vt sint habilia ad obediendum appetitui animæ mouẽtis. Cuius signum est, quod quando membra remouentur à sua dispositione naturali, nõ obediunt appetitui ad motum.*

10 Vt hæc solutio S. Thomæ intelligatur, notandum, ex Authore Opusculi 43. apud D. Th. c. 5. quod vis motiua, *quædam mouet per modum dirigentis: quædam per modum imperantis: quædam per modum exequentis.* Certum est, quod in animalib⁹ motiuũ per modum dirigentis, sunt phantasia, & æstimatiua, inquantum appetitui offendunt formam, vel intentionem conuenientem, vel disconuenientem. Et in homine hoc principaliter pertinet ad intellectum practicum. Virtus autẽ motiua per modum imperantis in homine est voluntas, quæ reliquas potentias mouet ad exercitium; in animalibus vero vis imperans motum est appetitus sensitiuus: cuius partes sunt cõcupiscibilis, & irascibilis.

11 Denique vis exequẽs motum istum est vis exterior, quæ diffusa est in musculis, & lacertis, & neruis membrorũ, vt dicitur prædicto Opusc.43 At vero S. Tho. hic ad 4. vim directiue imperãtem motum, coniungit, & ponit in appetitu, & sensu. Vnde S. Thom. in 2. dist. 18. q.2.art.3.ad 1.ait: *Est duplex virtus motiua; vna imperans; altera imperata. Imperans est virtus appetitiua sensitiua; cuius actus constat, quod non est sine organo corporali. Virtus autem motiua imperata, & exequens motum, est vis quædam musculis, & lacertis affixa.* Est ergo dubium de vi executiua motus, quæ realiter differt ab appetitu, & sensu, an sit verè elicitiua motus per veram actiuitatem, & efficientiam?

## §. III.

### *Opinio, quod vis executiua motus est actiua.*

12 SEntentiam affirmatiuam tenent Suarez lib.5.de Anim. c. 10. citans Henricum Quodlib.1.q. 6. Gofred. Quodlib.1.q.4. & Thianensem 3.de Anima tex.54. Quos & sequuntur Vazq.1.2. disp.34. c. 2.§. *Deinde.* Montelin. disp.13. q.5. concl.2. M. Greg. Martin.1.2.q.9. art.1. dub.3. §. *Ex quo sequitur.* Rubio lib.3.de Ani.c.10.q.2. M. Ioan. à S. Tho. q.12.de Ani.art.7. Et *non esse improbabilem* dicunt PP. Carmel. disp.7.de Ani.q.2.n.28. Et fauet Nazar.1.p.q.54.art.5.§. *Secundo considerandum.* Authores tamen ibi relati

ad

ad aliud propositum loquuntur; de potentia videlicet motiua Angeli, de qua est specialis quæstio: quàuis à paritate aliquale sumatur argumentum.

13 Probat Suar. ex Philos. 3. de Anima tex. 54. dicente: *Dari organũ quoddam corporeum, quo appetitus perficit motum.* Idem indicatur à D. Tho. Opusc. 43. c. 5. vbi vim motiuã exercitiuam ponit in corpore. Quod clarius exprimit S. Tho. hic ad 4. & 2. Cõtrag. c 35. in solut. secũdi, vbi ait S. Tho. *quod in nobis actio virtutis motiuæ est media inter actum voluntatis, & effectum.* Ergo & potentia actiua mediabit.

14 Ex locis D. Thomæ rationes quatuor desumuntur. Prima, nam potentiæ animæ, vt anima est, actiuæ sunt: cum actus earum sint vitales: atque adeò à principio intrinseco actiuo procedentes. Sed virtus motiua potentia est animæ, ab alijs distincta; in partibusque corporis subiectata. Ergo est virtus actiua, & non passiua tantum.

Confirmatur: nã actus, quo scribo. v. g. non solum est actus vitæ, prout ab ipso appetitu elicitur, & appetitur: sed etiam prout ab ipsa manu executioni mandatur: nã ipsemet motus manus est vere vitalis. Ergo respectu illius motus, non se habet manus mere passiuè, sed actiuè etiam. Ergo est in manu potentia aliqua illius motus, ab appetitu distincta.

Secundo probatur: nam actus imperans non est immediatè eliciens, & exequens: alioquin appetitus immediatè eliceret actus omnium sensuum. Sed concedunt Philosophus, & Sanctus Thomas, sensum, & appetitum imperare motum. Ergo vis exequẽs actiuè elicit motũ.

15 Tertia ratio inquirit, quo actu appetitus edit talem motum? Aut enim fit per actum, quo vult ipsum motum fieri, aut fortasè per alium? Hoc postremum fingi non potest: omnis siquidem voluntatis actus est volitio, aut nolitio. Primum autem esse falsum, ostenditur: nam experimur tæpè in nobis motus non paucos absque eorum appetitione actuali: quales nõ raro sũt motus oculorum, & palpebrarum, qui nobis in considerantibus fiunt. Motus etiam pedis, & manus indeliberatè, & sine aduertentia passim fiunt. Circa quos euidens est appetitum non exprimere specialẽ actum. Fiunt ergo à potentia motiua actiua speciali.

16 Vltima ratio est: nã si mẽbra passiue tantum se haberent ad motum, possent semper, & ad nutum moueri ab appetitu: eorum siquidem indispositio sufficiens non esset ad impediendam motionem appetitus, quia cum motus localis imperfectæ rationis sit, fere nullam dispositionẽ requirit, vt recipiatur in subiecto. Ergo si nihilominus dispositio postulatur, non nisi propter vim actiuam existẽtem in membris exigitur.

17 Thomistę vero addunt authoritatem S. Thomæ q. vnica de Ani. art. 13. ad 13. vbi ait: *Dicendum, quod intellectus, & appetitus mouent sicut imperantes motum: sed oportet esse potentiam motiuam, quæ motum exequatur secundũ quam*

*quam, scilicet membra sequuntur imperiū appetitus, & intellect°, vel sensus.* Et q. 6. de Potentia art. 3. ad secundam, agnoscit S. Thomas in Angelis potentiam quandam distinctam ab intellectu, & voluntate, qua mouent localiter. *Voluntas* (inquit S. Thomas) *mediante virtute, & virtus immediate mouet motum localem, quo motu mediante est causa aliorum motuum.*

18 Addit M. Ioan. à S. Tho. nam iuxta hanc sententiam, melius explicatur, quomodo vna pars organica mouet aliam; quod stare non potest, si solum est virtus passiua in membris, seu partib° organicis; nō vero motiua alterius partis, & elicitiua motus: nam appetitus nō est in omnibus membris, sed in vno tantum: ergo omnia membra, prēter illud in quo est appetitus, mouebuntur passiue. Ergo vna pars organica non mouebit aliam.

## §. IIII.

### *Probatur solum esse passiuam.*

19 PRobabilius tamen iudico, potentiam executiuam motus non esse actiuam ex se: sed tantum passiuam, disponentem, & habilitatem corpus, vt recipiat motum localem ab appetitu, & sensu causatum. Ita tenent Capreolus in 2. dist. 1. q. 2. ad primū, & ad duodecimū, & ad 15. Aurolei cōtra primā. Caiet. lib. 3. de Ani. cap. 6. alias 10. Medina 1. 2. q. 9. art. 1. conc. 4. Ferrariensis 2. Contrag. cap. 83. in fine, §. *Ad huius difficultatis.* Et *probaliorem* iudicant Bañez 1. p. q. 78. ar. 1. dub. 2. & PP. Carmelit. vbi sup. à n. 29. vsque 33. & vt *probabilem* tenet Baptista 1. 2. disp. 114. dub. 3.

20 Et probatur primo ex D. Tho 2. Cōtra 3. cap. 2. in fine, vbi ait: *Virtus, quæ dicitur exequēs motum, facit mēbra esse obedientia imperio appetitus: vnde magis sunt virtutes perficientes corpus ad moueri, quam virtutes mouentes.* Et 1. p. q. 75. art. 8. ad 3. inquit: *Vis motiua exequens motum est per quam membra corporis reduntur habilia ad obediēdum appetitui; cuius actus nō est mouere, sed moueri.* Quæ verba negatiua egre explicantur in oppositā sententia. Et 1. 2. q. 17. ar. 9 ad 1. ait S. Tho. quod *mēbra non mouent seipsa: sed mouentur per potētias animæ.* Et q. vnica de Anima. art. 9. ad 6. & q. 16. de Malo art. 1. ad 14. ait: *quia videmus, quod anima humana solo intellectu, & voluntate mouet corpus sibi vnitum.* Et de Spirit. creat. art. 6. ad 8.

21 Videtur etiam ad mentē Philosophi 3. de Anima tex. 49. lec. 15. apud D. Tho. lit. b. vbi ait: *Quare rationabiliter hæc duo videntur mouentia, appetitus, & ratio practica.* Non omisisset aliam vim exequentem, si in illa agnosceret actiuitatem: præcipuè cum hic exprofesso de virtute motiua locali tractet. Videatur S. Thom. in 2. dist. 18. q. 2. art. 3. ad 1.

22 Præterea, in via D. Tho. & absolutè probabilius est, quod nec in Deo, nec in Angelis est specialis potētia loco motiua, vel affectiua ad extra, ab intellectu, & voluntate distincta. Vnde S. Tho. Quodlib. 6. artic. 2. in princ. docet, quod *in Angelo, non est alia virtus, quam intellectus, & voluntas.* Quod & docet. q. 16. de Malo art. 1. ad 14. Et Opusc. 11. art. 3. & 13. & 1. p. q. 54. artic. 5. dicens,

quod

quod *de viribus animæ non competit Angelis nisi intellectus, & voluntas.* Et q. 79. art. 1. ad 3. Et loquendo de Deo 1. p. q. 25. art. 1. ad 4. Ergo si à paritate licet arguere (vt alij arguunt) etiam in motu locali nõ est opus potentia motiua exequente efficiente motum. Probatur consequentia à paritate rationis. Et videatur S. Tho. 1. p. q. 70. art. 3. & q. 3. de Potentia art. 11. ad 20.

23 Fundamentum est illud commune proloquiũ, *frustra fit per plura, quod potest fieri per pauciora:* & quod *non sunt multiplicanda entia sine necessitate.* Sed posita directione sẽsus, & efficaci motione appetitus, & dispositione passiua mobilis, nihil deest ad motum localem. Ergo frustra alia potentia actiua exigitur.

24 Præterea probatur ratione S. Tho. 1. 2. q. 17. art. 9. nam membra corporis sunt organa quędam potẽtiarum animę: vnde eo modo, quo potentiæ animæ se habent ad hoc, quod obediant rationi, hoc modo se habent, & corporis mẽbra. Quia igitur vires sensitiuæ subduntur imperio rationis, non autem vires naturales. *Ideo omnes motus membrorum, quæ mouentur à potentijs sensitiuis, subduntur imperio rationis: motus autem membrorum, qui consequuntur vires naturales, non subduntur imperio rationis.*

25 Ex hac certissima Doctrina S. Tho. quã. & tradiderat art. 8. ex S. Greg. Nisseno lib. 4. cap. 15. Sic formatur ratio: motꝰ localis animalis non sequitur appetitum merè naturalẽ, sicut actus animæ vegetatiuæ: neque sequuntur impetum naturæ, sicut motꝰ grauium, & leuium. Sed sequuntur vires sensitiuas, vt sensitiuę sũt. Et ideo variãtur iuxta diuersas apprehensiones; & sunt ad omnem positionẽ. Sed in partibus corporis exequẽtibꝰ motum, non sunt vires sensitiuæ, sed merè naturales. Ergo sufficit, quod sit in illis vis passiua motus, & non exigitur virtus actiua. Probatur minor: nam in pedibus, musculis, & lacertis, non sũt potentiæ sensitiuæ, sed tantum mere naturales.

## §. V.

### *Quo actu appetitus moueat corpus?*

26 SEd inter Authores huius sententiæ oritur dubiũ, quo pacto appetitus moueat corpus localiter? An videlicet solo ipso actu, quiesti appetere? An verò aliquo alio actu elicitiuo ipsius motus?

27 Caietanus illo cap. 6. quem alij sequuntur, asserit, quod appetitꝰ animalis habet duos actus, vnũ immanẽtẽ, qui est appetere bonũ sibi conueniens. Alterum verò transeũtẽ, qui est mouere corpus secundũ locum: & primus actus est causa, & ratio secundi. Et ratio est, quia appetitus, & præcipuè voluntas, mouet quoad exercitium actus aliarum potẽtiarum, vt patet ex Diuo Thoma 1. 2. quæst. 9. & 17. & tamẽ per hoc, quod appetitus omnibus imperet, non tribuitur sibi specialiter actus aliarum potentiarum. Ergo, cum motus localis tribuatur appetitui specialiter, vt patet 3. de Ani. cap. 9. & 10. & in libro de cau-

sa

sa motus animalium lect. 4. apud D. Thom. Ergo signum est, quod appetitus habet aliam motionem, quã imperare motum. ¶ Secundo probatur: nam motus localis conuenit animali, non tantum localiter, sed etiam animaliter: ergo talis motus elicitur necessario ab ipso appetitu.

28 Cæterum oppositum docent Capreol⁹ in 2. dist. 1. q. 2. ad primũ Aureoli contra primã. Et Ferrara 2. Contragentes c. 82. in fine, asserẽtes, quod ipso actu appetendi, & imperandi fit ipse motus localis. Neque oportet assignare alium actum realiter distinctum; neque aliam potentiã, quę sit elicitiua huiꝰ motus. Quia neque in Physopho, neque in D. Thoma alterius actus est vlla mentio, & etiã quia non sunt multiplicãda entia sine necessitate. Et denique, quia sic meliꝰ verificatur, quod motus localis est à potentijs sensitiuis.

29 Et iuxta hanc sententiam, motus animalis secundum locũ non comparatur ad appetitum, sicut actio, quæ formaliter denominat ipsum mouentẽ: sed comparatur solum tãquam effectus illius actionis immanẽtis formaliter, & transeuntis virtualiter, seu productiue: sicut dicitur de Angelis mouẽtibꝰ Cælum: & de Deo producẽte creaturas actione transeunte ratione effectuum, seu transeunte virtualiter.

30 Denique M. Bañez vbi supra infine dubij dicit vtrãque sententiam esse probabilẽ, & defensabilẽ. Et vereita est, sed mihi secunda sententia videtur probabilior, & cõformior D. Thom. Et ad argumẽta Caietani bene respõdet Bañez. Ad primum, quod est manifesta differentia: nam appetitus in ordine ad alias operationes intellectus, vel sensus, solum se habet imperatiue: at verò potentiæ ipsæ, quæ imperãtur, eliciunt actiue suos actus: & ideò ipsis tribuuntur in suo genere actiuo. At verò in motu locali ipse actus imperãdi absque alia potẽtia, vel principio actiuo illius motus, habet pro effectu ipsum motũ mẽbri. Vnde S. Tho. 1. 2. q. 17. arti. 9. ad primum ait, *quod membra non mouent seipsa, sed mouentur per potentias animæ.*

31 Ad secundũ respõdetur, quod cum actus sensus & appetitus absque dubio sint actus animales; melius nos verificamus motũ localẽ esse motum animalis, vt animal est, quia fit media æstimatione, & appetitu sensitiuo.

## §. VI.

### *Solutio argumentorum.*

32 AD argumenta primæ sententiæ respondetur. Et ad authoritates omnes, fatemur S. Thomam agnouisse aliam vim motiuam, præter sensum, & appetitum. Sed cum ipse sepissime explicuerit, quod huius potentiæ *actus non est mouere, sed moueri*: nõ est dubium posuisse hãc potentiam passiuam, & nõ actiuã. Et S. Thomam agnouisse potentias actiuas, & passiuas, manifestum est ex ipso 1. p. q. 77. art. 3. Et latius dicemus

cemus infra quæstione 21.

33 Specialiter authoritas Philosophi parum vrget: quia ibi non est sermo de vi motiua; sed de parte illa corporis, qua media alias mouet; siue nomine organi intelligatur ipsũ cor animalis quod est principiũ, & finis motus, iuxta expositionem S. Thomæ lec. 15. in fine, & Aegidij tex. 55. siue iuxta B. Albertum 3. de Anima tract. 4. cap. 7. & 8. intelligãtur aliæ partes corporis.

34 Ad primam rationẽ, posset in primis negari maior, quia etiã dantur potentiæ passiuæ: licet in illarũ exercitio interueniãt potentiæ actiuę vitales, & in termino actionũ vitalium potest dari vis passiua obediens actioni.

35 Duas alias adhibuerant solutiones Caietanus cap. 6. & Bañez dub. 2. ad 3. in primis dicẽdo, quod illa distinctio potẽtiarum apposita est à Philosopho hoc lib. quia suo tempore erat famosa illa diuisio in quinque genera potentiarum: sed postea libro 3. cap. 6. vel 10. explicata est ab eodem Aristotele, quod illud motiuum secundum locum, nihil aliud est, quam appetitiuum. Præterea dicunt, quod distinctio inter potentiam appetitiuam, & motiuam secundum locum, nõ est realis tamquam in duas res; sed est formalis secundum diuersas rationes. Et hoc sufficit vt habeat distinctos effectus.

36 Denique addimus, formalius nos explicare vitalitatem motionis quia sentire, & appetere actiones vitales sunt, & immanentes formaliter: & possunt esse virtualiter, & productiuè trãseuntes. Et adhuc vt sic sunt vitales, iuxta dicta. q. 5. §. 4. n. 35. & 36.

37 Ad secundum patet ex dictis ad primum Caiet. Et præterea illi occurrit S. Thomas. 1. 2. q. 17. art. 2. ad 1. dicens, *quod vis appetitiua dicitur imperare motum, inquãtum mouet rationem imperantem: sed hoc est solum in hominibus. In brutis autem animalibus vires appetitiua, non est imperatiua: si sit imperatiuum sumatur large pro motiuo* Ip se ergo S. Thom. se explicat, quod *imperare* non accipit proprie, & in rigore: sed solum *large*: & ideo ad 2. ait, quod *non est ibi ratio imperantis, & imperati; sed solum mouentis, & moti.* Quando autem imperium hoc modo sumitur pro mouente, non semper est opus alio principio actiue eliciente.

38 Alia solutio sumitur ex D. Tho. qui 2. 2. q. 3. art. 1. ad 3. docet fidem interiorem *exteriorem fidei confessionem producere tamquam proprium actum, nulla alia virtute mediante.* De quo Caietanus 2. 2. q. 81. ar. 4. ad 1. & Raphael Torre 2. 2. q. 81. art. 7. disp. 3. Sed quia hoc examinare ad Theologos attinet; nostra, vel potius D. Thomæ, solutio ad præsens sufficit.

39 Ad tertium iam diximus vtrũque esse probabile inter Thomistas: quamuis nobis probabilius videatur, quod ipso actu appetendi causatur motus. Et sicut multi ponunt in intellectu practico Angeli vim intelligendi, & mouendi ad extra, ita potest poni, quod appetitus habet mouere ad intelligendum, & imperãdum motum ad extra, quia illi

actus

actus se habẽt ordine quodã. Quod si, vt nos credimus, actus est vnus, melius percipitur, quod actus formaliter immanens sit transiens ex parte effectus. Ad impugnationem respõdetur, quod nec loquimur de motu cordis, nec de motu partis vegetatiuæ, nec de motu genitaliũ membrorum: & vniuersaliter solũ loquimur de motibus, qui sunt in nostra potestate. De quo S. Thom. 1.2.q.17.art.7. vbi docet, *contingere quandoque, quod motus appetitus sensitiui subito concitatur ad apprehension. imaginationis, vel sensus: & tũc ille motus est præter imperium rationis, &c.* Et q. vni. de Anima art. 9. ad 6. videatur. Motus ergo animalis semper sunt à sẽsu, & appetitu; licet motus mere naturales alias causas habeant: de illis autem non loquimur; sed de animalibus, vt tales sunt.

40 Ad quartum nego maiorem. Ad probationem dicitur, quod motus localis naturæ determinatæ ad vnum, vel motus violentus pauca exigunt dispositiones: quia impetu naturæ, vel vi impulsus vincitur resistentia. Cæterum motus progressiui, & similes, ad omnem finem ab apprehẽsione propositũ, vt conueniens animali, requirit mẽbra esse habilia ad obediendum; & ideo in membris poni debet virtus passiua, vt connaturaliter recipiant motionem appetitus, & sensus. Et hoc probant authoritates in sequẽti argumento adductæ, & non amplius, vt patet ex illis verbis: *Secundum quam membra sequantur imperium appetitus, &c.*

41 Ad authoritatem ex q. 6. de Potentia, quod vel vsus est opinione illa, quam ipse fatetur probabilẽ de Spiritualibus Creat. art. 6. ad 8. & in simili 1.p.q.25. art.1. ad 4. & nos eius probabilitatem fatemur, dum nostram solum dicimus *probabiliorem.* Vel melius dicatur, quod illa virtus est actus intellectus practici. Et ad denotandum, quod nõ absolute mouet Angelus solo intellectu; sed vt habet vim practicã; ideo illo modo loquitur Sanctus Thomas.

42 Ad vltimum respõdet S. Thomas ita copiose q. vnica de Anima artic. 9. ad 6. vt mirum sit quod à tam egregio eius discipulo obijcia tur ad cõcludendum. Sufficiet partem solutionis referre, vt reliquũ in Doctore Angelico videatur. Inquit ergo. *Sic igitur homo: vel animal, cum diuiditur in partem mouentem, & partem motam, non est hæc diuisio in solã animam, & solũ corpus: sed in vnam partem corporis animati, & animam: nam illa pars animati corporis, cuius operatio est apprehendere, & appetere, mouet totum corpus.* Postea late explicat, quod operationes animæ distinguuntur in animales, & naturales: *Vt illæ dicantur animales, quæ sunt ab anima secundũ id quod est proprium sibi; naturales autem quæ sunt ab anima secundum quod facit effectum inferiorum formarum.* Et docet, quod motum naturalẽ causat, sicut ignis causat ferri sursum. Et cõcludit: *Sic ergo prima pars, in qua talis motus inuenitur, non est mouens seipsam, sed mouetur naturaliter, sicut ignis; sed ista pars mouet aliam; & sic totum animal mouet seipsum; cum vna pars eius sit mouens, & alia mota.*

Ecce

43 Ecce, in D. Th. duas egregias expositiones illius, maximę, quin vlla earū faueat oppositæ sētētiæ. Prima, quod voluntas, & intellectus mouent sensitiuum appetitum corporeum; & hæc pars dicitur totum corpus mouere, non alio actu, quam appetendo efficaciter motum: cui appetitui membra obediunt; quia ad hoc sunt apte disposita illa vi passiua. Secunda expositio est, quod cor mouetur naturaliter ab anima, sicut ignis mouetur sursum. Et sic non verificatur, quod cor moueat seipsum. Cor autem mouet alias partes: & sic totum, animal mouet seipsum, eoquod in cor de residente appetitus, & in alijs partibus alij motus animales.

## QVAESTIO. XVII.

### *De subiecto potentiarum animæ.*

1 QVi arbitrantur potentias animæ ab ipsa realiter non distingui, non relinquūt huic quæstioni locum. Cæterum, quia operationes potentiarum videmus ab ipsis realiter differre, vnde S. Thom. de Spiritualibus Creaturis artic. 11. ad 1. ait: *Nullus vnquam opinatur, nisi insanus, quod habitus, & actus anima sint ipsa eius essentia.* Ideo quod nos inquirimus de potentijs, ipsi disputāt de operationibus: & proportionaliter de subiecto potentiarum, & operationum esse respondendū, constat, quia potentia est ratio, vt in anima recipiantur potentiarum operationes.

### §. I.
### *De intellectu, & voluntate.*

2 DIco primo, intellectus, & voluntas sunt in anima sicut in subiecto. Est certa, & communis hæc conclusio. Et probat eam S. Thom. 1. p. q. 77. art. 5. nā illud est subiectū operatiuæ potētiæ, quod est potens operari: omne enim accidens denominat propriū subiectum. Idem autem est, quod potest operari, & quod operatur. Vnde oportet, quod eius sit potentia sicut subiecti, cuius est operatio; vt etiam Philosophus dicit in principio de Somno, & vigilia; manifestū est autē ex supradictis, quod quædam operationes sunt animæ, quę exercētur sine organo corporali; vt intelligere, & velle. Vnde potentiæ, quæ sūt harum operationū principia, sūt in anima sicut in subiecto.

3 Contra hanc rationem obijcies ex Recentioribus: nam potentia, & eius actio in eodem subiecto debēt esse, sed intellectio non est in intellectu. Ergo neque intellectus, & voluntas sunt in anima. Probatur minor, intelligere, & velle subiectantur in anima: & ipsa perse sufficiens est, vt sit subiectum adæquatum istarum operationū. Ergo non est multiplicandum aliud subiectū inadæquatū pro his actionibus: etsi enim anima potētijs ad illas efficiēdas indigeat; non tamen ad illas recipiendas.

Facilè argumentum, cui sæpissimè satisfecimus: & in hac q. respon-

det

det S. Tho. art. 7. ad 2. dicendo, *quod accidens per se non potest esse subiectum accidentis: sed vnum accidens per prius recipitur in substantia, quã aliud: sicut quãtitas, quam qualitas. Et hoc modo vnum accidens dicitur esse subiectum alterius, vt superficies coloris, inquantum substãtia vno accidenti mediante recipit aliud. Et similiter dic tur de potentijs animæ.*

4 Sicut ergo substantia non est capax coloris, nisi sit quanta: ita non est capax intellectionis, nisi habeat intellectum: & hoc non est multiplicare subiecta *vt quod*; sed applicare illud principium S. Thomæ per se notum, quod *substantia vno accidente mediante recipit aliud*. Et satis ridiculũ apparet negare, quod arguens negat, quod intellectus recipit intellectionem, & voluntas volitionem: cum tamen negari non possint operationes istas esse immanẽtes in principio proximo, à quo eliciuntur.

5 Difficilius contra se arguunt Thomistæ: nam illud operatur vt *quod*, quod per se subsistit vt *quod*. Sed totum compositum est quod subsistit vt *quod*. Ergo potius sequitur, quod intelligere, & velle sint in toto composito. Probatur consequentia ex regula Philosophi, & S. Tho. *Oportet, quod eius sit potentia sicut subiecti, cuius est operatio.* ¶ Cõfirmatur ex Philosopho 1. de Anima tex. 64. lec. 10. litt. b. vbi ait: *Melius enim fortasis est non dicere, animam misereri, aut addiscere, aut intelligere; sed hominem anima.* Et S. Tho. 1. p. q. 75. art. 2. ad 2. expressè ait: *Potest igitur dici, quod anima intelligit, sicut oculus videt. Sed magis propriè dicitur, quod homo intelligat per animam.*

6 Ad hoc argumentum Caietanus super illum art. 5. & Bañez ibidem dub. 2. Ferrara 2. Contrag. c. 50. & PP. Carmel. disp. 7. de Anima q. 3. §. 2. Et frequenter Thomistæ, distinguunt, quod dupliciter potest aliquid esse principium *quòd* alicuius operationis. Vel ratione sui, & per se primo, quia est immediatè, & ratione sui principium illius. Alio modo ratione alterius principij formalis in illo inclusi. Et hoc modo tribuitur composito, quod intelligat per animã. At verò primo modo intelligere est operatio animæ.

7 Quod totum videtur complexus S. Tho. q. vnica de Spirit. creat. art. 2. ad 2. vbi ait, *quod intelligere est operatio animæ humanæ, secundum quod superexcedit proportionem materiæ corporalis; & ideo non fit per aliquod organum corporale. Potest tamen dici, quod ipsum coniunctum, idest homo intelligit, inquantum anima, quæ est pars eius formalis, habet hanc operationem propriam; sicut operatio cuiuslibet partis attribuitur toti: homo enim videt oculo, ambulat pede: & similiter intelligit per animam.* Hæc ibi.

8 Ad confirmationem respondet S. Tho. 1. p. q. 75. artic. 2. ad 2. *Quod verba illa Aristoteles dicit, non secundum propriam sententiam; sed secundũ opinionem illorum, qui dicebant, quod intelligere est moueri, vt patet ex his, quæ ibi præmittit.* Videatur S. Tho. ipsa lec. 10. lit. b. Et alia solutio videri potest in Magistro Bañez.

9 Authoritas S. Tho. facilè percipitur, distinguendo cum eodem D. Tho. ibi. & ad 1. & in corpore, quod cum agere per se vt *quod*, con

ueniat

veniat perse existenti, & subsistenti vt *quod*: cum hoc accipiatur dupliciter; etiam principium vt *quod* operationis, accipitur dupliciter: vno modo pro subsistente completo in natura alicuius speciei; & hoc est suppositum: ideò hac de causa verificatur, quod magis propriè dicitur, *quod homo intelligat per animã*. Alio modo principium *quod*, accipitur pro quocumque subsistente, excludente inhærentiam accidentis, & formæ materialis: & sic anima est subsistens, & operatur vt *quod*: quãuis non sit tota natura; sed pars speciei humanæ.

## §. II.

### *De Potentijs, & operationibus materialibus.*

10 CIrca potentias, quæ exercẽtur per organa corporalia, sunt qui affirmẽt omnes esse in anima intellectiua subiectiuè: vel quia existimãt ab anima nõ distingui: vel quia organa corporalia nõ exiguntur ad eliciẽdã sẽsitiuã operationẽ; sed ad subministrandam speciẽ qua mediante anima sentit. Ita Gregorius Ariminensis in 2. distin. 17. q. 3. Paulus Venetus in summa de Anima. c. 4. Iandunus, & Apolinaris relati à Bañez. Quos videtur sequi Suar. 2. de Anima cap. 3. n. 3.

11 Ex parte huic sententiæ consentit Arriaga dicens, sensationes materiales hominis subiectari in anima, tamquam in subiecto inadæquato. Ita habet disp. 3. sec. 2. subse. 2. ¶ Et Tolet. lib. 2. de Ani. q. 9. cõclus. 3. dicens, potentiam motiuam esse in sola anima. ¶ Alij etiam Recẽtiores distinguunt inter receptionem, & vnionem, & dicunt sensationes materiales hominis subiectari in materia, tamquam in subiecto adæquato inhæsionis: vniri tamen animæ rationali, quia anima tantũ est quæ sentit, & appetit.

12 Denique absolutè, quod materia prima sit subiectum adæquatum operationum vitalium materialium, tenet Hurtado disp. 4. de Anim. sec. 3. nu. 44. quamuis, vt sui aduertunt, non latis sibi constans. ¶ Alij etiam dicunt nutritionem in sola materia recipi immediatè. ¶ De quibus vt iudicium nostrum proferamus.

13 Dico secundo, potentiæ quarum operationes exercentur mediãte organo corporeo, sunt in toto composito sicut in subiecto; & non in anima sola. Ita docet expresse Pnylosoph⁹ lib. 2. de Somno, & Vigilia cap. 1. dicens, quod *sentire, non est proprium animæ, neque corporis, sed coniuncti*. Quod & docet 1. de Anima cap. 4. & S. Thom. ibi lec. 10. & de Spiritualibus Creaturis art. 4. ad 3. art. 2. ad 20. Et 1. p. q. 77. art. 5. vbi comprobat ratione præcedentis conclusionis quia illud est obiectum operatiuæ potentiæ, quod est potens operari; & idem potest operari, quod operatur. *Sed istæ operationes exercẽtur per organa corporalia; sicut visio per oculum, auditus per aurem; & simile est de omnibus alijs operationibus nutritiua, & sensitiua partis. Et ideo potẽtiæ, quæ sunt talium operationũ principia, sunt in coniuncto sicut in subiecto.*

14 Explicatur vis huius rationis: nam potētię organicę organizatione, non solum radicali, sed etiam accidētali, requirunt in proportionato susceptibili, non solum quantitatem, qua reddantur extēsæ; sed etiam alias dispositiones, & accidētia, quibus aptæ reddantur potētiæ ad proprias operationes exercendas: vt patet in organo potentiæ visiuæ, & auditiuæ, quas mira varietate accidentium videmus constare: sed quantitas, & reliqua accidentia non residēt in materia prima immediatè, vt probatum est primo de Gener. q. 12. §. 3. & 2. p. Met. Controuer. 3. Ergo istæ potentiæ subiectantur in toto composito.

Alia ratio sumitur ex D. Thoma art. 8. quia, si potentiæ essent in anima, tāquā in subiecto, sequeretur, quod essent in anima separata; sicut manent intellectus, & volūtas: sed hoc esse falsum, supra ostendimus. Ergo subiectantur in cōposito. Vnde illo destructo, nō manent in anima formaliter, sed tantum radicaliter: *nam destructo subiecto, non potest accidens remanere*, vt ait S. Tho.

15 Dices: hæc argumenta probare potentias istas non esse in anima adæquatè: non tamen, quod partialiter, & inadæquatè non subiectentur in illa.

Sed contra est, quia nō minus improportionata est forma spiritualis, vt adæquatè recipiat accidens corporeum, quam vt inadęquatè illi inhæreat; quia per aliud principiū inadæquatū, non tollitur improportio, quæ est inter rem corporeā, & spiritualē: & ideò albedo extensa, neque inadæquatè, potest esse in Angelo secundum modū essendi, quē nunc habet, vt probat S. Th. Quod lib. 7. ar. 10. Neque inadæquatè potest videri res spiritualis visu corporeo, quia vt ait S. Tho. 1. p. q. 12. ar. 3. *actus proportionatur ei, cuius est actus*: ergo neque inadæquatè anima est capax recipiendi potentias, actus, vel accidētia quæcūque corporea.

16 Prętera impugnatur solutio, & aperitur eius æquiuocatio: quia quando dicimus accidentia, vel potentias istas, *subiectari in coniuncto*: nō est sensus, quod pars potentiæ sit in materia inadæquatè: quia materia nō est actiua: neque immediatè capax accidentiū. Nec pars potest esse in forma spirituali incapaci huiusmodi formarum. Sed est sensus, quod prius vniūtur immediatè materia, & forma, & in cōposito, ex illa vnione resultante, vt in subiecto *quod* residēt accidētia. Licet materia sit subiectum *quo* radicale, seu ratio recipiendi accidentia corporalia, prout ostendimus 2. p. Met. Cōtr. 3. à n. 34. Et loquendo de isto subiecto *quo*, admittimus materiā esse subiectū huiusmodi potentiarum.

17 Admittimus etiam omnes potentias denominare animā; quia vt ait S. Tho. sol. ad 1. omnes potētiæ *dicuntur esse animæ, non sicut subiecti, sed sicut principij: quia per animā coniunctū habet, quod tales operationes operari possit*. Ergo loquēdo, vt nūc loquimur, de subiecto *quod* inhæsionis, nō est affirmandū subiectū illarū esse partialiter animā, & partialiter corp⁹: sed indiuisibiliter, velquasi, totū cōiūctū: licet nō omnes residēat in eadem

dē parte; sed quælibet in suo organo corporeo, iuxta S. Th. de Spir. creat. a. 4. ad 3. & 2. de Ani. lec. 10.

18 Alia via euadere arbitrantur Moderni vim harum rationum, Illa distinctione de receptione, & vnione. ¶ Cæterum non video, qua necessitate introducatur illa distinctio, cui in re nil subest: & quam ipsi nulla authoritate, aut ratione hucusque firmarunt: de quo nos plura 2. Phys. q. 8. §. 5. Illaque admissa, explicare nequeunt cur forma vni inhærens, alteri vniatur intrinsece. Deinde etiam debet esse proportio inter subiectum vnionis, & formā vnitam; & ideo quantitas nequit vniri Angelo. Denique forma accidentalis ea actione, qua inhæret, vnitur, vt in simili diximus 1. de Gener. q. 5. §. 1. & mirum est quod ex natura rei Deus det inhærentiam formæ in subiecto incapaci effect' formalis: & cum operari sequatur ad esse, vel inesse; insit vni, & operari detur alteri. Hæc, & alia huiusmodi, qui potest capere, capiat. De facto ita euenire, non nisi diuinando potest affirmari: & ideo melius est id negare.

## §. III.

### *Argumenta solluntur.*

19 CONtra arguit Hurtado, quia quoad hoc, eadem est ratio subiecti sēsationis hominis, ac sēsationis bruti: sed sēsatio hominis nō potest recipi in anima rationali: ergo materia est subiectū adequatū sēsationis hominis. Probatur minor, quia nulla forma potest recipi in subiecto; cui non tribuat omnes suos effectus formales: sed vnus ex effectib' formalib' sēsationis est reddere subiectū extēsū: siquidem sensatio est corporea, & quāta, & diuisibilis; qui effectus formales tribui nequeūt animæ spirituali, & indiuisibili. Ergo sensatio hominis recipi nequit in anima rationali.

In multis deficit hoc argumentum. In primis, quia nō militat cōtra nos; quia dicimus subiectum esse totum coniunctum, & quod nec inadæquatè sit in anima, vt in subiecto inhæsionis, sed solum vt in principio radicali operādi, quia ab anima est esse organicū toti'; quod est subiectum potētiæ, & operationis materialis.

20 Deinde retorquetur argumētum, quia sensatio non reddit materiam sentientem; & tamen arguens vult in materia adæquatè recipi: ergo multo meli' alij respōdebūt de prædicato extēsionis: quod nō est propriū quantitatis; sed qualitatis.

Tertio, in forma nego minorem. Ad probationem nego maiorem, quam esse negandam constat ex dictis hoc lib. 2. q. 7. n. 16. & lati' lib. 1. de Gener. q. 7. n. 16. & 17.

21 Deinde arguit idem Hurtado, quia materia prima est subiectū immediatū, & adæquatum animæ sēsitiuę: alioquin ex eis nō fiet vnū per se: ergo materia prima est subiectū adæquatum sensationis.

Instatur argumentum, quia materia est subiectum immediatum animæ rationalis: & tamen non est immediatum subiectū intellectionis immaterialis, quia anima operatur

tur independenter à corporeo organo: licet nō indepēdēter à phantasmate, & corporeo obiecto.

22 Neganda est ergo consequentia, quia pura potentia immediatè est capax actus subsantialis; non tamen est immediatè capax actus accidentalis: & adhuc si aliorum accidentium esset capax: non tamē sensationis; quia hæc supponit quantitatem, & alias dispositiones quibus constituatur organum aptum ad actum sentiendi.

23 Præterea arguit Arriaga authoritate (vt ipse loquitur) expressa S. Augustin. lib. de Spiritu, & Anima. c. 4. & 13. vbi hæc habet: *Anima, quæ secundum sui operis officiu variis nominibus nuncupatur: dicitur namque vitalis, dum vegetat: spiritus, dum contemplatur: sensus, dum sentit: animus, dum sapit.* Ergo secundum Augustinum, anima sentit: ac per consequens elicit, & recipit sensationem.

Respondetur ex D. Tho. 1. p. q. 77. art. 8. ad 1. *quod liber ille authoritatem nō habet. Vnde, quod ibi scriptum est, eadem facilitate contemnitur, qua dicitur.* Et q. 79. art. 8. ad 1. & art. 10. ad 1. & q. 82. art. 5. ad 2. dicit, *quod non est necessariū verbis illius libri fidem adhibere.* Et q. 15. de Verit. art. 1. ad 1. ait, *quod liber de Spiritu, & Anima non est authēticus: nec creditur esse Augustini.* Et addit q. 25. de Verit. *quod non oportet eū in authoritate accipere.* Quod & docet ibidem. q. 26. artic. 5. ad 7. & q. vnica de Ani. art. 9. ad 1. Et ar. 12. ad 1. addit, *quod non est multum curandum de his, quæ in eo libro dicuntur.* Quod & docet ibi art. 19. ad 3. & de Spirit. creat. art. 3. ad 6. & ar. 11. ad 2. expressè asserit S. Tho. *quod liber de Spiritu, & Anima, est apocryphꝰ: cum eius author ignoretur: & sunt ibi multa, vel falsa, vel impropriè dicta: quia ille, qui librum composuit, non intellexit dicta Sanctorum, à quibus accipere conatus fuit.* Hucusque S. Tho. qui idem monet Ioann. 10. lec. 2. in fine. Et in 1. Sentent. dist. 1. q. 1. art. 1. ad 3. Et in 4. sentent. dist. 44. q. 3. art. 3. quæstiūcula. 1. ad 1. Quod animaduertere debuissent, qui hanc vocant authoritatem expressam S. Augustī. Præterquamquod citat Boetium, integro sęculo posteriorem Augustino.

24 Admissa autem authoritate, posset sentire attribui animæ, non sicut subiecto; sed sicut principio radicali operandi, vt ex Philosopho, docet S. Tho. illa q. 77. art. 1. ad 4.

25 Melius sibi obijcit S. Tho. authoritatem S. Aug. asserentis 12. super Genesim ad litter. c. 19. & 20. *Anima quædā sentit nō per corpꝰ: imò sine corpore: vt est timor, & huiusmodi: quædam verò sentit per corpus.* Sed, si potē tia non esset in sola anima, sicut in subiecto, nihil posset sine corpore sentire. Ergo potentiæ sensitiuæ immediatè subiectantur in anima.

Respondetur ex D. Th. ar. 5. sæpè citato ad 3. *quod opinio Platonis fuit, quod sentire est operatio animæ propria, sicut & intelligere. In multis autem, quæ ad Philosophiam pertinent Augustinus vtitur opinionibus Platonis; nō asserendo; sed recitando.* Et art. 8. ad 6. dicit, *quod Augustinus loquitur ibi inquirendo, nō asserēdo. Vnde quædam ibi dicta retractat.* Et nostræ sententiæ expressè fauet S. Aug. lib. 7. super Gen. ad lit. c. 24.

Alia

26 Alia solutio traditur à D. Th. ar. 5. ad 3. distinguente, quod ly *per*, vel determinate potest *principiũ*: & sic actio sentiendi nõ potest procedere ab anima, nisi per organũ corporale. Vel potest determinare obiectum, quod sentitur: & sic verificatur propositio, quia anima quædam sentit existentia in corpore; vt cum sentit vulnus, vel aliquid huiusmodi. Quædam verò sentit sine corpore, idest, non existẽtia in corpore, sed solum in apprehensione animæ: sicut cum sentit se tristari, vel gaudere de aliquo audito.

27 Reliqua argumenta Arriagæ facillimè soluuntur ex dictis. q. 13. de distinctione potentiarum ab anima; & ideò non oportet ea referre.

## §. IIII.

### *De potentia loco motiua.*

28 SPecialiter de potentia loco motiua, quod sit in sola anima, probat Toletus. Primo, quia anima rationalis non posset separata moueri perse, nisi in se habuisset virtutem mouendi; nam si in neruo esset, vtique destrueretur, sicut & sensus. ¶ Præterea, quia cum anima sit, quæ primo mouet neruum, & nõ totum se totum; animæ erit potentia: quia illius est potẽtia, quod primo operatur, & immediatè. *Et puto*, inquit, *esse hoc validum argumentum, si intelligatur.*

29 Respondetur cum D. Thom. q. vnica de Ani. ar. 9. ad 6. quod anima mouet corpus per apprehensionem, & appetitum. Apprehensio autem, & appetitus in homine duplex est. Vna quidem, quæ est animæ tãtum, non per organum corporale, quæ est partis intellectiuę. Alia, quę est coniuncti, & est partis sensitiuæ. *Illa autem, quæ est partis intellectiuæ, nõ mouet corpus, nisi mediante ea, quæ est partis sensitiuæ: quia cum motus sit circa aliquod singulare, apprehensio vniuersalis, quæ est intellectus, non mouet, nisi mediante particulari, quæ est sensus.* Ex hac manifesta doctrina S. Thomæ, probatũ relinquitur, quod vis motiua, non tantum passiua, sed etiã actiua, immediatè mouens corpora, resideat in corpore, in parte vbi resident appetitus, & sensus.

30 Ad primam probationem respondet M. Bañez. 1. p. q. 77. art. 5. dub. 1. ad 3. quod cum anima humana in nulla re corporali possit operari, nisi in proprio corpore; & hoc per solam informationem: manifestè sequitur, quod dum non informat corpus, nullo modo possit localiter moueri. Quare dum homo moritur, necesse est vt ab Angelis anima eius deportetur. Hæc ille.

31 Per oppositum M. Ioann. à S. Thoma quæst. 12. de Anima arti. 7. docet animam separatam vitaliter moueri in loco. Citat Caietanum 3. p. quęst. 52. artic. 2. §. *Quoad tertiũ.* Vbi tamen ego oppositum inuenio: loquendo, vt nunc loquimur, de virtute naturali: licet secundum specialem ordinem prædestinationis, admittat Caietanus, quod animæ separatæ possiunt agere, & pati in corporibus, & locis secundum idem genus motus, quo moueri dicuntur Angeli.

32 Probat M.Ioan.à S.Thoma, primo ex D. Thoma 3.p.q.52.art. 1.ad 3.dicẽte, quod *anima Christi descendit ad inferos, eo genere motus, quo Angeli mouentur.* Constat autem Angelos mouere se vitaliter: ergo & anima.

33 Ratione probat, quia cum anima separata habeat intellectum, & volũtatem, & non vbique existat, sed in parte determinata vniuersi, potest habere voluntatem vt sit alibi, vt animæ Purgatorij volũt esse in Cælo. Ergo debet eis esse prouisum à natura de virtute naturali, qua possint acquirere locum. Patet consequentia. Tum quia frustra natura daret appetitum; si negat vnde possent consequi, quod appetunt: tum quia si anima maneret immobilis, perse loquendo, esset frustra appetitus, & solum peraccidens, & fortuito posset id cõsequi; si aliquis Angelus vellit eã deportare: quod, quam incongrue dicatur, in illis nobilissimis substantijs, quod res illæ solum fortuito eis prouisæ sunt; satis de se patet.

34 Denique, vt docet S. Thomas 1.p.q.89.art.1.ad 3. anima separata *intelligit per species ex influentia diuini luminis participatas à Deo* Authore natura: ergo pariter in illa, ex vi statꝰ separationis; est expedita vis motiua, vt dictamine practico intellectꝰ moueatur. Qua propter valde placet hæc sententia. Quomodo autẽ determinetur in illo statu anima ad cognoscẽda singularia? Explicat S. Thomas ibi art. 4.

35 Examine tamen dignum est, quod subdit M.Ioã.à S.Thoma. 4. *ad fundamenta.* Dicens loquendo de motu locali, dicendum est animã separatã aliquem posse producere in corpora; licet multo debiliorem naturaliter quam Angeli. Ista tamẽ virtute motiua vti non poterit nisi pro statu separationis: aut nisi totaliter dominetur corpori: vt anima beata reunita corpori, quæ indepẽdenter à virtute organica mouebit illud.

36 Hoc tamen assertum non videtur doctrinæ S. Thomæ consonum: inquit enim D. Angelicꝰ q.16. de Malo art.10.ad 2. *quod anima humana infimum gradum tenet in ordine substantiarum spiritualium. Vnde non habet virtutem mouẽdi corpus, etiam localiter, nisi proportionatũ sibi per hoc, quod est viuificatum ab ea.* Et exprofesso id disputans 1.p.q.117.art.4. affert Physophum 2.de Anima textu.26. vbi idem expresse docet. Et in corpore ait S. Thomas *quod anima separata sua naturali virtute non potest mouere aliquod corpꝰ.* Quę videtur propositio cõtra dictoria illi, quam impugnamus. Et ad 1. concludit. *Vnde cum anima secũdum suam naturã determinetur ad mouendum corpus, cuius est forma, nullum aliud corpus sua naturali virtute mouere potest.* Quem sic intelligunt, & sequuntur Caietanus, & Bañez ibi. Et iterum Caietanus 3.p.q.52.ar.2.§.*quoad tertium.*

37 Ratioque S. Thomæ est efficax; quia anima est infima inter substantias spirituales: ergo ex natura sua non habet dominium nisi supra corpus cuius est forma: ergo aliud mouere nequit virtute naturæ.

Confirmatur: nam cõnaturalior

est

est animæ status coniunctionis quã separationis: & tamen in corpore non potest mouere, nisi illud quod viuificat: ergo nec id valebit à corpore separata. Nisi Deus specialem addat virtutem. Sed de his alibi opportunius.

38 Ad argumẽtũ, occasione cuius hoc dubium motum est, respondetur, quod potentia loco motiua organica, nõ est in anima separata, nisi radicaliter; potẽtia autem, quæ in illa est formaliter, est intellectus practicus: & iste non est expeditus ad mouẽdum, nisi à Deo infundantur animæ separatæ species singularũ, quibus possit applicare notitiam vniuersalem ad singularia, quia motus in loco corporeo non est nisi media illa applicatione, vt diximus ex D. Thoma n. 29.

39 Ad secundum iam respondimus q. 16. in fine, quod prima illa operatio nõ est animalis, sed naturalis sicut operatio ignis. Loquendo autem de motu animali, vt nunc loquimur, anima non mouet nisi mediante appetitu sensitiuo; & ideo non verificatur, quod potentia loco motiua adæquate sit in sola anima. Inadæquatè enim accepta pro principio dirigente, & primo mouente, cum non distinguatur ab intellectu, & voluntate non mirum, quod sit in anima.

## §. V.

### *De subiecto nutritiuæ.*

40 DEmum, de potentia nutritiua est non contemnenda difficultas: quia videtur, quod debeat immediate residere in materia prima: nam iuxta rationem S. Thomę explicatam §. 1. in eodem subiecto sunt potentiæ, & earum operationes: sicut intellectus, & intellectio sunt in anima. Sed nutritio in sola materia prima recipitur immediate. Ergo & potẽtia nutritiua immediate recipietur in materia prima. Probatur minor, quia nutritio debet recipi immediate in subiecto, in quo forma per illã producta subiectatur. Sed forma producta per nutritionem, subiectatur in materia alimenti: ergo nutritio immediatè in materia prima recipietur. Maior probatur: nam hac ratione diximus lib. 1. de Generat. q. 7. §. 2. generationem substantialem subiectari immediatè in materia prima.

41 Conuincuntur aliqui isto argumento vt excipiant nutritionẽ, quam dicunt immediatè esse in materia; cum tamen omnes alias sensationes constituant in toto composito.

42 Sed contra primo: nam, si cõsequenter loquantur, idem deberent dicere de generatione, cum dicant has potentias realiter non differre. Secundo, pariter deberent asserere augmentationem subiectari in quantitate immediatè, quia

ibi est eius terminus: cum tamen in distinctè dicant subiectari in toto.

Tertio, omnes istæ potentiæ requirunt partes organicas, & quantas: & ideò in toto subiectantur. Deinde, sunt immediatè actiuæ: materia autem immediatè nullius est actiuitatis.

43 Qua propter nulla de illis deber fieri exceptio. Imo Sãctus Thomas quęstione 77. articulo quinto, expressam mentionem de illis fecit, asserens subiectari in coniuncto. *Et simile est*, inquit, *de omnibus alijs operationibus nutritiuæ, & sensitiuæ partis.* Et articulo octauo, ait: *Quædam verò potentiæ sunt in coniuncto, sicut in subiecto; sicut omnes potentiæ sensitiuæ partis, & nutritiuæ.* Denique, si istæ potentiæ excipiũtur; rationes omnes, quæ de alijs procedunt, infirmantur: vt facilè patet applicanti.

44 Igitur ad argumentum distinguitur prima maior. Et concedatur de operationibus immediatis, & terminis homogeneis; negetur verò loquendo de operationibus mediatis, & terminis hetereogeneis, seu diuersæ rationis. Sicut autem potentia generatiua non producit immediatè substantiam, sed mediatè, & vt terminum hetereogeneum, iuxta dicta libro primo de Generatione quæst. 4. num. 12. Ita pariter dicendum de potentia nutritiua, cum terminetur ad partialem substantiam, quam præcedunt alterationes, & operationes accidentales.

45 Ad minorem dicitur, quod sicut generatio accipitur dupliciter, iuxta S. Thomam 2. 2. quæst. 164. artic. 1. ad 7. & Quodlib 7. articulo 9. ad quartum: vnõ modo *in facto esse*, pro termino extrinseco alterationis: alio modo *in fieri*, vt consideratur cum alteratione præcedẽte, prout dicitur aliquis mori, dum mouetur in mortem; sicut & dicitur aliquis generari, dum mouetur in generatum esse. Ita pariter dicitur de nutritione. Sicut ergo generatio *consummatiuè* est in materia, & *in fieri* est in toto composito: sic nutritio *in fieri* est in toto, vbi residet etiam potentia nutritiua; tamen *in facto esse* residet in materia; quia terminus hetereogeneus non debet esse in eodem subiecto, ac ipsa potentia. Et sic concedimus paritatem inter nutritionem, & generationẽ, quoad hoc punctum de subiecto illarum: quia vt ait S. Thomas. q. de Anima articulo 12. in corpore: *Generatiua potẽtia, & nutritiua ordinãtur quidem ad substantiam producendam, vel conseruandam: sed per transmutationem materiæ. Vnde talis actio, sicut & aliorum agentium naturalium, fit à substantia mediante principio accidentali.* Vide quæ diximus primo de Generatione quæst. 7. num. 25.

QVAE-

## QVAESTIO. XVIII.

*De Anima vegetatiua, & eius partibus, seu potentijs.*

1 DEscendentes in particulari ad tractatum de partibus, & potentijs animæ, naturæ ordinem imitantes, ab imperfectiori incipimus, cum Philosopho, & D. Thoma primo agentes de anima vegetatiua. Et istius ordinis duas rationes assignant lec.7.lit.a. Ideo, inquit S. Thomas primo dicendum est de obiecto, & actu huiusmodi partis, quã aliarum, quia ista pars est prima inter alias partes animæ, in subiectis, in quibus inuenitur cum alijs: est enim *quasi fundamentum aliarum; sicut esse naturale, ad quod pertinent operationes eius, est fundamentum esse sensibilis, & intelligibilis.* Et alia ratio est, quare prius de ea dicendum est, quia ipsa *est communis omnibus viuentibus*: ipsa enim separatur ab alijs, sed aliæ non separãtur ab ea: & de *communibus prius est agendum.* Hæc ibi. Vt autem de ipsa parte vegetatiua ordinate tractemus, ab eius actu, & obiecto incipiamus, hinc enim definitionem elicit Philosophus: de quo S. Thom. lec. 6. lit.d.

### §. 1.

*Tres sunt potentiæ vegetatiuæ partis.*

2 DIco primo, tres sunt potentiæ vegetatiuæ partis. Sumitur ex Philosopho 2.de Anima textu 34.lect.7.apud D. Thomã lit.a.vbi ait, quod partis vegetatiuæ *opera sũt generare, & alimento vti.* Et postea textu 46.& sequẽtibus explicat, quod nutritioni, & augmentationi deseruit alimentum: de quo S. Thomas ibi lec.9.lit.K. Probatur ratione S. Thomæ 1.p.q.78.art.2. Vegetatiuum habet pro obiecto ipsum corpus viuens per animam; ad quod quidem corpus triplex animæ operatio est necessaria. Vna quidẽ per quam esse acquirat: & ad hoc ordinatur potentia generatiua. Alia vero per quam corpus viuum acquirit debitam quantitatem: & ad hoc ordinatur vis augmẽtatiua. Alia vero, per quam corpus viuentis saluatur, & in esse, & inquãtitate debita: & ad hoc ordinatur vis nutritiua.

3 Hæc ratio S. Thomæ est à priori distinguens potentias per actus, & actus per formalia obiecta: tripliciter enim considerari potest alimẽtum, vel secundum substantiam; & sic est obiectum nutritionis; vel secundum quantitatem, & sic est obiectum augmentatiuæ. Vel vt est residuũ alimenti, vt post conseruatũ individuum, conseruetur species ex purissimo alimenti: & sic est obiectum generatiuæ. Quod totũ docet S. Thomas 2.de Anima tex.47. lec.9.lit.f.& g.

4 Sed obijcies: nam actus, per quos distinguuntur potentiæ animæ, nõ debent esse mere naturales, sed eleuati supra naturalia, & pertinere ad ordinem viuentium: sed isti actus videntur mere naturales; vt actiones elementorũ, & aliorũ agen-

agentium sine vita: ergo inconuenienter per istas actiones animæ vegetatiuæ vires distinguuntur.

Respondetur, quod *naturale* in præsenti non sumitur vt distinguitur contra supernaturalia, quæ sūt ordinis diuini supra naturæ facultatem: nec sumitur vt distinguitur contra liberum, quod agit non determinatum ad vnum, sed cum dominio sui actus. Sed accipitur naturale, vt distinguitur contra vitale, secundum quod naturalia sunt inanimata, & reliqua animata sūt viuentia eleuata supra mere naturalia. Igitur operationes istæ immanentes, & vitales sunt, quia sunt a principio intrinseco se mouente: quānuis infimum gradū viuendi solum attingant.

5 Vnde bene respondet S. Tho. ad primum, quod huiusmodi vires dicuntur naturales. Tum quia habent effectum similem naturæ, quę etiam dat esse, & quantitatem, & conseruationem; licet hæ vires habeāt hoc altiori modo. Tum quia hæ vires exercent suas actiouis instrumentaliter per qualitates actiuas, & passiuas, quę sunt naturaliū actionum principia. Sunt ergo simpliciter vitales, naturales vero ex parte instrumētorū, & ex similitudine effectuum; quod est esse naturales secundum quid: & satis cōuenienter, vt sic verificetur, quod ait S. Dionys. 7. c. de Diuin. nom. quod *supremum inferioris naturæ attingit id quod est infimum superioris.*

6 Secundo obijcies: nam ad id, quod est commune viuentibus, & non viuentibus, non debet aliqua potentia animæ deputari. Sed generatio est communis omnib⁹ generabilibus, & corruptilibus, tam viuentibus, quam non viuentibus. Ergo vis generatiua nō debet poni potentia animæ.

Respondet optimè S. Tho. ad 2. quod generatio in rebus inanimatis est totaliter ab extrinseco, sed generatio viuentium est quodam altiori modo per aliquid ipsius viuentis, quod est semen, in quo est aliquod principium corporis formatiuum. Et ideò oportet esse aliquam potentiam rei viuentis per quam semen huiusmodi præparetur. Et hæc est vis generatiua. Hæc S. Thomas.

7 Sed instabis: nam præparatio seminis non est generare: sicut in naturalibus dispositio materiæ nō est generatio substantialis formę: ergo etiam si detur potentia præparatiua seminis, non sequitur dari potētiam generatiuam.

Respondetur, quod vt docet Author Opusc. 43. apud D. Tho. c. 2. in fine. Hæc vis generatiua habet tres vires, secundum Auicenam. Prima est *seminatiua*, quæ in masculis, & fœminis semen generat. Secunda est *immutatiua*, quæ virtutes, quæ sunt in seminibus, permiscet, contemperando, secūdum quod complexioni cuiuslibet membri corporis formandi conuenit. Tertia est *formatiua*: quæ ex sic permixtis seminib⁹, membra format, & cōfigurat. Hæc ibi. Ad nanc vltimam dispositionē præuiam, si anima sit non immersa in materia, sed spiritualis, sequitur creatio illius, & vnio cum corpore

sic

sic disposito. Reliquæ verò animæ immediatè ex potētia materiæ educuntur. Et in ista eductione cōsistit generatio. Sed quia inchoatur, & incipit à præparatione seminis; ideò ab illa per primum actum explicuit S. Tho. necessitatem potentiæ generatiuæ.

8 Dices, omnes isti actus videntur esse specie distincti; quia præparare semen, & emissio eiusdem ad locū aptum generationi, distinguitur planè à virtute immutatiua, & formatiua fœtus. Ergo non bene deducit S. Tho. tres esse vires vegetatiuæ, cum plures deberet numerare.

Respondetur, quod, vt hic notat Caietanus, receptus communiter, S. Thomas hic loquitur in genere de potentijs vegetatiuæ, docens esse tantum tres. Vtrum autē quælibet sit subdiuidēda in alias species infimas? Alterius est speculationis.

9 Communis sentētia affirmat, & ideo dicto Opusc. 43. cap. 2. Nutritiuæ, quæ est principium conseruationis viuentium, per restauratio nem deperditi, quatuor vires assignantur; scilicet, *attractiuam*, quæ attrahit alimentum nutritiuum corporis. *Retentiuam*, quæ illud retinet, donec digeratur. *Digestiuam*, quæ illud digerit, quod attractiua attraxit, & retentiua retinuit. *Expulsiuā*, quæ residuum ex nutrimento super fluū expellit. Hæ per quatuor qualitates primas operantur. Attractiua enim operatur per calidum, & siccum. Retentiua per frigidum, & siccum. Expulsiua per frigidum, & humidum. Digestiua per calidum, & humidum. Quæ omnia videntur in ditia distinctionis specificæ. Nā realis distinctionis istarum operationum, experimentum habemus in infirmis, in quibus separantur: videmus enim in ægrotis modo vnam, modo aliam deficere, alijs permanentibus.

10 Arbitratur tamē M. Bañez 1. p. q. 78. art. 2. dub. 1. conc. 5. in fine hos omnes esse actus eiusdem potentiæ nutritiuæ interse subordinatos, quā potentias aliquomodo distinctas. Refert Vallesium lib. 2. controu. cap. 19. & Bañez dub. 3. conc. 3. & 5. idem dicendum cēset de actibus nutritiuæ, ac de actibus generatiuæ. Quod, & esse probabilius dicit Viguerius Inst. Theol. cap. 1. §. 1. ver. 3. quia non sunt multiplicandæ potentiæ sine necessitate. Standum tamen iudico communi sententiæ, dū hæc firmo non nititur argumēto: & postea hoc insimili discutietur disputādo de distinctione generica harum potentiarum.

11 Demum obijcies, quia multa dātur viuētia vita vegetatiua, quæ tamen non habent potentiā generatiuam: ergo partes vegetatiuę nō sunt tres. Probatur minor ex Philosopho 2. de Anima textu 34. vbi negat porentiam generatiuam animalibus imperfectis, & orbatis, & his qui generationem spontaneam habent. Et lib. 2. de Generatione animaliū cap. 6. excipit etiam species mulorum, qui non possunt generare sibi simile.

Respondetur doctrinam Philosophi esse verissimam; quā explanans

nans S.Thomas 2.de Anima lec.7. litt.b.ait,quod ab ista generalitate viuentium excipiuntur tria, quib⁹ hoc opus nō competit. Primo illa quæ sunt imperfecta,sicut pueri,nō generant:quod enim potest alterū facere tale,quale ipsum est in vno quoque genere perfectum est. Secundo excipit illa,quæ patiūtur aliquem defectum alicuius principij naturalis,sicut sunt spadones,& frigidi. Tertio animalia, & plantæ, quæ generantur sine semine ex putrefactione:in his enim,propter sui imperfectionem,sufficit ad eorum productionem agēs vniuersale,scilicet virtus corporis cælestis , & materia dispositа. In animalibus autē perfectis plura requiruntur principia:non enim agens vniuersale sufficit; sed requiritur agens proprium vniuocum.

12 Cum veritate tamen huius doctrinę potest stare,quod omnib⁹ istis, quibus propter sui imperfectionem, negatur actus generandi, concedatur potentia generatiua, quę dimanat ab anima vegetatiua, quæ videtur vniuoce prædicari de omnibus animalibus. Potest enim esse impeditum exercitium potentiæ; vel defectu organi ; vel dispositionis subiecti:sicut impeditur vsus intellectus in pueris, & in dormientibus,& in amentibus.

13 De animalibus autem genitis ex putrefactione docet Mag. Bañez q.78.ar.2.dub.5.conc.2. quod aliqua habent potentiam generatiuam,& actum illius: aliqua vero neque habēt potētiam generatiuam, neque actum eius. Pro quo notat animalia esse in triplici differentia, quædam adeò perfecta vt nūquam fiant ex putrefactione,vt homo,& equ⁹, iuxta doctrinam Philosophi Problem.13. sec.10.& Problem. 64.Quare merito irridet Auerrois 2. Metaph. comm.15. fabulosam imaginationē Auicenę,qui lib.15. de Animalibus,& in lib.de Diuuljs arbitratur homines posse ex putrefactione generari: quod ridiculum videtur. Sed de cautis generationis animalium,quæ fiunt ex putrefactione , eruditè nouissimè disputat D. Fernandez Vegaranus lib.4. Meteorum q.3.art.17. Angelico Doctori addictissimus. Loquēdo ergo de istis animalibus perfectis certum est posse sibi simile generare. Alia animalia sūt,ita imperfecta, vt sēper ex putrefactione generētur, supplēte virtute celesti vicem seminis.Horum meminit Philosophus 6.de Historia animalium cap.15.&16.docens,quædam istorum neque habere potentiam generatiuam,vt anguilę. & alia huiusmodi;alia vero generant , sed sibi dissimile in specie,vt lumbrices,cū sint vermes,producunt papiliones,& illi rursus oua pariunt,ex quibus fiūt alij vermes.Idem constat in vermiculis, qui ex oloribus nascūtur. Demum sunt alia animalia,quæ modo per generationem,modo ex putrefactione fiunt , vt mures,vespæ,& alia,quorum meminit Aristoteles 7.Metaph.cap.7.

14 Ad argumentum respondent Patres Carmelit.disp.8. de Anima q.1.n.3.quod si loquamur de operationibus proprijs omni,& soli animæ

nimæ vegetatiuæ, generalissime sumptæ, cōuenientibus, non est necesse nisi duas operationes, vel duas potentias partis vegetatiuę assignare. Si vero loquamur de anima vegetatiua strictius sumpta pro animabus primi, & tertij generis, tunc erunt tres potentiæ in conclusione numeratæ.

15 Hanc solutionem vt probabilem retulerat Bañez dub. 5. ad primū: addit tamen ipse, quod ista passio conuenit tantum animalib⁹ perfectis, nam quādo aliquid definitur per effectū, debet per vltimum diffiniri, non quia omnib⁹ conueniat, sed quia competit nobilissimo cōtento sub tali ratione. Iuxta ea, quæ in simili diximus hoc lib. 2 q. 4. loquendo de secunda animæ diffinitione.

## §. II.

### *Potentia generatiua est perfectior.*

16 DIco secundo, inter has potētias perfectior, & principalior est generatiua. Ita Philosoph⁹ 2. de Ani. text. 49 & S. Thomas ibidem lec. 9. lit. K. & 1. p. q. 78. art. 2. eam probat his verbis: est tamen quædam differentia attendenda inter has potentias: nam nutritiua, & augmētatiua habent suum effectū in eo in quo sunt, quia ipsum corp⁹ vnitum animæ augetur, & cōseruatur per vim augmentatiuam, & nutritiuam in eadem anima existētē. Sed vis generatiua habet effectum suum, non in eodem corpore, sed in alio: quia nihil est generatiuum sui ipsius. Et ideò vis generatiua, quodāmodo appropinquat ad dignitatem animæ sensitiuæ, quæ habet operationem in res exteriores: licet excellētiori modo, & vniuersaliori. Supremum enim inferioris naturæ attingit id, quod est infimū superioris, vt patet per Dionysium in 7. c. de Diuinis nom. & ideò inter istas tres potentias finalior, & principalior, & perfectior est generatiua, vt dicitur in 2. de Ani. Hæc ibi.

17 Sed contra hanc rationem obijcies: nulla potentia potest habere operationem extra suum obiectum: sed obiectum partis vegetatiuæ est ipsum corpus viuens per animam, vt in principio articuli præmiserat S. Thomas: ergo in consequenter postea asserit, quod generatiua habet effectum suum, non in eodem corpore, sed in alio. Vel sequetur, quod generatiua nō erit potentia animæ vegetatiuæ.

Respondet M. Bañez ibi dub. 3. conc. 6. quod obiectum animæ vegetatiuæ est corpus viuens per animam, siue ut corp⁹ proprium, siue alienum: in proprium corpus agit per augmētatiuā, & nutritiuam: & de istis loquitur S. Thom. pr orib⁹ verbis. In alienum corpus agit per generatiuam: de qua est sermo in secunda ratione.

18 Secundo respondet, quod etiam generatiua habet suum effectum in proprio supposito, quia operatur per aliquid ipsius viuentis, quod est semen, in quo est aliquod principiū corporis alieni formatiuum.

Potest

19 Posset tertio respõderi ex his quę in simili dicit idē Bañez dub. 5.post tertiam cõclusionem, quod effectus immediatus generatiuę est præparare semen, quod est aliquid ipsius viuētis: effectus vero mediatus, & vltimus est generare sibi simile. Sicut dicitur à Physosopho 5.de Historia animalium capite 24. quod bombices proferunt papiliones, papiliones vero oua, ex quib⁹ vermes similes prioribus, iterum nascuntur. Et gallina non est eiusdem speciei cum ouo, quod immediate generat, sed cum illa, quæ ex ouo nascitur.

20 Vltimo dici potest, quod ideò probat Physosophus, esse naturalissimum opus viuentiū generare, quia vnūquodque appetit perpetuitatem, secundum quod potest: & corruptibile permanet semper per generationem, non idem simpliciter, *sed vt idem*, idest, inquit S. Th. lec.7. littera.b. in fine, in simili secundum speciem. Vbi Caiet.2.de Ani.text. 34.in fine aduertit, quod hinc habetur, quod cum Sortes generat Platonem, agit propter se, nō propter Platonem, quoniā agit vt ipse Sortes sit, & si non ipse, tamen vt ipse. Quod prosequitur ipse Caiet. circa tex.49. quia generare est ex sua virtute habere alterum se, quo perpetuatur, & sic verificatur, quod vegetatiua habet pro obiecto ipsum corpus viuens per animam.

21 Dico tertio, recte diffinit Physos. animā vegetatiuam tex.49. dicens: *vtique prima anima est generatiua talis, quale est ipsum.* Hanc diffinitionem sic exponit S. Thom. ibi lec.9. lit. K. ita scribens: Ad cuius diffinitionis intellectum sciendum est, quod inter tres operationes animę vegetabilis est quidam ordo. Nam prima eius operatio est nutritio, per quam saluatur aliquid vt est. Secunda autem perfectior est augmentum, quo aliquid proficit in maiorem perfectionem, & secundum quantitatem, & secundum virtutem. Tertia autem perfectissima, & finalis, est generatio, per quam aliquid iam quasi in seipso perfectū existēs, alteri esse, & perfectionem tradit. Tunc enim vnūquodque perfectum est (vt in 4. Meteororū dicitur tex 19.lec.4.) cum potest facere alterum tale, quale ipsum est. Quia igitur iustum est, quod omnia diffiniantur, & denominētur à fine: finis autem operum animæ vegetabilis est generare alterum tale, quale ipsum est; sequitur, quod ipsa sit cõueniens diffinitio primæ animę, scilicet vegetabilis, vt sit *generatiua alterius similis secundum speciem.*

22 Quod si ad similitudinem definitionis animæ in communi, iam explicatæ quæst.4. vellis assignare definitionem per actus animę vegetatiuæ, intelligendo eam per accomodam distributionē, potes cum M. Ioan. à S. Thoma quæst. 3. ar.1. dicere. *Quod est principiū nutriendi, augendi, & generandi vitaliter.*

QVAE-

## QVAESTIO XIX.

*Vtrum potentiæ vegetatiuæ differant realiter inter se, & à calore naturali?*

1 CIrca prædicta, tria præcipuè restant inquirenda. Primo, vtrum tres potentiæ vegetatiuæ realiter distinguantur?

Sunt tres opiniones. Quidam enim dicunt has omnes potentias sola ratione formali differre, & esse eandem realiter. Ita Durandus primo distinct. 3. par. 2. quæst. 2. Valles lib. 2. Controuers. Med. cap. 19. & 20. Themistius secundo de Anima cap. 4. ibi Conimbricens. quæstione vnica. Rubio quæst. 2. Suarez lib. 2. de Anima cap. 9. & 10. & alij Recentiores.

2 Opinantur alij, quod augmentatiua, & nutritiua non differūt realiter; sed solum formaliter: quamuis à generatiua realiter differant. Tribuitur Apolinari secundo de Anima quæst. 9. & Iauello ibi quæstione 18. Sed malè citatur, cum ibi oppositum expressè doceat per totam quæstionem. Eam docet Toletus secundo de Anima quæst. 10. concluf. 3. citans Philoponum circa textum 47. Et opinionem esse probabilem, docent Bañez. 1. parte. q 78. art. 2. dub. 1. concl. 3. Ioan. à S. Thoma quæst. 3. art. 2. difficultate. 3.

***

### §. I.

*Distinguuntur realiter inter se.*

3 ASserendum tamen est, has tres potentias realiter differre. Ita sumitur ex Phyl. 2. de Ani. tex. 49. & ex D. Th. 1. p. q. 72. ad 1. & q. 78. ar. 2. & q. de Ani. ar. 13. & 15. docētibus, quod nutritiua, & augmentatiua deseruiunt generatiuæ; & augmentatiuæ nutritiua: sed idem non potest deseruire sibi ipsi: ergo realiter distinguuntur istæ potentiæ. Quare ita tenent omnes Thomistæ, Caiet. Ferr. Iauell. Aquarius, & PP. Carmel. vt certam. Bañez verò, & Ioan. à S. Tho. vt probabiliorē. Eadem fuit opinio B. Alb. Magn. 2. de Ani. tit. 2. c. 9. & 2. p. summę, de anima vegetab. art. 2. Aegyd. Quodl. 3. q. 12. Themist. 2. de Ani. text. 10. & aliorum.

4 Probatur ratione Sancti Thomæ, quam ad hanc formam redigit Iauellus. Determinatum est supra, quod potentiæ distinguuntur per actus, & actus per obiecta formaliter sumpta: vbi ergo sunt distincti actus reales, & distincta obiecta formaliter, ibi est distinctio realis potentiarum. Sed in parte vegetatiua distinguuntur realiter, nutrire, augere, & generare, quia stat vnum sine alio. Et distinguuntur formaliter nutrimentum, vt substantia, vt quantum, & vt superfluum alimenti. Ergo potentia nutritiua, augmētatiua, & generatiua distinguuntur realiter. Hæc ibi. Præmissæ singulæ exprofesto sunt suis locis ostensæ: & discursus est legitimus.

Respon-

5 Respondent PP. Conimb. & alij, prædictos actus esse inadæquatos, & inter se subordinatos: & ideo ad eandem potentiam pertinere, quæ versatur circa alimentū.

Hanc euationem bene præcludunt PP. Carmelitani a n.38. vsque 41. In primis, quia actus in fines specie formali distinctos ordinati, no possūt esse inadæquati: vt inductiue patet. Sed fines harum potentiarum sunt specie distincti: nempe seruare proprium individuum; illud maius reddere; & aliud simile producere. Ergo potentiæ sunt diuersæ ad diuersos actus adæquatos ordinatæ. ¶ Secundo, virtutes ad inuicem ordinatur, & inferiores subseruiūt superioribus: & tamē propter diuersos fines proximos, specie distinguuntur, & realiter: ergo pariter dicēdum de potentijs vegetatiuis. Sicut etiam actus sensuum externorum deseruiūt internis, quod nō tollit, sed adstruit eorum distinctionem. ¶ Deinde, si tot potentiæ sensitiuæ multiplicantur circa idē obiectum materiale propter diuersam rationem formalem, & diuersum modum operandi, multo melius erunt plures necessariæ in parte infima vitæ, quæ est vegetatiua: cū superiora soleāt habere vnite, quæ in inferioribus habētur disperse; & non è contra.

6 Alterum fundamentum proponit M. Bañez assignando quatuor differentias inter has potentias. Prima differentia est ex obiecto formali, & fine diuerso: quę iam est explicata. Secunda est ex parte subiecti: in qualibet enim parte corporis animati operatur, & residet virtus nutritiua; cū in qualiber parte aliquādo fiat resolutio, quę fit à calore naturali, & restauratio, quæ fit loco partiū dissolutarum. Augmētatiua vero residet, & operatur in qualibet parte viuentis; cum omnes eius partes augeantur. Medicorum autem plurimi existimant illam tantum subiectari in membris radicalibus; sicut osse, vel neruo: alioquin in senectute fieret augmentatio, cū impinguatur animal. Potentia autem generatiua solum residet in ea parte, in qua superfluū alimenti seminariam vim accipit, semenque seruatur: vt ad sēsum videmus in semine arborum, & vniuersaliter probant Phylosoph. 1. de gen. Anim. cap. 17. & 18. & S. Thomas. 1. p. q. 119. artic. 2. & in 2. dist. 30. q. 2. art. 1. & Suar. lib. 2. de Anima cap. 12. n. 7. & PP. Carmel. nu. 43. Quia dumtaxat illa pars habet dispositiones, & temperamentum requisitum ad illam. Secūdo, quia per illam solam partem opus generationis exercetur. Denique, quia tali parte ablata, quamtumuis aliq remaneant, generatio impeditur. Et quibus natura non dedit potentiam generatiuam, nec ista membra contulit, vt anguillis, & similibus. De quo puncto omnino videndi sunt illi PP. toto §. 4. & 5.

7 Tertia differentia, quia virtus augmentatiua, cæteris paribus, indiget fortiori calore, quā nutritiua: tum quia plus est acquirere maiorem partem, quam restaurare, vel conseruare habitam; & quia augmentatiua habet extendere solida

mem-

membra, & dura; ad quod requiritur fortior calor, quam ad opus nutritiuæ. Quarta differentia est, quia virtꝰ nutritiua numquam cessat ab operatione vsque ad finẽ vitæ, iuxta Phylosophum 1. de Gener. cap. 5. & 3. de Ani. tex. 59. lec. 17. quod intelligendum iuxta ea quę diximꝰ 1. de Gener. q. 22 Augmentatiua vero, & generatiua certo, & determinato tempore, & nõ vlteriori operari possunt, vt patet experiẽtia. Sumitur hęc ratio ex B. Alberto Magno tract. 1. cap. 6.

8 Denique probabilius iudicamus, quod nutritiua, & augmentatiua, & generatiua habent potẽtias sub se realiter distinctas: vt patet, quod distinctum obiectum est formare, & emittere semen; & in alio subiectum fętũ formare: ergo multo melius ipsa genera potentiarum realiter distinguentur.

## §. II.

## *Argumenta soluuntur.*

9 IN primis arguunt quidam neotherici, ad probandum potentiam generatiuam non distingui à potentia nutritiua illius partis, ad quam pertinet immediate productio seminis: quia potentia generatiua viuentis consistit in potentia productiua seminis. Sed potentia productiua seminis, non distinguitur à potẽtia nutritiua illiꝰ partis, apud quam semẽ producitur: quia proprium est potentię nutritiuę singularum partium, non solum conuertere alimentum proximum in substantiam viuentis; sed etiam alimentum remotum in proximum conuertere. Quod admittitur ab omnibus: quia nulla vrget necessitas ad duas potentias distinguẽdas: tum etiam, quia alimentum remotum disponitur ad conuersionem in proximum per accidentia valde ad similia accidẽtibꝰ partis nutrientis: ergo, & talis cõuersio fit immediate ab ea parte. Ergo potentia generatiua nõ distinguitur à nutritiua illius partis.

Respondetur maiorem non esse veram, nisi intelligatur de actu primo, & inadæquato; quia ad generatiuam etiam pertinet *immutatiua*, & *formatiua* fętus, iuxta ea quæ diximus q. 18. n. 7. Minor etiam est falsa. Ad probationem negamus illud antecedens. Et falso fingitur ab omnibus affirmari, quod communius negatur, quia diximus potentias illas attractiuam, & cõuersiuã, & alias specie distingui: quia circa idem alimentum, quod est obiectũ materiale, plura obiecta formalia, possunt distingui ex fine, & modo operandi diuerso. Conuenientia autem accidentium est propter symbolizationem, vt facilius fiat trasitus, iuxta dicta lib. 2. de Generat. q. 5. §. 2. cum quo stat specie distingui, & realiter differre potentias, præcipue materiales, & imperfectas: alioquin non esset cur debeant quinque sẽsus externi distingui. Et hoc poterãt moderni legisse in Bañez, qui ad 3. ait: nutritio potius est quædam partialis quasi aggeneratio, secundum quod pars alimenti conuertitur in substantiam nutriti,

& animat urpræexistente anima ipsius viuentis. Generatio vero proprie sumpta, quæ est actus potentiæ generatiuæ, est productiua totiº cõpositi, & etiam formæ, quæ antea non erat.

10 Secundo arguitur ex Philosopho 2.de Generat. Animaliũ cap. 4. ante medium. Et 2.de Anim. cap. 4. textu 42. vbi ait: *Quoniam autem eadem potentia animæ est vegetatiua, & generatiua, &c.*

Respondetur cum D. Tho. lect. 9. in principio, sensum esse, quod conueniunt in genere, quia omnes sunt vegetatiuæ; cũ quo stat inter se specie subalterna distingui. Vnde *vegetatiua* aliquãdo accipitur pro genere, & aliquãdo pro vna specierũ, vt in 2. libro Logicæ dixim⁹ *dispositionem* dici ipsum genus ad habitum, & dispositionem, & ipsam speciem, quę nõ habet speciale nomẽ. Verba S. Thomę sũt. *Dicit ergo*, Philosophus, *primo, quod cum vegetatiua, & generatiua ab eadem communi potẽtia animæ cõtineatur: licet vegetatiua, idest, nutritiua, sit quædam specialis potentia distincta à generatiua: oportet primum determinare de alimento, &c.*

11 Secundo Auerrois, & AEgidius circa textum 42. dicũt has potentias dici eandem secũdum quid ex parte obiecti materialis, & propter subordinationem adinuicem. Tertio, Iauellus in fine q. 18. dicit, solum dici eandem potentiam radicaliter, quia sunt eiusdem animæ vegetatiuę: & quia nutritiua ordinatur ad generatiuam, vt ad nobiliorem.

Quælibet harum expositionum est sufficiens ad saluandum intentum Philosophi: sed prima est facilior, & magis ad eius mentem, vt notat Bañez ad 1.

12 Tertio arguitur ad probandum, quod nutritiua, & augmentatiua non differant: quia si ex aliquo capite differrent, maxime, quia vna terminatur ad partialem substantiam, altera ad maiorem quantitatem. Sed hæc ratio potius probat oppositum: quia non minus distinguitur substantia totalis à tota quantitate, quam maior quantitas à maiori substantia, vel parte substantiæ. Sed eadem actione, qua generatur substantia, producitur eius quantitas, vt diximus 1.de Genera. q.18.num.29. & q.22.nu.22. & 25. & 28. Et eadem virtus nutritiua, quæ conuertit alimentum in substantiam aliti, causat quantitatem ipsius. Ergo non est necesse duas potentias distinguere.

Respõdet M. Bañez dicto dub.1. ad 4. cõcedẽdo, quod virtus nutritiua, quæ conuertit alimentum in substantiam aliti, causat etiam consequenter, & secundario quantitatem illius substantiæ, quæ conuersa est. Cæterum non est ista actio, quam nos vocamus augmentationem. Sed illa actio per quam postea partes extenduntur, & crescunt in ipso viuente. Quæ extensio fit per potentiam augmentatiuam, præsupposita actione virtutis nutritiuæ.

13 Sed contra replicatur, primo à paritate vtriusq; actionis, quia si nutritio valet producere substantiam perse primo, & secundario quantita-

quantitatem; è contrario augmentatio, vel erit actus secundarius nutritionis, vel non erit distincta potẽtia ad eã necessãria. Secũdo, quia si mul fit mutatio substantiæ in substãtiam, & quãtitatis in quantitatem. Et ideò non opus est potentias multiplicare.

Tertio obiectũ, quod solum differt secundum magis, & minus, nõ variat potentiam: vt eadem est visiua potentia minus, & magis albi. Sed nutritiua, & augmentatiua solum differunt penes magis, & minus; quia nutritiua solum conuertit alimentum in substãtiam aliti; augmentatiua verò est quando conuertitur plus alimenti, quam deperditum fuerat de substantia viuentis. Ergo non differunt istæ potentiæ, nec essentialiter, neque realiter.

14 Aliter respondet M. Ioann. à S. Thoma q. 3. art. 2. ad 2. quod quãtitas, & posit considerari, *vt passio est*: & *vt accidens commune est*. Primo modo, ad eam producendam non requiritur actio distincta à generatione substantiæ, quia illa attingit secũdario passiones. At vero ad quantitatem, vt maiorem, & crescentem requiritur specialis actio, quia vt sic non resultat, nec habet essentialem connexionem cum substantia. Secundo dicit, quod cum quãtitas non sit propria passio viuentis, vt viuẽs est, sed est propria passio corporis sub gradu corporeitatis; ideò quantitas etiam vt maior, & crescens, nõ est absolute terminus augmentationis; sed vt constituens debitum statum viuentis, & in perfecto robore: ad quod nõ sufficit virtus nutritiua. Sed exigitur roboratiua; quia potest nutriri, & non crescere, & roborari.

15 Difficultate non carent ambæ istæ solutiones. Prima quidem, quia difficile percipitur, quod idẽ accidẽs respectu eiusdẽ sit propria passio, & accidens commune: quia non potest verificari, quod oriatur à principijs speciei, & quod non oriatur, sed causetur ex principijs individualib⁹; vel omnino ab extrinseco.

Secunda etiam, quia illa differentia videtur accidentalis; & sufficiet, quod virtus nutritiua sit perfectior, & eminentior ad hoc, quod possit nutrire, & roborare: quia idem actus, & forma, quæ non potest agere, cũ est imperfecta, si habeatur cum eminẽtia, est actiua, vt sumitur ex D. Thoma 3. parte quæs. 8. articulo. 5.

Denique contra vtramque est, quod ex illis infertur, quod sint distincti actus nutrire, & augere; non tamen, quod non possint esse inadæquati, & pertinere ad eandem potentiam: sicut formare semen, & emittere, & immutare materiam, & formare fœtum, diximus pertinere ad generatiuam.

16 Amplectendæ sunt ambæ solutiones, vt simul veræ. Et vnico verbo soluitur argumentum attendendo rationẽ Sancti Thomæ, qui in corpore penes distincta obiecta formalia potentias illas distinxit. Vnde, vt notarunt Patres Carmelitani quæstione tertia in fine, substantia, vt maior,

velm inor est extra lineam obiecti potentiæ nutritiuæ, quia substantiã esse maiorem, vel minorem est effectus quantitatis: & ideo hoc perse attingitur ab augmentatiua: nã sicut qualitates aliæ in virtute substantiæ attingunt perse substantiam totalem, vel partialem; ita qualitas, quæ est potentia augmentatiua, in virtute substantiç, producit maiorem quantitatem.

17 In speciali illa solutio M.Bañez, est ad mentem S.Thomæ,, qui in corpore, & ad tertiũ virtuti augmentiuæ solum tribuit, quod perducat, *& acquirat debitam quãtitatem.* Nutritiua, vero est *per quam corpus, viuentis saluatur, & in esse, & in quantitate debita.* Et latius tradit B. Albertus 2.p.summę de homine q.37. & ex ipso Ferrara 2.de Anima.q.7.ar. 2.not.2. & ad 3. Vnde primario terminatur ad substantiã, & secũdario ad quãtitatem: & sic hæc fit peraccidens ad modum substantiæ, vt dixim⁹ 1.de Gener. locis citatis n.12.

Per quę patet ad primã replicam, quia generatio, & nutritio quasi de peraccidens attendunt quantitatẽ, vt maiorem, & crescentem: & tamen hoc perse solum intendit augmentatiua: quia vt ait S. Thom. ad 3. *Quia generatio viuentium est ex aliquo semine; oportet, quod in principio animal generetur paruæ quantitatis, & propter hoc necesse est, quod habeat potentiam animæ per quam ad debitam quantitatem perducatur.* Quia hoc non fit per resultantiam: nec per actiones mere naturales; sed per actiones vitales, & à principio quodammodo se mouente.

18 Ad secundam dicitur, quod si mul operari possunt diuersæ potentiæ circa idem obiectum materiale, sub diuersis rationibus formalibus, vt in sensibus externis apparet.

19 Ad tertiam respõderat iam ipse M. Bañez ad secundam cõfirmationem 4. negando, quod obiecta istarum potentiarum differant secũdum magis, & minus præcisse intra eandem speciem. Immo differunt secundum diuersas rationes formales obiecti, iam explicatas.

20 Ad primam replicam contra secũdam solutionem, dicitur quod quantitas est propria passio corporis, & ideo dicitur prima dispositio materiæ, vt informatæ gradu corporeitatis. Cæterum diuersa viuentia, sicut diuersa exigunt corpora, ita petunt diuersam portionẽ quantitatis. Idemque viuens, quia producitur ex semine, in principio debet esse paruæ quantitatis. Hoc ergo est officium augmentatiuæ, vitaliter per motũ perducere ad quãtitatẽ exactã pro statu perfecto, & ideo solum est in viuẽtib⁹, & nõ in inanimatis, quia vt ait S. Tho. ad 3. *Corpus inanimatum generatur ex materia determinata ab agente extrinseco; & ideo simul recipit speciem, & quantitatem secundum materiæ cõditionem.* Igitur in istis quantitas resultat, vt passio; & in viuentibus acquiritur vitaliter actione noua accidentali, ad quam exigitur specialis potentia augmentatiua. Vnde non est respectu eiusdem passio, & accidens commune, nec in eadem portione quantitatis.

Ad

21 Ad secundam dicitur, quod augmentatiua perse primo ordinatur ad quãtitatem maiorem, vt dat viuenti statum ad debitas operationes exercendas. Vnde cum potentia specificetur ab actu, ad quem ordinatur, & perse primo respicit; iste actus essentialiter differt ab alijs: & est extra spheram nutritiuæ, quia quod est secundarium, & peraccidẽs respectu vnius principij, est per se ab alio intentum.

22 Ad vltimũ respondetur, quod in sensibus externis ex diuersis obiectis formalibus, & modo operandi, non tantum distinguimus plures actus, sed plures potentias: ita à fortiori in parte vegetatiua, quæ imperfectior est: & ideo magis pluri ficanda, seruatis seruãdis, est dicẽdũ.

## §. III.

## *Vtrum potentiæ istæ differant à temperamento?*

23 COnsequenter ad supra dicta est alterum dubium, an potentiæ prædictæ differant à temperamẽto primarum qualitatum; vel à naturali calore?

24 Suarez lib. 2. de Anim. cap. 9. n. 4. asserit, quod virtus à qua procedit actio inductiua animæ in materiam cibi, non est aliquod accidẽs, sed ipsamet anima viuentis, quod nutritur: quia accidens non potest attingere productionem substãtiæ, nisi dispositiue tantum. Subdit vero n. 5. quod virtus disponens materiam cibi est temperamẽtum primarum qualitatum, & non qualitas aliqua ab illis distincta. Quæ videtur sententia Aristotelis lib. 2. de Partibus animalium cap. 1. & Galleni libello de differentia morborum asserentium viuentia exercere actiones suas medijs temperamentis.

25 Et ratione arguitur primo: nam in rebus naturalibus temperamentum conseruãs formam in materia, est virtus ad disponẽdam aliã materiam ad introductionẽ similis formæ, vt inductione patet. Ergo idem erit in nutritione, quæ in aggeneratione quadam, & assimilatione substãtiali consistit. Neque aliquid inusitatum in natura ponendum est sine necessitate.

Secundo arguitur: nam diuersæ partes viuentis diuersam generant substantiam: vt hepar sanguinẽ, ventriculus chylum, &c. Ergo vel illa diuersitas prouenit ratione potẽtiæ nutritiuæ; vel ratione diuersorum temperamentorũ. Si primũ, sequitur in singulis membris hætereogeneis esse ponẽdam diuersam potentiam nutritiuam. Quod, & si concedant Viguerius in Institutionibus Theologicis cap. 1. & Ferra. 2. Cõtrag. cap. 73. & Apolinaris 2. de Anim. art. 2. q. 9. Absurdum tamẽ est, ac sine necessitate dictũ. Debet ergo concedi secundum, quod est verisimum.

26 Tertio arguitur, inquirẽdo an potẽtia nutritiua aliquid immediate operetur circa nutrimẽtum; vel nihil? Primum dici non potest, quia potẽtia vitalis nõ est actiua sibi simi lis. Et ad efficiendas primas qualitates, necessariæ nõ sunt aliæ, præter ipsas primas. Si vero detur secundum, nempe, nihil immediate

efficere; sed vti solum calore vt instrumento, illumque dirigere. Id facilè improbatur, quia potentia tribuitur substantiæ, vt operetur; potentiæ verò non tribuitur alia potẽtia; quia aliàs esset processus in infinitũ. Ac præterea modus ille, quo potentia nutritiua dirigeret calorem, eoue vteretur, intelligibilis nõ est, & superfluus: nam quicquid fingatur, non potest calor nisi calefacere: neque ratione illius directionis potẽtia vnquam perficeret, quod per seipsam non posset.

27 Huic sententiæ, quod primam eius partem, opponimus in primis esse retractatam ab ipsomet Suar. disp.18.Metaph.sec.2.n.14. asserente, *negandum non esse, quin accidentia ita sint instrumenta ad producendam substantiam, vt proxime, & perse attingant eductionem formæ substantialis.* Quod probat primo *ex communi sententia tot Philosophorum*; & secundo, experiẽtia, cui Philosophia maximè nititur. Quod si negetur retractatam; necesse est affirmare sibi contradicere: cum hæc simul vera esse non possint. Deinde iam eam reiecim⁹ 2.Physic.& 2.p.Metaph. & hoc libro.q.13.& 14. Vnde nunc de sola secunda parte dicendum.

28 Communis ergo sentẽtia amplectenda est, iuxta quam est asserẽdum, potentiam nutritiuã esse qualitatem distinctam à temperamento primarum qualitatum. Ita B.Albertus Magnus 2.de Anima tract.2. cap.10. Themisti⁹ 2.de Anima cap. 18. Philoponus, & Alexander ibidem. Alios citat, & sequitur Rubio tract.de potentijs animæ vegetatiuæ quæst.1. & Fernandez Vejaranus de facultatibus natur. tract. 2.q 1.PP.Carmel.disp.8.de Anima quæst.4. Ioan.à S.Thoma.q.3. art. 2. Et obiter idem dixerant Caiet. circa textum 50. & Ferrara quæst. 7.§.*sciendum secundo*. Et Bañez 1.de Gener.cap.5.q.9.conclus.2. Vnde non video qua veritate Suarez numero 2.oppositum attribuat Thomistis.

29 Videturque expressa Philosophi 2.de Gener.Anim. cap.4. vbi loquens de virtute animæ vegetabilis, ait: *Postea ex alimento vis eadem efficit incrementum, vtendo caliditate, & frigiditate quasi instrumento*. Ex quo desumpsit S.Thomas.1.p.q.118. art. 1.ad 3.dicens. *Calidum autem elementare se habet instrumentaliter ad virtutem animæ; sicut etiam ad virtutem nutritiuã, vt dicitur in 2.de Anima*. Et quæst.78. art.2.ad 1.ait. *Hæ vires exercent suas operationes instrumentaliter per qualitates actiuas, & passiuas, quæ sunt naturalium actionum principia*.

30 Probaturque primo ad hominem: nam ipse Suarez cap.9.conc. 5.ait. Quod virtus attractiua, & retentiua, expulsiuaque excrementorum, potentia est realiter distincta ab anima, & à qualitatibus primis. Sed eadem est ratio de ista, ac de nutritiua: ergo differt à qualitatibus primis potentia nutritiua.

31 Secundo probatur, quia qualitates primæ sunt qualitates elemẽtares communes corporibus inanimatis: & vt sic non valentes exercere operationes animatorum propias. Sed nutrire, si propriè sumatur, est proprium animatorum. Ergo

go requiret specialem facultatem à qualitatibus distinctam.

Dices, quod sufficit, quod in anima ponatur calor perfectior, & quod temperamentum viuentis sit perfectius, quod in diuersis viuentibus est perfectius.

Sed contra: nam hæc maior perfectio, vel est merè naturalis intra virtutes non viuentium. Et sic non valebit exercere operationes viuẽtiũ. Vel est talis perfectio; quæ trãsferat ad aliam lineã. Et sic erit qualitas à nobis posita.

32 Tertio probatur: nam potentiæ vitali correspõdet operatio vitalis. Et sic nutrire, quod est operatio vitalis, non potest nõ immediatè à potentia vitali oriri. Constat autem dictas qualitates non esse vitales, neq; ab anima dimanare. Ergo nec sunt istæ qualitates potentiæ ipsæ vegetatiuæ.

Respondet Suarez ad 2. quod nõ opus est alia virtute, quia nutriendi actio inter vitales infima est.

33 Facilè excluditur hæc euasio, primo: nam etiam attractio est infima inter vitales, & minus perfecta, quam ipsa nutritio: & tamen ipse ponit exigere potentiam a qualitatib⁹ primis distinctam. Ergo minus cõsequenter id negat de nutritiua. Secũdo, nec minima operatio sensus potest fieri à parte merè vegetatiua. Ergo nec minima operatio vitalis potest fieri virtute sola naturali non vitali. Tertio ratio à priori est, quia nulla potentia potest exire extra latitudinem obiecti adæquati. Minima autem operatio vitalis est in alio genere supra omnia merè naturalia, quæ non viuunt. Ergo nequit à virtute merè naturali effici.

34 Argumentum primũ Suarez est illud, quod soluit S. Tho. q. 78. art. 2. ad 4. docens, quod licet in naturalibus, per easdem causas, per quas esse habet res conseruetur: tamen in viuentibus vita vegetatiua est specialis ratio: quia cum calor naturalis humidum consumat: *ideò ad restaurationem humidi deperditi, necesse est habere potentiam nutritiuam, per quam alimentum conuertatur in substantiam corporis. Quod etiam est necessariũ ad actum virtutis augmentatiuæ, & generatiuæ.* Duplici ergo qualitate debet vti anima ad has operationes; altera se tenẽte ex parte alimẽti, vt dispositione congrua ad recipiendam impressionem potentiarũ: altera qualitate vt principio eliciti uo ipsius nutritionis: & quia hæc sola dimanat ab anima, & est vitalis, ideò hæc sola in rigore est potẽtia nutritiua.

35 Ad secundum dicitur, in primis minus fideliter referri Viguerium, & Ferraram: quia Ferrara ibi de hoc puncto non tractat. Viguerius verò cap. 1. §. 1. ver. 3. ait: quod potentia nutritiua habet pro organo radices, in quibus subiectatur, & per quas operatur. Et licet sint diuersæ radices, vniuntur tamen ad vnum stipitem: ideò potentia nutritiua est vna potentia diffusa in illis radicibus: sicut potentia tactiua extenditur per totum corpus. Ecce, quod vnam solam potentiam ponit, licet diffusam per totum corpus. Quæ est communis sententia

Beati Alberti, Ferrarienſis, & Bañ. & aliorum.

36 Vnde bene reſpõdet M. Ioan. à S. Tho. ad confirmationẽ vltimi virtutem nutritiuã eſſe vnam, quæ ob ſui eminẽtiam habet in diuerſis partibus hetereogeneis diuerſos effectus, & formationes facere. Sicut enim generatiua in fœtu format diuerſa mẽbra, nec pro quolibet mẽbro diuerſa potentia generatiua ponitur: ita nutritiua in proprio corpore diuerſas partes producit, non ratione diuerſarum diſpoſitionum tantum, ſed ratione virtutis eminẽtis, iuxta diuerſas diſpoſitiones illas diuerſas partes vitaliter producentis.

37 Ad tertium reſpondet prædictus Mag. vbi ſupra, quod potentia aliquid facit præter calorem: tum quoad modum, quia vitali modo operatur effectum, quod calor non poteſt facere, etiam immediatè cõiunctus animæ. Tum quoad ſubſtantiam, quia formatio illa mẽbrorũ, & organizatio, quæ fiunt à virtute generatiua & nutritiua, excedit virtutem primarum qualitatũ: & ideò requiritur altior virtus vitalis. Et hoc vocamus has potentias dirigere, & vti calore vt inſtrumento, nõ directione cognoſcitiua, ſed impreſſiua virtutis vitalis, ad effectum vltra ſpeciẽ primarũ qualitatũ inducendũ: vnde qualitates iſtæ non nutriunt virtute propria, ſed virtute potẽtiæ nutritiuæ vitalis à qua mouentur. Quod inuenio in D. Tho. in 2. diſt. 18. q. 2. art. 3. ad 2. vbi ait: *Vt dicit Philoſop. 2. de Ani. quod ignis in motu augmenti eſt ſicut inſtrumentum regulatũ: ſed principaliter agens, & regulans eſt virtus animæ dirigens in determinatã quãtitatem.*

## §. IIII.

### *Vtrũ dentur calores ſpecie diſtincti?*

38 TErtio ſolet dubitari, vtrũ calor cæleſtis, elementaris, & animalis, diſtinguantur ſpecie?

39 Negat Caiet. 1. p. q. 118. art. 1. circa ad 3. docens, quod nõ eſt multiplex calor, ſed vnus, & idem, multiplicis agentis vim habens, prout ſubiacet principio actiuo elementari, animali, aut cæleſti. Et de animali quidẽ, & elementari habetur ex 2. de Anima cõtra Empedoclẽ, vbi Ariſt. docet calorem animalis eſſe principiũ augmenti, & non elementarẽ, ideſt, vt ibi dicitur calorẽ non ſecundum vim elementi, ſed ſecundum vim animæ. De cæleſti autem & vitali habetur ex 12. Met. comment. 18. vbi Auerrois vult, calores hos diſtingui ſicut calorẽ ignis à calore artis. Cõſtat autẽ, quod calor elementaris, & artificialis non ſunt duo calores, ſed diſtinguuntur tantum, quia iſte regulatur arte, ille abſolute agit: ergo non eſt multiplex calor, ſed vnus.

40 Eandem ſententiam ſequitur Bañez ibidem. Et 1. de Gener. cap. 5. q. 9. & in præſenti M. Ioann. à S. Th. q. 3. ar. 2. §. *quod autẽ*. Et ex alijs tenent Argenterius lib. 1. de Sõno, & Vigilia c. 5. & Suar. 2. de Ani c. 9. n. 10. citans B. Albertum 2. de Ani. trac. 2. cap. 4. S. Bonauẽt. in 2. diſtinc-

stin. 17. q. 2. & S. Th. 2. de Ani. text. 41. & alios. Cæterum alios non vidi; sed solum S. Bonauenturam, & S. Thomam, & in locis vbi citātur, non inueni.

41 Ratio tamē huius sentētiæ est, quia effectus horū calorū primarij, & propriꝰ idem est, nēpe *calefacere*. Neque calor aliquis viuificat modo alio, quam calefaciendo, disponendo. Reliqui omnes effectus sūt consequuti, secūdum quod à diuerso agente, attēperante, aut modificante, resultant.

42 Nihilominus Ferr. 2. Contr. c. 73. §. *circa multiplicitatē*, fol. in edit. Romana 179. asserit, quod licet vtraque opinio in doctrina S. Th. defendi possit; tamen S. Thomas expresse inclinat in sententiā, quod calores isti specie distinguūtur. Quod probat primo ex D. Tho. illo c. 73. vbi ait S. Th. *Non autem à duobus calefacientibus sequitur in vnum calefactibili duplex calefieri; sed vnum tantū: nisi forte sint diuersæ species caloris.* Et infra ait. *Et hoc dico nisi sit alia species caloris, sicut ponitur in semine calor ignis, cæli, & animæ.* Quæ authoritas videtur expressa: alioquin non saluaret S. Th. suum intentum, videlicet, duplicē calorem vnius speciei non posse simul in eodē subiecto esse: bene tamen multiplicē diuersarum specierum: *sicut ponitur in semine calor ignis, cæli, & animæ.*

43 Præterea idem docet S. Tho. 1. p. q. 118. art. 1. ad 3. vbi loquēs de spiritu incluso in semine, ait. *In quo etiam spiritu est quidam calor virtute cælestium corporum; quorum etiam virtute agentia inferiora agunt ad speciem, vt supra dictū est* q. 115. art. 3. ad 2. *& quia in huiusmodi spiritu concurrit virtus animæ cum virtute cælesti, dicitur, quod homo generat hominem, & Sol. Calidum autem elementare se habet instrumētaliter ad virtutem animæ: sicut etiam ad virtutem nutritiuam, vt dicitur in 2. de Anima.* In hac authoritate expresse ponit Sanctus Thomas tres calores concurrere; quorum vnus est instrumentum alterius: ergo realiter distinguūtur. Sed non solo numero: alioquin nō possent esse in eodem subiecto: ergo ex mente D. Thomæ distinguuntur specie. Quod & indicat Sanctus Thomas secundo Contragentes cap. 86. ad quartum, dicens: *Agit enim virtus formatiua mediante triplici calore, scilicet, ignis, cæli, & calore animæ.*

44 Sed adhuc expressius id docet S. Thom. in 2. distin. 18. q. 2. artic. 3. loquens de eodē spiritu in semine incluso, ait. *Illi autem corporali spiritui coniungitur triplex calor, scilicet calor elementaris, qui est sicut instrumentum resoluens, & consumens; & huius operans: & calor animæ, qui est viuificans: & calor cæli, cuius virtute mouet ad speciē determinatam: & virtute huius triplicis caloris virtus formatiua conuertit materiam, à muliere præparatam, in substātiā membrorum, per modum quo est trasmutatio corporis in augmento, vt 15. de Animalibus dicitur.* Quod prosequitur S. Tho. toto articulo; sed præcipue solutione ad 5. Ergo sincere opinionem S. Th. considerando, oportet secundum eius mentem dicere, quod dicti calores sint distincti specie. Præcipue cum nullibi S. Thom. oppositum insinuet.

Accedit

45 Accedit quod Commẽtator 2. cap. de substantia orbis, tenet calorem cæli, & calorem elementarem distinctos esse secundum speciem. Quod & docent Fernelius Physiologiæ. c. 1. Niphus. 1. meteororum commento 35. q. 2. Mirandula lib. 3. contra Astrologos cap. 3. Marcellus lib. 2. de Anima cap. 3. apud Suar. vbi supra nu. 9. & nouissime sententiam Ferarien sis sequitur Thom. Hurt. de Anima sẽs. cont. 1. membro 5. §. 7. ad 4. & videãtur dicenda q. 27. n. 73.

46 Ratio S. Thomæ videtur efficax: quia vbi sunt distincti effectus formales, & distinctæ operationes secũdum speciem, ibi sunt distinctę formæ. Sed calor elementaris, cæleſtis, & animalis, præstãt distinctos effectus formales; & valde diuersas habẽt operationes. Ergo essentialiter distinguuntur. Probatur minor: nam calor elementaris *dissoluit, & consumit*: calor animalis *viuificat*, tam terminatiue, quam originatiue: calor cęli est tantæ eminentię, vt eius virtute *inferiora agentia moueant ad speciem determinatam*: quas omnes operationes constat specie distingui; ergo, & prædicti calores specie distinguuntur.

47 Possunt præterea prædicti calores specie distingui ex parte naturarum, à quibus dimanant, & ex diuerso modo emanationis: iuxta ea quæ supra diximus q. 15. §. 5. Vnde formatur sic argumentum: vt docet S. Thom. q. 12. de Veritate art. 2. ad 4. *quæ à diuersis causis naturalibus producuntur in esse, secundum diuersum generationis modũ, oportet esse specie diuersa*. Sed calores isti habent diuersas causas naturales, vt patet: & diuersimode producũtur, nempe, calor naturalis à principio intrinseco, per emanationẽ; alij à principio extrinseco, & per motũ: ergo specie distinguuntur. Quare hæc sententia, non solum videtur admentem S. Thom. sed omnino vera, & tenenda.

48 Ad rationem contrariæ sentẽtiæ respondetur, quod illa operatio est eadem generice; cũ tamẽ cũ illa conuenientia compatiatur, quod calor viuificę specie differat à calore resolutiuo, & cõsumptiuo, & à calore cæleſti.

49 Instabis: nam vt diximꝰ q. 15. n. 58. *Lux in Sole illuminãte, & in aere illuminato est eiusdem speciei*. Ergo pariter calor animalis, & elementaris sunt eiusdem speciei.

Respondetur ibi nos dixisse esse eiusdẽ speciei in ratione lucis: sed tamen ex parte naturarũ, vel ex modo essendi posse differre specie. Quod similiter posset affirmari de calore.

50 Melius tamen dicitur secundo, quod calor elementi ignis, & calor ab igne in animali causatus, est eiusdem speciei; quamuis sit proprietas ignis, & accidens cõmune animalis: & quoad hoc tenet paritas: sicut ibi diximus, quod *calor ignis, & aeris est idem specie*. Cum quo compatitur quod comparando calorem elemẽtarem, cum calore naturali vitali, & calore cęlesti, differant specie, ex diuersitate naturarum, & diuerso modo generationis, & ex diuersis rationibus formali-

malibus, & effectibus iam explicatis.

51 Duo argumenta Caietani bene diluit Ferrara. Ad primum respō det dupliciter. Primo, quod nec habetur in textu Aristotelis; nec in expositione Auerrois, aut Sācti Thomæ inuenitur, quod allegatur. Nō enim ibi Aristotelis mentionem facit de calore animali, & elementari; sed de igne, & anima. Probatur enim textu. 41. quod ignis non est principale agens in augmento, sed est instrumentum animæ.

52 Secundo respondet, quod admisso etiam velle ibi Aristotelem, *non secundum vim elementi, sed secūdum vim animæ esse causam augmenti* (quod tamen non dicit) adhuc non sequitur, quod isti calores sint vnus numero calor: dicit enim S. Thomas 1. p. q. 118. vbi supra, quod *calor elementaris est instrumentum caloris animalis*: & hac via verificari potest, quod calor est principium augmenti, *nō secundum vim elementi, sed secundum vim animæ*: non autem quia sint vnus, & idem calor.

53 Ad secundum etiam respōdet dupliciter. Primo, quod Auerrois calorem cælestem assimilat calori artis, non in omnib⁹, & per omnia: sed in hoc quod calor cælestis habet mensuram propriam ad generationem, *ex motu, & dispositione corporis cælestis* (vt ibidem inquit ipse Auerrois) sicut, & calor artis mēsurā operationis ex ipsa arte sortitur. Calor autem elementaris mensuram nō habet ex ipsa forma ignis. Sed si aliquam mensuram habet, & limitationem, hoc sibi conuenit vt est animæ instrumentum. Non autem in hoc illi assimilatur, quod sit vnus, & idem cum calore elementari.

54 Denique aliam subijcit solutionem, adijciens. Quamuis forte dici etiam posset, aliquem esse in aliquibus artis operibus calorem artificialem, qui calor elementaris non sit.

55 Quicquid sit de vltima solutione, aliæ vim argumēti euacuāt. Et possum⁹ addere potissimam differētiam, quod ars nō est causa motus quoad substantiam, sed solum quoad modū, vt diximus 2. Phys. q. 4. n. 5. & lib. 7. q. 2. nu. 7. At vero potentiæ motum, & effectum, etiā substantialem, in virtute substantiæ causant. Et ideo calores, medijs quibus causant, non tantum differre debent in modo, vel in aliquo extrinseco: sed in ipsa intrinseca virtute, qua qualitates istæ operantur.

## QVAESTIO. XX.

### *Quo sensu, sit naturalissimum opus viuentium generare sibi simile?*

1 PRoponitur ad expositionem Phylos. 2. de Anima tex. 35. & 36. qui hoc affirmat: & tamē de ei⁹ veritate, & intelligentia variāt expositores. ¶ Iauellus. 2. de Ani. q. 16. asserit, quod dicitur *naturalissimum*, ideſt, *perfectissimum*; non *absolute*: quia sentire, & intelligere perfectiores operationes sunt: quæ inueniuntur in aliquibus viuētibus. Sed sumitur *comparatiue* ad sola opera partis vegetatiuæ, quia nutriri, & augeri

augeri ordinatur ad generare. Hãc expositionem esse satis probabilẽ: & aduersus eam, parum, aut nil valere argumenta obijci solita, testatur Bañez 1.p.q.78.art.2.dub.4.

2 Merito tamen improbat Caietanus circa tex.34. quia magis, & minus naturalitatis operis non attenditur secundum perfectionem operis: sed secundum pronitatem naturæ ad opus; vt de se patet. Et cõstat ex illa maxima: sicut simpliciter se habet ad constituendum simpliciter; ita magis ad magis; & ita maximum ad maximum. Constat autem quod aliquid dicitur naturale, non ex perfectione, vel imperfectione; sed ex inclinatione illius ad illud opus. Ex hoc enim distinguimus naturale a violento, vt patet 5.Ethicorum c.2.& dixim⁹ 2.Physi.q.5. Ergo opus illud est magis naturale alicui, ad quod illud absolute, & simpliciter magis inclinatur. Ergo naturalissimum erit, ad quod maxime pronumest, siue perfectũ, siue imperfectum sit opus.

§.I.

*Duæ communes, & veræ expositiones.*

HAEC, & alijs expositionibus omnibus, duæ communiter à Doctoribus approbatæ, sunt omnino tenendæ. Prima, quod dicatur cõnaturalissimum, quia est commune viuentibus, & non viuentibus. Ita S.Tho.lec.7.lit.b.& Thomistæ omnes: cum quib⁹, quoad hoc conuenit Suar.lib.2.de Anim.cap.7.n.7. Et ratio est, quia id in quo maxime vis naturæ explicatur, id est ei connaturalissimum. Sed diffundere generando sibi simile maxime explicat vim naturæ: ergo est naturalissimum.

4 Sed obijcies: nam operationes, quæ insunt per proximiora, & priora principia sũt naturaliores. Sed aliæ operationes vitæ conueniũt per propriora principia, nẽpe, sentire in quantum animal, & *intelligere* in quantum homo. Ergo sunt naturaliores.

Respondẽt PP.Carmelitani disput.8.q.2.n.26.& 27. quod licet id quod cõuenit per principia proximiora, esset, cæteris paribus, connaturalius, eo quod competit per principia remotiora: attamẽ quod per vtraque principia cõuenit, non potest non esse connaturalius, eo quod per principia proximiora tãtummodo competit: vt ex se constat. Homini autem conuenit generare, & ratione generali, & ratione speciali viuentis, & ratione talis viuentis: quia alio modo generat ac alia. Nutritio vero, & augmẽtatio proprie sumptæ, nõ habet locum in non viuentibus, iuxta doctrinam Phylo. iam explicatã 1. de Gener.q.20.

5 Melius tamen respondet Caietanus negãdo maiorem, quoniam è cõuerso est, scilicet, quod quæ insunt per priora, sunt magis connaturalia: ita quod naturalius est homini, quod inest per vitam, quam quod per sensum, & quod per sensum; quam quod per rationem. Et hoc quia *causa primaria plus influit in effectum*

*effectum, quã causa secũda*, vt in prima propositione de causis dicitur: & declaratur ibidem in causis formalibus, & dicitur, quod propter hoc operatio causæ primæ est vehemẽtioris adherentiæ cũ re, quam causæ secũdæ. Quod, & docet S. Tho. locis citatis 2. Phys. q. 14. & ideo 1. p. q. 8. ar. 1. ait: *quod esse est illud, quod est magis intimum cuilibet, & quod profundius omnibus inest.* Et tamen est communissimum, & causæ vniuersalissimæ effectus.

6 Secunda, & radicalis causa, cur generare est opus connaturalissimum, est quia in illud magis inclinatur natura. Hæc causa expresse traditur à Phyl. & approbatur à D. Thom. illa lec. 7. & fere ab omnib⁹ Philos. & ideò immerito negatur à Suarez n. 6.

7 Probatur autem à Caietano sic dicente. Experientia autem continua non eget discussione; dum experimur in humano genere, & in omnibus animalibus tantam ad generandum pronitatem, vt non nisi dificilima, & rarissima victoria cõtinua, hæc naturæ pronitas superetur. Hæc ibi.

8 Ratio Philosophi sic formatur à D. Thoma lec. 7. lit. b. vbi ita ait: ideò autem est naturale viuentibus facere alterũ tale, quale ipsum est, vt *semper participent, secundum quod possunt, diuino, & immortali*, id est, vt assimilentur ei secũdum posse. Et post non nulla, quæ ad huius explicationem subiungit: tandem concludit. Quia igitur non possunt communicare inferiora viuentia ipsi esse sempiterno, & diuino per modum cõtinuationis, id est, vt maneant eadẽ numero, propter hoc, quod nihil corruptibilium contingit vnum, & idem numero permanere semper (cum necessitas corruptionis sit necessitas absoluta, vtpote proueniens ex ipsa materia, non ex fine) sequitur, quod vnumquodque communicet perpetuitatem, secũdum quod potest: hoc quidem magis, quod est diuturnius; illud vero minus, quod est minus diuturnum: & tamen permanet semper per generationem non idem simpliciter, *sed vt idem*, id est, in simili secũdum speciem.

9 Confirmatur hæc ratio: quia natura magis inclinatur ad bonum commune, quam ad bonum particulare. Sed nutritio, & augmentatio ordinantur ad conseruationẽ indiuidui; quod est bonum particulare: generatio vero ad cõseruationem speciei; quod est bonum cõmune: ac perconsequens, est diuinius, & excellẽtius, iuxta doctrinã Philos. 1. Eticorum cap. 2. Videatur ratio S. Thomæ 1. p. q. 60. ar. 5. vbi solutione ad 1. ait, *quod vnaquæque pars diligit naturaliter totum, plus quam se. Et quodlibet singulare naturaliter diligit plus bonum suæ speciei, quam bonum suum singulare.*

## §. II.

### *Argumenta soluuntur.*

10 SEd inquit Suar. n. 6. quod hæc omnia parum satisfaciunt: in primis, minime est credẽdum naturam magis inclinari in opus generationis

tionis, quam nutritionis: vtraque enim actio ordinatur ad conseruationem speciei: ergo ex hac parte æqualis est inclinatio naturæ. Ex alia superat nutritio; cum per eam conseruetur species in proprio individuo; per generationē vero in alieno. At magis apetit res conseruationē speciei in se ipsa, quam in alia: nam *amabile quidem bonum* (inquit Aristoteles) *vnicuique autem proprium*. 8 Ethicorum cap.

11 Præterea: nam materia seminis est superfluum alimentum. Prio ergo viuens desumit, quod sibi est necessarium, quam, quod generationi; ergo appetitus ille propriæ conseuationis est prior, ac maior.

Rursus, si generatio, & nutritio in perfectione conferantur, nō excedit generatio, saltem essentialiter: nam sunt actiones eiusdē rationis: at solum defferunt tamquam pars, & totum integrale: sicut productio ignis, & illius auctio eiusdem rationis sunt.

Denique nam viuentia communiter dispositiuè tantum concurūt ad generationem sui similis: atque vt plurimum efficiunt semē: in nutritione vero effectiue inducunt in materiam partē formæ; vel formā indiuisibilem in materia præexistente.

12 Ad hęc argumenta iā respōdērāt Thomis. Ad 1. respōdet Bañ. per augmētationē, & nutritionem conseruari speciē in vno individuo per aliquod tēpus: at per generationē in perpetuum. Multo autē maior est inclinatio ad conseruationē æternam, quam ad temporalem.

13 Ad authoritatem Philosophi in simili respōdet Sanctus Thomas. 2.2. quæs. 26. articulo. 3. ad 1. quod intelligitur de his, quæ sunt ad alterum, vt in parte cōdistincta: *Non autem de amicabilibus, quæ sunt ad alterum, in quo bonum prædictum inuenitur secundum rationem totius.* Amor autem ad speciem nō est ad alterū, quia bonum speciei non est alienū à bono individui. Vnde Caietanus §. *& ad vertē*, asserit, quod cum Sortes generat Platonem *agit propter se, & nō propter Platonem: quoniam agit vt ipse Sortes sit, & si nō ipse; tamen vt ipse: & hoc propter participationē sempiternæ, diuinæ, immortalisque vitæ.*

14 Ad secundum respondetur, quod licet in executione prior sit nutritio & augmētatio: in intētione tamē est è contrario, quia generatio finis est nutritionis, & augmēti, vt docet Phyl. lib. 2. de Ani. tex. 49. Cuius adhuc rationem assignat Caiet. §. *Ad obiectionē*, in hac forma. Illud est naturalius perfecto, quod ei quatenus perfectū est conuenit; & est ab eius imperfectione remotius; quam illud, quod ei conuenit quatenus à perfectione deficit. Sed inter nutritionem, & generationē relatas ad viuens perfectū, hoc interest, quod generatio cōuenit viuenti perfecto, quatenus perfectū est: imò, & ex abūdantia perfectionis eius: iuxta Phyl. 4. Meteor. c. 3. *tunc enim vnumquodque maxime perfectum est, cum potest facere alterum tale, quale ipsum est.* Nutritio vero viuēti perfecto non conuenit, nisi quatenus à perfectione cadēs, restauratione eget. Igitur viuēs perfectum,

vt

vt sic, magis inclinatur in generationem, quam in nutritionem.

15 Cum quo tamen stat esse verũ, id quod notat Ioann. à S. Tho. q. 3. art. 1. fine, quod magis tenetur homo ad conseruandam propriã vitã, quam ad generãdum; etiam in casu necessitatis conseruandi, & propagandi genus humanũ: eo quod conseruatio prõpria est medium necessarium, & fundamentum ad generationem: ideò magis tenetur ad illam, quam ad istam. Sed ad istam vt ad medium, & ad illam vt ad finem. Et ideò maior inclinatio est ad generationem.

16 Ad 3. respõdetur, quod ibi assumitur sine probatione propositio oppositа Phyl. 2. de An. tex. 49. & D. Tho. ibidẽ lit. K. dicenti; *quod inter tres operationes animæ vegetabilis perfectissima, & finalis est generatio, per quam aliquid iam quasi in se ipso perfectũ existẽs, alteri esse, & perfectionem tradit.* Dequo iam diximus q. 18. n. 21. Falsum etiam est, quod generatio, & nutritio viuentium se habeat eodẽ modo, ac productio, & augmentũ non viuentium, vt ex D. Tho. 1. p. q. 78. art. 2. ad 3. sæpe diximus.

17 Vltimum argumẽtum assumit propositionem manifestè falsam, & sæpe à nobis impugnatam 2. Physic. q. 10. nu. 25. & sequentibus. Et ideò alia solutione non eger, quã antecedens negare.

## QVAESTIO XXI.

### *Vtrum potentiæ sensitiuæ sint actiuæ, vel passiuæ?*

1 DE anima sensitiua sequitur dicendum, post considerationẽ animæ vegetatiuæ. Cæterum quia innotescit actibus, & obiectis, & cognitione potentiarum, & vltra hæc de ipsa anima nihil speciale restat dicendum, quod non cõstet ex dictis in communi de anima. Ideò Physos. immediate post tractatum de anima vegetatiua, disputat de potentijs sensitiuis, primo quidem incommuni cap. 5. & 6. S. Th. à lec. 10. vsque ad 13. Et postea cap. 7. & lec. 14. tractant in particulari de vsu, & de singulis sensibus externis. Quem ordinem imitantes, præmittimus quasdam quæstiones de potentijs sensitiuis in cõmuni, & postea de singulis sensibus differemus. Disputationem autem de necessitate specierum, remittemus ad tertium librum, quia ibi de specieb⁹ intelligibilib⁹ tractari debet: & propter cõnexionẽ doctrinæ absque inutili repetitione cõmodius ibi de omnibus disputabitur.

### §. I.
### *Status quæstionis.*

2 DVo præmittenda sunt cũ Ferrara 2. de Anim. q. 8. Primum sumitur ex Philosopho 5. Metaphys. tex. 17. docẽte, quod potẽtia diuiditur in potẽtiam actiuam, & passiuam. Potentia actiua est princi-

principium trāſmutandi aliud in quantum aliud: ſicut, calor eſt principium quo ignis agit in lignum calefaciendo, & igniendo illud. Potētia paſsiua eſt principium motus, vel mutationis ab alio inquantum aliud: omne enim per quod poteſt aliquid ab alio pati, dicitur potentia paſsiua eius: ſicut id quo lignū poteſt comburi ab igne, eius potentia paſsiua dicitur: & diaphanū eſt quo aer poteſt illuminari à Sole.

3 Aduertit tamen S. Thom. q.1. de Potentia art.1. & in 1. diſt.42. q. 1. art.1. Quod hoc nomen *potentia* primo impoſitum eſt ad ſignificandum potentiam actiuam; ſecundario vero deuolutum eſt ad ſignificandā potentiam paſsiuā. Et rurſus q.1. de Verit. art.10. ad 13. notat S. Thom. quod ordo, & differentia potentiarum paſsiuarum in eodem paſsiuo, eſt ſecundum ordinem, & differentiam potentiarum actiuarū ei correſpondentium: quia quælibet potentia paſsiua ſe extendit ad ea tantum, ad quæ ſe extendit potentia actiua eiuſdem generis, vt docet S. Thom. q.18. de Verit. art. 2. & 5. & in 3. diſt. 26. q. 1. art. 2. & lib. 2. Cōtrag. cap. 60. ad 13. & lib. 3. cap. 45. Cum ergo inquiritur, vtrum potentiæ ſenſitiuæ ſint paſsiuæ, vel actiuæ? Idem eſt ac ſi inquireretur vtrum ſint principium quo animal patitur à sēſibili? An potius ſint principium, quo animal agat in ſenſibilia? Et ſumitur hic pati cōmuniter vt ex D. Thom. diximus 1. de Gener. q.13. nu.5. & 2. Phyſ. q.8. nu.33. Et videatur S. Thom. 2. de Anim. lec.11. lit.d.

4 Præterea egregie notat S. Tho. q.16. de Ver. ar.1. ad 13. quod non diſtinguitur potentia actiua à paſsiua, ex hoc quod habet operationē: quia cum cuiuſlibet potentiæ animæ, tam actiuę, quam paſsiuę ſit operatio aliqua; quælibet potentia animæ eſſet actiua. Cognoſcitur autem earum diſtinctio per comparationem potentiæ ad obiectum: ſi enim obiectum ſe habeat ad potentiam, vt patiens, & tranſmutatum; ſic erit potentia actiua. Si autem e conuerſo, ſe habet vt agens, & mouēs; ſic erit potētia paſsiua. Et inde eſt, quod omnes potentiæ vegetabilis animæ ſunt actiuæ; quia alimentum tranſmutatur per potentiam animæ, tam in nutriēdo, quā in generando. Sed potentiæ ſenſitiuæ omnes ſunt paſsiuæ, quia per ſenſibilia obiecta mouētur, & fiūt in actu. Circa intellectum vero aliqua potentia eſt actiua, aliqua paſsiua, &c. Hucuſque S. Thom.

5 Ex quo colligit Fer. q.8. conc. 2. quod apud S. Thom. nō eſt idem dicere potentiam *actiuam*, & potentiam *operatiuam*: potentia enim dicitur actiua, eo quod in ſuū obiectum agit. Dicitur autem operatiua, quia eſt principium alicuius operationis productiuum. Cum igitur non repugnet aliquam potentiam non agere in ſuum obiectum; & tamē producere in ſe operationem; ideò non repugnat aliquam potentiam non eſſe actiuam; & tamen eſſe operatiuam: quia ad hoc in rigore, non ſufficit facere operationem, niſi operetur obiectum, quia ab iſto ſpecificatur, & denominatur.

Circa

6 Circa quæstionem sic expositam, sex opiniones eruditè refert M. Bañez. 1.p.q.78.artic.3.dub.1. Sed quæ directè ad hanc quæstionē attinent, solum sunt tres. Prima est asserentiū, quod sicut, iuxta S.Th. 1.p.q.79.art.3. datur duplex intellectus, nempe agens, & patiens: ita potentiæ sensitiuæ aliæ sunt agentes, producentes sensationem: & aliæ dantur potentiæ sensitiuæ passiuæ recipientes sensationem. Ita Apolinaris Cremonensis lib. 2. de Ani.q.13.& Iandunus ibi q.16. & alij.

7 Secunda principalis opinio docet potentias sensitiuas esse simpliciter passiuas. Quæ duplici via defenditur: primo, asserendo, quod sensatio non est formaliter operatio, sed passio, seu receptio specierum in potentia: ad quam nulla re quiritur operatio; sed solum quod species, vt similitudo obiecti, vniatur cum potentia. Ita Aegidius Romanus 2.de Ani.c.5.& q.1.de cognit. Angelorum, & Quodlib. 3.q. 14. Et Paulus Venet⁹ in summa de homine lib.2.c.10.& Augustinus Niphus cap.de sensu agente. Fauet quę Caiet.2.de Ani.cap.5. quāuis in fine cap.§.*ex his*, & §.*& tu scito*, non recedat à communi sentētia, quam sæpissimè ipse Caiet. tradit 1.p.& ipso lib.2.de Anima cap.11. circa finem, ait. *Neque ex his motus imponas mihi, quod ponam sensum concurrere purè passiue: oppositum enim sentio*, &c. Pariter se exponit Iauellus 2. de Ani.q.22.ad 1.

8 Alij ita verificant sensum potētiam esse passiuam, quod illi nullā tribuunt actiuitatem, sed omnem actiuitatem tribuunt speciei immissæ ab obiecto, sicut tota actiuitas aquæ ad calefaciendum conuenit à calore, quem recipit. Tribuitur B.Alberto Magno lib.de Apprehēsione, & in summa de homine: & tenet Gaetanus Thyenensis Opus. de sensu agente.

9 Vltima ergo sententia asserit, potētias sensitiuas esse operatiuas; & tamen esse passiuas, quia patiuntur obiectis immittētibus species, quibus agunt potentiæ. Vnde nostrum sentire est quoddam pati antecedenter, & causaliter, non verò formaliter, quia receptio specierū non est sensatio. Ita S. Tho. 1.p.q. 56.art.1.& vniuersi eius Discipuli. Specialiter Capreolus in 1. dist.3. quæst.2.& dist.35.q.1.ad 8. Aureoli contra 1. Soto in 4. dist.14.q.1. art.7. Ferrara 2. Contragentes cap. 57.& cap.82.& hic q.8.& 9. Caietan.1.p.q.14.art.1.& q.79.art.2. Bañez vbi supra. Ioan.à S. Thoma 2.de Ani.q.4.art.1. Iauellus q.21. Hurtado Controu.1.de Anima sēsitiua memb.2. Extra Scholā S.Th. tenent Scot.in 1.dist.3.q.7.& ibi Gregor.& Aegidius à Præsentatione lib.8.q.1.art.4.§.8. Item Philoponus, & Alexander in præsenti. Toletus, Conimb. Rubio, & alij communiter. Pro cuius expositione.

## §. II.

*Potentiæ sensitiuæ passiuæ.*

10 DIco primo, potētiæ sēsitiuæ patiūtur ab obiectis, à quib⁹ recipiūt species. Ita Philosoph⁹ 2. de Anim. toto cap. 5. & S. Thomas ibi lect. 10. lit. a. dicens. *Duo resumit* Philosophus *dicta de sensu: quorum vnum est, quod sentire consistit in moueri, & pati: est enim sensus in actu, quædam alteratio: quod autem alteratur, patitur, & mouetur.* Idem dicit ibi littera. d. & tota lec. 11. & 12. præcipue in fine lit. c. & lec. 13. lit. d. Idemque sumitur ex textu 55. & textu 134. & libro de Somno, & Vigilia cap. 5. lit. *Sensatio est mutatio animæ corporis interuentu prouenientis.* Cum autem, vt dicetur conc. 2. nō sit passio formaliter, erit mutatio antecedenter, & causaliter.

11 Probant conclusionem Philosophus textu 52. & S. Thom. lec. 10. lit. b. duplici deducto inconuenienti. Primo, quia sequitur, quod ipsi sensus sentiri possent. Et secundo, quia sequitur, quod sensus posset sentire sine exterioribus sensibilib⁹: quod est falsum; siquidē non videtur nisi adsit coloratum, &c.

12 Contra has rationes solet obijci: nā tactus sentit primas qualitates; quæ sunt eius obiectum. Ergo falsum est, quod sensus nō se percipiat. Secundo, licet ignis sit actiuus, non tamen comburit se, sed cōbustibile externum: ergo licet sensus sit actiuus, nō sequitur quod sētiat se.

Ad primum respondet Philoponus ibi, quod tactus nō sentit calorem suum, sed sanguinis, & aliorum humorum feruētium, qui suo calore agunt in neruos vbi tact⁹ est. Similiter pars bene habens sentit affectum alterius male habentis.

13 Ad secundum respondet Bañez ad 2. & ante eū AEgidius text. 52. q. 2. quos sequūtur Toletus tex. 52. Thienensis, & alij, quod Aristoteles supponit vnum certum in sua ratione, scilicet, sēsationem esse in animali sentiente, & non transire in materiam exteriorem: tunc autem si actiua esset, cum esset in ipso animali, vtique esset in se; & ita ageret in se, se sētiēdo; sicut si ignis calefactio esset immanens, vtique se calefaceret.

14 Ex quo sic pro conclusione arguit Ferrara cōc. 1. Potentia actiua, cuius operatio est actio immanēs, semper potest operari, & non indiget exteriori mouente. Sed operatio sensus est actio immanens, vt dicitur 9. Metaph. text. 16. Ergo si potentiæ sensitiuæ sunt actiuæ, poterunt semper operari sine exterio ri agente. Maior probatur, quia quod potentia non habeat suam operationem, potest cōtingere, aut quia est potentia passiua indigens exteriore mouente: aut quia sua actio, est actio transiens; ideo requirit subiectum in quo recipiatur. Ergo si aliqua potentia nō sit passiua, & sua actio non sit operatio transiens; poterit semper operari, & nō indigebit aliquo exteriori.

15 Quicquid sit de probabilitate huius rationis absolute: quod ipsa

sa non sit ad mentem Phylosophi, manifestum erit ex contextu. Inquit enim text. 52. *Manifestum igitur est, quod sensitiuum non est actu, sed potentia tantum: vnde non sentit: sicut combustibile non comburitur ipsum à se ipso, sine combustiuo: combureret enim se ipsum; neque indigeret igne actu existente.* Ex quo constat Aristotelem confirmare actum sentiēdi, quo sensus sentiret sine sensibili exteriori, à paritate actus comburendi, quo combustibile combureret, sine exteriori combustibili. Cum ergo actio sentiendi sit operatio immanens; & actus comburendi sit actio transiens. Vt consequentia Aristotelis & paritas teneat; in hoc non debet esse differentia inter actiones immanentes, & transeuntes.

16 Idcirco Iauellus, hac solutione relicta q. 20. aliter respondet, quod vt consequentia sit legitima, oportet supponere, secūdum Phylosophum, sensum esse potentiam passiuam; & secundum Antiquos, esse potentiam actiuam: & tunc sicut bene sequitur: si est aliquod cō bustibile, quod simul habet potentiam actiuam, vt comburat, & passiuam, vt comburatur: hoc dato bene sequitur, quod comburet se ipsum sine exteriori combustibili. Ita pariter cum sensus sit potentia passiua, si simul esset actiua ad sētiēdū, sequitur, quod sentiat sine exteriori sensibili.

17 Hanc expositionem tradiderat Caietanus 2. de Anima. capit. 5. textu. 52. dicens, quod vis rationis consistit in hac conditionali; *si patiens esset actiuum, idem à se ipso pateretur*: & quia consequens est impossibile apud Aristotelem, vtpote implicans contradictoria; ideo etiam antecedens implicat contradictionem. Fūdatur ergo ratio illa super conditionali necessaria: cuius tam antecedens, quam consequens est impossibile. *Et hoc est solicite notandum* (inquit Caietanus) *quia multos latuisse videtur locus iste.*

18 Hæc subtiliter meditata, nō inficior: sed tamen mihi magis arrider alia expositio simplicior, & planior, quam mihi desumere videor ex S. Thoma, qui lect. 10. lit. b. notat quod ibi loquitur Aristoteles contra Empedoclē, & alios, qui posuerunt simile simili cognosci, nam consequenter posuerunt sensum esse actu sensibilia in esse naturali: *Vt enim cognoscerent omnia sēsibilia, posuerunt animam sensitiuam esse compositam quodammodo ex omnibus sensibilibus, inquantum constabat, secundum eos, ex elementis sensibilibus. Duo ergo ad hanc positionem consequebantur: quorum vnum est; quod sensus est ipsa sensibilia in actu, vtpote compositus ex eis; & cum ipsa sēsibilia in actu sentiri possint, sequebatur, quod ipsi sensus sentiri possunt. Secūdū est, quod cum sensus sentiri posset præsentibus sensibilibus, si sensibilia actu sunt in sensu, vtpote ex eis composito; sequitur, quod sensus possit sentire sine exterioribus sensibilibus. Vtrumque autem horum est falsum.*

19 Ex hac expositione constat, quod incōueniētia illa euidēter sequuntur, si interpretemur Aristotelem loqui contra Empedoclem, asserentem sensum compo[illegible] ex elementis, vt sentiat elementa: inde

autem solum mediate probari sensum debere esse potentiam passiuam, quia debet pati ab aliquo gerente vicem obiecti, quod sit eius similitudo. Si autem immediate loqueretur ad probandum sensum esse potentiam actiuam, vel passiuã, non apparet qualiter principiũ non peteret, & supponeret probãdum: quod de tanto Philosopho non est suspicandum.

20 Vnicũ ergo cõclusionis fundamentum, est quod tangitur à D. Thoma 1. p. q. 56. artic. 1. dicente, *quod in actione, quæ manet in agente, oportet ad hoc quod procedat actio, quod obiectum vniatur agenti: sicut oportet, quod sensibile vniatur sensui, ad hoc quod sentiat actu.* Ex quo constat necessitas specierum, quia cum sensus non fit omnia naturaliter, debet fieri omnia intẽtionaliter, vt ab obiecto, & potentia pariatur notitia: de quo Philosophus 3. de Anim. tex. 140. & S. Tho. ibi lec. 2. lit. g. & S. Tho. q. 8. de Verit. art. 6. ad 3. & ar. 7. Sed quælibet potentia, quæ recipit, patitur: præcipue si recipiat suum obiectum sub alio modo essendi. Ergo potentiæ sensitiuæ sunt passiuę: & tandem in hoc terminatur ratio Philosophi.

21 Et S. Thomas in 3. dist. 14. art. 1. quæstiuncula 2. sic eam proponit. *Nulla potentia passiua potest in actum exire, nisi completa per formam actiui, per quam fit in actu: quia nihil operatur, nisi secũdũ quod est in actu.* Quod applicãs nostro instituto, subdit. *Sensus autẽ potẽtia passiua est: quia nõ potest esse in actu omnium, ad quæ se extẽdit sua operatio, per naturã potẽtiæ: nõ enim potest esse aliquid quod actu habeat omnes colores: & sic patiendo à coloribus fit in actu, & eis assimilatur, & cognoscit eos.*

22 Præterea aliter formari potest ratio ex D. Thoma q. 26. de Verit. art. 3. ad 4. asserente, *dicitur potẽtia aliqua actiua, quæ comparatur ad suum obiectum, sicut agens ad patiens; sensus autẽ comparatur ad sensibile, sicut patiens ad agens, eo quod sensibile transmutat sensũ.* Et infra. *Sed visio perficitur per hoc quod species visibilis recipitur in visu; quod est quoddã pati. Vnde sensus potentia passiua est.* Et q. de Anim. ar. 4. ad 5. ait. *Omnes potentiæ sensitiuæ sunt potẽtiæ passiuæ.* Et de Spiritual. Creaturis artic. 9. in cor. & artic. 10. ad 17. & 3. de Anima lec. 3. lit. h.

## §. III.

### *Potentiæ sensitiuæ sunt actiuæ suarum operationum.*

23 Dico secundo; sensatio est operatio à sensu actiuè producta: vnde potẽtiæ sensitiuæ sunt actiuæ suarum operationum. Ita sumitur ex D. Tho. q. 8. de Ver. art. 6. ad 7. & q. 16. art. 1. ad 13. & 3. dist. 14. art. 1. & aliis locis relatis. Et ex Phyl. 9. Met. tex. 12. & 16. asserente, quod visio est actio immanẽs. Et 2. de Ani. tex. 37. iuxta antiquã trãslationẽ ait. *Est autem, & alteratio, & augmentum secundum animam: sensus enim, quadam, alteratio esse videtur.* Et iuxta nouã trãslationẽ Michaelis Sophiani. *Præterea verò, & alteratio, & auctio ab anima est. Videtur enim sensus alteratio esse quædam: nihil autem sentit, quod*

non

*quod non habeat animam.* Vbi S. Tho. lec. 7. ita cōcludit. *Ergo oportet, quod anima sit principium omnium istorum motuum.* Et 2. de Ani. text. 127. lec. 24. apud D. Tho. in fine libri, inquirit, *quid est odorare, nisi pati aliquid ab odore? Et respondet, quod odorare, est sic aliquid pati ab odore, quod sentiat odorem. Aer autem non sic patitur, vt sentiat, &c.* Et 3. de Ani. lec. 2. litt. e. & f. & 1. p. q. 56. art. 1.

24 Ratio est manifesta, quia sentire est ab anima; quia inanimata nō sentiunt, & recedente anima, cessat sensus omnis: ergo sentire est operatio vitalis. Ergo est à principio intrinseco eliciente illam, & ideò radicaliter est ab anima, & proxime à potentia actuata specie.

25 Secundo, non fit sensatio in actu nisi sensus fiat in actu ipsum sēsibile: sed fieri non potest in actu secundo sensibile, sine operatione vitali: ergo hæc essentialis est ipsi sēsationi. Probatur minor: species in telligibiles solum vniūt obiectum cum potētia in actu primo: permanent enim eędem in dormientibus actu, non sentientibus, & in illis, qui in vigilia nō vtuntur specieb⁹: conseruātur enim in memoria plurimæ species, quarū rarissimus est vsus. Ratioque est manifesta: nam species se habēt vt formæ, & actus primi, & operationes sūt exercitia in actu secūdo: ergo sensatio actualis non est sola receptio specierum.

26 Dices, sensationem differre à receptione specierum in esse entis, & qualitatis; non vero à receptione illarum in esse immateriali, & intelligibili, vt sunt imagines obiectorum: quia eo ipso quod vt sic actuent potentiam; iam hæc est facta in actu. Et ad hoc sufficit passiua receptio: ac per consequens frustra ponitur necessaria alia actiua operatio. Vnde S. Thom. 1. p. q. 27. art. 5. ait. *Sentire perficitur per actionē sensibilis in sensum.* Et q. 85. art. 2. ad 3. dicit, quod *in parte sensitiua inuenitur duplex operatio. Vna secundum solam immutationem: & sic perficitur operatio sensus per hoc quod immutatur à sēsibili. Alia operatio est formatio, secundum quod vis imaginatiua format sibi aliquod idolum, &c.* Ergo in potētijs sensitiuis externis non formātibus idolum, sentire est formaliter pati. Quod, & videtur docere S. Tho. Quodli. 8. art. 3. dicens. *Res quæ sunt extra animam, ad sensus exteriores se habēt sicut agentia sufficientia; quibus patientia non cooperantur, sed recipiunt tantum.* Cooperarentur autem, si actiue elicerent sensationem.

27 Respondetur, quod non possunt sensus iudicare de specierum receptione, nec medijs illis obiecta attingere, nisi operētur vitaliter: & ideò nec receptio specierū cōstituit sētiētē, nisi antecedēter, & causaliter: quia licet ab obiecto formētur in actu primo media specie; sic tamē formati vitaliter id percipiūt operatione. Quod S. Tho. aduertit ipso Quodli. in cōtrariū relato, vbi post relata verba, subiūgit. *Quamuis iā formati, habeant propriam operatiōnē, quæ est iuditium de proprijs obiectis.* Et in hoc omnes potentię conueniūt. Licet differant, quia imaginatiua, & intellectus formant sibi idolum, secus vero sensus interni.

28 Sed inquires, si ratio vitæ sẽ sitiuæ est quasi composita ex passiua receptione speciei, & ex actiua vitali elicientia operationis, quæ est formaliter ipsa sensatio; potius dicentur potentiæ vitales actiuæ, quam dicantur potentiæ passiuæ: quia id quod se habet antecedẽter, & causaliter non dat denominationem formalem, simpliciter, & absolute talem.

Respondetur hic cauendam quæstionem de voce. Et ad dissidiũ vitandum, poterit cum distinctione responderi, quod potentiæ sensitiuæ sunt vitales, & actiuæ comparatæ ad operationes; passiuæ vero, si comparentur ad obiecta. Vel iuxta dicta nu.5. potest distingui inter potẽtiam actiuam, & operatiuam; & concedi esse actiuas, & negari esse operatiuas, suorum obiectorum. In quo nullam esse contradictionẽ, notat Ferrara vbi supra. Nam dicũtur passiuæ, eo quod immutantur à suis obiectis; dicuntur autem operatiuæ, eo quod factæ in actu similitudinibus, vel specieb⁹ suorum obiectorum, tuas operationes producunt. Vnde optime dixit Caietan⁹ 2.de Ani.cap.11.circa quintam cõclusionem, *quod cognoscere aliquid, nõ est vere agere, aut pati præcisse; sed esse primo illud actu vitali.* Quod late declarat 1.p.q.14.art.1.& q.79.ar.2. de quo iterum dicetur lib.3.

29 Quia tamen S.Thomas locis relatis in prima conclusione, absolute vocat potentias sensitiuas potentias passiuas, asserendum est, quod ideo hæc denominatio prævalet, quia potentiæ specificantur ab obiectis; & quia hoc pati non se habet per accidens ad sentiendum, sed est recipere formam, qua possit sentire, & fieri vnum cum obiecto.

30 Ex dictis excluſæ manent sententiæ à principio relatę, & ampliꝰ excludentur ex dicendis libro tertio, tractãdo de actiuitate specierum.

31 Specialiter, quod non dẽtur illa genera potentiarum, quæ ponebat prima sententia, constat ex D. Thoma 1.p.q.79.art.3.ad 1.& de Spirit.Creat.art.9.in cor.& ar.10. ad 17.& q.de Ani.art.4.ad 5.& 3. de Anim.lect.3.in fine. Quia cum species sensuũ sint circa singularia, quæ dantur in rebus, cessat ratio indigentiæ, quæ cogit ponere intellectum agentem. Et hæc est ratio Philosophi 2.de Anim, textu 60. & Sãcti Thomæ locis citatis, & B.Alberti tract.3.cap.6.& videndus Ferrara 2.de Anim.q.9.

## §.IIII.

### *Argumenta soluuntur.*

32 SEd contra arguitur primo: vt docet Philosophus libro de Somno, & Vigilia capite.2. mulier mẽstruata videndo inficit speculũ. Et Basiliscus etiã videndo hominẽ interficit: ergo visus est potentia actiua.

Respondetur cum D.Tho.q.26. de Verit.art.3.ad 4. *Quod sensibile aliquãdo a sensu transmutetur, hoc est per accidens, inquantum ipsum organum sensus habet aliquam qualitatem per quam natum

*natum est immutare aliquod corpus. Vnde infestio illa, qua mulier menstruata speculum inficit, vel qua Basiliscus hominem videndo interficit, nihil confert ad visionem.* Sed de his latius S. Thomas 1.p.q. 117.ar.3.ad 2.& q.16.de Malo ar. 6.ad 13.& lib.3.Contrag.cap.103. & ad Gal.3.lect.1. In præsenti autē nō loquimur de visione, cui peraccidens admiscetur qualitas veneno sa; sed solum de visione, vt visio est in linea potentiæ sensitiuæ passiuæ. Vnde bene respondet Ferrara ad 4.quod mulier mēstruata inficit aerem, nō per visum, aut visionem: sed quia ex oculis, qui sunt corpora valde porosa, quidam vapores acuti, & subtiles exeunt resoluti à sanguine menstruo, & illi inficiunt speculum. Similiter egrediuntur ex oculis Basiliſci vapores subtiles venenosi, qui interficiūt animalia.

33 Secundo arguitur: nam, vt docent Phylosophus 3.de Anim.tex. 19.& S. Augustinus 12. super Genesim ad litteram cap. 16. *agens est nobilius patiente.* Sed omnes potentię vegetatiuæ sunt actiuæ. Ergo & potentiæ sensitiuæ. Probatur consequentia: alioquin potentiæ sensitiuæ essent ignobiliores vegetatiuis.

Respondet S. Thomas 1.p.q.79. art.2.ad 3. *quod agens est nobilius patiēte, si id idem actio, & passio referantur: non autem semper, si ad diuersa.* Potentiæ autem sensitiuæ non sunt id in quod agunt vegetatiuæ; & ideo ratio non tenet.

Sed contra: nam absolute comparādo ipsas potentias passiuas cū operatiuis, à toto genere est nobilio, facere quā pati: & ideo nobiliores potentię sunt operatiuæ, quā passiuæ: ergo si infimę potentiæ animę sūt actiuæ, & factiuæ: sensitiuæ quę sunt supra illas, erunt potius actiuę, quam passiuæ.

34 Respondetur cum D. Tho.q. 26.de Verit.ar.8.ad 1. *quod non oportet agens esse simpliciter præstantius patiēte; sed secundum quid. scilicet, inquantum est agens.* Admittimus ergo, quod, *cæteris paribus*, nobilius est agere, quā pati. Sed, *si cætera non sunt paria*, potest patiens simpliciter excedere agens. Sicut docet S. Tho. illa q.79. ad 3. de intellectu passibili, quod incomparabiliter excedit potētias vegetatiuas actiuas: quia *intellectus est vis passiua respectu totius entis vniuersalis. Vegetatiuum autem respectu cuiusdam entis particularis, scilicet, corporis coniuncti. Vnde nihil prohibet huiusmodi passiuū esse nobilius tali actiuo.* Pariter melius est pati immaterialiter à sensibili externo, vt patiuntur sensus; quam agere circa corpus materiale coniunctum, vt agunt potentiæ vegetatiuæ: & ideò S. Tho. 1.p.q.78. art.2. probat excellentiam sensus, quia agunt in res exteriores *excellentiori modo, & vniuersaliori.*

35 Tertio arguitur, & replicatur contra dicta: nihil agit vltra suā speciem: & ideo, id quod est materiale, non potest producere formam spiritualem, & immaterialem. Sed res ad extra sunt materiales; potentia autem sensitiua est quodammodo eleuata supra conditionem materiæ, recipiens species immaterialiter, & intentionaliter. Ergo res

sensibiles non possunt agere in sensum: ergo vel sensus non sunt potentiæ passiuæ, vel assignari debet sensus agens, vel aliqua alia causa, præter obiecta ad extra, quæ species producat.

Respondetur cum Caietano 2. de Anima cap.11.& Ferrar. q.9.ad 1.& 2.Contrag.cap.65. ad 3.& Iauello 2.de Ani.q.51.& Bañez dub. 1.ad 6.& dub.2.ad 3. quod quamuis obiectum sensibile, in se præcisse consideratum, non sit sufficienter productiuum speciei, vtpote inferioris ordinis, nempe materiale comparatum intentionali, quodāmodo spirituali: tamē si consideretur, vt participat virtutem substantiarum separatarum, sic est sufficiēter productiuum speciei: nam licet sit realiter materiale; tamen sub tali participatione censetur spirituale virtualiter.

36 Videtur tota hęc doctrina desumpta ex D.Thoma q.5.de Potēt. ar.3. vbi ita ait. *Sciendum, quod corpus habet duplicem actionem: vnam quidem secundum proprietatem corporis, vt, scilicet, agat per motum (hoc enim proprium est corporis, vt motum moueat, & agat.) Aliam autem actionem habet, secundum quod attingit ad ordinem substantiarum separatarum, vt participat aliquid de modo ipsarū: sicut naturæ inferiores consueuerunt aliquid participare de proprietate naturæ superioris: vt apparet in quibusdam animalibus, quæ participant aliquam similitudinem prudentiæ, quæ propria est hominum. Hæc autem est actio corporis, quæ non est ad transmutationem materiæ; sed ad quandam diffusionem similitudinis formæ in medio secundum similitudinem spiritualis intentionis, quæ recipitur de re in sensu, vel intellectu, &c.*

37 Sed contra hanc doctrinā S. Thomę insurgit Suarez lib.3.de Anim.cap.9. n.3.dicens esse per difficilem. Quia non intelligitur, quid qualisue sit participatio hæc naturę superioris. Aut enim est participatio alicuius entitatis, & perfectionis; aut nullius? Si nullius; nihil plane deseruiet ad actionē. Si alicuius; est ne maior, quā perfectio speciei productæ; an fortè minor? (æqualis enim nō erit, cū productio sit ęquiuoca.) Si minor esse ponatur, non sufficit plane ad speciei productionem. Si vero maior sit, quæro rursus an talis perfectio sit intrinseca naturæ illorum obiectorum, quę species diffundunt; an vero sit superadita tali naturæ? Si primum dicatur, cessat quæstio; inutilisque distinctio allata reditur: nam cum illa perfectio pertineat ad constitutionem naturæ ipsorum obiectorum, ipsa per propriam naturam poterunt causare speciem. Secundum autem dicere fictitium esset, cum ostendi nequeat, quæ sit perfectio illa superaddita: quare, &c.

38 Gratis tamen mirifica hæc S. Tho. doctrina deseritur. Argumētū enim multum probans quoad apparientiam, solet in veritate esse fallax, & nil probare. Et tale esse argumētum Suarez, cōstat primo, quia alioquin illo concluderetur, quod magnes non habet virtutem attrahendi ferrum *ex quadam participatione virtutis cęlestis*: cuius contrarium ex D.Thoma ostendimus 1.de Generat.q.33.num. 35. nam de ista virtutis

tutis participatione posſūt fieri omnes istæ interrogationes positę in argumēto:& quicquid ibi respōdeatur,est solutio argumenti pręsētis.

Secundo,quia pariter posſet eodem argumēto probare, quod corpora cælestia nihil influunt in hæc inferiora; cōtra Doctrinam S. Dionisij 4.cap.de Diu.nom.Et S.Augustini 3.de Trinit.capite.4.& contra Phyl.8.Physic.lec.13.lit.g. & 2.de Generat.text.56.& authorem libri de causis lect. 3. apud S. Thomam: & cōtra S. Thomam eisdem locis. & 1.p.q.115. art.3. & contra omnes Philosophos, & Theologos. Similiter sequeretur,quod astra nō mouerent elementa ad mixtionē: quod est contra communem Philosophorum, vt ostendimus 1.de Gen.q.31.§.2.omnib⁹ enim istis cōmunes sūt argumēti difficultates.

39 Ad argumentum ergo duplici via potest responderi. Primo dicēdo,quod propter simbolizatiōnē in aliquo prędicato,vel propter naturalē subordinationem inferiorum corporum ad superiora,participant sublunaria à corporibus cælestib⁹,quod sine motu locali emittant species per suam natiuam virtutem permanentem. Quod in simili videtur docere S. Tho. 1.p. q. 66.artic.3. ad 2.dum ait. *Potest dici, quod Empyreum influit in primū cælum, quod mouetur,nō aliquid transiens;& ad nenies per motum;sed aliquid fixū,& stabile;puta virtutē cōtinēdi,& causādi,vel aliquid huiusmodi ad dignitatē pertinens.*

40 Vel secundo potest melius in nostro casu dici, quod hæc virt⁹ est instrumentalis,& trāsiens,& in virtute agentis principalis se extendēs ad effectū nobiliorem. Ad omnia autem, quæ de illa inquiri possūnt, respondendum est ex doctrina generali de modo quo eleuantur instrumenta:de quibus abunde, vt arbitror,scripsimus 2.p.Met.cōtrou. 10.per sex articulos. Et hoc indicat S.Tho.1.p.q.115.art.3.concludēs. *Et ideo quicquid in istis inferioribus generat,& mouet ad speciem, est sicut instrumentum cælestis corporis: secundum quod dicitur in 2.Physicorum, quod homo generat hominem,& Sol.* Quod idem affirmandum de generatione specierū intentionalium: quia hæc excedit virtutem elementorū, & mixtorū inferiorum.

41 Facilius adhuc,& vere posſet aliter ad principale argumētum responderi cum B.Alberto 2. de Ani. trac.3.c.6.quod sensibile inquantū actiuum speciei pertinet quodammodo ad naturam sensitiuā. Vnde forma naturalis vltra suā speciē nō agit, quia se sola speciem sensibilē producit.Et species,quę est in sēsu, est eiusdē rationis, & eiusdē generis cum forma extra animā.Nec obstat,quod illa est spiritualis,& obiectū ad extra est materiale: quia vt notat Fer.q.9.ad 1.licet species in sensu sit recepta sine materia;nō tamē est totaliter spiritualis,cū nō sit abstracta à cōditionibus materialibus,siquidē singulariter represētat rem,prout singularem.

42 Affert prætereaFerrara ibi ad intentum valde notandam doctrinam S.Tho.q. vnica de Anima art. 4.ad .3.asserentis, *quod conditio recipientis non potest trasferre speciem recep-*

*tam,*

*tam, de vno genere in aliud: potest tamen, eodem genere manente, variare speciem receptam secũdum aliquem modum essendi.* Et ideò species vniuersales, quę sũt in intellectu, quæ differunt secũdũ genus a singularibus, causari neque unt à rebus. Et ideò *requiritur intellectus agens, qui hoc faciat.* Sensibile ergo in sensum nõ producit formam essentialiter altioris gradus; sed solum altioris gradus secũdum quid: quod habet ex conditione recipiẽtis, quia sensus immaterialiter recipit. Et ideò hæc nobilitas quoad modum, non prouenit ab obiecto immitente speciem, sed à subiecto, seu sensu quodammodo immateria liter recipiente. Et ideò S. Tho. 1. p. q. 79. art. 3. ad 1. docet, *quod sensibilia inueniuntur actu extra animã: & ideò non oportuit ponere sensum agẽtem.* Nec aliquam substantiam, vel qualitatẽ sensũ eleuãtẽ ad immittendas species sensibiles. Licet quod species immittant sine suo motu locali, habeant virtute cælesti, iuxta doctrinam primæ solutionis: vnde vtraq; est amplectenda.

## QVAESTIO XXII.

*Vtrum diuisio sensibilis, in proprium, commune, & peraccidens, sit bona?*

### §. I.

*Conclusio affirmatiua ex Phylosopho, & D. Thoma.*

1 SEnsibile est obiectũ, quod mouet sensũ, & *quia obiecta sunt proportionata potentijs*; ideò Phylos. prius egit de sensibilibus, quam de ipsis sensibus in particulari tractet. ¶ Asserit ergo tex. 63. *dicitur autem sensibile tripliciter, quorum duo quidem dicimus per se sentiri; vnum autem peraccidens. Duorum autem aliud quidem proprium est vnuscuiusque sensus, aliud autem commune omnium.* Hæc ergo est nostra conclusio, quam exponemus ex ipso Phylos. verbis S. Thom. lec. 13. asserentis lit. a. Sensibilia vero tribus modis dicũtur: vno quidẽ modo peraccidens: & duobus modis perse: quorum vno dicuntur sensibilia illa; quæ propria sunt singulis sensibus; alio modo dicuntur sensibilia illa, quæ communiter sentiũtur ab omnibus, quæ sentiunt.

2 Diuisionis membra in subsequẽtibus exponunt Pholos. & S. Thomas. Et in primis lit. b. exponunt, quæ sunt sensibilia propria: & dicũt quod sensibile proprium est, quod ita sentitur vno sensu, quod nõ potest alio sensu sentiri; & circa quod nõ potest errare sensus: sicut visus propriè est cognoscitiu⁹ coloris, & auditus soni, & gustus humoris; id est, saporis: sed tactus habet plures differentias appropriatas sibi; cognoscit enim calidũ, & humidũ, frigidũ, & siccũ, graue, & leue, & huiusmodi multa. Vnusquisq; autẽ horũ sẽsuũ iudicat de proprijs sensibilibus, & non decipitur in eis: sicut visus nõ decipitur quod sit talis color, neque audit⁹ decipitur de sono. Sed circa sensibilia peraccidens, vel communia, decipiuntur sensus, si velit iudicare homo per ipsum, quid est coloratum,

aut

aut vbi sit? Et similiter decipitur quis, si velit iudicare per auditum, quid est, quod sonat? Hæc igitur sunt propria sensibilia vniuscuiusq; sensus.

3 Secundum membrum diuisionis exponunt lit.c. dicentes, quod communia sensibilia sunt ista quinque, *motus, quies, numerus, figura, & magnitudo*: hæc enim nullius sensus vni⁹ sunt propria, sed sūt communia omnibus. Quod non est sic intelligēdū, quasi omnia ista sint omnibus communia: sed quædam horum, scilicet, numerus, motus, & quies, sunt communia omnibus sēsibus. Tactus vero, & visus percipiunt omnia quinque. Sic igitur manifestum est quæ sint sensibilia perse.

4 Denique tertium membrum diuisionis exponūt lit.d. asserentes, quod secūdum accidens sensibile dicitur; vt si dicamus, quod Diari⁹. vel Socrates, est sensibile peraccidēs, quia accidit ei esse album: hoc enim sentitur peraccidens, quod accidit ei, quod sentitur perse; accidit autem albo, quod est sensibile perse, quod sit Diarius, vnde Diarius est sensibile peraccidens. Vnde nihil patitur sensus ab hoc, inquantum huiusmodi. Quamuis autem sensibilia communia, & sensibilia propria sint perse sensibilia, tamen propria sensibilia sunt proprie perse sensibilia, quia substantia vniuscuiusque sensus, & eius diffinitio est in hoc, quod est aptum natum pati à tali sensibili: ratio autem vniuscuiusque potentiæ consistit in habitudine ad proprium obiectum. Hucusque ex Phylos. S. Tho. qui idem docet 1.p. quæst. 17. art. 2.

## §. II.

### *Tria dubia circa diuisionem sensibilis.*

5 CIrca hanc diuisionem, dubitatur primo, vtrum diuisum sit sensibile absolute, & in communi, prout comprehendit obiectum omnis sensus partis cognoscibilis materialis? An vero diuisum sit sensibile, vt comprehendit in se tantum cognoscibile a sensibus exterioribus?

6 Respondet Caietanus cap. 6. tex. 63. cōmuniter recept⁹, quod solum comprehendit sensibile externum: *Quia nominibus est vtendum vt plures*, vt ex Phylos. diximus q. 1. Logicæ. Sed communiter, sentiri à nobis non dicimus, nisi quæ aliquo quinque sensuum percipimus. Ergo Aristoteles loquens de sensibili, intelligi voluit de sēsibili à sēsu exteriori. ¶ Secundo, quia cōmune, & proprium sensibile, non nisi respectu sensus exterioris intelligi potest: alioquin nullum exterius esset sensibile proprium, quia quodlibet exterius percipitur a sēsu communi.

Tertio idem constat ex alio in conuenienti: sequitur enim, quod amicitiæ, & inimicitiæ, & aliæ huiusmodi intentiones elicitæ ex speciebus sensatis, nō essent sensibiles peraccidens: quod est contra Phylos. & veritatem. Sequela proba-

tur,

tur, quia sunt propria phantasiæ cõmuni nobis, & brutis. Qua propter hæc doctrina est S. Tho. lec. 13. lit. d. vbi ait. *Sic enim agitur de sensibilib⁹, secundum quod habent habitudinem ad sẽsus proprios: nam potentia sensus communis nondum est declarata.*

7 Secundo inquiritur, quæ conditiones requirantur, vt aliquid sit sẽsibile peraccidens?

Respondetur tres conditiones ad hoc requiri: quas bene exponit S. Thom. circa finem lectionis 13. ita scribens. Sciendum est igitur quod ad hoc quod aliquid sit sensibile peraccidẽs, primo requiritur, quod accidat ei quod perse est sensibile, sicut accidit albo esse hominem, & accidit ei esse dulce. Secũdo requiritur quod sit apprehẽsum à sentiẽte: si enim accideret sensibili, quod lateret sentientem, non diceretur peraccidens sentiri; oportet igitur, quod perse cognoscatur ab aliqua alia potẽtia sẽsitiua sẽtiẽtis. Et hoc quidẽ; vel est alius sẽsus, vel est intellectus, vel vis cogitatiua, aut vis æstimatiua. Dico autem, quod est alius sensus: sicut si dicamus, quod dulce est visibile peraccidens, inquantum dulce accidit albo, quod apprehenditur visu, & ipsum dulce perse cognoscitur ab aliò sensu, scilicet a gustu. Sed, vt proprie loquamur, hoc non est vniuersaliter sensibile peraccidẽs, sed peraccidens visibile, sensibile autẽ perse. Quod ergo sẽsu proprio nõ cognoscitur, si sit aliquid vniuersale, apprehenditur intellectu. Non tamen omne, quod intellectu apprehẽdi potest in re sensibili, potest dici sensibile peraccidens: Sed statim, quod ad occursum rei sensatæ apprehenditur intellectu. Sicut statim cum video aliquem loquentẽ, vel mouere seipsum, apprehendo per intellectum vitam eius: vnde possum dicere, quod video eum viuere. Hæc S. Thomas.

8 Qui idem docet in 4. dist. 49. q. 2. art. 2. vbi hanc vltimam conditionem ibi expressit dicens. Huiusmodi sensus exterior tunc dicitur sentire, quamuis peraccidens, quãdo ex eo quod perse sentitur, vis apprehensiua, cuius est illud cognitũ perse cognoscere statim sine dubitatione, & discursu apprehendit: sicut videmus aliquẽ viuere ex hoc quod loquitur. Quando autem aliter se habet, non dicitur illud sensus videre, etiã peraccidens. Idem docet S. Thomas 1. p. quæst. 12. art. 3. ad 2.

9 Tertio solet inquiri, in quo distinguantur sensibilia communia à sensibilibus peraccidens?

Ratio dubitandi est, quia sicut sẽsibilia peraccidens non apprehenduntur, nisi inquantũ sensibilia propria apprehenduntur: nũquã enim visus apprehendit magnitudinem, aut figuram, nisi inquantum apprehendit coloratum. Videtur ergo quod sensibilia communia sint etiam sensiblia peraccidens.

10 Respondetur, quod Perspectiui, quos refert M. Bañ. 1. p. q. 78. a. 3. dubio. 8. not. 3. dixerũt, quod discrimen inter sensibilia propria, & communia est, quod propria à sensibus exteriorib⁹, cõmunia vero à solis interiorib⁹ percipiuntur.

Hanc

Hanc tamen discriminis rationē reiecerat S. Thomas 2.de Anima lec.13.lit.d. quia falsum est, quod ista sensibilia communia sint propria obiecta sensus communis. Sensus enim communis est quædā potentia, ad quam terminātur immutationes omnium sensuum, vt infra patebit lib.3.tex.134. vnde impossibile est, quod sensus communis habeat aliquod proprium obiectum, quod non sit obiectum sensus proprij.

11 Præterea dato, quod sensibilia communia essent propria obiecta sensus communis, non excluderetur quin essent peraccidens sensibilia respectu sensuum propriorū. Quod enim est obiectum proprium alicuius interioris potentiæ, cōtingit esse peraccidens sensibile, vt dictum est dubio præcedenti. Neque est mirum, quia hoc, quod est perse sensibile vni sensuum exteriorum, est peraccidens sensibile respectu alterius, sicut dulce est peraccidēs visibile.

12 His, & alijs omissis, S. Thom. dupliciter respondet: in primis in hac lec.13. vbi sup. ita ait. Et ideò aliter dicendum, quod sentire consistit in quodam pati, & alterari, vt supra dictum est. Quidquid igitur facit differentiam in ipsa passione, vel alteratione sensus, habet perse habitudinem ad sensum, & dicitur sensibile perse. Quod autē nullam facit differētiam, circa immutationem sensus, dicitur sensibile peraccidens. Vnde, & in littera dicit Philosophus, quod *à sensibili peraccidens, nihil patitur sens. 5, secundum quod huius modi.*

13 Differentiam autem circa immutationem sensus, potest aliquid facere dupliciter. Vno modo quātum ad ipsam speciem agentem. Et sic faciunt differētiam circa immutationem sensus sensibilia perse, secundum quod hoc est color, illud autem est sonus, hoc autem est album, illud vero nigrum: ipsæ enim species actiuorum in sensu actu, sūt sensibilia propria ad quæ habet naturalem aptitudinem potentia sensitiua, & propter hoc secundum aliquam differentiam horum sensibilium diuersificantur sensus. Quædam vero alia faciunt differentiam in transmutatione sensuum, nō quātum ad speciem agētis, sed quantū ad modum actionis. Qualitates enim sensibiles mouent sensum corporaliter, & situaliter. Vnde aliter mouent secundum quod sunt in maiori, vel minori corpore, & secundum quod sunt in diuerso situ, scilicet; vel propinquo; vel remoto; vel eodem; vel diuerso. Et hoc modo faciunt circa immutationē sensuū differentiam sensibilia communia: manifestum est enim, quod secundum omnia hæc quinque diuersificatur magnitudo, vel situs. Et quia non habet habitudinem ad sensum vt species actiuorum: ideò secūdum ea non diuersificantur potentiæ sensitiuę, sed remanent communia pluribus sensibus. Hæc ibi.

14 Cæterum in 4. sententiarum sequitur expositionem Auerrois in præsenti commento 65. Sic ergo inquit S. Thomas dist.49.q.2.art.2. dicēdum, quod sensu corporali aliquid

liquid sentitur dupliciter; vno modo perse: alio modo peraccidens. Perse quidem sentitur illud, quod perse passionem sensui corporali inferre potest. Perse potest autem aliquid passionem inferre, aut sensui inquantum est sensus; aut huic sensui, inquantum est hic sensus. Quod autē nec secundo modo infert per se passionem sensui, dicitur sensibile proprium; sicut color respectu visus, & sonus respectu auditus.

## §. III.

### *Vtrum sensibilia communia imprimant speciem?*

15 EX hac doctrina S. Thomæ emergit grauius dubium. Vtrum sensibilia communia imprimant species proprias, distinctas ab speciebus sensibilium propriorum?

16 Sunt, qui arbitrantur, sensibilia communia, non sentiri per speciem distinctam à sensibili proprio, neque per speciem sensibilis proprij: sed solum per discursum intellectus. Ita P. Hurt. de Ani. disp. 12. sec. 6. Sed quia hęc doctrina manifeste videtur refragari experiētiæ: visu enim percipim⁹ magnitudinē coloris, & illius distātiā; vel propin quitatē. Et quia iuxta eā non facile percipitur qualiter sensibilia cōmunia ascendant ad imaginationem, & intellectū, quia nihil est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu. Ideo hæc sententia reijcitur communiter.

17 Secunda sententia asserit sensibilia communia imprimere propriam speciem in sensu distinctam ab specie sensibilis proprij; quibus speciebus immutant sensus: quamuis actu non immutent, nisi supposita specie proprij sensibilis. Ita AEgidius tex. 65. dub. 2. Iandunus q. 18. Scotus in 4. dis. 12. q. 3. §. *ad principales rationes.* vers. *potest aici.* Et ex Thomist Iaue. 2. de Ani. q. 24. eādem sententiam docet; licet excipiat quietem. Item Caietanus 2. de Anima dub. 2. & 3. circa cap. 6. vbi docet figuram imprimere similitudinem sui; licet quies eam non imprimat, cum nihil aliud sit quam priuatio motus.

18 Quod figura imprimat similitudinem suam (inquit Caietanus) probatione non eget: quoniam in speculo ad sensum patet resultare, non solum similitudinem coloris, sed figuræ. Et S. Thomas 1. p. q. 17. art. 2. ait, *quod in visu est similitudo figuræ, vel magnitudinis, & aliorum communium sēsibiliū omniū.* Et ratione patet, quia sēs⁹ percipit perse, licet nō primo, sensibilia communia: sed nil percipitur à sēsu nisi media specie, qua immutatur ab obiecto, alioquin esset sensibile peraccidens: ergo est in sensu species sensibilis cōmunis ab ipso immissa.

19 Dices, verum esse, quod in sēsu est species sēsibilis proprij, sed nō distinguitur à speciebus sensibiliū propriorum.

Sed contra: nam sensibile proprium non solum in esse rei; sed etiam in esse sensibilis differt a sensibili communi: sed sentiuntur media specie: ergo cū sint distincta sēsibilia, etiam sunt diuersæ species.

Pro

Probatur consequentia, quia ideò diuersa visibilia immittunt diuersas species, & species audibilis est diuersa ab specie visibilis. ¶ Secùdo, vt libro tertio dicetur, species est intentionaliter, & representatiuè, quod est obiectum in esse rei. Sed quantitas, quæ est sensibile cõmune, etiam genere differt à qualitatibus, quæ sunt sensibilia propria. Ergo & species sunt distinctæ.

20 Iterum dices, speciem sensibilis communis distingui à specie sẽsibilis proprij, non vt duæ species inter se differunt; sed vt species differt à modificatione speciei; quia sensibile commune modificat sensibile proprium.

Reijciunt hanc solutionem Moderni quidam dupliciter. Primo, quia vnio est modus extremorum, & nullus inde deduxit speciem intelligibilem vnionis esse modum extremorum: ergo neque ex eo quod magnitudo, vel presentia sit modus, recte infertur, quod species illius sit modus. Secundo, proportio quæ datur inter speciem, & obiectum, non debet esse quoad entitatem (siquidem species, quæ sunt accidentia, representant substantiã) sed in eo quod representẽt obiectũ vt est in se. Sed etiam si obiectum sit modus, & species, res, potest illud representare vt est in se. Ergo proportionabitur cum illo proportione requisita inter obiectum, & speciem.

***

## §. IIII.

### *Communis sententia vera.*

21 TErtia sententia communis, & vera, tria asserit. Primo, quod in sensu datur species sensibilis communis: vt probant argumẽta secundæ sententiæ: alioquin, nõ perse attingerẽtur à sensu, nec different à sensibilibus peraccidens.

22 Secundo asserit, quod non differt à sensibilis proprij specie, vt vna species difert ab alia. Quod probat S. Thomas 1.p.q.78.ar.3.ad 2. *Quia sensibilia communia non mouent sẽsum primo, & perse; sed ratione sensibilis qualitatis, vt superficies ratione coloris.* Quasi argueret; quando obiectum vnum mouet obiectiue ratione alterius, ibi est vna immutatio: quia est vna ratio mouendi. Sed sensus externi perse primo non mouẽtur nisi ratione sensibilium qualitatũ, à quibus immutantur sensibiliter. Ergo vnam vtriusque recipiunt speciem. ¶ Et confirmatur, quia sequitur ex opposito, quod sensibile cõmune naturaliter videri possit absque proprio; vel quod sentiãtur diuersis omnino sensationibus; cum quælibet species nata sit mouere sine alia: quod tamen opponitur experientiæ.

23 Secundam rationem tangit S. Tho. 2. de Anima lec. 13. lit. d. illis verbis. *Qualitates enim sensibiles mouent sensum corporaliter, & situaliter.* Et Beatus Albertus tractatu 3. cap. 4. aduertit, quod sensus non percipit formas sensibiles in abstracto, sed

in

in concreto, & in indiuiduo: vt visus nō videt albedinem; sed hoc, vel illud album; gustus non percipit saporem, sed hoc, vel illud dulce. Sicut autem corpus sine colore, ita etiā color sine quanto indiuisibilis, & inuisibilis est. Vnde notat rursus B. Albertus, quod Philos. nō dicunt sensus percipere formas singularium; sed *intentiones; intentio enim* significat speciem totius. ¶ Ex quo sic formatur rationem Tolet⁹ q. 14. concl. 1. Sensus proprium sensibile cum communi, inseparabiliter, & per modum vnius percipit: ergo per vnam speciem vtrumque percipit. Probatur consequentia, quia si duab⁹ speciebus attingeret, non sentiret per modum vnius; cū illæ species nullam vnionem inter se haberent.

24 Tertiam rationem proponit Bañez dub. 9. & prosequuntur PP. Carmel. disp. 9. à n. 25. vsque ad 27. quia vnusquisque sensus habet proprium modum suæ immutationis, in quo non cōmunicat cum alio sēsu: & vt sic mouetur à proprio sensibili. Ergo species, quæ percipitur vno sensu, non potest alio percipi: vnde diuersi sensus non possunt actuari per species eiusdem rationis, & sic habent diuersum temperamētum, quantitatem, & figuram commēsurata suo proprio sensibili. Sed si sensibile commune immutaret sensum per propriam speciem, illa deberet percipi pluribus sensibus: non enim quantitas haberet vnam speciem ad immutādum visum, & aliam ad immutandū auditum: cū nulla res producat, nisi vnicam sui speciē. Ergo sensibile cōmune non immutat potentiam per propriam speciem.

25 In speciali de singulis sensibili b⁹ cōmunib⁹ manifestum est, quod propriam non habent speciem: nā quies, quæ est priuatio, cum formā nō habeat, nec propriam potest habere speciem. Numerus, cum pro materiali sit multa, non valet vnā emittere speciem. Motus etiam successiuus non causat in sensu vnam speciem manentem. Nec magnitudo, & figura perse primo sentiuntur, sed solū ratione sensibilis qualitatis, vt diximus ex D. Thoma. Et ideò nec possunt specialem causare speciem.

26 Tertio asserendum, sensibilia cōmunia solum sentiri perse, quia in immutando sensum modificant sensibile proprium. Ita S. Thomas 1.p.q.78. art.3. ad 2. vbi docet sensibilia communia, *non esse sensibilia per accidens; quia aliquam diuersitatem faciūt in immutatione sensus; alio enim modo immutatur sensus à magna superficie, & à parua.* Et 2. de Anim. lec. 13. lit. d. asserit. Quædam vero alia faciūt differentiam in transmutatione sēsuum, non quantum ad speciem agentis, *sed quantum ad modum actionis: qualitates enim sensibiles mouent sensum corporaliter, & situaliter*: vnde aliter mouēt secundum quod sunt in maiori; vel minori corpore; & secundum quod sunt in diuerso situ, scilicet; vel propinquo; vel remoto; vel eodem; vel diuerso. *Et hoc modo faciunt circa immutationem sensuum sensibilia communia.* Hæc ibi.

27 Pro cuius probationis intelligenda

genda efficacia, aduertēdum cum Ferrara 2. de Anima. q. vndecima, §. *Sciendum secundo*, quod hæc est differentia inter speciem sensibilem, & intelligibilem; quod species intelligibilis, quia recipitur in subiecto immateriali, nempe, in intellectu; & ratio causandi talem speciē est natura specifica; ideò naturam representat immaterialiter, ideſt, sine conditionibus materialibus, & particularibus. Species autem sensibilis, quia recipitur in organo corporali, & principaliter causatur à re particulari, materiali, & singulari. Ideò representat rem materialiter, & particulariter, cum conditionibus, quibus ipsum sensibile variatur.

28 Ex quo sic probatur conclusio à Ferrara ibi cōcl. 2. & à Bañez in 5. probatione: nam propria species sensibilis proprij representat illum, vt est à parte rei extensum, situatum, propinquum, vel remotum: non enim aliter posset illum representare, nisi cum conditionibus singularitatis, à quibus nō abstrahit species sensibilis, licet abstrahat species intelligibilis. Ergo superflu est ponere aliam speciē sensibilis communis. Consequētia est manifesta: nam modi rei singularis sunt magnitudo, & figura, & reliqua sensibilia communia.

29 Secundo probatur: nam per se sēsibile est, quod per se agit in sē sum. Et ideo sensibile proprium, quod per se primo est sensibile, per se primo immittit speciem. At verò sensibilia communia, quæ solum per se secundo, & ratione alterius sunt sensibilia, solum materialiter modificādo possunt immittere species. Et sic differunt à sensibilibus peraccidens, quæ nec quoadmodū agunt in sensum, sed sunt coniuncta per se sensibilibus.

30 Sed instant quidam, vt probent, quod hæc species producitur ab vtroque sensibili, tāquam ab vno principio, à quo indiuisibiliter procedit. Pro quo citant P. Rubio hic cap. 6. q. 11. n. 134. Et rationem assignant: quia hæc species representat vtrumque sensibile: ergo debet procedere ab vtroque. ¶ Confirmatur, quia prout est representatio sensibilis proprij, non potest procedere tamquam à propria causa à sēsibili communi, vt omnes admittunt. Deinde vt est representatio huius sensibilis communis, non potest determinate procedere à sensibili proprio, cum hoc sit indifferens ad hanc extensionem, vel figuram. Ergo vtrumque coniungitur ad producendam eam speciem.

31 In primis male pro hoc dicendi modo citatur Rubio, cum ibi nostrā sententiā, & dicendi modum tueatur à nu. 138. vsque 142. & pro se citet Toletum, Bañez, & Thomistas, quos illi conantur impugnare. Et ibi n. 141. ait, quod vtrumq; percipitur sub ratione vnius, atque eiusdem obiecti, quia cōmune est quasi modus proprij, & determinatiuum eius, cum quo cōstituit vnū perse immutatiuū potentiæ. Quod sæpè repetit, & numero 143. dicit, quod sensibile proprium est primarium obiectum sensus; commune vero, non nisi secundarium, tāquā

aliquid eius. Vnde habetur duplex solutio argumenti: vel enim distinguendū de representatione quoad substantiam, vel quoad modificationē. Vel de obiecto primario, & secundario. Et sic ambæ propositiones facile poterunt distingui.

32 Aptioribus tamen verbis, & meliori exemplo nostram sententiam declarauerat Bañez dicens, quod sicut in naturalibus concurrit ad eandem actionem forma, & subiectum; sed diuersimode: nā forma concurrit, vt principium formale, siue proximum sit, siue radicale, operandi: subiectum vero, vt modificans formam, & actionem: nam aliter modificatur actio caloris in aqua; aliter in igne, vel ferro candenti. Ita sensibilia propria habent rationem formæ, communia vero rationem materiæ. Illa ergo concurrunt, vt principia immittentia species, & eas perse primo specificantes: at vero sensibilia communia solum quasi de materiali, & vt modificantia, & solum perse secundo sentiuntur. Et iuxta hoc facile patet ad formam argumenti.

33 Posset adhuc quis vrgere: quia omnis potentia debet esse denudata à suo sensibili perse, quia *intus existēs prohibet extraneum*. Sed sensus nō sunt denudati à magnitudine. Ergo magnitudo non est sensibile perse.

Respōdet bene Ferrara q.11. ad 5. distinguendo maiorem: & concedendo de sensibili proprio; negando vero de sēsibili communi. Ideò enim debet esse denudata potentia à sensibili proprio, quia est in potētia receptiua similitudinis eius: ac percōsequēs nō debet esse denudata à suo sēsibili cōmuni, quia nō recipit similitudinē, quæ sit proprie, & primo, & perse eius similitudo.

34 Ad argumēta 2. sent. bene ibi respōdetur. Et specialiter ad experientiā respōdet Bañ. ad 4. quod in speculo nō est propria species figuræ; sed videtur ibi figura per speciē modificatorum colorum. Reliquę probationes faciunt pro nostra prima conclusione.

Ad primam replicā distinguo maiorē: differunt in esse sensibilis, ita vt vtrumq; sit perse primo sensibile, nego. Ita vt vnū sit perse primo sensibile, & alterum solum ratione alterius, concedo maiorem, & minorem. Et distinguo cōsequens. Diuersitate speciei, & modi; cōcedo. Diuersitate duarum specierum, nego.

35 Ad secūdā replicā cōcedo maiorē, & distinguo minorē, & concedo de illis in esse rei; non tamen de illis in esse sensibilis, quia non mouent sensibilia cōmunia sensus nisi ratione sensibilis qualitatis. Vnde substantia, quæ in esse rei, præeminet accidēte, in esse sensibili est sēsibilis peraccidēs. Quātitas etiā, quæ est propinqua substantiæ, & in esse rei præcedit qualitates; in esse sensibilis non sentitur perse primo, nisi ratione qualitatum tertiæ speciei. Quia à diuersis capitib⁹ sumitur ratio entis, & ratio sensibilis.

36 Ad secundæ solutionis intelligentiā, notandū, nos vim nō facere in eo, quod in re, figura, & præsē

tia

tia sint modi: quia constat, quod quantitas est res, & de illa dicimus modificare: & nec figurã, nec præsentiam nos asserimus esse modos. Et multo minus de motu, & quiete, & numero. Dicim⁹ ergo esse obiecta materialia, vel secũdaria, vel subiectum rationis formalis immutandi sensum. Et quia istius species *mouent corporaliter, & situaliter*, & nõ præscindendo à cõmitantibus conditionibus singularibus: & istæ habent determinare rationem formalẽ subiectiuè, & materialiter; ideo in efficiendo species, dicuntur causare modificando.

37 Ad primã replicã cõcedo antecedens, & nego cõsequentiã. Et ratio disparitatis iam est assignata: quia intellectus intelligit abstrahẽdo per modum quidditatis; sensus verò in cõcreto, & singulariter. Et sic patet ad secundam replicam ex doctrina tertię assertionis, ex discrimine inter species sensibiles, & intelligibiles.

38 Ex dictis concordant Caiet. c.6.dub.2.& 3.& Ferr.illa.q.11.rationẽ assignatam à D.Tho.illa lec. 13.cum dictis ab ipso in 4.sent. Specialiter, quia videtur approbare rationes Auerr.in 4.sent.quas impugnat illa lec.13.Quę conciliantur distinguendo, quod sensibile duplicitersũmi potest: vno modo vt res quædam: & sic militant rationes S. Thom. Alio modo vt sensibile est. Et sic procedit dictũ Auerrois. Pariter sensus communis aliquando accipitur pro virtute sensitiua interiore ad quam terminantur omnes sensus. Et sic procedunt rationes S. Thomæ. Aliquando verò est idem ac sensus communiter sumpt⁹ pro parte sensitiua perceptiua. Et sic sustineri potest Auerrois prout sustinetur à D.Thom.in 4.sent. Et quia diuersimodè poterat exponi, S.Thomas illa lec.13.illi eas rationes non tribuit, quas ex verbis eius primo aspectu quilibet sumere poterat.

39 Sed consurgebat hic quintũ dubium, vtrum obiectũ sensus sit singulare, an vniuersale?

Eius tamen resolutionem habes 2.Physic.q.21.§.6. & vltra Authores ibi relatos, omnino videndi S. Tho.2.de Ani.lec.12. lit.b. Aquarius 2.de Anim.q.20.Ferrara 2.Cõtrag.c.66.ratione 2. & latius Iauellus 1.Metaph.q.8.

## §. V.

### *Tres difficultates circa idem.*

40 ADhuc tamen multa supersunt dubia circa hoc. Quinto ergo inquiritur, vtrum diuisio sẽsibilis communis in illa quinque sit adæquata?

Vitellius Perspectiuus lib. 3. in principio, ponit nonnulla alia sensibilia communia: vt æquale, & inæquale; simile, & dissimile, mai⁹, & min⁹. Et ipse Philosop.de Sẽsu, & sensi.textu 33. addit alia, nempè, obtusum, acutum, asperum, & lene. Sensus discernit situm, distantiam, raritatem, & densitatem, pulchritudinem, & deformitatẽ, quæ non sunt figuræ. Et Philosop. 2.de Anima textu 133. vnitatem ponit

sensibile commune. Et 4. Phys. tex. 98. docet tempus sub sēsu cadere. Ergo pluta sunt quam quinque.

41 Respondetur diuisionem esse adæquatam, vt constat ex Phylos. 2. de Anima textu 64. & S. Thoma illa lect 13. & communi Philosophorum. Immo S. Thomas 1. p. q. 78. art. 3 ad 2. optime notat, quod sensibilia communia omnia reducuntur ad quantitatem. Et de magnitudine quidē, & numero, patet, quod sunt species quantitatis. Figura autem est qualitas circa quantitatem: cum cōsistat ratio figuræ in terminatione magnitudinis. Motꝰ autem, & quies sentitur secundum quod subiectum vno modo, vel pluribus modis se habet secundum magnitudinem subiecti, vel localis distantiæ, quantum ad motum augmēti, vel motum localem, vel etiam secundum sensibiles qualitates, vt in motu alterationis. Et sic sentire motum, & quietem, est quo dammodo sentire vnum, & multa. Quātitas autem est proximum subiectum qualitatis alterativæ, vt superficies coloris. Et ideo sensibilia communia nō mouent sensum primo, & perse; sed ratione sensibilis qualitatis. Hæc S. Thomas.

42 Et radix huius est, quia quantitas est prima dispositio materiæ; & ideo media quatitate omnia accidentia corporea referuntur ad substātiam. Cæterum in ordine ad alterandos, & mouendos sensus, & substantia, & quantitas indigent, vt ratione formali sensibili qualitate. Iudicare autem in abstracto de distinctione istorum pertinet ad solum intellectum: licet in exercitio quilibet sensus discernat proprium obiectum.

43 Ad argumentū Bañez not. 3. & ad 7. respondet omnia illa reduci ad quinque numerata: nam asperum, & lene, acutum, & obtusum, ad figuram, & magnitudinem pertinent. Vnitas ad numerum reducitur. Pulchritudo claudit sensibile proprium cum cōmuni, scilicet, colores cum tali figura: æquale, & simile nō sentiuntur nisi ratione fundamentorum, quæ ad prædicta sensibilia cōmunia, vel propria reducuntur. Situs etiam expresse ponitur à D. Thoma lect. 13. inter sensibilia cōmunia, & reducitur ad magnitudinem, vt distantem, vel propinquam, hoc vel illo modo situatam. Tempꝰ autem est sensibile cōmune, & reducitur ad motū in ratione sensibilis, vt docet Phylos. 4. Physic. text. 113.

44 Sextū dubiū est, vtrū substātia sit sēsibile propriū, vel cōmune?

Respondetur substantiam nō sentiri perse: bene tamen sentitur peraccidens. Primam docet S. Tho. 1. p. q. 57. art. 1. ad 2. & 1. 2. q. 31. art. 5. & 2 de Ani. lect. 14. Et ratio est, quia sēsibile perse, est quod mouet sensum perse primo, vel secundo modo. Sed substantia nullo modo sui immittit speciem, quia secluſa quantitate sentiri nequit: ergo perse non sentitur. Secundo, quia nulla potentia potest extrahi à latitudine sui obiecti adæquati. Sed substantia est extra latitudinē partis sēsitiuæ. Ergo ab illa non attingitur perse.

Secun

45 Secundam partem docent Soto in 4. dist. 9. q. 2. ar. 5. §. *de reliquis*. Ferrara 2. Contrag. c. 66. circa tertiam rationem. Nuño 3. p. q. 75 ar. 5 dub. 3 Bañez 1. p. q. 78. ar. 3. dub. 8. & alij frequēter. Sumitur ex Philosopho 2. de Anima tex. 63. & D. Thom. ibi lec. 13. circa finem, & 1. p. q. 17. art 2. vbi ait. *Similitudo alicuius rei in sensu est tripliciter*. Et duob⁹ primis expositis, subdit. *Tertio modo nec primo, nec per se, sed per accidens; sicut in visu est similitudo hominis, non inquantum est homo, sed inquantum huic colorato accidit esse hominem*

46 Probat Soto experiētia, quia nō solum videmus albedinem: sed niuem: & substantiam panis gustamus, & comedimus: & homines videm⁹, & audim⁹. Cui⁹ ratio est, accidentia sunt substantiarum instrumenta, non solum ad aliam producendam substantiam, sed ad producēdam notitiam sui ipsius. Cum ergo substantia per sensus non attingatur per se: attingetur ab illis saltem per accidens.

47 Præterea idem constat: nam cui accidit qualitas per se sēsibilis, est sensibile per accidens, vt ex eius definitione constat. Sed substantiæ corporeæ accidūt qualitates per se sensibiles. Ergo seruatis seruandis conditionibus, est substantia sensibilis per accidēs. Et perfecta ei⁹ notitia solo habetur intellectu, cuius est cognoscere, quod quid est rei.

48 Septimo inquiritur, vtrum sēsibile proprium possit percipi sine communi, aut è contra?

Respondetur negatiue cum cōmuni Doctorum. Et probatur primo, quia alias possent singuli propias species seorsū immittere, cōtra supra dicta. Secundo, quia sensibile commune, non sentitur nisi ratione proprij sensibilis: ergo sine illo nequit. E cōtra vero species proprij sensibilis non abstrahunt à cōditionibus indiuiduantibus. Ergo nec representant qualitatem sine magnitudine, & alijs proprijs sensibilibus.

49 Sed obijcies primo: nam si sensibile commune sentiri non potest sine proprio, nec proprium sine communi, non erit maior ratio quare sensibile propriū dicatur sentiri per se primo, quā è cōtra: quod est contra S. Thomam lec. 13. & B. Albertum tract. 3. c. 5. & ea quæ sæpè diximus, quod propria sensibilia imprimunt speciem per se primo; cōmunia vero per se, sed nō primo.

Respondent bene Caietanus c. 6. dub. 3. §. *Ad ea vero*. Iauell⁹ q. 25. ad 1. quod non eadem ratione propria egent communibus, qua communia egent proprijs. Communia siquidem indigent proprijs, vt formis prioribus, vtpote rationibus agendi, quas debent modificare. Propria vero egent cōmunibus, vt posterioribus conditionibus; nō à quibus mendicant actiones, sed in quibus exequantur proprias actiones. Et vt vno verbo dicatur, proportio communis ad propriū, est proportio inter modum, & causam; cuius est modus. Constat autem, quod causa non mēdicat à modo, sed è conuerso: quāuis causa, si nullus modus eam committaretur, nō causet. Hæc ibi.

50 Secūdo obijcies: nam si quis esset iuxta cōcauū Lunæ, & extēderet manū versus cęlum, sentiret manum impediri per tactum à quantitate cæli. In cælo autem non sunt qualitates tangibiles, quæ sunt sensibilia propria sēsus tactus; in opinione Philosophi, qui 1. de Cęlo à textu 5. vsque ad 19. probat Cælum esse incorruptibile, & sine contrarietate: de quo S. Thom. ibi & 1. p. q. 66. art. 2. & alibi sæpè. Ergo sensibile commune immutaret sensum absque aliquo sensibili proprio.

Respōdet Caietanus cap. 6. dub. 4. circa textu 62. quod cū sēsus proprius non solum sentiat suum obiectum, sed etiam eius oppositum: visus enim est luminis, & tenebræ; & auditus sonus, & silentij, iuxta Philosophum 2. de Ani. cap. 7. in casu argumenti communia sensibilia sētiremus modificantia oppositum proprij sensibilis: non tamen proprie tāgeremus illa; quia sentire tactu in plus est, quam tangere. Idem sequitur Iauellus q. 25. ad 3. Et Suarez 3. de Anim. cap. 8. num. 9. in medio.

51 Secundo respondent Bañez dub. 9. ad 7. in fine. Et PP. Carmel. disp. 9. n. 37. Ioan. à S. Thoma q. 4. art. 2. ad 2. confirm 2. quod sensibile proprium tactus non est solum calidum, & frigidum; sed etiā molle, & durum, & tersum, & alia huiusmodi, iuxta Philosophum 2. de Anima textu. 107. & S. Thomam ibi lec. 22. lit. b. dicentem, *quod in tangibili, quod est obiectum tactus, sunt multa contraria: ut scilicet, calidum, & frigidum; humidum, & siccū, durum, & molle; & quædam alia huiusmodi, vt graue, & lene, & acutum, & hebes, & similia.* In casu argumenti perciperetur tactu cælum esse tersum sine partibus prominentibus, & cælum non esse fluidum, sed solidum: & mediantibus his sensibilibus propriis, tactus tunc perciperet quantitatem cæli.

52 Tertio respondēt relati Authores, quos sequitur Rubio q. 11. in fine, negando maiorem, quia id, quod impedit, nō sentiretur tactu, sed solo intellectu: sicut si impedimētum fieret per Angelum. Quamuis autem posset inde in manu causari dolor, non inde infertur, quod tactu percipiatur causa doloris. Hæc solutio est facilior: aliæ subtiliores. Sed vltima præferenda, quia S. Thomas lib. 3. de Anim. lect. 17. lit. f. ait. *Omne corpus, scilicet, generabile, & corruptibile, est tangibile. Et dico tāgibile, quod est sensibile tactu. Corpora autem cælestia, quæ sunt ingenerabilia, & incorruptibilia, nō sunt tangibilia: non enim sunt de natura elementorum, vt possint habere qualitates elementares, quæ sunt qualitates tangibiles.*

53 Tres quæstiones excitantur hic à Recentioribus propriè Theologorū; quas visum est ad propriā sedem remittere, seu amandare. Inquirit enim Rubio q. 12. & cum eo alij. *Virum sēsibile indiuisibiliter existēs, possit per potentiam Dei absolutam sensu percipi?* Sed hanc quæstionem inuenies 3. p. q. 76. ar. 7. & 8. consule Expositores ibi, & in 4. dist. 10.

54 Secundo disputat q. 14. & Cō imbricenses cap. 6. q. 3. art. 1. *virū circa absens, vel non existens, possit de potentia*

*tentia absoluta versari sensus?* Sed 1.p. vel in materia de Angelis; vel de scientia Deî; vel 3.p. de scientia animæ Christi, percipientur melius, quæ hic extra rem inserēda essent.

55 Tertio inquirit Arriaga disp. 5. de Anim. sec. 2. *Vtrum possibilis sit potentia materialis cognoscitiua obiecti spiritualis?* Cui respondet, nō repugnare potentiam materialem cognoscitiuā rei spiritualis: quia impenetrabilitas non adeò magnam includit imperfectionem, vt propterea nulli rei impenetrabili possit ea virtus cognoscēdi obiecta spititualia concedi.

56 Leuissimum tamen argumentum, vt deseratur sentētia communis Theologorum 1. p. q. 12. art. 3. cum D. Thoma asserentium implicare contradictionem Deum videri oculis corporeis, quia corporale non est intra lineā spiritualis, & quia potentia nequit extrahi a latitudine sui obiecti, sicut intellectu non possumus amare, nec voluntate intelligere. Hæc tamen expendere, Theologorum est.

Solum aduerte, quod Tannerus 1.p. disp. 2. q. 6. dub. 1. dicit, *esse cōclusionem Theologicam.* Vazquez ibi n. 2. quod *oppositum est manifestus error.* Suarez *esse proximā fidei.* Thomas Hurt. de Anima disp. 2. controu. 6 quod oppositum est *temerarium, vtpote oppositum torrenti Doctorum, & modo loquē di Patrum.* Et §. 3. dicit esse *improbabile*, quod Deus possit facere potentiam sensitiuam immediate attingentem spiritualia; cuius oppositū docuit Valentia. 1.p. q. 12 pūcto 8. in fine. De quo dubitat Suarez disp. 30. Metaph. sec. 12. n. 20.

## QVAESTIO XXIII.

### *Vtrū sensus possint circa sensibilia decipi; aut valeant supra suos actus reflecti?*

1 SVpponim⁹ ex dictis. 1.p. Metaph. Cōtrou. 13. art. 2. §. 3. quod in sensu non est falsitas, nec veritas compositionis: sed solum apprehēsionis. Vnde S. Thomas 1 p q. 17. art. 2. ait. Quod falsitas, nō est quærenda in sensu, nisi sicut ibi est veritas: veritas autem non est in sensu, vt sensus cognoscat veritatem: sed inquantum veram apprehensionem habet de sensibilibus. Quod quidem cōtingit eo quod apprehēdit res vt sunt. Vnde contingit falsitatem esse in sensu ex hoc, quod apprehendit, vel iudicat res aliter, quam sunt.

2 Sentētias Doctorum refert Bañez 1.p. q. 78. art. 3. dub. 4. Sed quia plures eorum in re non discordtā, eis omissis, solum oportet mentionem facere de opinione Toleti 2. de Anim. q. 13. quia est opposita nostræ, & eam video placere Recentioribus. Inquit ergo Toletus tripliciter intelligi posse sensum errare circa sensibile propriū. Vno modo circa rationem communem: vt si sonum pro non sono auditus perciperet, & gustus saporem pro non sapore. Secūdo in particulari ratione: vt album pro nigro, amarū pro dulci. Tertio in applicatione subiecti, vel loci, vt si album aprehenderet in alio subiecto, vel loco quam est.

3 Dicunt ergo primo, quod nullus sensus potest errare, vt visus nō percipiet nisi cum visibile est. Et ex se videtur sensus Aristotelis, vt ex ipsa littera patet. Circa communia enim errat, vt circa motum circa quietem, & alia: quod enim quiescit, moueri, quod mouetur, quiescere, aliquando apparet.

Dicunt secundo, quod sensus decipitur, circa rationes particulares obiecti, vt album apparet nigrum aliquando, & dulce amarum. Sæpè apparet proceræ magnitudinis, quod est paruum, & è contra. Dicunt tertio, quod in applicatione, tam sensibilis proprij, quam cōmunis, sensus solet decipi. v.g. manus post vitreum rubeū, rubea apparet. Non enim est deceptio in rubore, sed in applicatione subiecti, quia rubor est in vitro, non in manu. Similiter color vitreæ fenestræ apparet in pariete, sed non est: in quo casu sensus errat in applicatione loci.

4 Hanc opinionem reijciunt Bañez prædicto dubio. 4. in quarta sententia, & Patres Carmelitani disputatione nona quæstione quinta. §. 1. quia Philosoph. textu 63. non solum dicit sensum non decipi circa propriū sensibile, sed asseruit, quod circa sensibilia communia, & sensibil a peraccidens decipitur. Sed hoc discrimē esset nullum, si loqueretur de ratione formali, quia sensus non extrahitur à sua ratione formali. Nec potest sē sibile commune attingi nisi vt modificatiuum sensibilis proprij. Circa hoc autem numquam continuo errare: nam semper sensus cognoscit rem vt motam, vel quiescētem, vt vnam, vel plures, vt magnam, vel paruam. Hac ergo relicta expositione, alia quærenda est.

## §. I.

### *Dirimitur prima pars quæstionis.*

5 DIco ergo primo, sensus circa sensibilia propria secundum rationem formalem, & adæquatam, non decipitur. Hæc conclusio est communis omnium. Et probatur ratione Diui Thomæ prima parte quæst. 80. artic. 2. dicentis, quod *passiua, & mobilia distinguuntur secundum distinctionem actiuorum, & motiuorum: quia oportet motiuum esse proportionatum mouili, & actiuum passiuo: & ipsa potentia passiua propriam rationem habet ex ordine ad suum actiuum.* Ex quo infert quæst. 85. artic. 1. quod *obiectum cognoscibile proportionatur virtuti cognoscitiuæ.* Et rationem assignat quæst. 85. artic. 6. quam vocat *euidentem.* Quia *ad proprium obiectum vnaquæque potentia per se ordinatur secundum quod ipsa. Quæ autem sunt huiusmodi, semper eodem modo se habent. Vnde manente potentia non deficit eius iudicium circa proprium obiectum.* Vnde antea dixerat Sanctus Thomas, quod *sensus circa proprium obiectum non decipitur, sicut visus circa colorem.* Et Philosophus quarto Metaphisicæ textu 24. ait, quod sensus proprij sensibilis falsus non est, vt affert Sanctus Thomas prima parte

parte quæstione 17. articulo .2. ad secundum.

6 Dico secundo, perse loquendo, sensus circa propria sensibilia, etiam circa rationes particulares, non fallitur. Peraccidens tamen decipi potest. Vtraque pars est Phylosophi tertio de Anima textu 161. & Sancti Thomæ ibidem lectione 6. Vbi Sanctus Thomas litt.b. ait: Nam primo quidem circa propria sensibilia semper verus est, aut modicum habet de falsitate. Sicut enim potentię naturales nō deficiūt in proprijs operationibus, nisi in minori parte, propter aliquam corruptionem: sic etiam sensus non deficiunt à vero iudicio proprio-rum sensibilium, nisi in minori parte, propter aliquam corruptionem organi, vt apparet in febricitantibus, quibus propter indispositionem linguæ dulcia amara esse videntur.

7 Idem sumitur ex Phylosopho octauo Physicorum textu 22. iuxta translationē Argyropoli ait, quod post habere sensum, imbecillitas est profecto mentis ac hebetudo. Vbi Sanctus Thomas lectione quinta littera. b. Idem habet Sanctus Thomas prima parte quæstione 17. articulo secundo, & quæstione 85. articulo sexto, & quæstione tertia de Potentia articulo septimo in corpore. Et rationem assignat Ferrara secundo de Anima quæstione 10. quia naturalis actus vniuscuiusque rei semper est vno modo, nisi sit impedimentum, quia natura semper vno modo operatur: & ideò dicitur determinata ad vnum: sed attingere proprium sensibile est naturalis actus potentiæ sensitiuæ, quia ad illum perse essentialiter ordinatur. Ergo perse loquendo circa proprium sensibile non potest sensus errare.

8 Secundam partem explicant Themistius circa textum 63. & Iauellus quæstione 23. conclusione secunda, & Ferrara vbi supra, asserentes, quod tres conditiones requirūtur, vt sensus circa proprium sensibile in particulari non decipiatur. Prima, quod sensibile debite sit approximatum sensui. Secunda, quod organum sit debite dispositum, & non deprauatum. Tertia, quod medium sit depuratum: vnde si aer, aut aqua non sint purè diaphana, visus non iudicat de visibili sicuti est: nam videns Solem per aerem admixtum vaporibus ignitis, iudicat Solem esse rubeum; qui tamen non est. Error ergo circa proprium sensibile contingit semper, vt experientia docet, ex defectu alicuius, vel omnium illarum conditionum.

9 Sed contra hanc expositionem arguit Bañez, primo, quia si hæc requiruntur, seruatis eisdem conditionibus non falletur sensus, etiam circa sensibile commune. Secundo, quia istæ conditiones non sufficiunt: nam vltra ipsas requiritur debita quantitas, & debita dispositio obiecti; posset enim visibile esse, ita paruum, quod cōtingeret sensum visus errare circa ipsum.

10 Ad hæc tamen facile respondetur. Ad 1. quod est dispar ratio

vt

vt patebit ex ratione conclusionis sequentis. ¶ Ad 2.dicitur verum esse illam conditionem requiri: sed includitur in prima iam assignata. Et huic expositioni tãdem aquiescit Bañez concl.2. quia non est debita approximatio, si sensibile nõ est in quantitate proportionata ad mouendum sensum.

11 Dico tertio, circa sensibilia cõmunia,& sensibilia peraccidens potest esse falsum iudicium in sensu, etiam recte disposito. Est expressa Philos.2.de Anim.tex.63.& tex. 161.vbi S.Thomas lib.3.lec.6.lit. b.& 1.p.q.17.art.2.ait, de sensibilibus vero communibus, & peraccidẽs potest esse falsũ iudicium, etiã in sẽsu recte di posito, quia sẽs⁹ non directe refertur ad illa: sed per accidens; vel ex consequẽti inquãtum refertur ad alia. Et 1.p.q.85. art.6.ait circa sensibilia ergo cõmunia decipitur sensus; sicut iudicãdo de magnitudine; vel figura, vt iudicat Solem esse pedalem: qui tamẽ est maior terra. Et multo magis decipitur circa sensibilia peraccidẽs; vt cum iudicat fel esse mel propter coloris similitudinem.

12 Ratio S.Tho. est satis efficax, & asignat differentiam inter sensibile proprium, & alia sensibilia: nã ad sensibile proprium fertur per se, & directe; ad reliqua vero indirecte ex cõsequenti,& peraccidẽs: ergo ad sensibilia propria fertur naturaliter, & perse loquendo indefectibiliter: ad reliqua vero fertur; vel per accidens; vel etiã ex consequenti: ergo perse loquendo potest esse falsum iudicium circa sensibilia communia,& peraccidens.

13 Præterea probatur conclusio experientijs iam relatis. Et vlteriꝰ constat, quia vt iam diximus ex D. Thoma, potentię sensitiuæ sunt potentiæ passiuæ: vnde eo modo quo natæ sunt moueri à sensibilibus, eo modo natæ sunt circa sẽsibilia operari. Sed sensibilia propria imprimũt speciem naturalem similitudinem sui: ergo perse loquendo circa sensibilia propria sensus non falluntur. Circa sensibilia vero communia,& peraccidens, cum species peculiares non habeant, perse loquẽdo potest esse mala applicatio; vel apprehensio;& ideò potest esse deffectus.

14 Sed instabis: nam videtur hæc ratio probare, quod nec peraccidẽs sensus decipiatur, quia quando cumque sensus recipit speciem proprij sensibilis, eo modo quo sensibile proprium eam imprimit, non fallitur, sed est verus: siquidem solum natus est iudicare de sensibili per speciẽ ab illo sibi impressã. Sed quãdo sensus sẽtit, sẽper recipit speciẽ eo modo, quo sensibile proprium eam imprimit: siquidem passum nõ recipit formam ab agente, nisi quã agens inducit, nec aliter nisi vt est aptum inducere. Ergo sensus, nec perse, nec peraccidens decipi possunt. ¶ Quod totum videtur docere S.Augustin.to.1.lib.1.de Vera Religione cap.33.dicens: *Si omnes corporis sensus ita nunciant, vt afficiuntur; quid ab eis amplius exigere debemus, ignoro.*

15 Occasione huius argumenti, inquirit Rubio. q.16. *Virũ dũ sensus errant*

*errant operentur per speciem veri sensibilis, ac si non errarent? vel per aliam diuersæ rationis?* Et dicit quæstionem hãc esse satis difficilem, & à nemine hucusque agitatã. Et refert quod Fonseca 1. Metaph. c. 2. q. 3. sec. 8. asserit esse probabile videri per speciẽ alterius rationis: alioquin non esset error. Ipse verò per totam quæstionem docet, quod dum sensus decipiuntur, nõ fit sensatio per speciem apparentis sensibilis, sed veri; aliter tamen apparẽtis, ac in se est; atque etiam aliter, ac per speciem representatur: & in hoc cõsistit deceptio.

16 Existimo tamen quæstionem in terminis tactam à D. Tho. 1. p. q. 17. art. 2. in corp. vbi ait, loquendo de sensu. *Sic autem se habet ad cognoscendum res, inquantum similitudo rerum est in sensu.* Et infra. Et circa sensibilia sensus non habet falsam cognitionem, nisi peraccidens, & in paucioribus, ex eo scilicet, quod propter indispositionem organi, non conuenienter recipit formam sensibilem: *sicut & alia passiua propter suã indispositionem, deficienter recipiunt impressionem agentium.* Et inde est, quod propter corruptionem linguæ infirmis dulcia amara esse videntur. Hæc ibi S. Tho.

17 Bene igitur respondet Iauellus prædicta quæst. 23. in fine, quod licet sensus recipiat speciem à sensibili agente naturaliter: non tamen omni eo modo recipit, quo agens est aptũ inducere. Nam stat, quod agens sit aptum inducere perfectissimè: & tamen patiens ex sui indispositione, vel debilitate, recipit imperfectè: sicut Sol est aptus perfectè illuminare oculum meum, qui tamen ex sui debilitate magis excecatur, quam illuminetur, si directè Solem aspiciat. Quia igitur solet contingere, quod ex nimia distantia, aut indispositione medij, siue organi, sẽsus nõ recipit speciẽ, eo modo quo sensibile causat eam, nõ inconuenit sensum errare.

18 Iuxta hoc, error non est, quia varietur species, aut quia nõ representat naturaliter: sed quia non debite recipitur, vel applicatur. Error autem circa sensibilia peraccidens clarius apparet, quia non debite applicatur forma subiecto. Sicut autem docet Caiet. in Prologo Prędicamẽtorum, quod prima operatio intellectus per se, & in sua puritate non indiget regula, seu directione, quia vt sic non errat: eadem tamen, vt potest ei admisceri compositio, vel applicatio, regula eget, eoquod vt sic errare potest in mala compositione, vel applicatione, vt diximus in Prologo Dialecticæ n. 9. Eodem proportionali modo discurrẽdum de errore sensuum; quia *Philosophus 3. de Anima* text. 26. *comparat, quantum ad hoc, intellectum sensui*, vt etiam notat S. Thom. 1. p. q. 85. art. 6.

19 Ad authoritatem S. Augustini bene respondet S. Thomas 1. p. q. 17. art. 2. ad 1. dicendum, (inquit) quod sensum affici, est ipsum eius sentire. Vnde per hoc quod sensus ita nunciant ũcut afficiuntur, sequitur, quod nõ decipiamur in iudicio, quo iudicamus nos sentire aliquid. Sed ex eo quod sensus aliter affi-

afficirur interdum, quã res sit, sequitur, quod nũciet nobis aliquãdo rẽ aliter quam sit. *Et ex hoc fallimur per sensum circa rem, nõ circa ipsum sentire.* Sicut autem notauerat S. Thomas ibi art. 1. ad 2. *quod res per se nõ fallunt; sed per accidens: dant enim occasionem falsitatis, eo quod similitudinem eorum gerunt, quorum non habent existentiam.* Ita sensus peraccidens sunt occasio, vt intellectus decipiatur circa ipsas res.

## §. II.

### *Vtrum sensus externi possint sensationem propriam percipere?*

20 CIrca secundam partem quæstionis, varias opiniones refert Bañez vbi supra dubio. 10. Sed vna tantum nostræ opponitur doctrinæ; & ideo de illa sola mentionem faciemus.

21 Dico primo, nullus sensus exterior potest reflecti supra propriã sensationem: ita vt sensatio sit obiectum alterius sensationis sensus externi. Est communis omnium. Et expræsſa Phylosophi de Sensu, & Sensato cap. 2. vbi ait: *Non enim visu cernit, quod videt.* Et ibi S. Thomas lect. 3. litt. d. & 4. Metaphis. textu 25. ait Aristoteles. *Non enim sensus suimet est: sed aliquid alterum præter sensum, quod prius esse sensu necesse est.* Quod exponens S. Thom. lec. 14. lit. g. ait. *Sensus non est suimet, sed alterius, quod oportet esse prius sensu naturaliter, sicut mouens moto naturaliter est prius: visus enim, non videt se, sed colorẽ.*

22 Et 1. p. q. 78. art. 4. ad 2. id probat; alioquin cessaret potissima ratio, qua Phylosophus probat dari sensum communẽ, *vt ab illo percipiãtur intentiones sensuum: sicut cum aliquis videt se videre: hoc enim nõ potest fieri per sensum proprium, qui nõ cognoscit, nisi formam sensibilis, à quo immutatur, in qua immutatione perficitur visio: & ex qua immutatione sequitur alia immutatio in sensu communi, qui visionem percipit.* Idem docet 1. p. q. 14. art. 2. ad 1. & in 2. dist. 19. art. 1. corpore in fine. In 3. dist. 23. q. 1. art. 2. ad 3. & libr. 2. Contrag. cap. 65. ratione 4.

23 Ex verbis S. Thomæ duæ eliciuntur rationes, quibus conclusionem probat Ferrara 3. de Anima q. 1. quarum prior est. Omne quod cognoscitur ab aliqua potẽtia organica, immutat organum imprimẽdo suam similitudinem in illo, quia sic ab obiecto patitur. Sed operatio sensus non immutat organum: cum sit operatio immanens, non agens effectiue, sed formaliter respectu subiecti. Ergo sensus externi nõ reflectuntur supra propriam sensationem.

24 Secũda ratio est. Omne quod cognoscitur ab aliqua potẽtia, participat rationem formalem obiecti illius potẽtiæ, cum quo adęquatur, & extra cuius latitudinem non potest exire. Sed operatio sensus non participat rationem formalem obiecti sensibilis: siquidẽ visio non est colorata, neque auditio sonora. Ergo sensus externi non reflectuntur, neque habent pro obiecto propriam sensationem. Hanc secundã rationem indicat S. Thomas illa q. 78.

78. Et primã expresit ibi. Et clarius 1.p.q.87.art.3. ad 3. asserens, *quod sensus proprius sentit secundũ immutationem materialis organi à sensibili exteriori. Non est autem possibile, quod aliquid materiale immutet se ipsum, sed vnum immutatur ab alio. Et ideò actus sensus proprij percipitur per sensum communem.*

25 Sed contra hanc solutionem videtur tenere Philos. 3. de Anima tex. 138. cuius mentem declarat S. Thomas ibi lec. 2. lit. e. dicens. Redit ergo solutio ad hoc, quod actio visus potest considerari; vel secundum, quod consistit in immutatione organi à sẽsibili exteriori: & sic nõ sẽtitur nisi color: inde ista actione visus non videt se videre. Alia est actio visus secundũ, quam, post immutationem organi, iudicat de ipsa perceptione organi à sensibili, etiam abeunte sensibili. *Et sic visus non videt solum colorem, vel sentit: sed sentit etiam visionem coloris.* Et aduertit lit. f. quod hæc solutio procedit de colore *secundũ esse naturale*, quod habet in re sensibili. Et secunda solutio, quam ibi adhibet, procedit de colore secundum esse spirituale, quod habet in sensu media specie, & concludit. *Potentia ergo illa, qua videmus nos videre, non est extranea à potentia visiua; sed differt ratione ab ipsa.* Sensus autem communis realiter differ à potentia visiua: ergo ista videt se videre. Vnde præmiserat, quod *eiusdem virtutis est videre colorem, & immutationem, qua est à colore, & visum in actu, & visionem eius.*

26 Præterea S. Thom. q. 1. de Veritate art. 9 ait: *Quamuis sensus cognoscat se sentire*; non tamen cognoscit naturam suam. Et infra. Sensus redire incipit ad essentiã suam, quia non solum cognoscit sensibile, *sed etiam cognoscit se sentire.* Non tamen completur eius redditio, quia sensus non cognoscit essentiam suam. Et q. 10. ar. 9. ait. *Visus videndo colorẽ, videt se videre.* Sed ista redditio, incomplete quidem est in sensu; complete autem in intellectu.

27 Propter has authoritates diuersi sunt Authores: nam B. Albertus, Alexander, & Auerrois, existimãt mentem Philosophi esse, quod nullus sensus exterior percipiat suam sensationem, sed id pertinere ad sẽsum communem. Quod sequuntur Ferrara vbi supra. Et 2. Cõtrag. cap. 66. rat. 4. Iauellus 2. de Anima q. 56. & Toletus 3. de Anima q. 3. concl. 1. & Bañez dub. 10. qui cõcl. 2. Id probat dupliciter. Primo, si quo actu videmus, sentiremꝰ nos videre nõ staret videre, quin simul sentiremus videre; cũ vnus, & idẽ vtriusque obiecti actus, & vtrunq; obiectum semper simul cõueniant. Sed stat videre, quin sentiamꝰ nos videre: vt patet experientia, quando intentis, & defixis in aliquem locum oculis, videmus. Ergo non fit hoc eodem vno actu. ¶ Secundo, actus, & obiectum actus nõ possunt esse vnum, & idem. Ergo vno actu nõ possumus percipere ipsum met: tunc enim actus, & obiectum idem esset.

28 Ad authoritatem Philos. respondet Iauellus, quod in hoc puncto pure disputatiue procedit, ad vtramque partem arguens, & q. ali in determinatus per transiens.

Fer-

29 Ferrara vero, & Bañez ad 1. Et tãdem ipse Iauell⁹, dicunt, quod cum iuxta Phylos.3.de Anima tex. 149. omnes sensus oriantur à sensu communi, & ad illum terminentur immutationes eorum: & vt ait S. Thom. 1.p.q.78.art.4.ad 2. oportet, quod *ad eum referantur, sicut ad cõmunem terminum, omnes apprehensiones sensuum; à quo etiam percipiantur intentiones sensuum.* Ideò sensus particularis potest considerari dupliciter. Primo secũdum quod vnitur cum ipso sensu cõmuni. Secundo, quatenus est aliquid distinctum ab ipso sensu cõmuni. Si consideretur hoc secundo modo, numquam sentit se sentire, iuxta dicta in prima conclusione, & propter rationes relatas n.27. Si vero consideretur primo modo, tunc sensus particularis dicitur sentire suam sensationem quantum ad quæstionẽ an est, quia cognoscit se immutari ab obiecto: & in isto sensu loquuntur relatæ authoritates, & dicitur sensus redire ad se imperfecte, quia cum sensus communis non percipiat actus particularis, nisi vt est aliquid eius, & vt cõtinuationem cum ipso habet: quod sensui communi sic conuenit, potest dici etiam de sensu particulari.

30 Cæterum, quia absolute sens⁹ proprij realiter differunt à sensu cõmuni: & facilius, iuxta subijciendã conclusionem, exponuntur authoritates: ideò quamuis parum referat hoc, vel illo modo exponere. Ideò mihi magis placet expositio Caietani. Pro qua declaranda.

31 Dico secundo, sensus externi percipiũt propriã sẽsationẽ quoad anest; nõ per modũ obiecti, nec per reflexionem formalem; sed indirecte, & in actu exercito, ipsomet actu quo vitaliter percipiũt immutationem factam à sẽsibili in sensũ. Ita Aegid. Romanus tex.138. exponit Phylos. Et Caietanus lib.2.de Ani.c.13.dub.1.& Ioan.à S. Tho. q.4.art.4.con.3.in 2.p. & in 1. solut. ad 2. ¶ Et probatur primo authoritatibus Phylos.& S. Thomæ: quæ manifeste loquũtur de ipso sẽsu externo, quia sensus internus nõ vocatur absolute visus, cum ab eo realiter differat: & tamen sola ratione dicunt differre à potẽtia visiua.

32 Secũdo probatur à Caietano, quia secundum Phylos.tex.138.& S.Thom.ibi 3.de Anim.lec.2.lit.f. *Actus cuiuslibet sẽsus est vnus, & idẽ subiecto cũ actu sensibilis; sed ratione non est vnus. Et dico actum sens⁹, sicut auditũ secundum actũ, & actum sensibilis, sicut sonũ secundum actum.* Et infra. *Cũ igitur visus percipiat sensibile, & actum eius, & videre sit simile sẽsibili* (quia est informatus eius similitudine) *& actus videtis sit idem subiecto cum actu sensibilis; licet non ratione. Relinquitur quod eiusdẽ virtutis est videre colorem, & immutationẽ, quæ est à colore, & visum in actu, & visionem eius*: & alia quæ retulimus n. 25. ¶ Hinc autem manifeste sequi, quod à visu visio sentiatur, probat Caietanus. Nam actio sensibilis, & passio sensus sunt idem. Sed passio sensus est ipsa sensatio, & actio sẽsibilis. Ergo visus, qui sentit actionẽ sensibilis, sentit ipsã sensationẽ.

33 Quod vlterius sic declarat. Cũ enim aliquis audit, manifeste sentit

sentit sonum immutantem auditū ipsius audientis, alioquin non audiret. Audire autem sonum immutantē, est sentire actionē soni. Si autem actio soni est in audiente, & est idē cum auditione; sequitur, quod sentiendo sonū immutantē, id est, sonū in actu, sentit suam passionē; quod est sentire suam auditionem.

34 Sed obijcies, rationem hanc procedere ex falsa suppositione, quod sensus externi sint pure passiui; & quod sonatio sit ipsa auditio, prout passiue recepta in auditu. Quod iam est impugnatū q. 21. §. 3. Nec intelligi valet, quod actio externa sensibilis sit ipsa operatio immanens sensus in actu vitaliter operantis. ¶ Respondet Caietan⁹ in fine dubij dicens. Nec refert, an videre sit ipsa passio ab obiecto; nā ex quo ipsa passio *forma iter, aut cau saliter* est sensatio; quoad quæstionē an est, mutuo se consequuntur, & æquiualent.

35 Quod est dicere, in re, cum datur immutatio sensibilis à sensu, datur sensatio: ergo cum sensus percipiat immutationem sensibilis à sensu directe, percipiet indirecte se sentire. Consequētia patet, quia hæc operatio causatur, & coniungitur, vel consequitur illam passionem: si autem sensus percipit sensibilia communia, & peraccidens propter adunationē quam cū illis habent sensibilia perse: cum maiorem cōnexionem habeat hæc passio in actu cum operatione sensus, & sint in eodem subiecto; qui percipit, vnam directe, indirecte, & in actu exercito percipiet aliam.

36 Vel aliter vrgetur vis rationis factæ; quia immutatio sensuum à sensibilibus, non fit insensibiliter, vt immutantur inanimata; sed fit viraliter, & sensibiliter, quānis præcedat alia immutatio naturalis. Vnde Phyl. & S. Tho. 2. de Ani. lec. 24. lit. i. docēt, *quod odorare, est sic aliquid pati ab odore, quod sentiat odorem. Aer antē non sic patitur vt sētiat, quia non habet potentiam sensitiuā, &c.* quia aliter recipitur immutatio sēsus in inanimato, ac recipitur in viuente, quia in isto ex receptione passiua consequitur operatio vitalis actiue sentiēs immutationē ab obiecto. Sed hoc est in exercitio sentire vitalē operationem. Ergo sine reflexione sentiūt sēsus in exercitio se sētire.

37 Ad primum argumentum obiectum nu. 27. Respondetur distinguēdo maiorē, nō stat videre, quin sentiremus videre, in actu signato, vel actu reflexo directè ad visionē terminato; nego. In actu exercito, indirectè, & quoad an est, concedo maiorē: & in hoc sensu nego minorē, quia si vitaliter videm⁹ percipiē do obiectū, vel passionē directè, in directè percipim⁹, vt sēsibile peraccidēs, vel vt sēsibile cōmune, ipsā sēsationē. Per quę patet ad secūdū, quia si obiectū, & sēsatio perciperēt indirecte, alio actu attingerētur: & sic attinguntur à sēsu cōmuni, & ab intellectu: quia nullum est incōueniens idē obiectum à diuersis potentijs sub diuersis rationibus attingi: de quo S. Tho. 1. p. q. 1. a. 3. ad 2.

38 Quod si rationes primæ conclusionis vellis vrgere contra hāc, & inquirere, qua specie vis⁹ videat

suam

su m visionem,&c.Facile respondetur,quod ea,quæ videntur indirecte,vel peraccidēs,peculiari specie non indigent, iuxta supra dicta q.22.§.41.no loquendo in strictiori casu de operatione sensus cōmunis, docet ipse Bañez ad 3. quod quamuis aliqui speciem ponant sēsationis; nihilominus illa non est opus;sed per eandem speciē, quæ ex præsentia obiecti peruenit ad sēsum communem, percipit sensus communis sensationem sensus exterioris.Quod aliqualiter insinuat S.Thomas verbis relatis n.22.

39 Dico tertio, sensus externus in actu exercito discernit vnum sensibile proprium ab alio sensibili eiusdem sensus. Non tamen potest discernere inter duo sēsibilia diuersorum sensuum.Et multo minꝰ valet positiue abstrahere vnum prædicatū ab alio. Sumitur ex D. Thoma 1.par.q.78.art.4.ad 2. dicente. *Sensus proprius iudicat de sensibili proprio,discernēdo ipsum ab alijs, quæ cadūt sub eodem sensu;sicut discernendo album â nigro, vel â viridi. Sed discernere albū â dulci,non potest,neque visus, neque gustꝰ: quia oportet,quod qui inter aliqua discernit, vtrumque cognoscat.*

40 Hæcque est ratio totius conclusionis, quia nulla potētia potest extrahi extra latitudinem sui obiecti. Nec naturalis modus proprius potentiæ superioris,potest competere potentijs infimis inter cognoscitiuas. Obiecta autem sensuum singulorū sunt ad inuicē condistincta. Et hac de causa ponitur vnus sensꝰ communis vt discernat inter sensationes, & obiecta sensuum propriorum.

41 Deniq; inde patet vltima pars, quia ille est modus proprius intellectus:& aliqualiter competens sensibus internis,qui aliqualiter vtuntur collatione,& discursu circa singularia.Ergo non conuenit sensibꝰ externis. Præterquamquod rationes istæ,quibus prædicata distinguūtur, sunt obiecta intellectus,& non sensus externi.

42 Contingit autem, quod visu vnū prædicatum attingatur,& non aliud, peraccidens propter distantiam,vel indebitā dispositionē medij,aut obiecti,vel organi sensus, vt de errore dictum est:non tamen propter abstractionem ipsius sensus naturaliter operantis, vt immutatur à sēsibili media specie. Quia vt ait S.Thomas 1.p.q.85.art.1.ad 3. *colores habent eundem modum existendi, prout sunt immateria corporali individuali,sicut in potentia visiua. Et ideò possunt imprimere suam similitudinem in visum.*

## QVAESTIO XXIIII.

### *Vtrum sensibile vehemens destruat sensum?*

### §. I

### *Certa præmittuntur.*

1 CErta est cōclusio affirmatiua: quam tradit Phylos.2.de Anima tex.123.vbi S.Thomas.lec.vlt. lit.c.ait.*Si motus sensibilis fuerit fortior, quam organum natū sit pati,soluitur proportio,& corrumpitur sensus,qui consistit in quadam proportione organi,vt dictum est.*

*est. Et est simile, sicut cũ aliquis fortiter percutit chordas, soluitur symphonia, & sonus instrumenti, qui in quadam proportionem consistit.*

2 Quod latius prosequũtur 3. de Anima text. 143. & ibi S. Tho. lec. 2. lit. h. vbi post explicatam eandẽ rationem, addunt manifestas experientias, his verbis. *Et quia qualibet proportio corrumpitur per superabundantiam; ideo excellens sensibile corrumpit sẽsum. Sicut quod est excellenter graue, & acutum, corrumpit auditum; & excellens saporosum, corrumpit gustum: & fortiter fulgidum, vel obscurũ, corrumpit visum; & fortis odor corrumpit olfactum, quasi sensus sit quadam proportio.* Et libro de Insomnis lec. 2. lit. h. post multa ad intentum, ait S. Thomas: ab excellentibus sensibilibus corrũpuntur sensus omnes; excellentes enim odores non odorantur. *Et hoc non contingit, nisi propter impressionem simulacrorũ talium sẽsibilium factorum in sẽsu, quæ non cessant agere in sensum, donec corrumpant ipsum.*

3 Experientiaque, quæ ibi adducitur de illo qui directe aspicit solem, manifeste conclusionem probat: nam si perseueret intentus, læditur visus. Immò tandiu posset durare, quod penit⁹, perderẽt. Refert que Galenus lib. 10. de vsu partiũ, ita contigisse hominib⁹ quibusdã, qui ex obscurissimo carcere, in splẽdidissimam domũ calce illitã, & leuigatam à Dionysio Tyrano repẽte educti subito obcæcati sunt eo quod non potuerunt repentinũ illum splendidæ lucis ocursum ex extremo adeò tenebroso sine visus amissione videre.

4 Sed obijcies: sicut sensibile est obiectum sẽsus, ita intelligibile est obiectum intellectus. Sed experimur, quod, qui intelligit valde intelligibilia, non minus intelligit minus intelligibilia, sed magis: quod & docet Philosophus 3. de Anim. tex. 7. & S. Tho. lec. 7. lit. f. Ergo intellectus non corrũpitur per excellentiam sui obiecti. Ergo nec sensus per excellẽtiã sensibilis.

Respondetur hoc argumento probare S. Thomam lib. 2. Cõtrag. cap. 55. ratione 9. quod intellectus nullo modo est corruptibilis, quia nec corrumpitur corruptione corporis, cum ab illo sit independens, nec corrumpitur per excellentiam sui obiecti. Sensus autem sunt potentiæ corporales, & ideò dupliciter corrumpuntur, primo ratione generali, quia omne accidens corrumpitur ad corruptionem subiecti, à quo dependet. Et ideò sensus corrũpitur etiam peraccidẽs propter corruptionẽ subiecti: vel, quia moritur animal: vel quia destruitur organum sensus: iuxta duas expositiones S. Thomæ, quas ibi adhibet Ferra. Secundo corrumpuntur sensus propria, & peculiari corruptione, *propter excellentiam sui obiecti: sicut visus à valde fulgidis, & auditus à sonis fortibus, & sic de alijs.*

5 Cum in conclusione omnes conueniant, dissident in explicando modo, quo hæc immutatio cõtingat? Pro quo notandum ex D. Thom. quod cum sensus sit quædã potentia passiua, quæ nata est immutari ab exteriori sensibili, ex diuersitate immutationis sẽsitiuę po-

tentiæ distinguuntur. Est autem duplex immutatio: vna naturalis: & alia spiritualis. Naturalis quidem secundum quod forma immutantis recipitur in immutato secundum esse naturale, sicut calor in calefacto. Spiritualis autem secundum quod forma immutantis recipitur in immutato secundū esse spirituale, vt forma coloris in pupilla, quæ non fit per hoc colorata. Cum ergo sensibile, & operetur immutando intētionaliter, seu spiritualiter: & operando naturaliter ratione alicuius qualitatis alteratiuæ ab ipso immissæ. Manet dubium, an quod sensus lędatur à vehementi sensibili, proueniat ab immutatione intentionali, vel solum ab immutatione naturali?

## §. II.

### *Opinio requirens immutationem naturalem.*

6 EST ergo prima sententia, quod per se loquendo sensibile non lædit organum sensus ratione immutationis intentionalis præcisè; sed ratione alterius immutationis naturalis alterius qualitatis actiuæ. Ita docent Ferrara.2. de Ani.q.21. §. *Dicitur ergo*, & in secunda solutione ad primum, & ibi Aquarius conclusione 3. Bañez prima parte quæstione 78.ar.3.dub.5. in secunda solutione ad primū: licet omnes isti Authores etiam doceant secundā sententiam. & isti præferant. Hanc tamen solam tenent Magister Ioannes à Sancto Thoma.q.4.de Anim. articulo tertio cōclusione secūda. Suarez.lib.3. de Anima cap.2. numero.34 & 35. Rubio secundo de Anima cap.12.quæstione vnica, & alij.

7 Et probatur primo ex Diuo Thoma in quarto distinctione 44. quæstione prima articulo. 4. ad secundum. Et habetur in additionibus ad 3.p.quæst.85.ar.2.vbi ait, *quod claritas intensa non offendit visum inquantum agit actione animæ, sed secundum hoc magis delectat: offendit autem inquantum agit actione naturæ, calefaciēdo, & dissoluēdo organum visus, & dissoluendo spiritus. Et ideò claritas corporis glorioſi, quamuis excedat claritatem Solis, tamē de sui natura non offendit visum, sed demulcet.* Qui locus Diui Thomę manifestissimus videtur: nam ibi distinguit S.Thom.inter actionem naturalem, & intentionalem vehementis sensibilis: & negat lædere, & offendere, inquantum agit actione animæ, seu actione intentionali: & solum concedit offendere inquātum agit actione naturæ. Quod videtur intentum huius sententiæ.

8 Præterea vt docet S.Tho. 1.p. q.67. art.3. actiones intentionales non causant transmutationem naturalem; quod & docet in secūdo distinct.13.artic.3.& lib.2. de Anima lect.14.littera.g.vbi vt probet, quod lux non habet esse pure intentionale, sic ait. *Quæ habent solum esse intentionale, non faciunt transmutationem naturalem: radij autem corporum cælestium transmutant totam naturam inferiorem.* Quæ rationes inefficaces essent, si mediante actione intentionali

nali posset causari trãsmutatio physica.

9 Respondet Ferrara exponendo illam rationem nonam, quod licet forma habens esse intentionale, inquantum huiusmodi, non sit corruptiua, aut actiua alicuius effectus naturalis, si consideretur secũdum se: potest tamen obiectum sẽsus, talẽ formam imprimẽdo, naturalẽ transmutationẽ causare. Sicut licet virtus principalis agentis existens intentionaliter in instrumento, non posit ex se, inquantum habet tale esse diminutum, effectum principalis agentis causare: ipsum tamen principale agens potest per ipsam sic existentem in instrumento, operari. Intendit ergo Sanctus Thomas, quod intentio secundum se non potest naturalem transmutationem causare, non autem negat, quin obiectum per ipsam intentionem organo sensus impressam, organi proportionem soluere possit.

10 Sed contra hanc solutionem est, quod hæc solutio posset aptari rationi D. Thomæ, & ita eius argumentum maneret inefficax: facile enim responderi posset, quod licet radij solares secundum se naturam inferiorem non immutent: tamen Sol ipse mediantibus radijs hanc immutationem faceret: & sic nihil prohiberet lucem in aere tantum intentionaliter esse.

11 Et ratio huius sententiæ videtur plana, quia læsio, seu corruptio organi est passio naturalis: siquidem ipsa temperies physica organi dissoluitur: alioquin non corrumperetur si temperamentum eius physicũ maneret illæsum. Ergo requirit actionẽ naturalem, & non pure intentionalem. Probatur consequentia, quia actio pure intentionalis solũ infert effectum, & passionem intentionalem: quia nihil agit vltra suam speciem.

12 Præterea arguit Ioannes à S. Thoma, quia ex in proportione excellentis sensibilis supra sensum, solum sequitur, quod sensus non poterit percipere, & intentionaliter moueri ab illo obiecto, ita improportionato in esse intentionali: non tamen sequitur, quod dissoluatur tẽperamentum organi ab illa intẽtionali motione. Ergo ex precisa motione intentionali, qualitates naturales organi nõ lęduntur, nec destruuntur. Probatur antecedens: nam temperamentum organi constat ex qualitatibus naturalibus: vnde nisi contrariæ qualitates ponantur, non dissoluetur: qualitates autem intentionales, nõ contrariantur illis qualitatibus: cum solum sint representatiuæ, non autem naturaliter alteratiuæ. Ergo ad physicam læsionẽ, vel destructionem organi, opus est physica qualitate naturaliter alteratiua.

## §. III.

### *Sententia asserens sufficere intentionalem.*

13 OPpositam tamen sententiam expresè docet Caiet. 2. de Ani. c. 11. §. *circa quartam conclusionẽ*,

circa tex. 123. ibi se remittit ad tex tum 143. & ibi. c. 13. dub. 2. expressè asserit, quod sensibile excellens corrumpere, tam sensum, quam organum, non peraccidens, sed perse verificatur. Nec obstat, quod solutione ad 1. dicit, quod *alteratio perfectiua, nõ nisi peraccidens corrumpit*: quia ipse se explicat, quod hoc *peraccidens*, non est quia semper interueniat naturalis alteratio comitans intentionalẽ. Sed quia sensibili accidit, quod sit excellens. Verba eius sunt. *Actio sensibilis in sensum non est corruptiua, nisi peraccidens: quod est excellẽtia sensibilitatis in obiecto.* Idem sequũtur Iauellus 2. de Ani. q. 52. ad 1. & 2. & vt probabiliorem sequuntur Ferrara, Aquarius, & Bañez vbi supra. Et Tolet. 3. de Ani. q. 4. cõcl. 2. Et absolutè sequuntur PP. Carmel. disp. 9. q. 4. Thom. Hurt. cotrou. 1. de Anima sensitiua memb. 3. §. 2. & M. Serra 1. p. q. 78. art. 3. dub. 4. dicens esse communiorem opinionem.

14 Et probatur primo authoritatibus relatis in ipsa cõclusione principali. Sed respondent ibi solum affirmari, quod excellẽs sensibile corrumpit sensum, non tamen explicari modũ quo id fiat. ¶ Contra hoc est primo, quod Phylos. & S. Tho. absolutè loquuntur, & ideo formaliter sunt intelligendi: nam, vt inquit Caiet. *sermo scientificus est perse, & formaliter interpretandus.* Ergo intelliguntur de motione intẽtionali, quæ est propria sensus.

15 Præterea, visus est absque immutatione naturali organi, & obiecti, quia est perfectior inter omnes sensus, vt docet S. Thomas 1. p. quæst. 78. art. 3. & tamen excellens visibile lædit sensum. Ergo læsio sensus perse loquendo prouenit ab immutatione spirituali excellentis sensibilis, licet peraccidens aliquando admisceatur læsio à qualitatibus naturalibus.

16 Tertio videntur obstare verba illa Sancti Thomæ ex libro de insomnijs lect. 2. litt. h. iam supra relata, in quib⁹ expressè asserit, quod hoc non contingit nisi propter impressionem simulachrorum talium sensibilium factorum in sensu, quæ non cessant agere in sensum, donec corrumpant ipsum. Denique idem sumitur ex Phylosopho, & D. Thoma tertio de Anima text. 68. lect. 18. litt. b. vbi si non loquerentur de motione intentionali, non rectè assignarent differentiam inter modum, quo excellẽtia tangibilia corrumpunt tactum, & modum quo sensibilia aliorum sensuum (si sint excellentia) corrumpunt singulos sensus.

17 Præterea probatur ratione Phylosophi, & D. Thomæ illa lec. 2. nam sensus debet esse proportionatus sensibili, non in esse naturali, sed in esse sensibilis. Sed quælibet proportio corrumpitur per superabundantiam, & excessum in illo genere: ergo excellens sensibile in esse sensibilis corrumpit sensum. Maiorem explicat D. Thomas in fine lectionis secundæ, concludens. *Sensus delectatur in proportionatis sicut in sibi similibus, eo quod sensus est proportio quædam. Sed excellentia corrumpit sẽsum, vel saltem contristat ipsum.*

Vim

18 Vim huius rationis declarat Caietanus vbi supra, quia sensus, & organum eius consistunt in proportione ad patiendum à certa latitudine sui sensibilis. Sed tali proportioni excellentia sensibilis contrariatur. Ergo sensus ab excellẽti suo sensibili, vt sic corrumpitur. Maior probatur: nam obiectum secundũ extrema contristans: & secundum medium delectans sensum, non est obiectum connaturale tali potentiæ, nisi secundum medium. Sed quodlibet sensibile proprium secũdum sui excellentiam contristat, aut destruit sensum: secundum vero sui commistionem, seu proportionem causat operationem sensus delectabilem, vt patet experiẽtia. Ergo obiectum proprium cuiuscũque consistit in quadam proportione ad mouendum, & sensus in proportione ad patiendum, & sentiendum.

19 Aliud fundamentum indicat Ferrara illa q. 21. in 3. solut. ad 1. dicens, quod agens actione tantum spirituali quantum ad formæ intentionalis inductionem, potest corrũpere, si passiui proportionem excedat. Quod bene declarat ibi Mathias Aquarius exponendo authoritates S. Thomæ, & docens, quod forma intentionalis, quæ in proportione quadam ad aliquod passiuũ sibi proportionatum consistit, cuiusmodi est forma sensibilis; si huiusmodi proportionem excedat, qua suo passiuo proportionari debet, sui passiui proportionem, & commẽsurationẽ soluere potest. Quod late prosequuntur PP. Carmelitani §. 2. & 3.

20 Tertio arguũt Bañez, & Toletus, quia istæ species sunt accidẽtia quædam realia: poterũt ergo lædere sensum. Et in speciali patet, quod albedo disgregat visum, & nigredo congregat. Quod non fit nisi ratione specierum: nam species albedinis sunt fortiores, & magis accedẽtes ad lumen, & ideò disgregãt visum. Vnde Philosophus sec. 32. problem. q. 44. docet viride delectare visum, & corroborare magis, quia in medio cõsistit extremorum. Sed hoc totum fit media immutatione intẽtionali specierum; quia alia qualitas horum effectuum causatiua assignari nequit. Ergo poterit sensibile excellens lædere sẽsum media specie improportionata sensui.

21 Quarto arguit Thomas Hurtado, quia in sensitiuo ordo realis dependet ex ordine intentionali: quare isto dissoluto, ex natura rei, dissoluitur etiam ordo realis; & tẽperamentum requisitum ad sensorium, sine quo non subsistit sensus. Probatur antecedẽs, quia actio realis huius individui, ad quam concurrunt spiritus vitales, & animales, dependet ex natura rei ab speciebus intentionalibus: quæ si sint obiecti excellentis, & non proportionati, cogunt naturaliter potentiam ad operandum; contra id quod naturaliter exigit, prout est in hoc individuo. Est ergo connexus ordo naturalis cum motione intentionali: ac perconsequens dissoluta proportione intentionali, potest dissolui temperamentum naturale.

22 Sed obijcies: nam quanto ali quid magis participat rationem alicuius obiecti, tanto est magis cognoscibile à potentia cognoscitiua talis obiecti: sicut quanto aliquid magis participat rationem boni, tãto magis est appetibile. Sed quanto sensibile est excellentius, tanto magis participat rationem sensibilis. Ergo tanto melius est sensibile. Ergo non lædit, sed perficit sensum. Maior, & consequentiæ patent, quia quilibet sensus respicit connaturaliter totam latitudinem obiecti sui: alioquin oporteret esse speciales potentias pro excellentibus sensibilibus.

Respondet Iauellus ad secundũ, quod nullum datur sentibile excellens omnem sensum, quia sensus in toto suo ambitu cõsideratus, obiectum suum ũmpliciter, & secundũ totam suam latitudinem respicit. Est ergo excellentia, & improportio respectiuè accipienda, quia diuersa animalia habent diuersos entiendi gradus: nam lumẽ quod pro tantu gradu est delectabile oculo humano, erit improportionatũ oculo noctuæ. Et huius diuersitatis prima ratio est diuersitas complexionis organi in animalibus distinctis specie. Ex quo sequitur, quod lumen proportionatum oculo humano, lædit oculum noctuæ. Et vt dicit Ferrara ad 2. lux Solis, quæ nõ est visui hominis proportionata, visui Aquilæ proportionata est, vt supponit S. Aug. tract. 36. in Ioann. Hanc solutionem retulit Caiet. in fine dubij, & de illa ait, quod *est consona rationi communi, sed sensuum testimonio non comprobata, sine quo naturalis Philosophia in huiusmodi specialibus infirma est.* Quare non omnino videtur ei acquiescere, vt quidam malè referunt.

23 Aliam solutionem indicant Caietanus, & Ferrara, & Bañez ad 2. & bene explicant PP. Carmelit. n. 73. & 74. distinguendo, quod obiectum est duplex; aliud extensiuũ, quod dat speciem potentiæ: aliud proportionatum, & connaturale, quod cõmensuratur viribus, & modo essendi potẽtiæ. Sensus ergo nõ respicit connaturaliter suum obiectum extensiuum vt tale: sed solũ obiectum proportionatum. Vnde S. Thom. 3. Contrag. c. 54. ad 1. docet, quod *excellentia sensibilia sunt extra facultatem sensuum.* Id ergo, quod quantum est ex se, est maximè sensibile, non valet sentiri ab isto, quia est huic improportionatum: & quãto magis fuerit proportionatũ potentiæ, & organo, melius & connaturalius attingetur obiectum.

## §. IIII.

### *Resolutio quæstionis.*

24 IN hoc pũcto principali authoritates, & rationes, vtrinque allatæ, videntur persuadere vnumquemque posse in suo sensu abundare. Quod si aliqualem desideras opinionum concordiam, suppone cum Ferrara illa q. 21. quod sensus aliquando in sua entitate corrumpuntur, vel dissolutione temperamẽti organi, & ipsius destructione, & quia accidens corrumpitur corrup-

ruptione subiecti: vel aduentu cōtrariæ qualitatis. Aliquando verò sensus læditur, vel contristatur, nō quia eius entitas destruatur: sed quia impeditur operatio sēsus, seu iudicium de re sensibili, vel eius expedita, & connaturalis executio.

25 Fundamenta ergo primæ opinionis videntur probare, quod ad physicam destructionem, non tantū debeat interuenire immutatio intentionalis, sed etiam naturalis, & physica, vel violenta. Cum quo compatitur verum esse principale intentum secūdæ opinionis, quod sola immutatio intentionalis specierū sufficit lædere, & tristare sensum, quia impedit sensationem, & connaturalem, & debitum vsum operationum animalium. Inde autem mediate causari potest interitus physicus organi, vel potentiarum: quia operationes non connaturales lædunt potentiam: sicut etiam læditur potentia organica nimia attentione, vt admittit Suarez n. 35. & communiter Authores secundæ opinionis.

26 Si verò concordia non placeat, quia displicet opinionum Authoribus; iudico amplectēdā secūdam sententiam, vt communiorē, & magis rationi consonam. Ad authoritates sufficit relata solutio. Ad replicam satisfit in secunda ratione conclusionis: admittimus enim, quod perse, & absolutè, & regulariter loquendo, sola immutatio intentionalis non causat immutationem naturalem: & hoc intendit S. Thomas. Respectiuè tamen ad passiuum perse exigens proportionem cum sensibili immutatiuo intentionaliter, non mirum, quod immutatio intentionalis causet realem.

27 Ad primam rationem, concedo antecedens, & distinguo consequens: & concedo de immutatione mediate causata; nego vero de immutatione immediata proueniente à sensibili: quia licet regulariter sensibilia non solum immutēt intentionaliter, sed etiam naturaliter, propter qualitates tertię speciei ibi admixtas: tamen visus perse solum exigit immutationē intētionalem; & si sola ex parte visibilis detur, si non sit proportionata sensui huic, illa mediāte causabitur immutatio realis, & si fuerit abijcienda forma, eius contraria physicè inducetur.

28 Quod autem sēsus lædatur immutatione intētionali, adhuc probatur: quia vt ait S. Thomas 1. p. q. 78. art. 3. in cor. *Ad operationem sensus requiritur immutatio spiritualis, per quam intentio formæ sensibilis fiat in organo sensus: alioquin si sola immutatio naturalis sufficeret ad sentiendum, omnia corpora naturalia sentirēt, dum alterantur.* Quod autem regulariter sensus immutentur à qualitatibus tertiæ speciei, docet S. Thom. ibi ad primū afferens Phylos. 7. Phys. tex. 11. dicentem, *secundum eadem alteratur sensus, secūdum quæ alterantur corpora inanimata.*

29 Ad secundam rationem concedo antecedēs, & nego cōsequentiam. Ad probationem concedo maiorem; & distinguo minorē; nō

contrariantur, immediate, & ratione sui; concedo. Non cõtrariantur mediate, & ratione qualitatũ, quas causant, nego. Quod autem qualitates intẽtionales causent immutationes naturales, vel faciunt instrumẽtaliter: & sic potest aliquid agere vltra suam speciem; licet non vltra vim principalis agentis. Vel id præstant solum in sensibus capacibus immutationis spiritualis, seu intentionalis: quæ quia est in organo corporali sibi proportionato: & quorum proportio physica pẽdet à proportione motionis spiritualis; ideò vna dissoluta, alia indirecte tollitur, vel impeditur.

30 Et quod dixim⁹ de excellẽti sensibili improportionato, pariter dici debet de minimo improportionato: quia symetria sensus cũ sensibili, non solum soluitur per excessum, sed etiam per defectum: licet non ita cito defectus lædat, ac excessus, vt experiẽtia patet. Et ideò Phylos. 2. de Ani. textu 120. & S. Thomas lec. 23. lit. f. dicũt, *quod intãgibile dicitur dupliciter; aut illud quod habet excellẽtiam, ita quod corrumpit sẽ sum, sicut ignis; aut illud quod habet parũ de qualitate tangibili, sicut aer. Vtrumq; enim dicitur intangibile, quasi male perceptibile sensu tactus.* Quod pariter procedit in alijs sensibus. Vt notat S. Thomas lec. 21. lit. d. Vnde B. Albertus trac. 4. cap. 9. & Toletus, & Bañez vbi supra explicãt qualiter tenebræ lædunt visum, quia in tenebris spiritus confugiunt ad partes internas: minima autem frigiditas congregat, & constipat partes oculi: & ideò lumen lædit, & dolorẽ causat venientibus à loco tenebroso, quia lumen dissipat constipatas partes oculi.

## QVAESTIO XXV.

### *Vtrum sensibile positum supra sensum, faciat sensationem?*

### §. I.

### *Eligitur pars negatiua.*

1 PRo intelligentia tituli notat Ferrara 2. de Ani. q. 19. quod cum omnis cognitio fiat per hoc, quod cognitum causat suam similitudinem incognoscente; idem est inquirere, vtrum sensibile positum supra sensum, seu illi contiguum, faciat sensationem? Ac quærere, vtrum causet similitudinem sui, & per eam sentiatur? Seu vtrum omnes sensus indigeant medio ad sensationem? Vel immediatè sine specie sensibile possit sensum immutare actiuè ad sentiendum?

2 Præterea aduertit, quod nomine *sensibilis*, duo possumus intelligere: aut ipsam qualitatem sensibilẽ: aut id quod à qualitate sensibili actuatur, & denominatur. Sicut nomine *visibilis*, vel potest intelligi color; aut corpus coloratum. Et *audibile*, vel dicitur corpus sonans, aut sonus. Vtroq; modo accipitur hic sensibile.

3 Denique cum medium, vel sit internum, nempe, vna pars animalis sentientis medians inter sensibile,

sibile, & sensum: vel medium externum, quod supposito differat à sentiente, & mediet inter potentiã sensitiuam affixam organo corporali, & eius obiectum. Ideò indefinite de vno, vel altero medio inquirimus, an sit necessarium in omnibus sensibus?

4 Negatiuam sententiam tenẽt Auicena 6. Naturalium parte 2. capite 5. de olfactu, vbi docet mediũ non esse necessarium, nisi quando est distans sensibile: nam si sit proximum, & immediatum, potest sentiri. Quod & tenent Simplicius 2. de Anima cap. 6. Alexander, & alij Antiqui, quos sequitur Durandus in 2. dist. 13. quæst. 2. num. 10. & Toletus lib. 3. de Anima cap. 1. quæst. 2. concl. 1. & 2. docens, quod tactus, & gustus, & reliqui tres sensus non indigent in omnibus sensationibus necessario, & semper medio. Licet perfecta sensatio in tribus sẽsibus fiat per medium, vt ait concluſ. 3. Et denique concluſ. 4. asserit sibi probabile tactum non indigere specie intentionali; sed per ipsam realem qualitatem receptam sentire. Quod vltimum tenet Vallesius lib. 2. cap. 29.

5 Suarez vero lib. 3. de Ani. c. 27. n. 7. ait. quod sensibile inhærens organo, non sentitur. Si autem sit cõtiguũ, sentitur ab alijs sensibus, præter visum. Et n. 5. in fine, id tribuit D. Tho. B. Albert. & Durãd. Ex quibus solus Durandus fideliter refertur, quia id tenet vbi supra: euidentissimum autem est S. Thomam, & Caietanum oppositũ expressè docere locis referendis. Et Rubio fatetur B. Albertum nobiscum sentire. Denique Rubio lib. 3. de Anima cap. 1. q. 3. concl. 1. asserit, tactum, gustum, & olfactum, perse nõ habere medium externum, neque internum.

6 Asserendum tamen est, sensibile immediatè positum contiguum sensui, sentiri non posse. Ita quoad visum docent Philosophus, & S. Thomas 2. de Anima cap. 7. textu 73. vbi ait Philosophus. *Si quis ponat habens colorem super ipsum visum, non videbitur.* Vbi S. Thomas lectione 15. lit. c. ait. *Si aliquis ponat corpus coloratum, super organum visus, non videbitur: quia nõ est ibi diaphanum in actu, quod moueatur à colore.* Et quod idem sit in alijs sensibus, expressè docet Philos. ibi tex. 75. dicens. *Eadem autem ratio est, & de sono, & de odore: nihil enim ipsorum tangens sensorium facit sensum.* Et infra. *De tactu autem, & gustu habet se similiter.* Et S. Thom. lit. f. dicit. Quod *eadẽ ratio est de sono, & odore, sicut & de colore: nullum enim eorum sentitur, si tangit organum sensus: sed ab odore, & sono mouentur media, à medio autem vtrumque organorum, auditus, scilicet, & olfactus. Sed cum aliquis ponit corpus odorans, aut sonans, super organũ sensus, non sentitur. Et similiter est in tactu, & gustu; licet non videatur, propter causam, quæ inferius dicetur.* Authoritates istæ expressę videtur, nec vlla indigent ponderatione.

7 Et lec. 20. lit. b. ait S. Thomas. *Sed hoc quod sensibile positum supra sensum, nõ sentiatur, cõmune est omnib⁹ alijs sẽsib⁹, &c.* Et tex. 116. lec. 23. lit. d. sic arguit ex Phil. S. Tho. *Sic accidit in hoc sensu, sicut in alijs: non enim vẽ-*

*tiunt*

*tiunt animalia sensibilia apposita super organum sensus. Sentiunt autem sensibilia apposita super carnem. Quare manifestum est, quod caro non est organum sensus, sed medium.* Quæ ratio nil valeret, si sensibile positū supra sensus posset sentiri. Et expresse S.Thom.3.Meteororum lect.6.q.1.ad 1.vt referem⁹ q.27.n.33. Quare ita tenent Thomistæ omnes. Immo *omnes Peripatetici*, vt testatur Iauellus 2.de Anim. q.31.Specialiter Auer. Cōm.116. & Tyenensis 2.de Anim.capit.10. Iandunus q.21. Appolinaris q.34. & Scotus in 2.dist.13.q.vnica. §.*de secundo*. Et ibi AEgidius, & 2. de Anima cap.7. & 10.& alij frequenter.

## §. II.

### *Experientiæ pro conclusione.*

8 OMnes isti licet in conclusione concordent: dissident tamē in ratione assignanda. Auerrois enim textu 74.duas videtur assignare causas. Primam ab experientia, quia in singulis sensibus experimur, quod sensibilia posita supra sē sum non sentiuntur. Secundā, quia visio non fit sine lumine: lumen autem non datur sine medio, in quo recipitur, cum sit actus medij diaphani.

9 Primam rationem probant, & in singulis sensibus siggillatim verificant Bañez 1.p.q.78.ar.3.dub.6. & Aquarius 2.de Anim.ad q.19. In visu probatur ratione Phylosophi text.73.& S.Thomæ lec.15. lit.c. asserentis. Si aliquis ponat corpus caloratum super organum visus, non videbitur: quia non est ibi diaphanum in actu, quód moueatur à colore: nā & si pupilla sit quoddā diaphanū: nō tamen erit diaphanū in actu, si superponatur sibi corpus coloratum. Oportet autem, quod color moueat diaphanum in actu, puta aerem, vel aliquid huiusmodi: & ad hoc mouetur sensitiuum, idest, organum visus, sicut à corpore sibi cōtinuato: corpora enim nō se immutant, nisi se tangant. Hæc S.Thomas.

10 De auditu probatur, quia vt docet Phylos.2.de Anim.text.79. & S.Thomas lect.16.litt.d. ad soni generationem necesse est, quod *aliqua corpora firma, vel solida, & dura, percutiāt se inuicem, & percutiāt aerem*. Si autem corpus sonum causans supponeretur auditui, aut organo eius, vel non fieret ista percusio: vel si percuteret organum: illud læderet, aut destrueret. Vnde sonus non posset percipi ab auditu.

11 Circa olfactum duplex assignatur causa. Prima, quia odorabile peruenit ad olfactum quadam fumali euaporatione: & tamen vt docet S.Thomas lec.20.lit.a.in fine, non pertingit vsque ad terminum, vbi odor percipitur; sed immutatur medium spiritualiter, vltra quā dicta euaporatio pertingere possit. Si autem odorabile superponatur sensui, fumalis euaporatio non fieret, id impediēte frigiditate cerebri. Et immutatio spiritualis locū non haberet. Secūda causa est, quia de facto prouidit natura ne sensibi-

le

le ad organum posit peruenire: in quo cõueniunt auditus, & olfactꝰ: nam auris, & nasꝰ sunt in tali dispositione, vt impediãt ne sensibile tãgat immediate organũ, vel sensũ.

12 De tactu id probatur, quia cũ qualitates tangibiles sint productiuæ sibi similis, etiam secundum esse naturale, si tangibile superponeretur organo, imprimeret formam naturalem, quæ læderet, vel corrũperet sensum. Denique in gustu ratio sumitur ex doctrina Philosophi 2 de Ani. lec. 21. apud D. Thomam lit. c. quia non facit humoris, ideſt, saporis ensum sine humiditate. Posito autem saporoso supra organum gustus, non posset sentiri humidum, eo quod tangibile esset supra organum tactus, nec etiam sentiretur sapor.

13 Reijciunt tamen experientias istas, & rationem inde de sumptam Caietanus 2. Anima cap. 6. dub. circa text 74. Iauellus ibi q. 31. Ioãn. à S. Tho. q. 4. art. 3. & specialiter cõtra id quod affertur ex sensu visꝰ, arguit Caietan. tripliciter. Primo, quia ex ratione coloris non probatur vniuersaliter, quod nullum visibile, vel sensibile possit immediatè superponi ensui, & sentiri: quia id posset esse speciale in colore, quia indiget medio lumine, in quo colorꝰ videdꝰ est. Si enim lumẽ, in quo color videtur, posset sine medio inueniri inter colorẽ, & oculũ; cum oculus sit diaphanus, ex ratione coloris, non probaretur medij necessitas.

Secundo, quia experientia de solo colorato vera comprobatur: micantia enim fortè viderẽtur posita supra oculos, si tantum luminis obtinent, vt diaphanum oculi possint actuare. Ignea autem, & lucẽtia experiri non possumus, eo quod aut vrunt, aut procul à nobis sunt. Denique hæc nil probant, quoad alios sensus. Nec eandem esse de omnibus rationem Auicena acceptat.

14 Cæterũ, cũ ratio hæc, quoad visum, habeatur expresse in Philosopho, & D. Thoma, non iudico ita facile reijciendam: dum tamen non assumatur pro medio, & ratione pro omnibus sensibus, sed solũ in visu: quia cũ singuli sẽsus habeãt diuersum organum, & multi diuersum modum immutationis; nõ potest ratio ab experiẽtia esse vna pro omnibꝰ. Et per hoc patet ad tertiã impugnationem.

15 Aliæ duæ nullam afferunt experientiam in contra, sed fingũt casus, quos experti non sumus. Vt autem de illis fiat iudicium, notandũ cum Ferrara q. 19. ad 4. quod dupliciter de lumine loqui possumus. Vno modo de lumine terminato; vel quia est in corpore secũdum se terminato, vt est lumen Solis: aut quia per reflexionem ad aliquod corpus terminatur, vt est lumẽ terminatum ad corpus politum reflexum. Alio modo de lumine recepto in aere medio non terminato. Loquendo de lumine terminato, fatemur, & experimur illud videri posse. Sed terminatur corpore colorato: & de isto militat ratio assignata. *Si autem de lumine interminato loquamur, negatur, quod videatur: contingit quidem oculum, & est ratio videndi,*

*di, inquantum diaphanum facit in actu; non tamẽ actum visionis, tamquã id quod videtur, terminat.* De quo iterum infra q. 27. n. 48. ex D. Thoma 3. Meteororum lec. 5. lit. d. Nũquam ergo experti sumus coloratum, vel lucem terminatam sensui superpositam, videri, imo contrarium experimur. Aer vero, & lux interminata, quæ est prope oculum, sunt medium, & ratio videndi: non tamen videntur vt *quod*. Et ideò in visu clare fauet experientia communi conclusioni. Aliæ, quæ procedunt de alijs sensibus, ex dicendis de illis in particulari, discusẽma nebunt.

## §. III.

## *Ratio à priori duplex expenditur.*

16 QVicquid autem sit de experientijs, mærito dubitatur, an sit aliqua ratio à priori, quæ vniuersaliter probet in omnibus sẽsibus indigentiam medij intentionalis?

Celebris est ratio insinuata ab Auerroi, quam approbant AEgidius tex. 121. q. 2. & Iãdunus q. 29. quos citat, & sequitur Iauellus q. 50. & illa q. 31. & tenẽt Caietanus, & Bañez vbi supra, & prosequũtur PP. Carmelitani disp. 9. q. 3. §. 3. Quia naturalis ordo gradatim procedit ex esse materiali sensibilis ad esse spirituale vitale, medio esse, quod habent species in medio: quia sensus non potest a forma sensibili omnino materiali immediate recipere speciem tantæ suæ spiritualitati cõformẽ: sed oportet, quod recipiat à forma in medio, quæ nec est omnino materialis, nec omnino spiritualis. Ratio ergo necessitatis medij, est spiritualitas, quę est communis omni sensui, licet non æqualiter. Itaque, sicut species sensata in phantasia est spiritualior, quam in sensu communi, & in sensu communi spiritualior, quam in sensu exteriori. Sic in sensu exteriori est spiritualior quam in medio. Vt ergo seruetur ordo inter gradus spiritualitatis, necesse est in sensatione dari medium susceptiuum minimi gradus.

17 Sed contra hanc rationem arguit Toletus, quia species, quæ in medio est, prorsus videtur esse eiusdem speciei, cum ea, quæ est in organo: si igitur est eiusdem speciei, erit eiusdẽ immaterialitatis intrinsecæ.

Iam respondebat Iauellus negando consequentiam, quia ex diuerso susceptiuo, & diuerso modo quo recipitur, species est immaterialior in sensu, quam in medio. Cuius signum est, quia organum est susceptiuũ potentiæ sensitiuæ, quæ est spiritualior specie sensibili: mediũ autem non est susceptiuum potentiæ vitalis sensitiuæ. Ergo organum ex eo quod informatur anima sensitiua, & habet dispositiones aptiores, est receptiuum spiritualioris formæ, quam sit medium.

18 Præterea arguit M. Ioannes à S. Thom. quia hæc ratio laborat in æquiuoco: siquidem medium attenuat species, infirmando, reddẽdo

que

que imperfectiores: vnde per distantiam medij magis attenuãtur, & imperfectiores redduntur. Vt autem ratio esset efficax, oporteret, quod mediũ magis spiritualizaret, & immaterialiores redderet: siquidem esse intentionale, & representatiuũ speciei ex maiori immaterialitate crescit. ¶ Secũdo, quia species procedit, vt naturalis similitudo, ab eo cuius est species: & sic toto naturæ impetu procedit, neque indiget medio, vt similitudo fortior euadat. Denique, quia obiecta videntur à parua distantia: non apparet autem, quomodo in tam parua distantia subtilizari possit species in aliqua notabili proportione, respectu eius, quæ exit ab obiecto.

19 Deinde P. Thomas Hurtado Controu. 1. mẽbro 3. §. 2. obijcit, quod cum obiectum sit causa æquiuoca, vel instrumentalis speciei impressæ, immediate ipsam producit cũ esse immateriali sufficiente, quãtum est ex parte speciei, ad sensationem. Deinde, si prima species, quæ producẽda esset ab obiecto, produceretur à solo Deò in oculo; absque dubio cum illa videret: depuratio ergo à crassitie per medium, fictitia videtur. Denique, quia non minus est naturalis similitudo obiecti, species immediate ab obiecto producta, quã illa, quæ est in medio: ergo quælibet habet sufficientem immaterialitatem ad sensationem.

20 Fateor argumenta hæc non parum labefactare rationem illam, in terminis quibus proponitur à M. Bañez, & à PP. Carmelitanis. Cæterũ formando eam verbis relatis Caietani, & Iauelli, quibus nos vsi sumus vim nõ habent, & solubilia sunt. Et ratio est satis probabilis: & illa, in simili videtur vti S. Tham. 1. p. q. 55. art. 2. ad 2. dicens, *quod de extremo ad extremum non peruenitur, nisi per medium. Esse autem formæ in imaginatione, quod est quidem sine materia, non tamen sine materialibus cõditionibus, medium est inter esse formæ, quæ est in materia, & esse formæ, quæ est in intellectu per abstractionẽ â materia, & â conditionibus materialib⁹. Vnde quantumcumque sit potens intellect⁹ angelicus: non posset formas materiales reducere ad esse intelligibile: nisi prius reduceret eas ad esse formarum imaginatarum.* De qua ratione videndi ibi Caietanus, & Nazarius Controu. 1. & Ferrara 2. Contrag. cap. 97. Pariter ergo, quia species est in sensu immaterialior, quam in medio; naturaliter loquendo non valet cauari in sensu quin prius causetur in medio deferente ad sensum.

21 Ad primam replicam dicimus, in ratione, sic exposita, nullam latere æquiuocationem: quia licet verum sit, quod distãtia medij reddat imperfectã visionem: vnde S. Thomas 2. de Anima lec. 15. probat, *quod quãto à remotiori videtur, minus videtur: & tanta potest esse distantia, quod omnino non videtur.* Tamen efficacia rationis in hoc nõ innititur. Sed in eo quod medium nõ informatur anima, nec est capax tãtæ immaterialitatis, quãtæ est capax organũ sensus. Et ideò ex obiecto pure materiali, non fit transitus ad sensũ, nisi per medium: in quo non debent esse species immateriali⁹, quam in sensu, sed pori⁹ è cõtra: quamuis aliqualiter sint immate-

materialius, quam sint in re sensibili.

22 Ad secundā dicitur, quod forma eadem secundum speciem, in diuerso susceptibili habet diuersum modum essendi. ¶ Ad tertiam dicitur, quod non facimus vim in distātia parua, vel magna, dū sit proportionata sensui. Sed in eo quod medium insensibile non est capax tantæ perfectionis quantę sunt capaces sēsus. Et hæc differētia verificatur in minima distantia.

23 Per quæ facile aliæ replicæ relatæ n.19. soluuntur. Ad primam dicitur, quod defectus non est ex parte representationis speciei: sed vt seruetur illi connaturale subiectū, & gradatim ascendat in modo essendi subiecti ab infimo ad secundum gradum. Et loquimur naturaliter, non vero disputamus de eo quod Deus efficere valet. Ad secūdā iam respondimus, quod representatio speciei est eadem: sed ex susceptibili est modus essendi diuersus. Vnde medium, & sensus nō sunt mobilia eiusdem rationis.

24 Secundam rationem pro conclusione proponit Caietanus (non cap.10. vt male solet referri: sed capit.6. in fine) his verbis. Ex natura li verò colligatione sensus in actu cum sensato in actu, medium necessarium videtur. Quoniam cum sensatum (vt habetur lib.de Sensu, & Sēsato) sit duplex, scilicet, primū, idest, remotum, & propinquum: & sensatum primum sit ipsum obiectum; propinquum autem sit species ei⁹, si nullum intercederet medium, non solum impossibile esset idem numero videri, audiri, odorariq; simul à multis: sed totaliter toleretur sensatū propriū. Si enim obiectū nullū haberet esse in medio, visus informatus specie obiecti in ipsum obiectum nō per mediū ferretur: & sic nullum esset sensatum proprium aliud à primo. Quod inconueniens videtur ex prima radice: nam sensus in actu spiritualis est: vnde sicut nō potest pati ab omnino materiali; ita non potest terminari immediate ad omnino materiale.

25 Probat solam hanc rationem M.Ioan.à S.Thom. vbi sup. & eius vim declarat, quia si sēsibile immediate positum supra sensum, posset sentiri, non repugnaret videri aliquid sine specie; quia species, vt immediate exit ab obiecto, nō magis immaterialis exit, quam obiectum: ergo si talis species posset seruire sē sui, obiectum per seipsum idē posset. Ergo pupilla posset se ipsam videre: quia idem non ageret in seipsum, sed pars pupillæ exterior in interiorem. Imò, & ipse oculus se ipsum: quia non requireretur emissio speciei. Quod tamen est contra experientiam.

26 Denique hoc est conueniens operationi sensitiuæ, quæ eleuatior est, quam naturalis: ad alterationē autem, & motum naturalem requiritur indistantia applicationis inter agens, & passum, quia agens naturale determinatur à sua materia circa quā operatur. Ergo conueniens est quod natura cognoscitiua sit aliquo modo independēs à tali indistātia, & cōtactu naturali: & sic operetur non

non existente sensibili supra se, sed aliquomodo distãti, & per aliquod medium.

27 Probabilis quidem ratio; sed quæ non minores patitur difficultates, ac obijciantur contra præcedentem. Posset enim responderi negando sequelã: quia vt probat Suarez lib.3.de Anim.cap.26.gust⁹, & tactus nõ sentiunt qualitates suis organis inhærentes, sed qualitates, rerum eos alterantium: sicut gustus percipit saporem rei sapidæ à se distinctæ. Et tamen n.5.probat, quod sensus, tactus, & gustus immutãtur à suis obiectis per species intentionales. Quia tamen propter imperfectionem horum sensuum, immutatio intentionalis supponit naturalem, cum isti sensus non possint se ipsos alterare naturaliter, nec sui speciẽ valẽt producere: ac proinde nec sẽtire seipsos. Cũ quo cõponit cap.27.sensibile positum supra sensum sentiri: quia contiguum potest causare sui speciem, excepto visu.

28 Dici ergo posset primo, quod ratio, quæ militat in visu, non probat de omnibus sensibus. Secundo dicitur, quod obiectum est modo naturali materiali: & ideò, adhuc præsens perse ipsum, est improportionatum sensui. Species vero, etiã sine medio causata, haberet esse intentionale: & ideò (nisi recurratur ad rationẽ, quam impugnarat Ioann.à S.Tho.) non est cur nõ sit proportionata potentiæ.

29 Tertio faciliter posset respõdere Auic. quod hæc est eminentia sẽsus, quod possũt attingere proxima sine medio, & distantia per medium: at vero naturalia solum tãgunt indistantia.

30 Quarto posset dici, argumẽtũ laborare in æquiuoco, quia cõfundit mediũ delatiuũ specierũ, cũ medio representatiuo: nã alij assererẽt opus esse medio represẽtatiuo, nẽpe, speciebus: sed nõ medio delatiuo: quod sufficit, vt verificaretur eorũ sẽtẽtia, quod sẽsibile cõtiguũ sẽsui, potest sentiri: quãuis sui speciem causando.

## §. IIII.

*Argumenta soluuntur.*

31 SEd cõtra cõclusionem obijcit Suar. illo c.27.n.5. authoritates S.Th. ex 1.p.q.78.art.3.ad 4. vbi S.Thomas ait. *Quod tactus immutatur naturali immutatione, & non solum spirituali, quantum ad organum suum secundum qualitatem, quæ ei proprie obijcitur.* Quod & docet 2.de Anim.lec. 14. & in 2.dist.2.q.2.art.2.ad 4.

Cæterum hoc vltimo loco, nil ad intentum argumenti attinens, docet S.Th. At verò quod ibi ad 5. docet, *quod quædam sensibilia coniungunt organum secundum esse suum materiale, sicut in gustu, & tactu.* Verificatur, quia tangunt carnem immediatã organo. Et sic dici potest, quod isti sensus excludunt mediũ externum; non verò medium internum, vt insinuat S.Thom.q.vnica de Anima art.13.in corp.circa finem. Et pariter illo artic.1.p.vt dicetur q.26.n.17. Vnde id quod asserit.1.p. verissimum est: nam vt ait S.Tho. in 4.dist.8.q.1.art.3. *Inter alios sensus solus tactus est, cui suum sensibile realiter coniungitur; similitudinibus tantum sensibilium ad alios sensus per mediũ perueniẽ-*

*uenientibus: gustus autem tactus quidam est. Et inter alia, quæ ad tactum pertinent, solus cibus est, qui agit per coniunctionem sui ad cibatum, quia nutriens, & nutritū fit unum.* Et quæst.14.de Malo art.4. ad 1.ait, quod *delectationes aliorū sensuum consequuntur coniunctionem rei delectabilis, secundum solam similitudinem. Sed delectationes tactus consequuntur coniunctionem delectabilis corporalem.* Cū quo compati, quod in tactu nō ponatur sensibile supra sensum, explicat S. Tho.2.de Anima lect.23.litt. d.verbis relatis.n.7. quia sensibilia tactus sentiuntur posita supra carmen: caro autem non est organū, sed medium, vt suo loco infra exponetur.q.36.

32 Præterea obijcit plures experientias. In primis enim contigua sibi sentit cutis, vt calorem ignis, si intra illum existat: vbi euidens est nil mediare. ¶ In odoratu etiam euaporatio odorifera subit aliquādo vsque ad cerebrum; atque adeò vsque ad organū odoratus, vt colligitur ex Aristotele sect.16. Problematum.q.5.& de Sensu, & sensato cap.2.& 5.tūc verò etiam sentitur odor. Sonus quoque vehemens prope aures realiter illabitur vsque ad membranam, & fortasse per poros vsque ad auditum; & tamen percipitur.

De gustu patet euidentius: ait siquidē Aristot.text.104. ad saporē percipiendum requiri humiditatē, vt guttabile humescat, & subintret poros linguæ vapor deferens saporem. Ergo licet subintrēt ipsum organū, melius immutabunt. Hinc caro linguæ porosa est, quo vapores facile subintrent, vt Aristoteles ibidem ait, & 1.de Historia animaliū cap.15.& 2.de Partibus animal.c.17. ac D. Thomas, & alij. Constat quoque melius percipi, quādo realiter ad gustum pertingit. Illud ergo proloquium, quod sensibile supra sensum positum non sentitur, falsum est.

33 Hoc tamen argumentum iā diu erat solutum à Iauello q.50.in fine, Bañez dub.7.vnde mirum est quod Suarez illo conuincatur, nō replicando contra solutiones. Ad primum facile dicitur, quod cutis, & caro illa exterior non sunt organa tactus, sed medium. Organū autem est neruus sub carne latēs. modo infra q.36.explicando. Neruus autem non sentit immediate calorem: sed à calore extrinseco multiplicatur species ad neruū, per quā ipsa sentitur. Si autem neruus non esset colligatus carni, nullum sentiret dolorem. Dato autem quod sensibile tangat neruum, si totum tangit, non sentiet. Si vero vnā partem tangat, illa non sentiet illud; sed pars ipsi proximior id sentiet.

34 Ad secūdum negamus, quod odor, qui immediate tangit carunculas, sentiatur: immo necesse est, vt sit parum distans. Vnde quando exhalatio intrat vsque ad cerebrū, illa, quæ propinquior est sensorio odoratus, sentitur: non vero illa, quæ supra illud ponitur. Similiter auditus nō percipit immediate sonum extra se factū; si enim illabitur mediante medio, percipiet sonum: si vero vehementia sit tanta, quod tangat sēsorium, illud lædet, & sonum

num nõ percipiet. Sibilus autẽ, qui in aure sole percipi, non est in aere immediato ipsi organo audit⁹: sed est in aere respersо in cõcauitatib⁹ auris.

35 In vltimo argumento nullam video euidentiam, sed manifestam æquiuocationem, quia confundit coniũctionem ad medium, cũ coniunctione immediate ad organum. Vnde Phyl. illo tex. 104. & S. Thomas lec. 21. lit. e. docent, *quod quia illud, quod est gustabile, oportet esse humidũ & saporosum, necesse est organum gustus, neque esse humidum actu, neque saporosũ secundũ se ipsum, &c. Et hoc ideò est, quia gustus patitur aliquid à gustabili, secundũ quod est gustabile, sicut quilibet sensus à sẽsibili.* Vnde non debet habere intus qualitatem ad quam est in potentia vt ab ea patiatur. Non ergo vapor dulcis, & amarus in ore tangunt immediate neruum, vel organum, sed pri⁹ respergitur in carne linguę, quę est medium in gustu, inde media specie ad neruum peruenit. Reliqua, quæ obijci solent, solutionem accipient ex dicendis de singulis sẽsib⁹ in particulari.

36 Vltimo arguit Suarez ratione: nam ad sentiendum requiritur obiecti applicatio vt immutet sensum per species: hæc autem immutatio non impeditur, etsi obiectum contiguum sit organo: ergo sensibile positum supra sensum non impedit sensationem.

Respondetur negando minorem: quia vt ait S. Thomas 1. p. q. 77. art. 3. *Ad immutationem sensus requiritur immutatio spiritualis per quam intentio formæ sensibilis fiat in organo sensus. Alioquin, si sola immutatio naturalis sufficeret ad sentiendum, omnia corpora naturalia sẽtirent, dum alterantur.* Cum ergo proportionatũ susceptibile immutationis naturalis, non sit immediate capax immutationis spiritualis, nisi gradatim species sit in medio: si sensibile immediate sit in organo, impeditur conueniens productio speciei, & sensatio.

37 Posset secundo responderi ex his, quæ ipse Suar. dixerat c. 26. n. 6. loquendo de tactu: nã docet qualitates primas duas habere actiones, naturalem productiuam sui similis, & intentionalem productiuam specierum. Et quod intentionalis supponit naturalem, neque fit solitarie: non enim tactus calorem percipit, nisi quando actu calesit: & ideò tũc solum actu immutatur intentionaliter. Quod docet experientia. Et prouenit ex imperfectione tactus, qui pure intentionaliter immutari nõ valet: & ex imperfectione qualitatum tangibilium, quæ species intentionales, non nisi permixtas materiali actione diffundere possunt. Ex quo infert Suarez, quod hac de causa calor sui speciem non efficit in subiecto, cui inhæret, quia nõ potest illud materialiter alterare. Ergo meli⁹ nos dicere possum⁹, quod cum immutatio naturalis mixta cũ intentionali debet esse circa indistantes, & distans in organo: alioquin in suo subiecto causaret speciem sui & non differret à contacto pure physico: tactus immediatus physicus organi, impedit causalitatem, & immutationem intentionalem.

## QVAESTIO XXVI.

## *Vtrum sensus externi sint tantum quinque?*

1 QVod sensus externi sint tantum quinque, indubitatum est. Docent id Sancti Ecclesiæ Doctores, nempe, Sanctus Hieronymus super Psal.141.S.Ambrosius lib.6. Exameron cap.9.& in cap.18.Apocal.S.Gregor.hom.17. in Ezequielem.Et homil.9. in Euangelia, ait. *Quinque etenim sunt corporis sensus: videlicet, visus, auditus, gustus, odoratus, & tactus. Quinque ergo talentis, donum quinque sensuum, ideſt exteriorum scientia exprimitur.* Matthæi 25. illis verbis: *Vni dedit quinque talenta.* Sanctus Augustinus lib.3.de Genes.ad litteram cap.5. & de quantitate animæ cap.23.Sanctus Damascenus 2.fidei cap.18.Sanctus Gregorius Nissenus Orat.6.in Cantica. Origenes hom.3.in Leuiticum.Sanctus Athanasius de diffinitionibus, tit.de anima.Et exprofesso Sanctus Bernardus sermone, *de vita, & quinque sensibus animæ*. Amplectuntur omnes Theologi, & Philosophi. Et Cicero secundo de Natura Deorum eleganter exponit quinque sensuum distinctionē. Imò & vulgares, quia experiuntur tantum organa, & operationes quinque horum sensuum, illos solos agnoscunt.

2 Rationem sufficientiæ assignat Philosophus libro secundo de Anima, seu iuxta Græcos, in principio libri tertij, à textu 128.vsque 135. Sed quia assumit aliquas propositiones primo aspectu difficiles, egregiè, clarè, & breuiter defenditur à Iauello libro secūdo quæstione.55.

3 Auicena sexto Naturalium parte 2. & 3. colligit numerum, & distinctionem sensuum ex parte organorum, in quibus aliquod elementum dominatur. At verò Beatus Albertus Magnus in Summa de homine tractatu de Sensibus quæstione 4.& in secundo de Anima tractatu 4.cap.3. Colligit distinctionem sensuum ex parte medij, vel ex diuersa natura sensibilium qualitatū. Et ibidem cap.5.arguit à fine: nam quinque sensus sufficiunt ad omnia opera vitæ externæ animalis: nam his instructi, nullam deprehendimus indigentiam vlteriorisensus, quolibet autem destituti sentimus non minimam: ergo isti sufficiunt, & sūt necessarij.

4 Rationes tamen has non probat Sanctus Thomas prima parte quæstione 78.articulo tertio, non enim potentiæ sunt propter organa, sed organa propter potentias. Vnde non propter hoc sunt diuersæ potentiæ, quia sunt diuersa organa. Et ideò natura instituit diuersitatem in organis, vt congruerent diuersitati potentiarum. Et similiter diuersa media diuersis sensibus attribuit, secundum quod erat conueniens ad actus potentiarum. Naturas autem sensibilium qualitatū cognoscere, non est sensus, sed intellectus. Non ergo hac via explicatur à priori ratio distinctionis, & numeri sensuum.

§.1.

## §. I.

## *Ratio Sancti Thomæ exponitur.*

5 IPse Sanctus Thomas libro tertio de Anima lectione prima littera. 9. ait. Potest, & hæc ratio assignari distinctionis sensuum. Manifestum est enim, quod cum potentia dicatur ad obiectum, oportet, quod secundum differentiam obiectorum, diuersificentur potentiæ sensitiuæ. Obiectum autem sensibile est, prout est immutatiuum sensus. Vnde secundum diuersa genera immutationum sensus à sensibili, oportet esse diuersos sensus. Immutatur autem sensus à sensibili: vno modo per contactum: & sic est sensus tactus, qui est discretiuus eorum, ex quibus constat animal. Et sensus gustus, qui est perceptiuus qualitatum, quæ designãt conuenientiam nutrimenti, quo conseruatur corpus animalis. Alio modo immutatur sensus per medium. Et hæc quidem immutatio; aut est cum alteratione sensibilis. Et sic odor immutat sensum cum aliqua resolutione odorabilis. Aut cum aliquo motu locali. Et sic immutat sonus. Aut absque immutatione sensibili, sed per solam immutationem spiritualem medij, & organi. Et sic immutat color. Hæc ibi Sanctus Thomas.

6 Explicatius tamẽ, & sublimius rationem sufficientiæ assignat Sanctus Thomas quæstione vnica de Anima articulo 13. in corpore columna. 3. & prima parte quæstione 78. articulo. 3. ita scribens. *Accipienda est ergo ratio numeri, & distinctionis exteriorum sensuum, secundum illud, quod proprie, & per se ad sensum pertinet. Est autem sensus quædam potentia passiua, quæ nata est immutari ab exteriori sensibili. Exterius ergo immutatiuum est, quod per se à sensu percipitur, & secundum cuius diuersitatem sensitiuæ potentiæ distinguuntur.* Postea notat, quod est duplex immutatio, vna naturalis, & alia spiritualis: & quod ad operationẽ sensus requiritur immutatio spiritualis, iuxta supra dicta. Et his positis, ita subsumit S. Thomas. Sed in quibusdam sensibus inuenitur immutatio spiritualis tãtum, sicut in visu: in quibusdam autem cũ immutatione spirituali, est etiam naturalis: vel ex parte obiecti tãtũ; vel etiam ex parte organi. Ex parte autem obiecti inuenitur transmutatio naturalis; secundum locum quidem in sono, qui est obiectum auditus: nam sonus ex percussione causatur, & aëris commotione. Secundum alterationem vero in odore, qui est obiectum olfactus: oportet enim per calidum alterari aliquo modo corpus ad hoc, quod spiret odorẽ. Ex parte autem organi est immutatio naturalis in tactu, & gustu: nam & manus tangens calida, calefit; & lingua humidatur per humiditatem saporum. Organum vero olfactus, aut auditus nulla naturali immutatione immutatur in sentiẽdo, nisi peraccidens. Hæc Sanctus

Thomas. Ergo sensus externi sunt tantum quinque.

7 Sed obijcies, nam vt sæpè dictum est, sola diuersitas perse obiectorum diuersificat potẽtias. Et ipse S. Thomas in principio rationis ait, quod *est accipienda distinctio exteriorum sensuum, secũdum illud, quod proprie, & perse ad sensum pertinet.* Sed immutatio naturalis nõ pertinet proprie, & perse ad sensum: siquidem, conuenit rebus inanimatis, iuxta Philosophum 7. Physicorum, adductum à D. Thoma ad 1. dicentẽ, *secundum eadem alteratur sensus, secundum quæ alterantur corpora inanimata:* videlicet, secundum qualitates tertiæ speciei. Ergo ex immutatione, diuersa naturali, non deducitur differentia perse sensuum: sed solũ differentia accidentalis.

Respondetur concedẽdo maiorem: & distinguo minorem: & concedo de immutatione naturali sola, & ratione sui: nego verò de illa vt adiũcta immutationi spirituali: hæc enim debet esse in omni sensibili, vt in modo operãdi differat à modo rerum nõ sentientiũ. Vt autem notat Bañez dub. 11. notab. 2. sicut illa forma est magis immaterialis, quæ minus dependet à materia, & motu physico; ita illa immutatio est magis immaterialis, quæ non habet adiunctas immutationes reales, quã illa quę habet eas adiunctas, aut ex parte obiecti, aut organi aut ex parte vtriusque. Cũ ergo, vt asserit S. Thomas, sensus sint potentiæ passiuæ natæ immutari ab exteriori sensibili; bene, & à priori arguit Sanctus Thomas, ex diuerso modo, quo sensibilia sensus immutant, deducendo numerum, & distinctionem sensuum exteriorum.

8 Obijcit præterea Rubio 3. de Anima quæst. 1. num. 17. dicens discursum istum quædam cõtinere in certa, & non probata, quale est illud, quod solus visus immutet pure intentionaliter. Quæ est enim ratio propter quam non dẽtur alter, vel plures sensus, qui solo modo intentionali immutentur; sicut dantur plures, qui immutantur modis naturalib⁹ diuersis. Supponitur præterea, sub modo immutationis naturalis necessariæ ex parte obiecti, nõ dari nisi auditum. Et potest quispiam dicere, quod detur alter sensus ab eo diuersus postulans immutationem naturalem ex parte obiecti, lõge alio diuerso modo, ac postulat auditus: & ita constituet alium sensum diuersum ab auditu.

9 Tribus medijs rationem eandem impugnat Toletus 3. de Anima quæstione prima. Quorum primum est, quia si iuxta illas mutationes intrinsece sumitur potentiarũ, numerus exteriorum, plures aliæ sunt ponendæ, puta, cum est alteratio ex parte obiecti, & potentiæ simul. Similiter cum est motus localis ex parte organi, & ex parte obiecti simul: solum enim ex parte obiecti ponit motum localem.

Secundo, videtur mutatio ex parte obiecti esse accidentalis, & nil facere ad sensum, vt sensus est: quia illa mutatio est ad faciendum obiectum:

ctũ: motu enim illo son⁹ fit. Quod si istam computat, etiam dicam idẽ de calore: præcessit enim mutatio vt fieret. Quod si non est, cum sentitur color, parum hoc refert; etenim nec est ille motus, quo factus est son⁹, cum soni species peruenit ad aures.

Tertio probatur, quia in hac ratione assumit S. Thomas, omnes sensus nõ sentire; nisi per speciem; & incertum est de omnibus, quam quam de aliquibus sit certum. Nõ ergo ratio est demonstratiua, sed solum topica, seu probabilis congruentia.

10 In hac ratione exponẽda duo extrema sunt cauenda. Alterum est exigentium hic demonstrationem mathematicam, & omnino euidentem, qua probaretur implicare contradictionem, quod sensus sint plures, quã quinque. Hoc enim vanum esset hic exigere; cum fere per se notum sit, Deum potuisse; non destructa rerum natura, alios dare sensus ad percipienda accidentia, quæ latent hos quinque. Alterum extremum est Toleti, & Rubij, qui ita contendunt rationem solum esse probabilẽ, quod eam calumniantur, & obijciunt argumenta, quæ quasi non solubilia opponũt: quod non cõpatitur, cum rationis vera probabilitate.

11 Medio ergo modo procedẽdum cum Thomistis, quos sequitur Suarez lib. 3. de Anima cap. 28. dicens, quod *deductio hæc D. Thomæ, est quidem probabilis; neque in tali materia fucurit ratio euidentior.* Supposito ergo nos nõ fuisse expertos plures sensus, S. Thomas ex propria ratione potentiæ passiuæ deduxit à priori conuenientiam distinctionis, & numeri sensuum. Quod autem euasiones prædictæ rationem non labefactent, patet ad singulas descendẽdo.

12 Ad primam Rubij respondetur, quod id quod erat experientia notum, probatione non indigebat. Et præterea id constat ex maxima perfectione, & vniuersalitate visus. Quod indicat S. Thomas in art. 3. & q. vnica de Anim. art. 13. vbi ait. *Sunt autem alia sensibilia, quæ immutant sensum absque materiali mutatione annexa, sicut lux, & color, quorum est visus. Vnde visus est altior inter omnes sẽsus, & vniuersalior, quia sensibilia ab eo percepta sunt communia corporibus corruptibilibus, & incorruptibilibus.* Potẽtiæ autem, quãto superiores, min⁹ multiplicantur, secus vero infimæ, & materialiores.

13 Ad secundum dicitur, quod si ipse expertus est alium modum immutandi longe diuersum ab auditu: quomodo n. 18. asserit, quod experientia constat nos non cognoscere plures actus sentiendi, præter eos, quos isti quinque sensus eliciunt: & si darentur, *euidens est* aliquando, vel ab aliquo exploratos, aut cognitos fuisse? Quod si id nullus est expertus qua facilitate fingitur ille alius modus immutandi per se pertinẽs ad sensum, à nobis negatur. Vnde supposita experientia, cõuenientissima est ratio.

14 Ad primum Toleti dicitur, quod illæ sunt differentiæ peraccidens, quia non habẽt annexam mo-

tionem diuersam propriam sensui, vt sensus est: nam vt ait S. Tho. de Anima art. 13. *cum sensus sit susceptiuus specierum sensibilium sine materia* (quæ est diffinitio sensus tradita à Phylosopho secundo de Anima tex. 121. & latè declaratur à Iauello ibi q. 51.) *necesse est gradum, & ordinem immutationum, quibus immutantur sensus à sensibilibus, accipere per comparationē ad immateriales immutationes.*

15 Ad secundum dicitur, quod diuersa immutatio obiecti naturalis perse cōducens ad diuersam immutationem intentionalem, & immaterialem, est quæ est propria sensus vt sensus est. Et hæc ex parte obiecti, & per motum localem, solū est immutatiua auditus perceptiui soni. Vnde differentia, quæ est per accidens ad visum, est perse respectu auditus.

16 Tertium argumentum assumit minorem falsam. Et ideò nil valet: cum eam non probet. Et communiter fere omnes improbant.

## §. II.

### *Tria dubia soluuntur.*

17 SOlet hic inquiri primo, inter hos quinque sensus, quis sit reliquis præstantior?

Respondet S. Thomas illo art. 3. & cum eo communiter Authores, quod visus, quia est absque immutatione naturali organi, & obiecti, est maximè spiritualis, & perfectior, & communior inter omnes sēsus: & post hūc auditus; & deinde olfactus, qui habent immutationē naturalem ex parte obiecti. Motus autem localis est perfectior, & naturaliter prior, quam motus alterationis, vt probatur 8. Physicorum textu 55. Tactus autem, & gustus sunt maximè naturales; & ideò omnium infimi. *Et inde est* (inquit Sanctus Thomas) *quod alij tres sensus non fiunt per medium coniunctum, ne aliqua naturalis transmutatio pertingat ad organum, vt accidit in his duobus sensibus.* Ex quo patet esse de mente D. Thom. quod quæst. præc. diximus, in omnibus sensibus requiri medium: isti duo sensus medium coniunctum ipsi organo; alij medium separatum requirunt.

18 Secundo dubitatur, vtrum sēsus externi hominis excedant sensus aliorum animalium?

Negatiuè respondent Phylosophus secundo de Anima textu 92. & Sanctus Thomas lec. 15. litt. a. & b. Sed melius exponetur infra quæstione. 38. Qualiter tactus distingua tur à gustu? tractatur quæst. 36. §. 4.

19 Tertio dubitatur, vtrum omnia animalia habeant omnes quinque sensus?

Respondet Phylosophus secundo de Anima text. 23. quod *alia habent omnes: alia verò quosdam, quædam verò vnum, maxime necessarium, tactū.* Vbi Sanctus Thomas lect. 4. litt. e. ait. *Quædam habent omnes sensus, sicut animalia perfecta; quædam verò habent quosdam sensus, sed non omnes, vt talpa: quædam verò habent vnum maxime necessarium, scilicet tactum, vt animalia imperfecta.* Et textu 17. lect. 3. litt. g. dicit S. Thomas. *Multa sunt animalia, qua*

*quæ solum sensum tactus habent, sicut animalia imperfecta. Omnia autem animalia habent sensum tactus.* Quod & docēt lib. 3. de Anima textū 63. & Sanctas Thomas lect. 17. litt. f & textu 66. lect. 18. litt. a. & b. & de Sensu, & sensibili cap. 2.

20 Vnde habetur, quod nullū animal caret actu, quia est hic sensus veluti fundamentum aliorum. Et quod imperfectissima animalia solum habent tactum: quia hic sensus sufficit ad eorum operationes, & fines. Denique colligitur omnia fere animalia perfecta habere omnes quinque sensus: nam isti sunt necessarij ad perfectas operationes istorū animalium. De quo late Phylos. 4. de Historia animalium cap. 8. & Authores quos citat, & sequitur Suarez lib. 3. de Anima cap. 28. à n. 6. vsque ad 9.

21 Sed obijcies: nam talpa est de genere animalium perfectorum, sicut alia terrestria animalia: & tamē caret sensu visus, vt patet experientia: ergo non omnia animalia perfecta habent quinque sensus.

Respondēt Phylos. & S. Thomas, 3. de Anima textu 130. lec. 1. lit. c. quod *talpa, quæ est de genere perfectorū, animalium, videtur habere oculos sub pelle, vt assimiletur suo generi. Sed propter hoc, quod conuersatur sub terra, non fuit ei necessarius visus. Et terra, si haberet oculos discoopertos, eius oculos offenderet.*

22 Instat tamen Suarez vbi supra num. 8. dicens. Equidem duo illa, quæ Aristoteles pronunciat, talpam non videre; at habere organum videndi, mimine consonant: vt quid enim natura daret organū, omnino actum negatura?

Sed instantiam iam præoccupauerat Sanctus Thomas verbis relatis docens, quod natura dedit talpæ organum visus, & potentiam, vt assimiletur alijs animalibus perfectis, cum quibus cōuenit in genere. Negauit verò actum expeditum videndi, duplici de causa, & quia conuersatur sub terra: & quia oculi discooperti offenderētur à terra.

23 Aduertendum autem, quod Simplicius, & Phyloponus hic, & Beatus Albertus Magnus 22. de Animalibus cap. vlt. existimant Talpam videre, quia si oculos habet, ei frustra non sunt concessi. Et Beat. Albertus affirmat expertum se Talpas extra cauernas quæritasse alimentum, sicut ea, quæ videndo quærunt. Eandem sententiam magis rigorosè sequitur Toletus 3. de Anima textu 131. ita scribens. Mihi placet, quod hic dicit Simplicius, puta, *Talpam videre bene*: at quia erat animal sub terra multum viuens, ne puluere eius offenderentur oculi, natura illos cooperuit tunica quadam, quę est velut ocularia viatorum, per quæ absque offensione videt. Illa tunica est transparens, quia per ipsam apparent oculi talpæ, motum quēdam habere. Alia etiam ratione natura eius oculos sic operuit, ne cum ex tenebris sub terra egrederetur, offenderentur eius oculi lucis splendore: atque ideò posuit tegumentum, quo oculi illæsi seruarentur. Et tamen fecit tale tegumentum transparens, quātum esset satis vt videret.

Et Conradus Gesnerus Medicus Tigurinus, Author damnatus, & cum expurgatione permissus, libro primo de Quadrupedibus agens de Talpa litt.b.pag.932.ait. *Mihi quidem aliquoties inspicienti Talparum oculi liquido apparuerunt: prominent enim extra cutim veluti puncta nigra, &c.*

24 In contrarium tamen, Talpam visu carere, docet Philosophus primo de Historia animalium cap.9. & Sanctus Thomas verbis relatis num.19.& 21.Item Themistius,& Auicena, & Galenus libro 14. de vsu partium cap.6. & Plinius libro 30.cap.3.dicit naturam duo mala fecisse talpæ, & quod perpetuis damnauit tenebris,& quod viuum sepeliuit.

Probaturque primo: nam palpebræ,nostris oculis clausis,impediũt introductionem specierum, & visionẽ: sed cutis,quæ apparet in Talpa,etiam est corpulenta : ergo impediet visionem.

Secundo: natura instituit vt Talpa sub terra degeret: sed dispositiones necessariæ ad organum visus, exsiccarentur à terra : ergo frustra ei conferret organum, quod naturaliter conseruare non posset.

25 Tertio,ideò animalibus imperfectis negantur alij sensus,præter tactum, quia non sunt necessarij ad eorum operationes: sed Talpæ, quæ ex visceribus terræ eruit alimentum,inutiles essent oculi in tam denso elemento. Tenendum est igitur,quod Talpa nõ videt perfectè,& contrarium nullo firmo argumento probant Simplicius, & Toletus. Nam experientiæ Beati Alberti saluari possunt dicendo videre lucem in cõfusso, quo possit discernere se esse extra terram. Quod solum ipse intendit. Et non video id negari expressè à Philosopho, & Diuo Thoma; nec contra hoc militant rationes factæ : quia cutis potest esse transparens, sufficiens ad videndum in confuso, & ad impediendum læsionem à terra.

26 Vel secundo, & melius,intelligendo sententiam Philosophi,& S. Thomæ,vt verba sonant,negari debet in cute Talpæ esse transparẽtiã sufficientem vt recipiat species ab obiecto, & vllo modo videat. Et experientiæ instari possunt in cæco nato,qui quærit cibum, & discernit tactu, & gustu, & alijs sensibes internis,& externis,etiam sine visu. Quare Talpam esse animal captum oculis, communis hominum existimatio videtur. Vnde Virgilius.1.Georg.cecinit.

*Aut oculis capti fodere cubilia Talpæ.*

Et Cicero 4.Academic. *Talpa priuata est visu.* Imò abijt in prouerbium. *Talpa cæcior.* Et B.Albertus lib.22. de Animal. tract.2. cap.1. ait, *quod mus terrenus,& cæcus vocatur. Loca oculorum habens,non oculos*: vt patet tomo 6.p.608.in editione nouissima,quare non refertur fideliter à Toleto,& Suarez.

QVAE-

## QVAESTIO XXVII.

*Quid sint lux, & color?*

1 DEscendendo in particulari ad agendum de singulis sensibus externis, incipimus à visu, sicut, & incepit Philosophꝰ cap.7. eo quod vt diximus quæst.26. num. 17. visus est nobilior, & vniuersalior omnibus sensibus: & ideò magis diligitur præ omnibus: *causa autem est* (vt inquit Philosophus in principio Metaphisicæ) *quod hic maximè sensuum nos cognoscere facit, & multas differentias demonstrat.* Et ideò non mirum quod visui primatum demus.

Quia tamen potentiæ specificantur ab obiecto, & obiecta sunt priora potentijs, vt diximus supra quæstione 15. ideò prius agimꝰ de obiecto, quam de visu: in hoc etiã imitantes Philosophum secundo de Anima textu 67. dicentem. *Nihil est visibile sine lumine; sed omnino vnusquisque color per lumen visibilis est. Qua propter de lumine dicendum est quid sit?*

### §. I.

*Lumen non est corpus, nec substantia.*

2 IN primis ne vocum æquiuocatione confundamur, notãdum ex D. Thoma in 2. dist. 13. q.1. art. 3. quod ista quatuor differunt, lux lumen, radiꝰ, & splẽdor. *Lux* enim, dicitur secundum quod est in aliquo corpore lucido in actu, à quo alia illuminantur, vt in Sole. *Lumen* autem dicitur secundum quod est receptũ in corpore diaphano illuminato. *Radius* autẽ dicitur illuminatio secũdũ directã lineã ad corpꝰ lucidum. Et ideò vbicunque est radius est lumen; sed non è conuerso: contingit enim lumẽ esse in domo ex reflexione radiorum Solis; quamuis non ex directa oppositione propter aliquod corpus interiacens. *Splendor* autem est ex reflexione radij ad aliquod corpus tersum, & politum; sicut ad aquam, & ad argentum, vel ad aliquod huiusmodi: ex qua reflexione etiam radij proijciuntur. Hæc ibi S. Thomas. Quod & docet 2. de Anima lectione 14. in fine, & quæst.9. de Veritate art.1. ad 7. & est doctrina B. Alberti, quem refert, & sequitur Toletus 2. de Anima quæst.18. & Authores communiter.

3 Circa naturam lucis, & luminis, prima opinio est Empedoclis, quam refert Philosophus secundo de Anima textu. 70. qui dicebat, quod lux est corpus, quod est ipsa substantia Solis, ex quo fluunt quædam corpora, & illa corpora dicuntur lumen, vel radius. Imò videtur huic positioni fauere Philosophus 5. Topicorum cap.3. dicẽs, quod *lumen est species ignis.* Et sec. 12. Problem. quæst.33. inquirit, quare strepitus, & voces melius audiantur in nocte, quam in die? Respondet, quia in die voces impediuntur quo minus ad auditum veniant, ab aere, qui densior est propter radios solares, & lumẽ: quæ corpora sũt.

Item

4 Item S.Augustinus libro 3.de libero arb.cap.5.dicit, quod *lux in corporalibus primum tenet locum.* Et S. Theodoret' q.7.in Genes.dicit lucem esse substantiam. Quod & asserit ad Hæb.1.ad illa verba, *qui cum sit splēdor.* Quod & docēt S. Damas. lib.2.fidei cap.7.& Hugo de S.Victore.1.de Sacram. cap.9.& iterū S.Augustinus Epist.3. ad Volusianum.& 4.de Genes.ad litt.cap.22.

Fauetque communis modus loquendi: nam ferri, intersecari,& reflecti, sunt propria corporū:& hæc affirmamus de luce.Similiter ad sē sum videmus lucem habere figuram,& trinam dimensionē corporum propriam.

5 Plures aliorum opiniones refert,& impugnat S. Thomas locis relatis.Et præter eas, Christophor' Vega lib.2.de Arte medendi folio 140.ex mente Galeni,dicit lumen esse substantiam; non quidem corporalem, sed spiritualem.Et probatur primo,quia lux non habet contrarium: omni autem accidēti corruptibili aliquid est contrarium. Secundo,quia lux nō educitur de potētia subiecti, sed de foris aduenit. Tertio , quia lux producit omnia corporalia , vt causa æquiuoca: quod non posset facere , si non esset substantia spiritualis.

6 Dico primo,lux,vel lumē non est corpus.Ita Phylosop. 2.de Ani. textu 69.& 70.& S.Thomas ibi lectione 14. vbi arguunt dupliciter. Primo, quia impossibile est duo corpora esse simul.Sed lumē est simul cum corpore diaphano:quia tenebra est priuatio lucis: & diaphanū est subiectum tenebrarum: & opositorum huiusmodi est idem subiectum. Ergo lumen non est corpus.

7 Secundo,nam sequitur,quod illuminatio sit motus localis luminis:sed nullus motus localis potest esse in instanti:ergo illuminatio nō est subito,sed successiue. Cui' contrarium videmus.Licet autem posset dici, quod successio motus localis paruo spatio lateat nos : sed quod lateat nos successio in motu luminis,ab oriente vsque ad occidentem horizontis nostri , hoc habet magnam quæstionem , tamquā difficile,aut omninino impossibile.

8 Præterea,ait S.Thomas, non esset facile assignare,quomodo huiusmodi corpus per totum hemispheriū subito multiplicaretur, aut generaretur , vel corrumperetur. Quomodo etiā sola oppositio corporis opaci esset causa corruptionis huius corporis in parte diaphani aliqua.Hoc latius prosequitur S. Thomas 1.p.q.67.ar.2. omnino videndus.

9 Ad authoritates Phylosophi respōdet S.Thomas ibi ad 2. quod Aristoteles lumen nominat,ignem in propria materia:sicut ignis in materia aerea,dicitur flāma,& in materia terrea,dicitur carbo. Et subdit S.Thomas in 2.sent.dist.13.art. 3.ad 3.quod *sic ipsemet se exponit in libro de Animalibus.*

10 Secundam solutionem proponit S.Thomas 1.p. & in 2. sent. dicens.Sed tamen authoritates Aristotelis,quæ exemplis inductis su-

mun-

muntur, nihil valent, quia ipsemet testatur in principio de Generat. quod in eis non quærit subiectum, sed modum. Vnde inducit ea, non ad asserendum; sed quia erant suo tempore, apud quosdam, probabilia.

11 Ad authoritatem S. Augustini respondet S. Thomas 1. p. ad 1. quod Augustin⁹ accipit lucem pro corpore lucido in actu, scilicet, pro igne, quod inter quatuor elementa lucidissimum est. Et addit in 2. sent. ad 1. quo etiam modo Cõmentator in 2. de Anima, calorem naturalem corpus esse probat. Nihilominus Augustinus non intendit hoc asserere quasi fidei conueniens, sed sicut vtens his, quæ Philosophiam addiscens audierat; & ideò illæ authoritates parum cogunt.

12 Illud, quod adducitur de communi modo loquendi, soluitur à D. Thoma in 2. sentẽt. ad 4. ex Auicena de Anima parte 4. cap. 1. asserendo illas non esse loquutiones proprias, sed metaphoricas: ex eo scilicet, quod alteratio illuminationis incipit ab eo quod supra nos est. Per quem etiam modum possumus dicere, calorem ascendere, vel descendere. Et rationem assignat 1. p. ad 3. quia enim motus localis naturaliter est primus motuum (vt probat in 8. Physicorum) vtimur nominibus pertinentibus ab motum localem in alteratione, & in omnib⁹ motibus: sicut etiam nomen distantiæ deriuatum est à loco ad omnia cõtraria, vt dicitur 10. Metaph. textu 13. & addit S. Tho. 2. de Anima illa lec. 14. sicut etiam possem⁹ dicere, quod calor procedit, dum aliqua de nouo calefiunt; vel reuerberatur, cũ habet obstaculum. Figura autem luminis prouenit ex corpore lumino so causante, & recipiente.

13 Dico secundo, lux non est substantia spiritualis. Probat S. Thom. 2. de Anima lec. 14. in fine, dicens. Sed hoc etiam est impossibile. Impossibile est enim, quod aliqua natura spiritualis, & inteligibilis cadat in apprehensione sensus, qui cum sit virtus corporea, nõ potest esse cognoscitiu⁹, nisi rerum corporalium. Siquis autem dicat, quod aliud est lumen spirituale, ab eo quod sensus percipit; non erit cum eo contendẽdum, dũmodo hic habeat, quod lumen, quod sensus percipit, non est natura spiritualis. Nihil enim prohibet vnum nomẽ imponi rebus quãtumcũque diuersis. De quo S. Thomas 1. p. q. 67. ar. 1. & Ioan. 1. lec. 8. in principio, & alibi sæpe.

14 Eandem conclusionem quinq; argumentis probat M. Bañez 1. p. q. 67. art. 3. §. *Probatur ex positione*, ita summatim ea perstringẽs. Huius opinionis falsitas facile conuincitur. Primo, quia alias esset intellectua, & nobilior homine: hoc enim habet omnis substantia intellectualis. Secundo, alias non esset perse sensibilis. Hæc est ratio D. Thomæ vbi sup. & 1. p. q. 76. art. 3. in corp. Tertio, quia non esset immediate actiua: cum tamen sit quo primũ alterans agit. Quarto, aliàs nõ denominaret subiectum illuminatũ, aut lucidum: nam cum sit substantia spiritualis, nõ potest esse forma me-

medij;& per consequens nec denominare illud formaliter: quia nil est formaliter intrinsece tale, nisi per formam intrinsecam. Quinto, quia alias lux non esset extensa: cuius cõtrarium experimur.

15 Ad primum in contrarium respondet S. Thomas illa q.67. art.3. ad 2.quod accidit luci, quod non habeat contrarium, in quantũ est qualitas naturalis primi corporis alterãtis: quod est à contrarietate elongatum.

16 Ad secundum, Aegidius in 2. sent.dist.13.q.2.& ibi Argẽt.& Carthus.& Soncinas 7.Metaph.q.8. §. *quantum ad tertium*.& Thomas Hurt. de Anima sensitiua contro.1. membro 5.§.8.pag.69.& alij, dicunt lumen non educi de potẽtia subiecti, cui inest; quamuis ab illo depẽdeat in genere causæ materialis. Probãt primo, quia ad eductionem requiritur formam fieri ex vi transmutationis materiæ, vt ait Caietan. 1.p.q. 90.ar.2 ad 2.& Ferrara 2.Contrag. cap.86.§.*secundo ad idem*, & esse D. Thomæ,& communẽ Thomistarũ sententiam diximus 2.p. Metaph. contro.4.n.56. & 1.Phisicorum q. 12.§.2.Sed lumen,& species intentionales, non fiunt per trãsmutationẽ subiecti, sed producũtur in instãti. Ergo non educuntur.

17 Secundo, id quod habet operationem aliquam immaterialẽ nõ educitur de potentia materiæ; & in de probat S. Thomas 1.Contrag.c. 86.rat.3.animã rationalem non educi. Sed species intẽtionales,& lumen habent operationem immaterialem, quia sunt principia cognitionis sensitiuæ, quæ vtitur formis sine materia, & quod educitur de materia, nõ eleuatur supra materiã. Ergo lumen non educitur de potentia materiæ. Qui autem oppositũ opinantur, sunt hallucinati confundentes hæc duo, dependere à subiecto materiali, & educi de potentia materiæ: cum maxime inter se distinguantur.

18 Oppositum tamen docet Herueus in.2.dist.18.q.1.art.2.& Quodlibet.7.q.20.Richardus in 2.dist.13. ar.2.q.1.quos refert,& sequitur Suarez disp.16.Meta.sec.2.n.6. Soto, & Araujo, quos retuli, & sequutus sum 2.p.Metaph.controu.4.n.87. Quia formæ substantiales materiales educuntur de potentia subiecti: & tamẽ fiũt in instãti, quia alteratio præcedens non est de essentia mutationis substãtialis. Ergo quod lumẽ fiat in instati, nõ arguit, quod non educatur ex potentia subiecti.

19 Secundo, licet hic non interueniat mutatio pnysica alteratiua, & corruptiua: tamen interuenit mutatio perfectiua, quia diaphanũ trãiit ex carentia illius formæ ad illam habendam. Et alias forma non excedit capacitatẽ materiæ, quia est forma, seu qualitas tertiæ speciei perse sensibilis: ergo educitur ex potentia materiæ. ¶ Tertio, formæ educibiles habẽt suam latitudinem: lumẽ autem, inquantum qualitas naturalis, non potest non ex subiecto educi. Quamuis admittatur, quod secũdum quid,& quoad esse intentionale, non educatur. Et hoc solum probant argumenta contraria.

20 Vel si hoc non concedatur, ad pri-

primum dicatur, quod illa conditio verificatur in qualitatibus habentibus cõtrarium. Vel quod hic est aliqua transmutatio perfectiua.

21 Ad secundum dicitur, quod maior est vera de operatione immateriali simpliciter, qualis est operatio intellectus. Secus verò de immateriali secundum quid: alioquin animæ sensitiuæ brutorum nõ educerentur de potentia materiæ: & nihil peculiare diceremus de anima rationali. Imò sequitur animas brutorum à solo Deo creari, sicut creatur anima rationalis: quod est absurdum.

22 Ad tertium argumentum propositum num. 5. respondet S. Thomas. 1. p. q. 67. art. 3. ad 3. quod sicut calor agit ad formam ignis quasi instrumẽtaliter in virtute formæ substantialis (iuxta dicta 2. Physicorum q. 10.) ita lumen agit quasi instrumentaliter in virtute corporũ cælestium ad producendas formas substãtiales: & ad hoc, quod faciat colores visibiles actu, inquantum est qualitas primi corporis sensibilis. De quo videatur S. Tho. in 2. di stinct. 13. art. 3. ad 7. & 2. Cæli lectione 10.

23 Habetur ex dictis, quod lux est qualitas tertiæ speciei. Primum docent S. Damascenus lib. 1. de Fide cap. 9. & lib. 2. cap. 7. & Auicena de Anima par. 3. cap. 1. & de Cælo cap. 14. quia cuilibet agenti debet assignari proprium principium proximum accidentale quo agat: sicut ergo calor est qualitas actiua consequens formam substantialem ignis, ita lux est qualitas actiua cõsequẽs formam substãtialem Solis. Et hæc est ratio S. Tho. illo art. 3.

24 Quod autem sit qualitas tertiæ speciei, constat ex D. Tho. 1. p. q. 78. art. 3. ad 1. dicente, quod *solæ huiusmodi qualitates sunt obiecta sensuũ.* Et in 2. dist. 13. art. 3. ad 8. ait, *quod lux, & etiam lumen, in genere qualitatis est, vt dicit Auicena: & quia passionem in sensu infert, oportet quod sit in tertia specie.* Idem dicit ibi ad Anib. art. 2. ad 3. Et 2. de Anima lec. 14. fine dicit. *Et est in tertia specie qualitatis, sicut, & calor. Sed in hoc differt à calore, quia lux est qualitas primi corporis alterãtis, quod non habet contrariũ: vnde nec lux contrarium habet: calori autem est aliquid contrarium.*

25 Sed obijcies: accidens non potest naturaliter migrare de subiecto in subiectum, cum ab illo indiuiduetur, iuxta Sanctum Thomam. 1. p. q. 29. art. 1. & 3. p. q. 77. ar. 2. & alibi sæpè. Sed lumen migrat naturaliter de vno subiecto ad aliud. Ergo lux non est accidens. Probatur minor, quia Sole illuminante, & flãte vento, continuo succedit alius, & alius aer: & tamen eadẽ lux perseuerat: quia est eadem causa illius lucis, nempè, Sol: & quia non appareret, quomodo toties illa lux corrũpatur, & iterum incipiat esse. Ergo eadem lux migrat de vno subiecto ad aliud.

Respondet Michael Palacios 2. de Anima cap. 7. lumen nõ esse subiectiuè in aere, vel aqua, vt talia sunt, sed vt diaphana sũt. Vnde moto aere, & aqua, manet lumen in diaphano tamquam in subiecto, quod idem perseuerat.

Hanc

26 Hanc tamen solutionem impugnat Bañez 1. p. q. 67. art. 2. ad 5. quia dū conatur explicare quomodo idem accidens nō migret de subiecto in subiectum; concedit accidens naturaliter manere sine subiecto, quoniam diaphaneitas non est substantia; sed accidens quoddam, & affectio aeris, & aquæ: alioquin si esset substātia, quæ esset simul cū aqua, & aere, duo corpora essent naturaliter in eodem loco.

27 Quare respondetur cum Bañez negando minorem. Ad probationem pariter nego minorē, quia non manet idem lumen, sed moto aere, aut aqua continuo fit aliud lumē. Quam solutionem, vt communem sequitur Toletus 2. de Anima q. 18. ad vltimum, dicēs, quod sicut in igne fit circa calorem, ita in lumino so circa lumen. Cum enim ignis calefacit aerem, si ventus fiat, tunc nouo aere succedente, nouus inducitur calor, & corrumpitur alter, recedente alio aere. Sic in lumine succedente aere, desinit esse vnum, & aliud producitur. Est solum discrimen, quia calor habens contrarium successiue producitur: at vero lumen in instanti; quia caret cōtrario, & obid radius fixus apparet. Vnde S. Thomas q. 3. de Potētia art. 4. ad 6. ait, quod *lux corporalis multiplicat se non per creationem nouæ lucis, sed diffundendo se super materiam.* Et i 2. dist. 15. q. 3. art. 1. ad 4. ait, *quod influentia Solis per irradiationem est semper, quandiu aer illuminatur, vt possit dici, semper Sol facit lumen in aere.* Mutato ergo aere suscipiente, diuersa causatur lux.

## §. II.

### *Vtrum lux solum habeat esse intentionale; vel etiam naturale?*

28 QVidam dixerūt, quod lumē in aere non habet esse naturale, sicut color in pariete: sed esse intentionale, sicut similitudo coloris in aere. Hanc opinionem esse *valde probabilem* dicit S. Thomas in secundo distinctione 13. quæstione prima art. 3. & probat duplici ratione. Primo, quia cum lumen det esse spirituale colori, multo fortiꝰ videtur, quod ipsum spirituale esse habeat. Secundo, quia nulla qualitas habens esse naturale immediate superposita organo visus, potest videri: lumen autem videtur contingēs pupillam. Vnde videtur quod esse spirituale habeat. Eandem opinionem, propter eadem fundamenta, tenent Scotus in secundo distinctione 13. quæstione vnica §. *De secundo.* Et ibi Durandus quæstione secunda & AEgidius ibi, & secundo de Anima capite 7. Thienensis, & alij.

29 Hanc tamen sententiam impugnat S. Thomas in 2. vbi supra dicens. *Sed hoc non videtur vsquequaque verum.* Et 1. p. quæstione 67. articulo tertio dicens, *Sed hoc non potest esse, propter duo.* Primo quidem, quia lumen denominat aerem: fit enim aer luminosus in actu. Color vero non denominat ipsum; nō enim dicitur aer coloratus. Secundo,

do, quia lumen habet effectum in natura: quia per radios corporis calefiunt corpora. Intentiones autem non causant transmutationes naturales. Hæc S. Thomas.

30 Cuius rationib⁹ multi permoti, dicunt lumen habere esse reale, & non intentionale. Tribuitur Alexandro, & Simplicio, Themistio, Phylopono, & Auerroi. Et tenent Toletus q. 18. coclu. 4. Conimb. & Rubio de Visu q. 2. Suarez lib. 3. de Anima cap. 14. n. 4. plures referens ex antiquis. Sequuntur PP. Carmelitani disp. 10. q. 1. n. 11. referentes Zanardum q. 28. & tenet Ioannes à Sancto Thoma quæst. 7. articulo 2. §. *circa secundum*. Et alij frequenter.

31 Nihilominus asserendum est, lumen si nul habere esse reale, & intentionale. Ita Caietanus 1. p. q. 67. art. 3. §. *ad hoc breuiter*. Bañez ibi cõcl. 4. Bergomensis in cõc. dub. 826. Ferrara 2. de Anima q 14. in cor. & ad confir. 3. & q. 19. ad 4. Iauellus 2. de Anima q. 29. Thomas Hurtado de Anima sensitiua Controuersia prima membro quinto, §. 8. conclusione tertia. Fernandez Vejaranus lib. 3. Meteororum quæstione. 3. art. 7. probans idem tenere Iacobũ Zabarellam de Visu cap. 6. & Radã 4. p. Controu. 14. art. 3. not. 1. ¶ Et quod lumen sit qualitas physica, & naturalis probant rationes S. Thomæ relatę nu. 29. quas latè prosequitur Ferrara illa q. 14. & aliam addit Suarez, quia si lux in corpore luminoso habet esse reale, & naturale, non est cur in diaphano non habeat esse reale. Quam rationem tradit derat S. Thom. 3. Meteororum vbi infra.

32 Quod autem simul sit qualitas intentionalis expresse docet S. Thomas libro 3. Meteororum lec. 6. q. 1. in cor. ita dicens. Pro huius igitur intelligentia sciendum est, quod *lumen in medio habet esse intentionale, quia causat sensationem: sed non solum habet ibi esse intentionale, sed etiam habet esse reale, & naturale*. Licet tale esse reale debilius sit, & minus permanens in medio, quam in corpore luminoso.

33 Et ibi ad primum soluit argumentum contrarium dicens, quod sensibile extra sensum habens esse firmum quia excellenter mouet sẽ sum; ideò positum supra sensum nõ mouet sensum ad actum; sed magis ipsum corrumpit propter suam disproportionem ad sensum: quia sensus consistit in quadam medietate, vel armonia. Sed tamen sensibile receptum in medio subesse reali debiliori, quod proportionatur sẽsui, potest in ipso habere esse *etiam intentionale*, & mouere ipsum ad sensationem in actu. De sensibili autem primo modo, cuiusmodi est lumen in corpore lucido, loquebatur Pnylosophus. Hæc ibi S. Thomas. Quibus firmatur conclusio, & soluitur argumentum, & exponuntur, quæ diximus supra q. 25.

34 Idem indicat S. Thomas 2. de Anima lect. 14. circa finem. Et expresse docet in 2. sent. illa dist. 13. artic. 3. in fine corporis: & quia ibi probationes indicat, non grauabor verba referre. Inquit ergo. Et quia cælum est primum alterans, indesequitur,

quitur, quod omnis alteratio, quæ est in inferioribus, perficiatur per virtutem luminis: siue sit alteratio, secundum esse naturale, siue secundum sensum. Et ex hoc habet lux, quod omnibus corporibus generationē cōferat, vt Dionysi⁹ dicit. Ex hinc etiā est, quod coloribꝰ ꝑ esse spirituale cōfert, secūdū quod esse recipiūtur in medio, & in organo. Vnde, & ipsum lumē virtutem spiritualem habet. Et inde est etiam, quod secundum Augustinum 7. super Genesim ad litt. cap. 15. lumen est medium in omni sensu: sed in visu primo, & immediate, &c.

35 Præterea S. Thomas quæst. 5. de Potentia ar. 1. ad 6. docet, quod quædam formæ producūtur in materia; & secūdum imperfecta n speciem, & secundum imperfectum esse; sicut lumen in aere à corpore lucido; non enim lumen est in aere sicut forma naturalis perfecta, prout est in corpore lucido: sed magis per modum intentionis. Vnde sicut similitudo hominis non manet in speculo, nisi quandiu est oppositum homini; ita nec lumen in aere, nisi apud prȩsentiam corporis lucidi. Huiusmodi enim intētiones dependent à formis naturalibꝰ corporum, perse, & nō solū peracidens: & ideò esse earum non manet cessante actione agentiū. Quod & docet ibi q. 6. art. 4. in fine corp. & in 4. dist. 44. q. 2. art. 1. q. 3. ad 2. & q 4. ad 5.

36 In authoritatibus istis indicātur duæ rationes tactæ, quia lux recipitur in organo, & non impedit, imò facit sensationē; ergo habet esse intentionale. Deinde, nā lux est immutatiua sensus, inquantum sensus est, & obiectis confert, quod actu spiritualiter immutēt. Quod cōferre non posset, nisi haberet esse quodammodo spirituale.

Tertio idem apparet ex proprio susceptibili lucis, quod est diaphanum: & organum visus est eiusdem rationis, & naturæ cum eius subiecto, quia diaphanum est. Cum ergo forma proportionetur subiecto: & hoc subiectum sit commune corruptibilibus, & incorruptibilibus, non mirum quod forma tantā perfectionem habeat. Videatur Sanctus Thomas 2. de Anima lect. 14. lit. c. Et ideò concludit Caietanus, quod hoc modo omnes aliquo modo dixerunt verum.

37 Sed obijcies: nam eidē qualitati non potest conuenire esse naturale, & esse intentionale, sicut nec esse materiale, & immateriale: nec esse natura sua permanens, & natura sua transiēs. Ergo lux, vel est qualitas naturalis, vel intentionalis, & non simul vtrumque.

Respondetur, quod quæ in inferioribus sunt dispersa, in superioribus sunt vnita. Cum ergo lux sit suprema inter qualitates corporales, ideò esse illius, nec est purè intētionale, neque purè naturale, vt distinguitur contra intentionale: sed est esse altius præhabens in se virtualiter id quod expectat ad esse naturale, & intētionale, vt ait Caietanus. Vnde bene notat Iauellus §. *adprimam*. Quod lumen in medio, & in organo habet esse reale, & intentionale: reale quidem, vt illuminat-

intentionale autem vt immutat visum: sicut enim in sensu hæc duo adunantur, quod sit potentia materialis, & corporea, & quodammodo spiritualis inquantũ recipit species sine materia, ita necesse est hæc duo in lumine concurrere, quia aliquãdo immutat naturaliter, aliquãdo vero solum spiritualiter, & intentionaliter.

## §. III.

## *Vtrum lux indigeat specie, vt videatur?*

38 SEd hinc emergit dubium, vtrũ ad videndam lucem, opus sit specie intelligibili distincta ab ipsa luce, & ab ipso luminoso? ¶ Partẽ affirmantem tenent Authores relati n. 30. Et prõbãt primo ex D. Toma quæst. 10. de Verit. art. 8. ad 10. secundi ordinis, vbi ait: *Lux corporalis nõ videtur per essentiam suam, nisi quatenus fit ratio visibilitatis visibilium, & forma quædam dans eis esse actu visibile: ipsa enim lux, quæ est in sole, non videtur à nobis, nisi per similitudinem eius in visu nostro existentem: sicut species lapidis non est in oculo, sed similitudo eius.*

39 Secũdo probant ratione Phyl. cap. 7. & S. Thomæ lec. 14. oportet enim ad hoc vt aliquid videatur, quod organum visus patiatur à visibili: ostensum est autem, quod non patitur ab ipso visibili immediate, quia visibile suppositum oculo, nõ videtur. Relinquitur ergo quod oporteat organum visus pati a visibili per aliquod medium. Ac per consequens lux non poterit per se ipsam habere rationem speciei, per quam videatur: alioquin inter visibile, & visum non intercederet necessario aliquod medium.

40 Tertio probatur experientia: nam Sol videtur in speculo è regione posito, & etiam in aqua videtur, Sol à tergo supra nos existens. ergo signum est, quod aliquid dimanans à Sole, per reflexionem factam in speculo, peruenit ad nostrum oculum, quo mediãte videmus Solem. Hoc autem non est lumen, quia ablato speculo, non videtur Sol: & tamen per illius ablationem nõ aufertur lumẽ ab oculo: ergo est species intẽtionalis à lumine distincta. Hæc sunt argumenta PP. Carmel. n. 9. & 10. alia congerunt Rubio q. 3. Suarez lib. 3. cap. 14. n. 5.

41 Partem vero negantem debẽt (vt videtur) tenere omnes Authores relati n. 28. & 31. pro prima, & tertia sententia: quia si lumẽ habet esse intentionale, cum species solũ requiratur vt det esse intentionale sensibili, frustra ad vidẽdam lucem exigeretur alia species: cũ ipsa per se hoc præstet, quod alia obiecta faciunt media specie, & luce.

42 Præterea eadem videtur sententia expressa S. Thomæ 1. p. q. 56. art. 3. vbi ait: quod tripliciter aliquid cognoscitur: vno modo *per præsentiã suæ essentiæ in cognoscente: sicut si lux videatur in oculo.* Et in 2. distinctione 23. quæstione 2. ar. 1. ad idem intentum ait: *Lux non videtur ab oculo per aliquam similitudinem sui in ipso relictam: sed per suam essentiam oculum informans.* Et q. 8. de Ver. art. 3. ad 17. dicit: tripliciter aliquid videtur: v-

no modo per essentiam suam, *sicut quando essentia visibilis coniungitur visui; sicut oculus videt lucem.* Idem docet 1. ad Corinth.13.lect.4. in principio. *Sciendum est ergo* (inquit) *quod sensibile aliquid potest tripliciter videri: scilicet, aut per sui præsentiam in re videnti: sicut ipsa lux, quæ præsens est oculo.*

43 Respondet Bergomensis dubio 828.quod lux vt *quo*, & vt est ratio videndi, nō videtur alia species: eadem tamen vt *quod* videtur media species, vt ait S.Thomas loco relato n.38.

Hæc doctrina videtur expressa S. Thomæ, quia eodem actu videtur color, & lux, vt lux est ratio alia videndi, vt docet S.Thomas 1.2.q.8. art.3.ad 2.& q.12.art.4. & q.8. de Verit.art.14.ad 6.& 1.Contrag.c. 76.ad 1.& in 1. sentent. dist.17.q. 1.ar.5.Cæterum locis relatis.n.42. loquitur S.Thom.de ipsa luce visa vt *quod*, & ait, quod quando est per essentiam suam præsens visui, alia specie non indiget. Ergo licet in absentia permittat speciem, in præsentia lucis, alia specie opus non est ex mente S.Tho.

44 Pro eadem parte alia proponit argumenta Bañez.1.p.q.67.ar. 3.concl.3.quia species non indiget medio vt immaterialior reddatur. Et quia Phylos.2.de Anim.c.7.tex. 67.& 63.dicit, quod lux, quæ est in medio facit omnia visibilia actu visibilia: ergo non videtur per speciem; quia id, quod est ratio formalis aliorum, est ratio sui: ne procedatur in infinitum. Denique, quia vnico actu videtur lux, & color; ac per consequens vnica specie.

45 In hac parte duo videntur certa. Primum est, quod vt lux diffusa, residens in corpore illuminato, videatur, opus est specie, qua præsentetur sensui, & ab ea immutetur. Et hoc probant adducta pro prima sententia. ¶ Secundo est certū, quod vt lux videatur, inquātum est ratio visibilitatis aliorum, non opus est alia specie distincta à specie obiecti vt illuminati per lucem: quia sicut vno actu attinguntur, ita & vnica specie. Manet ergo difficultas, an lux videri possit vt *quod* sine colore: & vt sic, quando pertingit ad visum, non indigeat specie à se distincta?

46 Adhuc in hoc sensu Suarez illo num.5.asserit lumen in aere esse qualitatem perse visibilem tanquā obiectum: atque adeò non per seipsam, sed per speciem sui videri. Primam partē cōclusionis (inquit) tradunt D.Tho.Aegidius, & alij 2. de Ani.tex.68. Et probatur experientia: visus enim non discernit obiectum solū in quod terminatur; sed etiam medium, quod nūc lucidius, quam antea, distinguit: percipit ergo lumen in ipso medio. Itē, si vacuum esset, visus nihil in medio cōspiceret: aliquid ergo nūc in eo, quā do lucidum apparet, cōtuemur, id est lumen. Quia vt ait Phylos. diaphanum per lumen est visibile.

47 Secundā partē probat, quia lumen similitudo nō est: species autē est similitudo: ergo opus specie est vltra lumē. Deinde, quia medij illuminati figuram discernimus. Et in absentia per imaginationem lucis recordamur. Non ergo lumen incapax

capax est representari per intentionalem speciem ab ipso distinctam.

48 Duo tamen asserenda videntur prædictis opposita. Primo, lux non videtur vt *quod*, nisi sit in corpore terminato aliquo modo. Ita tenent Ferrara 2. de Anima. q. 12. concl. 3. & q. 19. ad 4. & Bañez illa concl. 3. in fine. Imò Arriaga disp. 5. sec. 3. subsec. 2. n. 41. ait. Aduerte tamen hic, lucem solum videri, quando terminatur corpore aliquomodo opaco, vt experientia constat. Vel quando habet aliquid quasi de colore, vt radij solares, & ignis de flauedine. Hæc ille.

49 Est expressa S. Tho. q. 14. de Verit. art. 8. ad 4. vbi ait: quod lumen quodammodo est obiectũ visus, quodammodo non. *Inquantum enim lux non videtur nostris visibus, nisi per hoc quod aliquod corpus terminatum per reflexionem, vel alio modo, coniungitur; dicitur non esse visus obiectũ, sed magis color*, qui semper est in corpore terminato. Inquantum autem nil nisi per lucem videri potest, lux ipsum visibile esse dicitur, &c. Lux ergo non terminata non videtur vt *quod*. Idēque docere Philosophũ 2. de Anima illo textu 68. notat S. Thomas lec. 14. lit. c. dicens, quod ibi Philosophus *determinat de his sine quibus color videri non potest, scilicet, diaphano, & lumine*. Vnde non agit de visione lucis sine colore, vt male refert Suarez.

50 Clarissimè idem exprimit S. Thomas 3. Meteororum lectione 5. lit. d. his verbis. *Sciendum est autem, quod quando aer, vel aliud perspicuum est in propria natura purum, & non aliquo colore coloratum, tunc habet solum rationem medij, per quod videtur obiectum, non autem habet rationem obiecti. Quando autem est impurum, & coloratũ aliquo colore, tunc habet rationem medij, & obiecti, &c.*

51 Experientia hoc comprobatur: quia lucem solis in aere nō cōspicimus nisi condensetur in nube, vel in atomis, vel ex reflexione ad parietem. Deinde experimur nos ideam, vel similitudinem lucis non habere, nisi cum connotatione coloris: ergo non videmus eam vt *quod*, nisi vt terminatã aliquomodo, magis, vel minus perfectè. Si autem nullo modo terminetur, respectu visus est ac si esset vacuum. Vnde fundamenta Suarez possunt in ipsum retorqueri.

52 Secundo asserēdum, quod vt color, & lux terminata videantur, opus est specie; sed sufficit vnica pro vtroque: quia ex obiecto *quo*, & *quod* fit vnũ visibile iuxta supra dicta. Vt tamen lux oculo immediata videatur vt *quo*, & vt mediũ, non opus est alia luce: quia est proportionata, eo quod est ratio visibilitatis aliorũ. Et ratione peculiari, quia est ita eminens, quod habet esse naturale, & intentionale. Lux autem distans, & terminata, non indiget specie inquantum lux, sed inquantum terminata in colorato corpore: & inde habet figuram, & speciem in immaginatiua, & sic omnia consonant.

***

## §. IIII.
## *Vtrum lux distinguatur essentialiter à colore?*

53 SEntentiam negatiuam docuit Plato in Timæo, & Auicena 6.Nat.parte tertia cap. 1.& alij Arabes, quos sequitur B. Albertus Magnus in sũma de homine q.de substantia coloris, & de Sensu, & Sensato tract. secundo capite primo,& secundo de Anima tractatu 2.capit.3.& Caietanus 2. de Anima cap.6.textu 68.§. *non refuto*. Et textu 72. dub. 3. §. *ad hoc*. Iauellus 2.de Anima quæst. 32. Ferrara ibi q.13. §. *Definit ergo*. Et §. *Sciendum tertio*. Et fauent Soncinas 10. Metaph.q.2.notab.2.& Capreolus in 2. dist.14.q.1.ad 1.contra secundam. Quamuis facile isti duo Doctores exponi possint, vt exponemus D. Thomam. Eandem tuetur Thomas Hurtado de Ani.sensitiua cõtrou. 1.membro 5.§.6.citãs Aristotelẽ, & S.Thomam vbi infra. Albulen. sem Mathẽi 17.q.45 Scaligerũ,Ce salpimum, & alios. Itaque, iuxta hanc sententiam,color non distinguitur essentialiter à luce prout in diaphano terminato. Et dicit Hurtadus post Iauellum,se loqui de lumine elementari ignis,quod corporib⁹ incorporatur,& miscetur:quãuis color differat à lumine cælesti producto à Sole,& Stellis.

54 Probatque primo ex Philosopho,& D.Thom.de Sensu, & Sẽsibili lectione 6. littera.e.& f.& g. ex quo dicit sumi *argumẽtum irrefragabile*:quia vbi inuenitur eadem differentia formalis,inuenjtur eadem formalis ratio specifica. Sed in colore vero,& apparente (quem alij fatentur non differre essentialiter à lumine in diaphano ) datur eadem formalis differentia.Ergo datur eadem formalis ratio specifica. Minor probatur,quia Philosoph⁹, & S.Thomas expresse docẽt,*quod oportet existimare eandem naturam esse, quæ est susceptiua coloris in corporibus,quæ colorantur exterius,ideſt, non per proprium colorem,sed ex aliquo exteriori:& in his, quæ colorantur interius,ideſt,per propriũ colorem*.Et infra: *manifestum est, quod vtrobique est idem susceptiuũ coloris;quia in his,quæ colorantur ab exteriori, perspicuum est susceptiuũ coloris: & in his,quæ colorantur interius,perspicuum est, quod facit ea participare colorem. Quod quidẽ perspicuum in corporibus innenitur secundum magis, & minus*. Ergo in definitione veri,& apparentis coloris ponitur idem susceptiuũ,scilicet,diaphanum,quod in omnibus est eiusdem rationis: ergo est eadem ratio formalis coloris in apparente,& in vero colore.

55 Secundo idem probatur ex D.Thoma 3.Meteororũ lec.6.litt. f.q.3.vbi late plurib⁹ probat,quod *in Iride actu concurrunt omnia principia veri coloris secundum veritatẽ*:Et quod *sunt ibi veri colores*. Quod late ex mẽte S.Th.quinque rationib⁹ probat Dr.Fernãd.Vejaran⁹ 3.Meteororũ q.3.art.1.vnde illi colores dicũtur apparẽtes,quia apparẽt producti alio modo,ac producti fuerint: nẽpe à lumine intrinseco;cũ sint causati à luce extrinseca.

Tertio

Tertio probatur ex Diuo Thoma in 1. dist. 17. quæst. 1. artic. 1. dicente, quod lux potest considerari dupliciter: vel prout est in se; & sic dicitur lux: vel prout est in extremitate diaphani terminati: *& sic lux dicitur color, quia hypostasis coloris est lux, & color, nihil aliud est, quam lux incorporata.* Et secundo de Anima lectione 14. in fine ait Sanctus Thomas, quod *color nihil aliud est, quam lux quodammodo obscurata ex admixtione corporis opaci.* Ergo ex mente Diui Thomæ lux, & color non differunt essentialiter.

56 Ex authoritatibus tres rationes formant. Prima ex tertio Meteororum: quia color verus sufficienter distinguitur à colore, qui communiter dicitur apparens, penes terminationem per opacũ corporum, in quibus inueniũtur: quia quod color appareat puniceus, vel niger, aut albus, non prouenit à luce secundum se, sed prout taliter terminatur. Sed forma coloris apparentis non distinguitur essentialiter à lumine, vt fatentur omnes: ergo nec forma coloris veri.

Secundo: quia sola corporis terminatio per opacitatem, sufficit vt lux appareat; sitque diuersus color visibilis. Ergo forma coloris eadem est secundum essentiam cum luce. Probatur antecedens, quia in speculo videtur species obiecti colorata, sicut ipsum obiectum, cuius formam habet; licet habeat diuersum essendi modum. Sed hoc habet à terminatione speculi per argentum viuum appositum in tergo speculi: quo si careat, non videtur species, color ve illius: ergo à terminatione potest lumen exercere diuersum coloris munus.

Confirmatur: nam omnia participantia colorem, participant lucem, inquãtum aliquo modo sunt diaphana. Et hoc esse commune omnibus corporibus superioribus, & inferioribus, ex eo est manifestum; quia vix est corpus opacum, quin per multam tersionem, & transmutationem, possit effici lucidum, aut tersum, aut luminosum; sicut de cinere herbarum fit vitrũ, & de terra carbunculus. Ergo lux, & color nõ differunt essentialiter.

57 Tertio probatur ratione S. Tho. q. 2. de Ver. art. 4. ad 4. & 10. Met. lec. 3. lit. c. vbi ait. *Oportet, quod sit vnum in genere colorũ, & quasi mensura aliorum colorum: quia vnusquisque color tanto perfectior est, quanto magis accedit ad album. Et quod album sit primum in coloribus, ostendit* (Philosophus) *quia colores medij generantur ex albo, & nigro, &c.* Et 3. Meteor. lec. 6. q. 3. ex professo probat, *quod oppositio luminis ad opacum, vel è contra, secũdum aliam, & aliã quantitatem, variat colores, &c.* Tunc sic. Albedo omnium colorũ est mensura: hæc autem debet esse homogenea mensurato, & eiusdẽ rationis, vt per illã possimus certificari. Sed forma albedinis est lux: quia vt ibi ait S. Tho. *Ex multo lumine, & pauco opaco causatur color albus:* ergo color est lux terminata, & incorporata.

58 Communiter tamen Doctores agnoscunt differẽtiam essentialem inter lucem, & colorẽ. Quod videtur docere S. Tho. 2. de Anima

lec.14.in fine. Et de Sensu, & Sensato lec.6.lit.c.vbi lucem,& colorem dicit solum esse *vnum secundum quandam proportionem, ex eo quod sicut color est forma,& actus corporis coloratiꝫ ita lumen est forma,& actus perspicui. Differt autem quantum ad hoc, quod corpus coloratum in seipso habet causam sui coloris: sed corpus perspicuum habet lumen ab alio.* Ea autem quæ solũ sunt vnum proportione, non sunt idem essentialiter: cum illa non analogẽ tur, sed in vna specie vniuocentur.

59 Et S.Bonauentura in 2.distinctione 13.art.2.q.2.ad 1. ait, quod *lux non dicitur esse de compositione coloris tanquam principium intrinsecum: sed tanquam principium effectiuum,cum accidẽtia simplicia sint.* Causa autem efficiẽs realiter differt ab effectu. Ideò lucem specie differre à colore, tenent Bañez 1.p.q.78.art.3.de Visu dub.1.PP.Carmel. disp.10. de Visu q.2.Ioan.à S. Thoma q.7. de Anima art.2.ad vltim. Itẽ Auerrois, & Alexander comm.67.Aegidius, & Toletus 2.de Anima q.17. ad 1. & 4.Suarez lib.3.de Anima cap.15. num.2. & 3. Rubio de sensu visus q.1.P.Hurtado de Anima disp.17. sec.2.Auersa to.2.q.54.sec.2.Fernandez Vejaranus 3. Meteororum quæst.3.art.1.ad 7.n.177. & alij cõmuniter.

60 Probat Suarez sex rationibus.Sed quia solum ostendunt lucem extrinsecam.à Sole causatam, differre à colore: quod alij non negant.Ideo referendæ sunt rationes M.Bañez & PP. Carmelitarũ, quæ absolute probant colorem distingui à luce, etiam intrinseca. Et potissimum sunt duę( nam tertia procedit de luce extrinseca,quam visu discernimus distingui ab intrinseco colore.) Prima:quia,vt sæpè dictũ est,lux non habet contrarium,quia est qualitas supremi corporis à quo deriuatur in igne,& in omnibus inferioribus:& petit fieri in instanti, & sine successione.Sed colores sũt positiue contrarij,& fiant per motum alterationis,vt docent Phylosophus 7.Physicorũ c.3.& S.Thomas ibi lectione 4.ergo quilibet color specie distinguitur à qualibet luce.

61 Respondet Thomas Hurtado ad 3.quod colores verè contrariantur; non quidem precisè ratione lucis; sed ratione effectuum formaliũ,quos causat lux in diuersis subiectis. Quare, etsi lumini secundũ se nihil sit contrariũ; tamen lumini prout informat hoc,vel illud subiectum aliquid est contrarium.

Sed contra est,primo: quia à forma eiusdem speciei limitatæ, non prodeunt effectus formales specie adæquata diuersi: nam ex illis effectibus formalibus diuersis probamus distinctionem specificam formarum. Sed iuxta oppositam sententiam forma colorum est lux intrinseca,quæ in ratione lucis est eiusdem speciei :ergo non causabit diuersos effectus formales.

62 Secundo, si lumini prout informat,aliquid potest esse contrarium: ergo luci informanti aerem potest aliquid esse contrarium : ergo illuminatio aeris non erit in instanti:cuius cõtrarium experimur,

&

& latè exponit S. Thomas. 1. p. q. 67. art. 3.

Tertio, si contrarietas solum est ratione subiecti, in ipsa ratione formali colorum non erit principium formale distinctionis specificæ; vnde solum distinguentur per intẽsionem, & extensionem lucis in hoc, vel illo subiecto: quod non sufficit ad distinctionem substantialem specificam.

63 Altera principalis ratio est, quia qualitas ex natura sua petens oriri à causa intrinseca, & esse in subiecto permanenter, & fixè; essẽtialiter differt ab illa, quæ perse oritur ab extrinseco, & non durat in eius absentia nisi peraccidens. Sed causa coloris perse est intrinseca, & permanens: causa verò lucis, in corporibus ab alio lucentibus, est perse loquendo extrinseca, & non permanens in eius absentia, nisi peraccidens: ergo essentialiter differunt istæ qualitates.

64 Respondet Hurtado ad primum, quod color, & lux intrinseca habet causam intrinsecam, quia habet intrinsecam terminationẽ diaphani: & elementorum virtutes ad temperiem redactas.

Hoc tamen, argumentum nõ soluit, quia totũ illud se habet de materiali: & lucis causa, etiam in igne, est ab extrinseco: quia est à Sole, qui tantum lucet ab intrinseco. Causa autem coloris est ab intrinseco: licet ex participatione extrinseca suæ causæ. Ergo lux, & color qualitates sunt diuersæ.

65 Tertia ratio potest elici ex verbis relatis S. Bonauenturæ: quia colores non componuntur ex luce, & diaphano, & terminatione perspicui, vt ex materia, & forma: quia duæ qualitates non sunt actus, & potentia: nec istæ qualitates faciunt ens peraccidens: alioquin nõ darentur colores specie distincti. Ergo colores sunt formæ ab alijs distinctæ. Cum ergo lux non significet idem ac color, solum erit à luce causaliter: quod non tollit, sed supponit distinctionẽ specificam.

65 Præterea ipse Hurtado solut. ad 4. admittit lucem extrinsecam, & intrinsecam specie differre, propter diuersum essendi modum: & negare nequit, quod ipsi colores inter se specie distinguantur. Sed ex prædicatis intrinsecis, plus differũt lux, & color: quam duæ luces, & duo colores, vt patet ex definitionibus, & ex communi modo concipiendi: ergo negari nequit, quod lux, & color specie distinguantur.

66 Vrgẽtiusque reijciuntur, quia omnes authoritates, & rationes, vel nil probant, vel loquuntur de lumine extrinseco: quod patet. primo, ex verbis, & contextu: & secũdo, quia illius subiectum est diaphanum, quæ est illius ratio potissima: & tertio, quia vniuocatur lux in subiecto terminato, & interminato. Sed de luce extrinseca, ipsi fatẽtur distingui à colore: ergo lux, & color sunt qualitates specie distinctæ.

***

§. V.

*Argumenta soluuntur.*

67 VT autem opinio hæc cõmunis, & vera, melius intelligatur, & oppositæ fundamenta fundi tus euertantur, tria considerandasunt. In primis, ne cũ pluribus prioris sentẽtiæ defensoribus tota quæstio sit de vsu vocum, notandum cum Ferrara 2. de Anima quæstione 12. notabili tertio, quod color potest accipi dupliciter: vno modo pro *extremitate perspicui terminati*: de qua definitione dicetur q. seq. Alio modo magis extenso vocabulo, vt etiam de principio coloris proprie dicti prædicatur; vt scilicet hoc nomen *color* continet sub se lucem, & colorem proprie dictum; secundum modum Philosophi libro de Sensu, & Sensato dicentis, quod *omnia corpora colore participant*: quia enim non habemus vnum nomen commune luci, & colori: ideò vtimur nomine coloris tamquam nomine communi; eo quod eorũ, quæ videntur, plurima sunt colorata. Quæ doctrina sumitur ex Philosopho 2. de Anima textu 69. dicente: *Lumen autem vt color est diaphani*: vbi S. Thomas lec. 14. litt. d. ait. Lumen comparatur ad diaphanum, sicut color ad corpus terminatum; quia vtrumque est actus, & forma sui susceptiui: & propter hoc dicit, *quod lumen est quasi quidam color diaphani*. Idem dicit textu 72. & S. Thomas lect. 15. litter. b. & de Sensu, & Sensato lect. 6. lit. d. ait S. Thomas, *sciendum est, quod vt Philosophus dicit in 2. de Anima, visibile non solum est color, sed etiã quoddã aliud, quod ratione cõprehẽditur, innominatũ*. Vocatur ergo extenso vocabulo, color omne quod visu percipitur. Videatur Phyl. 2. de Anima text. 66. & S. Th. initio lectionis 14. & de Sensu, & Sensato lect. 2. litt. g.

68 Secundo aduertendũ ex Philosopho 2. de Anima textu 67. & ex D. Thoma ibi lect. 14. litter. b. Auerroe, B. Alberto, & communi expositorum ibidem, quod visibilitas est quædam passio coloris: vnde aliud est loqui de colore in esse rei; aliud vero de eo in esse visibilis. Cum autem colores specie distincti in esse rei ab vnica potentia visiua vna secundum speciem attingantur: quia *visus non respicit rationem albi, sed rationem coloris*, vt ait S. Thomas 1. p. q. 77. art 3. ad 2. ideò bene compatitur aliqua participare eundem modum visibilitatis; & tamen in esse entis, & coloris differre specie: nam visibilitas nõ est passio adæquata rebus in esse rei; sed in esse sensibilis, seu in immutando potentiam sẽsitiuã. Ex eo ergo, quod color, & lumẽ sint vnum in esse visibilis, non sequitur, quod sint vnũ in esse rei. Et Philosophꝰ, & S. Thomas solum primum intendunt. Vnde in q. 2. de Malo artic. 2. ad 11. ait S. Thomas, quod *color, & lumen sunt vnum visibile; quia color est visibilis propter lumen*. Et videatur ibi ad 5.

69 Tertio considerandum, quod S. Thomas non dixit, quod lux est vera forma coloris; sed potiꝰ, cum limitatione, quod est *quasi forma*: vt

Pa

patet quæstione secunda de Veritate articulo 4. ad 4. ibi *Quantum ad lucem, quæ est quasi formale in compositione coloris; & secundum hoc* albedo *est mensura aliorum colorum. Sed in coloribus inuenitur aliquid aliud, quod est quasi materiale in ipsis, scilicet, terminatio diaphani.* Non ergo terminatio est in rigore materia coloris, nec lux est eius rigorosa forma. Et libro secundo de Anim. lectione 14. in fine simili modo loquitur, dicēs. *Cum lux sit quodammodo substantia coloris, ad eandem naturam reducitur omne visibile, nec oportet, quod color per lumen extrinsecum fiat actu visibile.* Vbi expresse loquitur de luce extrinseca, & intrinseca: & istam solū vult esse vnam cum colore, & cum extrinseca luce, in esse visibilis, & nō concedit, quod est eius forma, & substantia in rigore: sed solum *quodammodo*. Et libro de Sensu, & Sensato lectione 6. littera c. lumen nō vocat formam coloris; sed *principium formale*. Et lectione 8. littera d. & e. docet, quod sicut ex varia mixtione elementorum consurgunt variæ complexiones primarum qualitatum; ita ex luce, diaphano, & perspicuo, diuersimode terminato, generantur diuersi colores: sed formæ elementorum, solum sunt in mixto virtualiter in qualitatibus ex ipsis causatis: ergo à luce extrinseca causatur in corpore terminato qualitas quæ formaliter est color, & quodammodo dicitur lux, quia est deriuata à luce.

70 Iam, vel nullo diluente, omnia argumēta cessant. Sed pro maiori claritate, ad singula descendamus. Ad primum concedo maiorem; & distinguo minorem: & concedo de eadem ratione formali in esse visibilis; nego vero de eadem in esse rei, iuxta dicta notab. 2. Licet autem PP. Carmelitani n. 23. dicāt colores apparentes non distingui à lumine; quia variantur secundum diuersum aspectum ad corpus luminosum. Melius tamen M. Ioā. à S. Thoma q. 7. art. 2. §. *circa tertiū*, in fine, docet colores apparentes specie distingui à luce, à qua efficiūtur: tū quia præter lucem, etiā concurrit perspicuum, & opacum: & sic habēt easdem causas proximas, ac alij colores: licet dependentes à reuerberatione lucis. Tum quia colores apparentes eodem modo immutant visum, quo permanētes. Et tertio, quia seruant inter se contrarietatem, & est transitus de vno ad alium, sicut in coloribus. Et hoc intendit S. Thomas loco citato in argumento primo, & secundo.

71 Ad secundum, vel dicatur, quod loquitur de colore in esse visibilis, quod in esse rei distinguitur à colore corporum mixtorum habentium causam intrinsecam sui coloris.

Vel melius dicatur, quod color est quid commune, vel vniuoce generice, vel analogice (quia ad rem, de qua modo, parum refert hoc, vel illo modo ponere) colori intrinseco corporum mistorum, & colori ab extrinseco causato in nube, & similibus, & colori corporū cæleſtium; quia licet in esse rei essēntialiter distinguantur, & diuersas causas habeant, & subiecta: tamen

ita

in esse visibilis vniuocantur. Et in hoc sensu, ait Phylos.de Sẽsu, & Sẽsato, *quod omnia corpora colore participãt.* Quod optime explicat S.Tho. ibi lect.2.littera.g.dicens. *Ideò dicit, quod colore omnia corpora participant, tã superiora, quam inferiora: quia in omnib⁹ corporibus, vel inuenitur ipse color secundum propriam rationem; sicut in corporibus, in quib⁹ est diaphanum terminatum. Vel saltem in eis inueniuntur principia coloris, quæ sunt diaphanum, & lux.* Quæ generali vocabulo *color* dicitur, quia videtur aliqualiter terminata. Sicut ergo accidens vere, & proprie est ens, quamuis principaliter sola substantia sit ens: ita color lucis, vel color iridis, dicitur verus color in esse visibilis; quãuis loquẽdo in rigore de colore intrinseco, vt est in alijs mixtis permanẽs, dicatur color apparens.

72 Ad tertium dicitur, quod prima authoritas non est ex mente S. Thomæ, sed ex aliorum sententia, quam ibi refert. Vel ad vtramque dicatur, quod ipse ibi se explicat, vt eum exposuim⁹ 3.notab. Quod loquutio illa est vera in sẽsu causali. Nec est sermo de vera forma, sed quasi forma.

73 Ad primam rationem facile dicitur, quod sicut non probat lucem internam, & externam esse eiusdẽ speciei; nec colores omnes in vna specie conuenire: multo minus probat lucem, & colorem esse eiusdem speciei. Quia potius, vt ait S. Thomas 1.p. q. 67.art.3. in fine corporis, *radij diuersarum stellarum habẽ. diuersos effectus secundum diuersas naturas corporum.* Quod, & docet q. 70.art.1.ad 2.& in 2.dist.13.art.4. & dist.15.q.1.ar.2.ad.5.& de Spir. Creat.ar.8.ad.12.ait, *quod nõ est eiusdem rationis lux in omnibus. Quod patet ex hoc, quod diuersorum corporum superiorum radij diuersos habẽt effectus.* Ergo in diuerso susceptibili causare potest, vel lucem, vel colorem cõmuniter sumptum, vel colorem stricte sumptum. Et apponit exemplum S. Thomas illa dist.13.art.4. sicut calor, qui est in homine, operatur ad conuersionem cibi in carnẽ humanam, & in planta ad substãtiam plantæ. Ita etiam, & lux, quãuis habeat actionem consequentẽ naturam lucis inquãtum huiusmodi: determinatur tamen sua actio secundum quod in diuersis recipitur ad diuersos effectus. Vnde alium effectum habet radius Saturni, quam Iouis. Hæc ibi. Vide quæ in simili de calore diximus q.19.§.4.

74 Ad secundam respondetur, quod potius est pro nobis, quia sicut ex diuersa terminatione corporum causantur diuersi colores specie distincti; ita aliquãdo solum causatur color, aliquãdo etiam lux specie distincta, & aliquando ita corp⁹ illuminatur, vt possit illuminare. Rationem assignat S.Thomas in 2. dist.15.q.1.art.1.ad 4. quia cum lumen Solis (vt dicit S. Dyonisius 4. de diu.nom.) recipiatur diuersimode in diuersis corporibus, secundũ eorum proportionem: quæda corpora recipiunt lumen prædictum, vt lucentia, & radios emittentia, sicut Luna, & Stellæ: & talia possunt luminaria, & vasa luminis dici. Quę dam autem recipiunt, nõ v[illegible] radios

ex se emittētia. Et hoc dupliciter, vel in profundo, vt aer; vel in superficie, vt corpora opaca; quorū neutrum luminare dici potest. Hæc ibi. Idem dixerat dis. 13. ar. 3. ad 10. Et in 4. dist. 44. q. 2. art. 2. q. 4. ad 5. ait: *Oportet ad hoc, quod forma in speculo appareat, quod fiat quædam reuerberatio ad aliquod corp⁹ obscurum; & ideò plūbū vitro adiungitur in speculo.* Ex quo non habetur quod lux, & color non distinguantur. Per quæ patet ad confirmationem. Vnde illa dis. 13. ad 10. ait S. Thomas. *Alia verò sunt, quæ perfectus lumen recipiunt, & lumen tenent, vt carbunculus, & huiusmodi.*

75 Ad vltimum respōdet bene M. Ioān. à S. Thoma ad 3. quod albedo habet multū de luce, virtualiter, & participatiuè; non formaliter, & specifice: prædominatur enim lux in albedine sicut vnum elemētū aliquando prædominatur in mixto præ alio. De quo S. Thomas 1. p. q. 91. art. 1. & alijs locis relatis 1. de Gener. q. 31. n. 6.

## QVAESTIO XXVIII.

### *Vtrum Philosophus rectè diffiniat colorem?*

### §. I.

### *Exponitur prima coloris diffinitio.*

1 PHilosophus libro de Sensu, & Sensato cap. 3. sic ait, *Quare color vnicuique; erit perspicui extremitas in determinato corpore.* Vbi S. Thomas lec. 6. lit. 3. ait, quod ibi Philosophus *concludit definitionem coloris.*

2 Cæterum Suarez lib. 3 de Anima cap. 15. n. 4. ait, quod definitio obscura est, minimeque sufficiens, cum non describat veram coloris essentiam. Præterquamquod non in superficie tantum, sed interius etiā color ineſt, vt patet in sāguine, lacte, & similib⁹. Dicēdū ergo (inquit Suarez) fortasse non intendisse diffinire exactè colorem, sed modo aliquo explicare. Proprie vero definiri posse: *Qualitatem efficientem mixtū corpus quatenus perspicuitatem aliquam habet opacitate terminatam.*

3 Definitionem tamen Suarez, vel rectam non esse, vel coincidere cum definitione Philosophi, quam impugnat, PP. Carmel. notāt n. 47. & acriter prosequitur D. Fernādez Vejaranus 3. Meteororum q. 3. art. 1. n. 171. Imò meliori forma, & clariori proponitur à Philosopho; siquidem *qualitas* est gen⁹ remotum, & *extremitas* est genus proximum. Deinde in opinione est positum an solā mixta sint colorata? Vnde hoc non debuit exprimi in definitione. Quare Philosophi definitionem omnes alij expositores acceptant. Sed diuiduntur in explicādo, an intēdat diffinire colorem secundum suam essentiam: & naturam; an verò solum in ratione visibilis?

4 Nam Bañez 1 p. q. 78. art. 3. de Visu dub. 1. not. 4. & 6. Conimb. c. 7. q. 1. art. 2. ad 3. & Rubio q. 1. nu. 21. & alij docent in hac definitione explicari naturam coloris, vt visibilis est: quia S. Thomas de Sensu, & Sensa-

Sensato lec.6.in fine ait. Si autem corpora intrinsecus quidem habēt superficiem in potentia, nō autem actu; ita etiam intrinsecus non colorentur in actu, sed in potentia: quæ reducitur ad actum facta corporis diuisione. Illud autem intrinsecum, non habet virtutem mouendi visū: quod perse colori conuenit. Hæc doctrina S. Thomæ, intelligendo definitionem de colore in esse visibilis, caret difficultate. Falsa vero videtur de colore in esse entis: cū experiamur lac, sanguinem, & similia intus habere actu colorem; licet actu non immutēt visum, nisi in superficie.

5 Oppositū tamen docēt Caietanus 2.de Anima cap.6.textu 69. Aquarius 2.de Anima circa q.12.PP. carmel.n.42. & Ioā.à.S. Thoma q. 7.art.1.qui dicunt hic explicari essentiā coloris absolute sūpti, quia omnia essentialia coloris in definitione recte exposita, continentur. Et dicit M.Ioan.à.S.Thoma, quod verba S.Thomæ, sunt quędam conditionalis nihil ponens in esse: nā in re sicut fuerint superficies, ita erūt, & colores. Vnde intra corpus dabitur color quoad entitatem; sed nō quoad terminationem, & motionē visus.

6 Duplici alia via hoc exponit Iauellus 2. de Anima q.32.§. *præterhas*. Et ad 2.dubium, primo, dicendo cum D.Thoma de Sensu, & Sensato lec.6.lit.g. quod hæc definitio datur de colore prout est in actu mouendi visum. Color autem est in actu isto, quando existēte medio illuminato potest per seipsum mouere visum. Solum autem in superficie hoc potest, quia opacitate, & grositie impeditur, quod à profundo moueatur sensus. Vnde B.Albertus 22.de Animalibus cap.2. de Lynce tract.6. & Bañez ad primū, fabulosum reputāt, quod lyns dicatur videre vltra parietem, quia color, solum vt est in extremitate perspicui, motiuus est diaphani. Et ideò illa locutio vulgaris de lynce est metaphorica fūdata in eo quod lyns est singularis odoratus, & discernit inter cibos vltra parietē existentes: de quo Conimb.2.de Anima cap.7.q.vlt.

7 Secundo respondet Iauellus, quod definitio Philosophi datur de colore magis secundū apparientiam, & essentiam, quam secundum essentiam tantum. Quod patet ex Philosopho tex.31. & ex D.Thoma ibidē lec.6.lit.e.vbi ad exponē das particulas, & sensū definitionis, vtuntur authoritate Phytagoricorū. *Et inde est* (inquiūt) *quod Phytagorici colorem vocabāt Epiphaniam, id est, apparitionem: quia illud, quod apparet in superficie corporum, color est.*

8 Quamuis quælibet harum expositionum prę teferat probabilitatem; secunda relata n.5. videtur ad mentem Philosophi & S.Thomæ: nam lec.illa sexta lit.b.dicūt, quod in libris de Anima determinatū est *de sensibilibus in actu: sed quid sit vnumquodque eorum secundum seipsum, quod natum est facere sensitiuum in actu, est, nūc dicendum in hoc libro* de Sensu, & Sensato. Ergo licet in libris de Anima, egerit Philosophus de colore, & luce vt actu videtur, tamen in defi-

nitione

nitione relata ipsam essentiam coloris, quæ est radix visibilitatis, intendit declarare. Vnde S. Tho. eodem libro lect. 7. in principio, ait, quod Philosophus *ex ipsa natura coloris, quam per diffinitionem supra positã explicauerat, concludit diuersitatem specierum ipsius.* Cum quo compati ur, quod ad complemẽtum doctrinæ, aliquid dicat de passione, & de actuali visione, quia ista sunt notiora quoad nos. Et ideò ex actuali motione visus, & ex apparientia colorum, manuducunt Philosophus, & S. Thomas ad cognoscendam essẽtiam coloris: quam explicare intẽdunt. Per quæ patet ad ea, quæ pro aliis expositionibus adducuntur.

9 Vt autẽ singulæ particulæ exponantur ex D. Tho. lec. 6. notat ipse lit. e. quod si accidens diffinitur in abstracto, subiectum ponitur loco differentiæ; id autem quod pertinet ad genus accidẽtis ponitur loco generis. Quia ergo hic color diffinitur in abstracto; ideò pro genere ponitur *extremitas*. Quæ vox duas habet significationes: sumitur enim pro termino corporis: & sic accipitur pro superficie, vel figura corporis: & sumitur pro vltimo termino qualitatis, quæ est in corpore, & est quanta peraccidens. Vnde concludit ibi S. Thomas. Nõ est autem verum, quod color sit extremitas corporis, vt Pythagorici posuerũt: quia sic esset superficies, vel linea, vel punctus: sed est in extremitate corporis; sicut natura perspicui est in corporibus. Et lit. g. latius id exponit & concordat diuersa dicta Philosophi, ita asserens. Quod autem dicit colorem *esse extremitatem*, non repugnat ei, quod dixerat supra, *colorem non esse extremitatem*: illud enim dixit de extremitate corporis: hoc autẽ de extremitate perspicui; quod nominat corporis qualitatem, sicut calidum, & album. Et ideò color non est in genere quantitatis, sicut superficies, quæ est extremum corporis: sed est in genere qualitatis, sicut, & perspicuitas: quia extremum, & id cuius est extremum, vnius generis sunt.

10 Secundo, vt intelligatur illa particula *perspicui*, aduertendum, quod perspicuum accipitur dupliciter: vno modo strictè, prout est idem, ac transparens, seu diaphanũ: secundo modo latiùs, prout quod libet, quouis modo susceptiuum lucis, perspicuum dicitur. Et in definitione non accipitur præcisè primo modo, sed secundo modo. Quod egregiè notat S. Tho. lit. d. ita scribens. Proprium luminis susceptiuum in triplici ordine graduum se habet. Primus quidem gradus, cũ id, quod est luminis susceptiuũ est totaliter lumine repletũ, quasi perfectè in actu reductum, ita quod vlterius non sit receptiuum alicuius qualitatis, vel formæ huiùs generis, quod quidem inter omnia corpora maximè cõpetit Soli: vnde corpus solare non potest esse medium in visu, vt sit recipiens, & reddens formam visibilem. Proprietas autẽ lucendi, secundum ordinem quendam descendendo, procedit vsque ad ignem: vlterius vsque ad quædã corpora, quæ propter paruitatem sui luminis, non possunt lucere, nisi in nocte.

Secun-

Secundus gradus est eorum, quæ de se non habent lumen in actu; sed sunt susceptiua luminis per totū. Huiusmodi corpora proprie dicūtur perspicua, siue trāsparentia, vel diaphana: Phanon enim in Græco, idem est, quod visibile. Et hæc quidem proprietas transparendi, inuenitur quidem maxime in corporibus cælestibus, propter corpora astrorum, quæ occultant, quod post se est: secundario autem in igne, secundum quod est in propria sphæra, propter raritatem: tertio in aere: quarto in aqua: quinto etiam in quibusdā terrenis corporib⁹ propter abundantiam aeris, vel aquæ in ipsis. ¶ Tertius, & infimus gradus est terræ, quæ maxime distat à corpore cælesti, quæ minime nata est recipere de lumine, sed in superficie tātum: exteriores enim partes, propter sui grossitiem, interiores obumbrant, vt ad eas nō perueniat lumen. ¶ Quamuis autem in solis corporibus medij gradus proprie dicatur perspicuum, vel diaphanū, secundum nominis proprietatem: communiter tamen loquendo, potest dici perspicuum, quod est luminis susceptiuum qualitercumque. Et ita videtur Phylosophus hic de perspicuo loqui. Hæc S. Thomas.

12 Vltimam diffinitionis particulam exponit ipse D. Sanctus litt. g. dicens. Concludit ergo, quod color est extremitas perspicui in corpore determinato: quod quidem additur eo quod huiusmodi corpora sunt, quæ secundum se colorantur: in definitione autem debet poni id quod est perse. Quod amplius explicuerat eadem lec. 6. lit. c. asserēs. Dicit ergo Phylos. primo, quod sicut dictum est libro 2. de Anima tex. 69. *lumē est color perspicui*. Quod quidem dicitur secundum quandā proportionem, ex eo quod sicut color est forma, & actus corporis colorati; ita lumen est forma, & actus perspicui. Differt autem quantum ad hoc, quod corpus caloratū in se ipso habet causam sui coloris. Sed corpus perspicuū habet lumē ab alio: & ideò dicit, quod lumen est color perspicui secundum accidens, id est, per aliud; nō quia lumē sit actus perspicui inquātum huiusmodi. Quod autem sit actus eius secūdum aliud, manifestat per hoc, quod quando aliquod corpus ignitum, id est, actu lucidū, adest perspicuo, ex præsentia eius fit lumen in perspicuo; ex priuatione vero fiūt tenebræ. Non sic autem est de colore, quia color manet in corpore colorato quocūque prçsēte, vel absente: licet non sit actu visibilis sine lumine. Hæc ibi. Ex quo patet, quod hac vltima particula explicatur distinctio coloris à luce. Et vlterius patet, quod hic nō definitur color cōmuniter sumptus, eo modo quo accipiebatur q. 27. n. 67. & 71. Sed color stricte sumptus prout à luce distinguitur.

(·.·)

## §. II.
## *Causæ coloris.*

13 SEd pro claritate definitionis, & notitia quidditatis coloris. Dubitatur primo, vtrum color causetur ex mixtione primarum qualitatum?

Negant Mercatus, & Vega Medici, quos refert, & sequitur Fernãdez Vejaran⁹ 3. Meteororum q. 3. art. 1. n. 143. & nu. 148. vbi sic definiũt colorem, est *qualitas causata ex certa proportione lucidi, & opaci, ad cognoscendas corporum differentias.* Quod autem color nõ causetur ex cõmixtione primarum qualitatũ, probãt: quia cum corpora cælestia ex tali permixtione minime producãtur; colorata non essent: cuius contrarium docet experientia: siquidem à nobis videntur, & nostrũ visum terminant: nã vt ait Aristot. 3. Physic. tex. 10. *color, & visibile id sunt subiecto.* Quod & docet de Sensu, & Sẽsato capit. 3. & libro de Coloribus cap. 10.

14 Secundo, quia color est qualitas communis mixtis, & corporibus cælestibus: sed perspicuitas lucidi est huiusmodi: ergo melius assignãtur causę coloris dicendo causari ex certa proportione lucidi, & opaci, quam asserendo fieri ex mixtione primarum qualitatum.

15 Et ita videntur tenere Alexãder in Paraphrasi de Ani. cap. 12. & Aquarius 2. de Ani. in add. ad q. 12. imò B. Albertus de Sẽsu, & Sensat. tract. 2. cap. 1. vbi ait: quod *color est participatio lucis à perspicuitate termina-ta.* Et Auerrois ait, quod *color est perfectio diaphani terminati; sicut lux est perfectio diaphani interminati.* Et per hoc distingui colorem à luce, colligitur ex Philosopho, & D. Thoma verbis relatis n. 12.

16 Per oppositum colorem esse qualitatem secundam causatam ex mixtione primarum, videtur cõmunis Doctorũ sentẽtia. Ita Caiet. 2. de Anim. c. 6. text. 72. dub. 2. §. *neque etiam.* Iauellus q. 32. §. *quãtũ ad primum* in fine. Ferr. q. 12. ad 2. Suar. lib. 3. cap. 15. n. 3. PP. Carmel. disp. 10. n. 31. & 36. Petrus Garcia Fem. 1. lib. 1. disp. 42. cap. 1. pag. 1265. & passim alij.

Videturque expressa Philos. & S. Tho. de Sensu, & Sensato, lec. 8. lit. e. vbi ait S. Thom. Posti cõmixtionem corporum tangit commixtionem colorũ: & dicit manifestũ esse secũdum prædeterminata, quę sit necessitas, quod *commixtis corporibus colores misceãtur, & c.* Et ipse S. Th. in 2. dist. 18. q. 2. ar. 3. ad 2. ait, quod ex actione qualitatum elemẽtariũ, sequitur aliquid dupliciter: vno modo ex ipsis secundum se, *sicut sapor, & color.*

17 Et probatur primo, quia pura elemẽta, & cælestia corpora nõ habent colorẽ; quia nõ habẽt accidẽtia elemẽtorũ propria: ergo color oritur ex permixtione primarum qualitatum elemẽtariũ. Secundo, quia experimur ex commixtione corporũ sequi cõmixtionem colorum; & iuxta modum commixtionis sequitur diuersitas colorum; ergo color est qualitas causata ex permixtione primarum qualitatum.

Placet

18 Placet hæc communis sententia: intelligenda tamen est cum M. Bañez 1.p.q.78.ar.3.de Visu dub. 1.notab.3.& Toleto Card.2.de Anima q.17.ante 1.concl.quod verificetur de principijs remotis: nam qualitates primæ nō sunt proxima principia colorū, sed remota, quatenus opacitatem aliquam, vel diuersam terminationē causant. Nec solæ primæ qualitates sunt remota principia coloris, sed etiam qualitates secundæ: nam in quibusdam valde calidis præstat color albus,& etiam in quibusdam frigidis; videm⁹ enim, quod calx est calida, & alba; & nix est frigida, & alba; melancholia frigida, & nigra; piper valde calidum, sed nigrum: de quo Philosophus sec.36.Probl.q.1.

19 Secundo limitant Authores prædicti sententiam relatam, docēdo, quod potest esse color, sine harum primarum, aut secundarū qualitatum mixtione: vt in elementis ponit illum Aristoteles in libro de Coloribus in principio, quia ibi est opacitas aliqua cum lumine, & diaphanei tate. Vnde quando dicimus colorem causari ex primarum qualitatum mixtione, loquimur de colore mixto, non de simplici, qui elementis competit. Quam distinctionem tradit Philosoph⁹ in libro de coloribus in principio, & ad intentum applicat.

20 Ad argumenta prioris opinionis, vel posset concedi cælū esse coloratum colore simplici; non tamē colore mixtorum, vt de elementis dictum est: quamuis ille color sit diuersæ speciei ab istorū colore. Vel melius dicatur cum Ferrara.q.12. ad 2.quod obiectum visus est color cōmuniter sumptus, vt est quid commune luci, & colori, iuxta dicta quæst.27.num.67.& 71. Corpora autem cælestia solum sunt colorata, quia habent lucem, vt ibi diximus ex Philosopho, & D.Tho. qui lib.2.de Cælo lec.14.lit.f.in fin. ait: *Et eadem ratione lumen; quod est actus diaphani, est eiusdem naturæ in inferioribus corporibus, & in cælesti corpore. Si ergo in huiusmodi inferioribus corporib⁹ sint accidentia sensu perceptibilia; pari ratione in corporibus cælestibus sunt accidentia perceptibilia sēsu.* Et infra arguit ab inconuenienti, dicens. *Item, si hoc esset* (quod aiebat Simplicius, quod nec astra ipsa videmus, sed solum velut illustrationem quandam ipsorum: velut etiam, Solis circa terram lumen, non ipse Sol videtur) *periret omnis certitudo Astrologiæ scientiæ, quæ procedit ex apparentibus secundum sensum circa corpora cælestia.* Cum ergo cælorum sonum non audiam⁹, vt ibi cōtra Pythagoricos probat, quia nec sonant cæli, & experientia constet, nec tactu, nec odoratu, nec alio sensu posse percipi, nisi visu; manifectum est in illis lucem esse terminatam, vt sufficit ad hoc vt videantur vere, & proprie.

21 Secundo inquiritur, vnde proueniant diuersæ species colorum?

Respondetur, quod quantum ad colores extremos, dicitur nigredo causari per absentiam luminis, quia minimū habet de lumine inter omnes colores, sicut albedo plurimū. Cuius radicem assignat S. Thomas de Sensu, & Sensato lect.7.in principio:

cipio: nam subiectum coloris est perspicuum secundum suum extremũ in corporibus terminatis: proprius autem actus perspicui, inquãtum huiusmodi, est lux: cuius præsentia in diaphano non determinato, sicut est aer, facit lumen: eius autem absentia facit tenebras. Contingit ergo in extremo perspicui terminatorum corporum in esse illud, quod in aere facit lumen: & hoc faciet ibi colorem albũ; & per eius absentiam efficietur color niger.

22 Quantũ verò ad colores medios, Philosophus, & S. Thom. eodem libro lect. 8. litt. e. sic dicunt: Dictum est supra, quod perspicuũ, secundum quod existit in corporibus, facit colores participari. Perspicuum autem diuersimode inuenitur in corporibus secundum magis, & minus; & similiter lucidum. Et ideò permixtis corporibus, in quibus est lucidum, & diaphanum, necesse est, quod fiat permixtio colorũ. *Et ista est principalis causa, quod sunt multi colores præter album, & nigrum.*

## §. III.

## *De colore inquantum est visibilis.*

23 ALteram coloris definitionẽ (quæ traditur de ipso inquãtum habet causam vt sit visibile, sicut subiectum habet in seipso causam propriæ passionis: ẽquod visibilitas est quædã passio coloris) proponit Philosophus 2. de Anima tex. 67. & 68. quam declarat S. Thomas ibi lec. 14. lit. b. dicens. *Omnis color est motiuus diaphani secundum actum.* Diaphanum autem est idem, quod transparens, vt aer, vel aqua. Et hoc habet color de sui natura, quod possit mouere diaphanum in actu. Ex hoc autem, quod mouet diaphanum in actu, est visibile. Vnde sequitur, quod color secundum suam naturam est visibilis. Et quia diaphanum non fit in actu nisi per lumen, sequitur, quod color non sit visibilis sine lumine. Hæc ibi.

24 Vberius autẽ explanat S. Thomas naturam diaphani lit. c. dicens. Est autem diaphanum, quod nõ habet proprium colorem, vt secundum ipsum videri possit; sed est susceptiuum extranei coloris, secundum quem aliquomodo est visibile. Huiusmodi autem diaphanum est sicut aer, & aqua, & multa corpora solida, vt lapides quidam, & vitrum. Licet autem alia accidentia, quæ conueniunt elementis, & elementatis, conueniant eis secundum naturam elementorum; sicut calidum, & frigidum, graue, & leue, & alia huiusmodi. Tamen diaphanum non cõuenit prædictis ex natura aeris, aut aquæ, secundum quod huiusmodi: sed consequitur quandam naturam cõmunem; non solum aeri, & aquæ: sed conuenit etiam cælesti corpori, quod est perpetuum, & incorruptibile. Manifestum est enim aliqua cęlestia corpora esse diaphana: nõ enim possemus videre stellas fixas, quæ sunt in octaua sphæra, nisi inferiores sphęræ planetarum essent transparentes, vel diaphanæ. Sic ergo manifestum est,

quod diaphanum non est proprietas consequens naturam aeris, aut aquæ, sed aliquam communem naturam, ex cuius proprietate oportet causã diaphaneitatis assignare. Hucusque S. Thomas, videndus tota lect.15.

25 Sed obijcies: nam si diaphanum in actu est perse mobile à colore: ergo cælum, cum sit diaphanum in actu, erit mobile à colore: & consequenter esset receptiuum peregrinæ impræsionis. Quod est contra Phylosophiam tenentem, quod cælum sic agit in ista inferiora, quod non potest pati ab eis. Videatur S. Thomas 2. de cælo lectione 10. in fine, & alijs locis relatis 1. de Gener. q. 29. in principio.

Respondet bene Caiet. 2. de Anima capit. 6. textu 72. dub. 3. ad 3. quod nullum inconueniens apparet cõcedere, quod partes cæli diaphanæ in actu, sint mobiles a coloribus, si ibi applicarentur colores. Cælum enim non est passiuum ab inferioribus passione corruptiua; passione autem perfectiua ipsum tangi, pati, alterari, recipere ab inferioribus, nihil prohibet. Et hoc suadetur ex hoc quod partes cæli diaphanæ in potentia sunt illuminabiles à corpore igneo lucente, si eis approximaretur. Et ratio est, quia omnis illuminatio, inquantũ illuminatio est; & similiter omne lumen, inquantum lumen eiusdem rationis est.

26 Signis tamen species colorũ recipi in cælo non crederet, pro eo quod colores sunt de genere mixtorum; diceret, quod color est motiuus diaphani in actu, non cuiscumque, sed interminati: cælum autem est diaphanum terminatũ. *Prima tamen responsio est magis rationi consona.* ¶ Communi quoque opinioni aduersari videtur, quod si esset vnum magnum corpus coloratum intus in orbe Lunæ, &c. Quod prę sẽte proportionato lumine nõ posset videri. Hæc adverbum Caietanus, qui & duo alia diluit argumenta. Alia videri possunt in PP. Carm. disp. 10. tota q. 4. & Fernand. Vejarano. 3. Meteor. q. 3. art. 1. à n. 148. vsque 163.

## QVAESTIO. XXIX.

*Vtrum lumen, vt videatur color, requiratur ex parte obiecti; an vero ex parte medij?*

1 NOn pauci confundunt in hac quæstione tria dubia inter se valde diuersa: & ideò nec sententias fideliter referunt; nec punctum difficultatis attingunt. Quę vt vitemus, notandũ, quod in colore sunt tria, nempe intrinseca prædicata, quibus constituitur in esse coloris: secundo cõsideratur in eo visibilitas, quæ est passio coloris: tertio at tẽditur actualiter mouere visum, quæ est actualitas visibilitatis obiecti mouentis potentiam, vt videat. Quæ tria ad inuicem differre constat, quia essẽtia differt a propria passione: & ista distinguitur ab actuali operatione, vel passione. Vnde sicut hęc tria, homo, risibile, & risus, inter se differũt; ita distinguũtur color in esse entis, & in esse visibilis, & in esse actu mouentis visum.

2 Tria ergo de effectu luminis valent inquiri. Primum, vtrum constituat colores in esse coloris; ita vt antecedenter ad lucem, solum sit color in potentia, & luce constituatur color in actu? Secundo, vtrum color in esse visibilis constituatur per lucem? ita vt color sine luce solum remote, & radicaliter sit visibilis, & proxima visibilitas tota sit à lumine, non ab ipso colore? Tertio dubitatur, vtrum ad hoc vt color actu moueat visum, lumen externum distinctum à colore exigatur ex parte medij tantum; an verò etiam ex parte obiecti; & in quo genere causæ influat vt sensus actu moueatur à colore, & luce?

3 De primo dubio satis egimus q.27.§.4.& 5. vbi confutata est sententia Auicenæ 6. Natur. p. 3. c.1. asserentis non dari colores in corporibus absente lumine, quia colores non differunt à lumine incorporato. Quod quia ibi reiectum est, non oportet iterum in examen vocare.

## §. I.

## *Vtrum color habeat intrinsecam visibilitatem?*

4 CIrca secundum, est prima sententia asserens lumen requiri ex parte obiecti vt colorem constituat in esse visibilis. Ita B. Albertus in Summa de homine in q. de substantia coloris, & de Anima trac.2. cap.3. Item Palatios, Petrus Martinez, Sebastianus Perez, Conimbr. c.7.q.4. Tribuitur Conrado, & Medina. 1.2.q.8.artic.3.ad 2. in quibus ego eam non inuenio. Sed tenet expresse Suar. lib.3.c.16 nu.4. citans Auicenam, Themistium, Aegidiũ, & Caiet.2.de Ani.c.6. text.72. Itẽ Philosophi 3. de Anima textu 18. dicentem, lumen facere colores actu, vtique visibiles. Et lib.2.capit. 7. dicit omnia visibilia reduci ad vnum, nempe, ad lumen. S. Thomas 1.parte quæstione 67.articulo 3.ad 3. absolutè scribit lucem colores actu visibiles efficere. Item in 1. distinct.45.artic.2.ad 1. & distinct. 48.articu.2. & sæpissimè alibi docet in obiecto visus colorem se habere vt materiale, & lucem vt formale.

5 Accedunt quoque experientiæ ad hoc confirmandum: nã obiectũ coloratum numquam, nisi illuminatum videtur, eoque perfectius, quo est illuminatius, signũ ergo est, quod ex se requirat lumen, vt possit videri. ¶ Præterea compertum est res lucidas perse esse visibiles, neque indigere aliquo extrinseco, vt videantur: vt solem, cęteraque astra; ignẽ, & si quæ sunt alia perse lucẽtia: res autem coloratas omnes indigere illustratione. ergo lumen reuera cõplet rationem visibilis etiam in ipsis coloribus.

6 Quod autem medij illustratio perse non exigatur ad visibilitatẽ, probant, post Auicenam, Suarez.n. 5.& Arriaga disp.5. sec.3. subsec.2. & alij: nã res colorata, lumineque affecta, sui speciẽ fundit per interiectum aerem, etiam si totũ non illustretur; cum videatur ab existente in obscuro recessu, vt experientia domõstrat: non ergo medij illustratio perse requiritur.

Quod si cõtendas medium semper illuminari, saltẽ remisse. Hinc colligemus id perse non requiri ad visibilitatem obiecti: alioquin diminuta in medio luce, visio fieret imperfectior: siquidem stante subiecto imperfecte dispositio, forma debilior illi imprimeretur. Nunc autẽ licet lumen minuatur in magna medij parte, dum non remittatur in obiecto illuminato, æque perfecte ipsum conspicimus. Ergo signum est illustrationẽ medij perse non requiri, vt color illustratus sit actu, seu in potentia proxima visibilis.

7 Deinde quando ex obscurissimo cubiculo nocturno tempore videtur lux in monte, ad quatuor, sex ve leucas, aut forte duodecim, distans, nõ potest probabiliter affirmari, per totũ illud spatium, vsque ad cubiculum productã fuisse lucem experimur enim ibi tunc alios homines nobis proximos; nec parietes ipsos vlla vi percipi posse: ergo quia ibi nõ est vlla lux: non ergo perse exigitur illustratio medij, vt color, vel lux videatur.

8 Dico tamen primo, lux non tribuit colori visibilitatem, seu virtutem, qua sit visibilis. Ita Ferrara 2. de Anima q.13.concl.3.ibi Aquarius, Bañez 1.p.q.79.art.3.dub.5. dicens esse doctrinam communẽ in Schola S.Thomæ. Flandria trac. 2.cap.8. Zanardus q.27. Carmelitani disp.10.q.5.§.2. Ioann.à S.Thoma q.7.art.2.§. *Circa quartum.* Docuerunt etiam Auerrois commẽt. 67. AEgidius textu 66.dub.1. Ianduno q.19. Toletus q.17. Rubio de Visu q.6. Durandus in 2. distinctione 28.quæst.1.ad 1.& alij multi.

9 Videturque expressa Phylosophi 2.de Anim.textu 67.& S. Thomæ ibi lect.14.lit.b.vbi ait: *Hoc habet color de sui natura, quod possit mouere diaphanum in actu. Ex hoc autẽ quod mouet diaphanum in actu est visibile. Vnde sequitur, quod color secundum suam naturam est visibilis.* Et in eadem lectione 14.litt.g.§. *circa tertium*, relata priori sententia, eam impugnat S. Thomas, ita scribens. *Sed hoc est manifestè contra id quod Aristotelis hic dicit*, & quod habet in se causam essendi visibile. *Vnde secundum sententiam Aristotelis dicendum est, quod lumen necessarium est ad videndum, non ex parte coloris, eo quod faciat colores esse actu, quos quidam tantum dicunt esse in potentia, cum sunt in tenebris; sed ex parte diaphani inquantum facit ipsum esse in actu, vt in littera dicitur.* Idẽ habetur 3.de Anima textu 18.lect. 10.litt.a.& q.vnica de Anima art. 4.ad 4. post eandem relatam opinionem, subdit S. Thomas. *Sed hoc videtur Aristoteles remouere, cum dicit in 2.de Anima, quod color est perse visibilis; quod non esset, si solum ex lumine haberet visibilitatem. Et ideò alij aliter dicunt, & melius, quod lumen necessarium est ad videndum, inquantum perficit diaphanum faciès illud esse lucidum in actu.* Et 1 p.q.12.art.5.ad 1.ait *Lumẽ corporale necessarium est in visu exteriori, inquantum facit medium transparens in actu, vt possit moueri à colore.*

10 Fundamentalis ratio Phylosophi, & S. Tho. sic solet formari. Id quod

quod perse, & ab intrinseco est tale, non redditur tale per formã extrinsecam, vel de foris aduenientẽ. Sed color perse, & ab intrinseco est visibilis: ergo color non fit visibilis per lumen intrinsecum, quod de foris aduenit. Probatur minor, quia visibilitas conuenit perse colori, vt dicit Phylosophus tex. 67. quia est eius propria passio, vt ibi notat S. Thomas. Secundo probatur minor, ex secunda diffinitione coloris, quia color de sui natura est motiu⁹ diaphani. Tertio suadetur efficatius, quia sensibile proprium alicuius sensus est perse sensibile respectu illius, vt cõstat ex dictis q. 22. Et experiẽtia, & inductione est manifestum: sed color est sensibile proprium visus; siquidem ab ipso perse attingitur, & à nullo alio sensu perse percipitur: ergo lux externa non dat colori intrinsecam visibilitatem proximam.

11 Occurri potest ad hãc rationẽ dicendo maiorem esse falsam: quia manifeste instatur in virtute nutritiua, quæ perse nutrit: & tamen nutrit per calorem.

Euasionem tamẽ hanc bene precludit Ferrara illa conc. 3. nã quod conuenit alicui per propriam formam, nõ conuenit ei per aliquod extrinsecum, quia forma nõ est extra id cuius est forma: sed quod cõuenit alicui in primo, aut secundo modo perfectionis, cõuenit per propriam formã, vel essentialem, vel ab illa dimanantem: ergo non conuenit per aliquam formam ab extrinseco aduenientem. Instantia autem de virtute nutritiua non concludit: quia licet id cui cõuenit operari per propriam formam, non indigeat forma alia: tamen potest indigere instrumento, cui tribuat virtutem operandi: & ita est de virtute nutritiua: vnde non est ad propositum.

Tres alias aliorum solutiones referunt, & confutant Rubio, & PP. Carmelitani §. 3. Sed quia pendent ex dicendis circa tertium dubium, ex eius resolutione de eis fiet iudicium.

## §. II.

### *Qualiter concurrat lumen vt color videatur?*

12 ESt igitur tertium dubium, qualiter lumen externũ concurrat ad hoc, quod color acta moueat visum, & ab eo percipiatur?

Toletus, & Rubio, Aquarius, & PP. Carmelitani n. 77. dicunt lumẽ solum dispositiue, & in genere causæ materialis, & ex parte passi se tenendo, ad prædictam immutationem concurrere: quia lumen non se tenet ex parte obiecti; sed ex parte medij *inquãtum facit diaphanum esse in actu, vt moueri possit à colore, & sic color videri*, vt ait S. Thomas 3. de Anima lectione 10. lit. a.

At vero Petrus Bergomensis, in Concord. dubio 361. quem sequuntur Ferrara quæstione 13. Bañez illo dubio 5. conclusione 3. notabili secundo, respondent supponendo ex Diuo Thoma secundo de Anima lectione 14. in fine, quod differentia est inter virtutem perfectam,

& imperfectam, &c. *& quod virtus coloris in agendo est imperfecta respectu virtutis luminis.* Agens autem imperfectum non valet suam formam imprimere, nisi confortetur à fortiori agente. Et sic color est visibilis in actu imperfecto; tamen est visibilis in potētia ad actum perfectum; ad quem reducitur per lumen: quia vt ait Ferr.1.Cōtr.c.76. ratione 1.notab.2.color, licet in tenebris sit actu color, non tamen est in actu sufficienti ad mouendum diaphanum motione spirituali. Vnde esse visibile secundum actum completum solum conuenit colori, vt est actu illuminatus; quia ex luce, & colore fit vnum obiectum.

14 Tertio dicunt alij lumen extrinsecum, non solum esse cōditionem, qua disponatur medium ad recipiendam, & deferendam speciem à sensibili in sensum, vt dicebant Authores relati n.12. sed etiā esse conditionem sine qua efficere nequit obiectum, quia color illuminatus mouet visum. Quem dicendi modum probabilem esse dixerat Rubio q.6.nu.97. & asserti-ue tuentur alij Recētiores. Alij ponunt colorem, & lucem esse duas causas partiales immissionis specierum ad visum.

15 Caietanus.1.p.q.79.art 2. §. *Singularis autem*, notat, quod effectus luminis est duplex, scilicet, formalis, & obiectiuus: formalis est esse illuminatiuum, vt patet in diaphano. Obiectiuus verò est apparere, vt patet in colore: color enim non apparet, nisi illustratus. Ex hac Caietani doctrina infert ibi Bañez concl.3.dubij quinti, quod lumen tribuit virtutem colori, vt actu videatur: quia lux facit colorem apparere. Ad quod non requiritur lumen in ipso colore, vel perspicuo terminato recipi; sed in ipsa superficie perspicui interminati contingēte superficiem terminati; hoc enim sufficit vt color appareat.

16 Explicatius ipse Caietanus 2. de Ani.tex.72.c.6.dub.3.ad 1.pag. mihi 91. ait, quod non inconuenit, quod vna, & eadem qualitas superioris, & eleuati ordinis, vt est lux, & lumen, in colore sit ratio agēdi, & in diaphano sit ratio patiēdi à colore; quoniam, & ipsa habet in se virtualiter omnes qualitates inferiorum. Et varius est recipiēdi modus, iuxta variam recipientium naturam. In diaphano siquidem colorato, quod (reflexione tellāte) fortius recipit, & actiuum est, recipitur vt ratio agendi: & in diaphano actuabili recipitur vt ratio patiendi. Videantur quæ in simili diximus 1.de Gener.q.24.concl.4.à nu.29. vsque 35.

17 Denique M.Ioann.à S.Thoma de Anima q.7.art.2. §. *Nihilominus*, ait quod requiritur lux ad complendum colorem in ratione efficiēdi species intētionales: & quoad hoc sufficit quod tangat illum, & actiue afficiat. Probabile tamē est, quod etiam formaliter. Aut saltem effectum aliquem in eo ponat, quo perficiatur, vt intentionaliter moueat. Ipse tamen M. §. *quid autem*, fatetur, quod effectus ille impressus à luce in colorem, non facile explicatur quid sit; qualitas, an modus?

Et

Et quidquid dicatur eaſdem patitur difficultates, ac de ipſa luce: & ideò cenſet probabilius, quod lux actuat ipsũ colorem in ſuperficie, & ſic effectiue, & formaliter adiubat colorem ad immiſionẽ ſpecierum.

18 Hos dicendi modos, ideò ita ſiggillatim retuli, quia ſolent nimis confuſſe omnes pro vno refferri: & quia ex omnibus ſimul ſumptis aliquid lucis accipit effectus formalis lucis, in ordine ad viſionem coloris nõ ſatis omnib⁹ perſpicuus. Supposito ergo (id quod experientia cõſtat,) quod lux externa, de qua loquimur, diſtincta à luce interna improprie ſumpta, quæ eſt ipſe color; eſt inhæſiue in aere medio, & afficit in ſuperficie ipſum obiectum, ſeu colorem: poterit lux cõſiderari, vt eſt forma, vel diſpoſitio medij; & vt eſt forma, vel diſpoſitio obiecti in eſſe viſibilis, vel actu mouentis viſum.

19 Dico ergo ſecundo, lux vt ſe tenet ex parte medij, ſolum ſe habet vt diſpoſitio, vt medium poſsit moueri à colore, & illius ſpecies deferri ad viſum. Colligitur ex authoritatibus, & ratione primæ concluſionis. Et experientia eſt manifeſta: quia ſi medium ſit opacum, vel tenebroſum, color nequit actu mouere viſum. Deinde id videtur oriri ex maxima perfectione immutationis viſus; quia enim inter ſenſus externos eſt ſpiritualior, ſpecies debent tranſire per medium illuminatum, per quod deferuntur vſque ad ſenſum, & ipſi ſenſui apparent.

## §. III.

### *Lux ſe tenet etiam ex parte obiecti.*

20 Dico tertio, lux ſe tenet etiã ex parte obiecti complens formaliter in eſſe viſibilis color ẽ: & ſic in genere cauſæ formalis, & efficientis, cum ipſo colore efficit vnã cauſam immittentem ſpeciẽ, & immutantem viſum. Ita Caietanus, Ferrara, Bañez, & Ioann. à S. Thoma locis citatis. Videturque expreſſa S. Thomę 1. Contrag. cap. 76. ratione 1. dicentis: *Eadem viſione videmus lumen, & colorem, qui ſit viſibilis actu per lumen.* Et 1. p. q. 67. ar. 3. ad 3. ait, quod lumen *facit colores viſibiles actu, inquantum eſt qualitas primi corporis ſenſibilis.* Et in diſt. 45. art. 2. ad 1. dicit, *color eſt viſibile in potẽtia; & non efficitur viſibile in actu, niſi per actum lucis.* Et in 2. diſt. 13. ar. 3. in fine corporis aſſerit: *ex hoc etiam eſt quod coloribus eſſe ſpirituale confert, ſecundũ quod eſſe recipiuntur in medio, & in organo: vnde, & ipſum lumen virtutem ſpiritualem habet.* Et in 2. diſt. 20. q. 2. art. 2. ad 2. ait: *Complementum formale viſibilis, inquantum huiuſmodi, eſt ex parte lucis, quæ facit viſibile in potentia eſſe viſibile in actu.* Quodlib. 8. ar. 3. ſupponit, quod *color non poteſt mouere viſum, niſi lux ſuperueniat.* Et quæſt. 8. de Verit. ar. 14. ad 6. ait. *Lumen eſt quo videtur color: vnde ſe habet ad colorem quaſi formale: & ſic color, & lumen ſunt vnum tantum viſibile.* Et q. 14. de Verit. art. 8. ad 4. docet, quod *nihil niſi per lucẽ videri poteſt.* Ergo ex mẽte D. Thom.

lux externa se tenet ex parte coloris, & complet in actu visibilis in genere causæ formalis, & efficientis: quia forma est qua efficiens agit.

21 Respondeti potest cum Bergomẽsi in 1.sol.dub.361. & Bañez in fine dub.6.& Rubio q.6. in fine. Et PP. Carmelit.n.78. & 79. quod S. Thomas 1.p.q.79.art.3.ad 2.circa hoc refert duas opiniones valde probabiles:& quandoque vtitur vna,quandoque altera,prout conducebat ad explicanda mysteria Theologiæ,de quibus agebat.

Contra hoc est,quod semel tantum S.Thomas illas opiniones retulit, & neutram alteri prætulit, quia ibi nõ erat locus de illis disputandi,& in vtraque poterat satisfacere argumento. Cæterum millies propriam sententiam explicuit, vt retulimus;& nec quoad apparientiam opponitur alibi dictis, vt patet nostras conclusiones conferendo:ergo in hac parte non est cur de mente D.Thomæ dubitemus: nec video fundamentum,vt problematice in hoc puncto S.Thomam processisse dicamus.

22 Rationes à D. Thoma indicatæ efficaces sunt.Prima est, quia ex ratione formali *sub qua*, & ratione formali *qua* fit vnum obiectum immutatiuum potentiæ in actu,vt patet inductione in omnibus sensibus,& potẽtijs:sed lux est ratio sub qua color videtur,vt dicetur q.30. s.1.ergo color completur per lucem in esse actu immutatiui visus.

Secundo,quia experimur colorem in tenebris, visum non mouere,& actu illustratum, visum mouere,& quo amplius luce perfunditur melius mouere visum proportionatum,& recte dispositum:ergo cum supponat visibilitatem coloris intrinsecam,complet in esse mouentis visum.

23 Tertio,lux in esse sensibilis est perfectior,& efficacior colore,vtpote qualitas cæli:ergo,si adiungatur colori,confortat eũ vt moueat visum. ¶ Quarto,quia color videtur inquantum apparet visui:sed ratione coloris apparet visui:ergo ratione coloris videtur. ¶ Denique, quia videmus colores specie distinctos in esse coloris, esse formaliter eiusdem speciei in esse visibilis, vt diximus q.27.quod esse nõ posset, si non conuenirent in vna ratione formali visibilis.

24 Quod totum videtur cõplexus S.Th.2.de Ani.lec.14.in fine dicens.Ad huius euidẽtiã cõsiderãdũ est,quod omnis forma inquantum huiusmodi est principiũ agendi sibi simile;vnde cũ color sit quædã forma,ex se habet, quod causet sui similitudinẽ in medio.Sed tamẽ sciẽdũ est,quod differentia est inter virtutem perfectam,& imperfectã:nã forma, quæ est perfectæ virtutis in agendo, non solũ potest inducere suam similitudinem in suo susceptibili;sed potest etiam disponere patiens,vt sit proprium eius susceptiuum:quod quidem non potest facere cum fuerit imperfectę virtutis.

25 Dicendum est igitur quod virtus coloris in agẽdo est imperfecta respectu virtutis luminis: nã color nihil aliud est quã lux quędã quodã modo obscurata ex admixtione cor-

corporis opaci (eo modo quo explicuimus q.28.) Vnde non habet virtutē, vt faciat mediū in illa dispositione, qua sit susceptiuū coloris: quod tamē potest facere lux pura.

26 Ex quo etiam patet, quod cum lux sit quodammodo (nō simpliciter) substātia coloris, ad eādē naturam reducitur omne visibile (iuxta vltimam tertię conclus. probationem) nec oportet, quod color per lumē extrinsecum fiat actu visibile (quia ex se visibilitatē habet in actu primo, vt diximus in prima conclusione; licet hæc visibilitas sit imperfecta, quæ perficitur, & completur per lucem). Quod autem colores illuminati ab eo, qui est in obscuro videantur, cōtingit ex eo, quod etiam medium illuminatur, quātum sufficit ad immutationem ipsius. Hæc S. Thomas. Cuius verbis, & conclusiones probatæ, & argumēta manent soluta.

27 Hoc autem vltimum etiam expressit q. vnica de Anima art. 4. ad 6. dicēs. Nec obstat, quod ab eo qui est in tenebris, videtur ea, quæ sunt in luce, & nō è conuerso: hoc enim accidit ex eo quod oportet illuminari diaphanum, quod circū stat rem visibilem, vt recipiat visibilem speciem: quæ vsque ad hoc visibilis est, quousque porrigitur actus luminis illuminantis diaphanum. Licet de propinquo perfectè illuminet, & à longinquo magis debiliter. Hæc ibi.

28 In particulari ad argumenta Suarez dicim⁹. quod authoritates, & duæ primæ rationes probant nostram tertiam conclusionem, & primæ non opponuntur. Id quod objicit nu. 6. iā est solutū verbis D. Th. rel. n. 26. & 27. ¶ Ad primā replicā respōdetur cum D. Th. 3. Meteor. lec. 6. lit. f. q. 1. in fine corporis assē rente. Quod autē lumen in medio habeat debilitē esse, quam in corpore lucido, satis manifestum est, quia medium, quod est perspicuum, est rarum; & lumen propter raritatem medij, facile pertranſit, & non est multæ permanentiæ in eo. Sed in corpore illuminato est dēsitas, quę corpus lucidum, & etiam lumen aliqualiter terminat; & propter densitatem talis corporis, lumen in eo est maioris permanentiæ. Et in signum huius, lumen existens in medio, debilius operatur, quam existens in corpore lucido, vel illuminato. Debilior autem operatio consequitur debilius esse, *quia modus operandi consequitur modum essendi.* Lux ergo perse exigitur ad hoc, quod actu color moueat visum, & ex parte obiecti vt ratio agēdi perfectè; & ex parte medij vt sit conuenienter dispositum ad hoc, quod deferat speciem ad visum. Non autem in vtroque eodem modo operatur, quia non eodem modo recipitur; pro quo recolenda sunt, quæ retulimus. n. 16. ex Caiet.

29 Ad secundam replicā iam responderat Ferr. hic. q. 13. ad 3. quod si aer propinquus oculo, esset omnino tenebrosus, nihil habens luminis, nullo modo existens in tenebris videret: sicut patet in oculo multum distāte à colore; sed oportet, quod ille aer sit aliqualiter illuminatus. Et potest *illuminare medium*

quan-

*quantum sufficit ad immutationem ipsius*, vt ait S.Tho.non tamē sufficit hæc immutatio illuminare corpora colorata propinqua: cuius rationem, assignat Ferrara: nam color existēs in corpore,propter suam materialitatem, requirit maiorē dispositionem aeris,in quem agit, quam species coloris,quæ est spiritualior:& hac de causa requiritur maiꝰ lumē in aere propinquo colori, quam in aere propinquo oculo.

30 Sed vlterius contra tertiam conclusionem arguunt PP. Carmelitani n.77. nam hæc duo non possunt inter se coherere, scilicet,colorem esse sensibile proprium visꝰ, & non habere perse visibilitatem completam ex parte obiecti se tenentem. Nam in hoc distinguitur sensibile proprium alicuius sensus à sensibili communi, vel peraccidens:quod sensibile proprium perse attingitur à sensu; sensibile vero commune non nisi perse secundo, & ratione alicuius sensibilis proprij:sensibile autē peraccidens nullo modo perse à sensu proprio percipitur, vt pater ex dictis q 22. Ergo repugnat, quod color sit sensibile propriū visus, atque adeo perse primo attingibilis ab eo , & quod tantum habeat visibilitatem inchoatam,& imperfectam: alioquin nō perse primo,sed ratione alterius esset visibilis. Quod videtur docere S.Thomas 2.de Anima lec.14. verbis relatis n.24.

Rursus arguunt nu.74.quoniam ad hoc vt aliquod obiectum possit per seipsum immutare potentiam absque adminiculo alterius causæ obiectiuæ,formalis, vel effectiuæ, sufficit, quod sit ex se fæcundum, & habeat rationem obiecti perse completi intra lineam obiecti : vt patet inductiue in omnibus alijs sē sibus proprijs, & quia obiectum sufficit causare speciem, quæ sit illius naturalis similitudo. Sed hoc ipso, quod color sit sensibile proprium visus,est obiectum sensibile ex se fę cūdum,& habet rationem obiecti perse completi intra lineam obiecti visibilis,vt ex dictis constat. Ergo seipso absque concursu alterius causæ formalis,& effectiuę ex parte obiecti se tenentis,&ad hoc specialiter destinatæ, scilicet,luminis, poterit color immutare medium, & potentiam.

31 Vtrique argumēto vnico verbo respondemus, quod color non est sensibile proprium visus nisi vt obiectum *quod*: hoc autem mouere, & terminare nequit nisi vt stat sub ratione formali *sub qua*, quæ est lux:nam vt ait S.Thomas in 2.dist. 20.iam relata, *complementum formale visibilis,inquātum huiusmodi,est ex parte lucis*.Et ideò in illa q.8.de Verit. dicit, *quod lumen est, quo videtur color*. Et *quod color, & lumē sunt vnum tantū visibile*. Bene ergo cōpatitur, quod in suo genere color sit intrinsice visibilis, & sit sensibile proprium visus;& tamen virtus hæc sit inchoata, & incompleta, sine luce, quæ est ratio sub qua obiectiua, & facit colores apparere , & immutare visum, & immittere species: sicut,& ipsi ponunt, quod quantumuis virtus coloris sit completa in suo ordine, de facto nō immutat visum,si medium

medium non sit illuminatum: nam vt inquit S. Nemesius de Natura hom.cap.7. *Quatuor maxime visioni ad res euidēter cognoscendas opus sunt: integrum instrumentum, motus congruens, & interuallū, aer purus, & illuminat⁹.* Sicut ergo dependet ab illuminatione medij vt dispositione, potest dependere ab illuminatione obiecti; quia id, quod est extrinsecū colori in esse entis, potest esse intrinse cum in esse obiecti: nam ex ratione *quæ*, & *sub qua* fit vnū obiectum, de quo iterum sequenti q. §.1.

## QVAESTIO XXX.

### *De potentia visiua.*

IVT ea quæ de luce, & colore disputata sunt, applicētur ad intentum librorum de Anima, dubia occurrentia de sensu visus determinanda sunt ex doctrina pręhabita. Et ideò.

### §. I.

### *De obiecto visus.*

PRimo inquiritur, vtrum color sit proprium obiectum visus?

2 Supponimus ex dictis libro.1. Log.& 1.p.Metaph. quod obiectū formale aliud est *quo*, seu ratio *sub qua*; aliud est *quod*, seu ratio quæ per se attingitur. Distinctio ad intentū traditur à D. Tho.q.14.de Veritat. art.4.ad 4.

3 Dico ergo primo, lux est ratio sub qua potentiæ visiuæ. Ita S. Thomas ista solutione ad 4. dicens. *Inquantum autem nihil nisi per lucem videri potest, lux ipsum visibile esse dicitur, vt idem Philos. dicit* 2.de Anim.tex.67. Idem docet q.8.de Verit.ar. 14.ad 6.illis verbis. *Lumen est quo videtur color: vnde se habet ad colorem quasi formale.* Et q.2.de Malo art.2.ad 5. ait. *Sē per illud, quod est ratio alterius, se habet ad illud sicut formale ad materiale: puta, in actu sensus color videtur per lumen, & se habet vt materiale, quod potest videri etiam sine colore: licet color non possit videri sine lumine.* Et 2.2.q.1.art.3. *Nihil subest alicui potentiæ, vel habitui, aut etiam actui, nisi mediante ratione formali obiecti: sicut color videri non potest nisi per lucē.* Et q.25.ar.1.& in 1.dis.45.a.2. ad 1.& dist.48.art.2.cor.& ad 1. & in 2.dist.20.q.2.art.2. ad 2. & dist. 38.art.4.ad 1.& in 3.dist.24.q.1.ar. 1.q.1.& art.2.q.1.ad 5.& lib.1.Cō trag.c.76.ad 1.& q 28.de Ver. art. 7.& 1.Post.lec.41.

4 Rationeque probatur primo: nam experimur nos vno actu videre colorem, & lucem: sed hoc esse non posset, si lux non esset ratio videndi colores; quia idem actus non posset esse circa duo obiecta formalia disparate se habentia: ergo lux est ratio videndi colorem.

Secundo probatur ex dictis: nam id, quod complet visibile in esse visibilis, & colorem in esse immutatiui visus, est ratio formalis potentiæ visus: sed iuxta supra dicta lux est huiusmodi: ergo est ratio sub qua potentiæ visiuæ.

5 Dico secundo, color est obiectum formale *quod* visus. Ita S.Tho. illa q.14.de Verit. & q.2. art. 4. & Quodlib.3.art.27.& 1.p.q.19. art.

3.

3.& q.45.art.4.ad 1.& 1.2.q.1.a.1. ad 2.& q.8.artic.2.& q.10. art.2.

Et probatur, quia color est sensibile proprium, & perse visus: & color illuminatus est perse immutatinum visus: ergo est ratio formalis, quæ attingitur à visu. ¶ Præterea: color est obiectum visus: sed non est obiectum peraccidens, sicut est quantitas, quia color perse attingitur: non est ratio *sub qua*, quia hoc est proprium lucis: ergo est obiectum formale quod.

6 Sed obijcies: nam S. Thomas locis relatis pro prima cõclusione, vocat colorem obiectum materiale visus: ergo male appellamus obiectum formale.

Respondetur cum Petro Bergomensi in concord.dub.359. quod illis locis loquitur S. Thom. de obiecto formali *quo*; at vero in locis citatis pro secunda conclusione loquitur de ratione formali *sub qua*, seu de obiecto *quod*. Quia vnius potentiæ possunt esse plura obiecta subordinata: & sic color videtur vt illustratus per lucem: & color est obiectum formale *quod*, & lux ratio formalis *sub qua*.

7 Secundo respondetur cum eodem, quod vt docet S. Thomas 2. Physicorum lec.5. in fine, vnum, & idē respectu diuersorum est materiale, & formale: sicut partes definitionis repectu diffiniti se habent vt formale; sed respectu difinitionis vt materiale: & pars vna respectu alteri⁹, sicut genus respectu differentię. Vnde color respectu corporum est obiectum formale vis⁹; sed respectu luminis est materiale. Aliam tertiam solutionem ibi tradit, quæ iam est supra examinata q. 27. § 4. Sed secundā sequitur Ferrara 2.de Anima q.12.con.4.& alij frequenter.

8 Addit Bañez 1.p.q.78.art.3.de Visu dub.1.conc.4. quod color, inter omnia obiecta materialia vis⁹, est magis principale, quia plus participat de luce: & est magis proportionatum potentiæ visiuæ; & omnia videntur, quia colorata, & lucida: & ideò *color* vocatur à D. Tho. 1.p.q.19.art.3. *proprium, & principale obiectum visus*.

9 Secundo obijcies: nulla potentia potest ferri extra latitudinē sui obiecti formalis: sed multa videmus, quę non sunt colorata, vt cælum, astra, & oculi pupillam, quæ caret colore vt possit recipere colores: ergo color non est obiectum formale adæquatum visus,

Respõdet Ferrara q.12. cõcl.2. & ad 2. quod color proprie nõ est obiectum adæquatum, sed solũ color communiter, iuxta dicta q.27. n.67.& q.28. nu.20. Et sic omnia corpora sunt colorata, seu lucida, siue transparentia, siue opaca; licet diuersimode recipiant lucem.

10 Demũ nota, quod M. Bañez dicto dub.1. talem cõstituit primã conclusionem. Obiectum formale ex parte potentiæ, seu ratio sub qua tendit visus in suum obiectum est lumen internum mixtum cum humore aqueo, quod est in ipsa pupilla oculi. Probat ex Aristotele, & D. Thoma de Sensu, & Sensato lectione 5.

Alij frequẽter hanc doctrinã reijciunt,

ciunt, quia ratio sub qua specificãs potẽtiam debet se tenere ex parte obiecti specificantis, & non ex parte subiecti. ¶ Sed quid nos sẽtiam⁹ in hoc puncto, abundè explicuim⁹ 1.p.Metaph.Controu.2.art.2.§.7. non est cur ibi dicta repetamus.

11 Vltimo obijcies: nam Philosophus 2. de Anima textu 72. ait. *Non omnia visibilia sunt in lumine: Sed solũ vnuscuiusque proprius color. Quædam enim in lumine quidem non videtur, in tenebris autem faciunt sensum, &c.* Ergo aliqua videntur sine lumine: & ponit exemplũ Philosophus, *sicut putredines quercuum, & aliquod cornu alicuius animalis, & capita quorundam piscium, & squamæ, & oculi quorundam animalium.* Ergo lux non est ratio formalis sub qua omnium visibiliũ.

Respondetur cum Iauelo 2. de Anima q.30. distinguendo consequens; sine lumine omnino, nego consequentiam; sine lumine perfecto, vt est lumen diei, concedo consequentiam. Vnde Caietan⁹ ibi textu 72.dubio 1.bene notat, quod visio semper fit per lumen proportionatum; vel illuminatũ simpliciter, vel secundum quid. Et S. Thomas lec.15.lit.b.optime ait, quod *videntur ista in tenebris, & in lumine; sed in tenebris, vt lucentia, in lumine autem, vt colorata.*

12 Sed propter quam causam sic videantur in tenebris? S. Tho. explicuit postea: quia huiusmodi ex sua compositione habẽt aliquid lucis, in quantum lucidũ ignis, & diaphanum aeris, & aquæ, non est tota liter ab eis comprehensum per opacum terræ. Sed quia *modicum habent de luce*, eorum lux ad præsẽtiam maioris luminis occultatur. Vnde in lumine, non videntur, vt lucentia, sed vt colorata tantum. Lux autem eorum propter sui debilitatem nõ potest diaphanum perfecte reducere in actum, secũdum quod natum est moueri à colore: vnde sub eorum luce, nec eorum color, nec aliorum videtur, sed solũ lux ipsorum. Lux enim cum sit efficacior ad mouendum diaphanũ, quam color; & magis visibilis; cum minori immutatione diaphani videri potest. Hæc S. Thom. & de Sensu, & Sensato lec. 3.lit.d.ait: sicut etiã accidit de quibusdam alijs, *quæ modicũ habent lucis*; & propter hoc videtur in tenebris, & non in lumine: sicut quædam capita piscium, & humor turbidus piscis, qui dicitur Sepia. Hęc ibi. Idem docuit B. Albertus 2.de Anima, & in summa de homine, Auerrois, & alij, quos citat, & sequitur Suarez 3. de Anima cap.16 n.7.

## §. II

### *An visio fiat per extra missionem?*

13 ALterum dubium inquirit modum quo fiat visio?

Fuit antiquissima opinio asserens visionem fieri extramittendo. Quę dupliciter exponebatur, vt referũt Philosophus, & S Thomas de Sensu, & Sensato lec.4 lit.e. Vno modo, vt id quod egreditur ab oculo, extendatur vsque ad rem visam. Alis modo ita vt lumen egrediens ab oculo non procedat vsque ad rem, sed

sed quodã tenus, id est ad aliquod determinatum spatium, vbi scilicet cohæret lumini exteriori, ratione cuius cohærentiæ fit visio. Hanc opinionem hoc secundo modo explicatam, sequitur Plato in Timęo, & lib.6.de Legibus, & Galenus 10. de vsu partiũ in fine, & 1. Prooog. cap.19. Plutarchꝰ lib 4. de Placitis cap.13. Imo S.Greg. Nisenus 4. de Viribus animæ cap.2. & S.Nemesiꝰ de Natura hom. cap. 7. Ibi tamen potius refert plures opiniones Philosophorum de modo quo fiat visio: & nullam alteri prætert: notat tamen, quod primum dicendi modum docuit Hipharcus, & secundũ tuentur Plato, & Galenus. Tertio eandem opinionem tuetur Valles lib.2.cap.28. aliter eam exponens, & dicens, recipi in oculo species intentionales obiecti, deinde egredi spiritus ab oculo in aerem vsque ad certam distantiam, & in spiritibus esse facultatem formãdi visionem in aere ipso.

14 Asserendum tamen est visionẽ formari in ipso oculo; nõ extramittendo; sed receptis speciebus ab obiecto. Ita Philosophus, & S.Thomas de Sensu, & Sensato lecti.4. & vniuersi Peripatetici. Specialiter Iauellus de Sensu, & Sensibili tract.2. Bañez 1.p.q.78.art.3.dub.2.§. *quãtum ad tertiũ*. Et late Alphonsus Tostatus Episc. Abulensis Paradoxa 4. cap.6.vsque ad 30. Conimb.cap.7. q.5. Suarez 3.de Anima cap.17.

15 Specialiter primum dicendi modum Hiparchi impugnat S.Thomas lectione illa.4.lit.e. quia ex illo sequitur, quod cũ nos videamus etiam astra, quod id quod egreditur à visu extẽdatur vsque ad astra: quod continet manifestam impossibilitatem: cum enim egredi non sit nisi corporum; sequitur, quod aliquod corpus egrediẽs ab oculo perueniret vsque ad astra. Quod idem apparet falsũ multipliciter. Primo quidem, quia sequeretur plura corpora esse in eodem loco: tum, quia illud quod egrederetur ab oculo simul esset cum aere: tum quia huiusmodi egredientia ab oculis oporteret multiplicari in eodem medio secundum multitudinem videntiũ per idem medium.

Secũdo, quia quælibet emissio corporis in principio quidẽ est maior; in fine vero attenuatur: propter quod contingit, quod flãma ex corpore accenso procedens, tendit in summum. Hic autem accidit contrarium: dicunt enim Mathematici, quorũ est hæc positio, quod conus corporis egredientis ab oculo, est intra oculum, basis illius in re visa.

16 Tertio, quia non posset quantitas oculi sufficere ad hoc; quod tantum corpus ab eo progrederetur, quod attingeret vsque ad astra, quantumcumque subtiliaretur: aliquis enim est terminus subtilitatis corporum naturalium: & propterea quanto esset subtilius, tanto facilius corrumperetur. Et iterũ oporteret, quod vel esset aer, vel ignis illud corpus emissum ab oculo. Et aerem quidem emissum emitti ab oculo non est necesarium, quia abũdat exterius. Si vero esset ignis videremus etiam ignem; vel non possemꝰ

videre

videre mediante aqua: neque etiã possem videre nisi in sursum, quo tendit motus ignis. Non autem potest dici, quod illud corpus, quod egreditur ab oculo, sit lumen, quia lumen nõ est corpus, vt probatum est lib. 2. de Anima tex. 69.

17 Contra sententiam Platonis ex Philosopho arguit S. Thomas lit. f. quia melius esset dicere, quod lumen interius coniungeretur exteriori in ipsa interiore extremitate oculi, quam extra per aliquam distantiam. Et hoc ideò, quia in illo spatio intermedio, si non est lumen exterius extingueretur lumen interius à tenebris, secundum eius positionem, vt supra habitum est (lec. 3. lit. g.) Si verò attingat lumen vsque ad oculum, melius est, quod statim coniungatur; quia quod potest fieri sine medio, melius est, quam quod fiat per medium: cum aliquid fieri per pauciora, melius fit, quam per plura.

18 Demum Philosophus, & S. Thomas litt. g. improbant coniunctionem luminis interioris ad exterius, etiam si fiat in principio oculi. Et hoc tripliciter. Primo quidem, quia coniungi, vel separari est proprie corporum, &c. Vnde cum lumẽ nõ sit corpus, sed accidẽs quoddam; nihil est dictum, quod lumen adiungatur lumini: nisi fortè corpus luminosum adiungeretur corpori luminoso. Potest autem contingere, quod lumen intendatur in aere per multiplicationem luminarium, sicut & calor intenditur per augmentum calefacientis: quod tamen non est per additionem, vt patet in 4. Phys. tex. 84.

19 Secundo improbant per hoc, quod etiam dato, quod vtrumque lumen esset corpus, non tamẽ esset possibile, quod vtrumque coniungeretur, cum non sint eiusdem rationis: non enim quodlibet corpus natum est coniungi cuilibet corpori; sed solum illa, quæ sunt aliqualiter homogenea.

Tertio, quia cum inter lumen interius, & exterius intercidat corpus mediũ, scilicet, meninga, ideſt, tunica oculi, non potest vtriusque luminis esse cõiunctio. Hęc S. Thomas.

20 Sed & contra omnes dicendi modos est, quod docet S. Th. in 1. dis. 40. q. 1. ar. 1. ad 1. quod visio, cum sit actio videntis, nullum effectum in re visa efficit: & tales actiones, quæ proprie operationes dicũtur, in ipsis operãtibus tãtum sunt. Et 1. Contragentes cap. 100. rat. 2. causam assignat, quia operationes immanentes perfectiones sunt eorum, quorum sunt operationes, & possunt esse vltimæ: quod & docet ibi lib. 2. cap. 23. rat. 4. Ex quo sic arguitur. Visio est operatio vitalis immanens: ergo non fit extra mittendo, sed interius operando, suppositа exteriori receptione.

21 Sed obijcies: nam Philosoph. 3. Meteor. c. 3. probat radiũ visualẽ refrangi ab aere, quia Antiphonti, propter debilitatem visus accidit, quod semper videbat similem suæ faciei in aere ipso aspiciendo, propter refractionem suæ faciei in aere: signũ est igitur, quod refractio fiat in aere: & quod visio fit extra emittendo.

Ref-

Respondet S. Tho. 3. Meteororum lec. 5. lit. b. quod Aristoteles loquitur secundum opinionem Antiquorum Mathematicorum, vt dictum est supra. Sed secundum veritatem illa est causa passionis accidentis circa Antiphontem, quod circa pupillam eius erat humor innaturalis grossus alterans visum: de quo ibi S. Thom. Et 2 de Cælo lec. 12. ait: vtitur autem Philosophus modo loquēdi, ac si visus fiat extra mittendo: quia Mathematici ita vtuntur in suis demōstrationibus; & plures homines ita loquuntur: nominibus autem vtendum est vt plures, sicut ipse dicit in 2. Topic. tex. 35. & ipse S. Tho. de Spir. creat. art. 9. ad 12. cū obiecisset S. Aug. 6. Musicæ, dicentem, quod *radij visuales vegetantur ab anima viuentis*. Respondet S. Tho. quod visus non fit per radios extramissos secundum veritatem rei: *sed Augustinus hoc dicit secundum opinionem aliorum*: qua etiam vsus videtur lib. 12. de Gen. ad litteram cap. 16.

22 Secundo obijcies: nam si visio fiat in oculo, non erit quo possit percipi magnitudo obiecti, nec erit ratio cur aliquando appareat maior, aliquando minor, quam sit.

Hanc difficultatem etiam militare in sententia opposita, notat Suarez. n. 9. Respondetur ergo cum B. Alberto 2. de Ani. trac. 3. c. 14. & S. Tho. lec. 15. & in 4. dist. 44. q. 2. art. 1. q. 4. ad 6. quod quanto sensus est perfectior, tanto ex minori immutatione facta potest obiectum suū percipere. Quanto autem sub minori angulo visus à visibili immutatur, tanto minor immutatio est. Et inde est, quod visus perfectior magis à remoto aliquid videre potest, quam vis debilior: quia quāto à remotiori videtur, sub minori angulo videtur. Sed de his cōstabit tractando de indigentia specierum.

23 Tertio arguitur: quia experimur in vitro triāgulari diuersos apparere colores secundum diuersū aspectum videntis; sed hoc facilè explicatur dicendo, à visu emitti lumen visorium, quod diuerso modo refractum illam diuersitatē causat in vitro: ergo visio fit extramittendo.

Confirmatur: nam oculus natura sua est lucidus: ergo sicut Sol media sua luce omnia reddit visibilia; ita oculus media sua luce vitali, à se modo vitali emissa, omnia reddit actu visa, ad quę pertingit tale lumē visorium.

24 Respondetur etiam hanc, & alias experientias æquè militare in sententia opposita, vt notat Thomas Hurtado Cont. 1. memb. 5. §. 3. ad 4. nam etiam si visio fiat per extramissionem, non potest inde ratio assignari, cur figendo visum in vitrum, cui directè mittuntur radij visorij, omnia obiecta circunstantia diuersis coloribus variegata inspiciantur, qui ab illis quasi penduli videntur. Dicendum ergo varietatē colorum prouenire ex diuersa refractione specierum, & luminis, ex diuerso modo quo species recipiūtur, & refranguntur in vitro illo. Sed de causis refractionis radij visualis, agunt Philosophus 3. Meteorum cap. 3. & ibi S. Thom. lec. 5.

&

& 6. Præcipuè autem q. 2. latè exponit, quod *oppositio luminis ad opacum, secundum aliam, & aliam quantitatem, variat colores.*

25 Ad confirmationem respõdetur ex Phylosopho, & D. Thoma de Sensu, & Sensato lect. 3. litt. d. quod corpora polita, & tersa ex proprietate suæ naturæ habent quẽdam fulgorem: quod in corporib⁹ asperis, & non planis non accidit; quia quædam partes supereminent aliis, & obumbrant eas. Et quamuis in se aliqualiter fulgeant huiusmodi corpora; non tamen habent tantum de fulgore, quod de se possint facere medium lucidum actu, sicut facit Sol, & huiusmodi corpora. Manifestum est igitur, quod illud, quod est medium oculi, quod vocatur nigrum oculi, est quasi lene, & politum. Vnde habet quemdam fulgorem ex ratione lenitatis, non ex natura ignis, sicut illi existimabant. Postea lec. eadem lit. e. arguunt contra Platonẽ, quia sequeretur, quod visus deberet videre in tenebris, sicut in luce. Potest enim in tenebris lumen à lucerna emitti illuminans medium. Et ita, si per emissionem luminis oculus videt, sequitur, quod etiam in tenebris oculus videre possit. Quod manifestè aduersatur experientiæ. Item experimur, quod in tenebris cubiculum non illuminatur per hoc, quod in illo sint plures oculi: ergo ab oculis non exit lumen.

## §. III.

### *De subiecto potentiæ visiuæ.*

26 COnsuevit hic Expositores latè describere fabricam, & mirã structuram oculorum; in hoc tamẽ nõ immorabor: tum, quia ante nos alij diligenter perfectè descripserunt, vt Bañez, Carmelitani, Ioann. à S. Tho. & extra Scholam Thomisticam, Toletus, Suarez, Conimb. Rubio, & alij. Tum, quia hoc directè pertinet ad Perspectiuos, & Anathomistas. Nobis sufficiet inquirere, in qua parte subiectetur potentia visiua?

27 Visum subiectari in oculo, plures opinantur, licet non eodem modo exponãt, quid oculi nomine intelligant. Subiectari in solo humore crystalino, docent Galenus lib. 8. de vsu partiũ c. 6. & lib. 1. c. 10. Vega, & Vallesius, Conimb. & Rubio in præsenti. Ita Suar. lib. 3. c. 18. n. 4. existimat esse cõmunẽ sententiam Phylosophorum.

28 At verò Tolet. 2. de Ani. q. 16. not. 3. dicit in humore non esse visiuam potentiam; cum humor nõ sentiat, nec vitam habeat sensitiuam: sed esse in tunica aranea, quæ pupilla dicitur: læsio enim, quę fit in hac, visionem aufert.

29 Opinantur alij visionem fieri in neruis opticis, seu in illa parte vbi isti nerui coniunguntur. Ita Auicena 6. Natur. p. 3. c. 8. & nonnulli Perspectiui, & Medici, & Iandunus q. 11. de Sensu, & Sensato, & Ioan. à S. Tho. q. 5. art. 1. qui ponit subie-

ctari potẽtiam in neruis opticis; & in crystaloide, solũ dispositiue, & ministratiuè.

30 Rursus alij dicunt, quod potentia visiua, cum sit materialis, & corporea, sicut ei⁹ organum est extensum per pupillam, & neruos, & reliquas tunicas, ipsa etiam est extẽsa, & subiectatur in omnib⁹ illis partibus: licet perfectio eius consistat in illa coniunctione neruorum. Ita insinuat B. Albertus Magnus in sũma de homine, & expresse tenent M. Bañez 1.p.q.78.artic.3.de Visu dub.2. §. *His suppositis*, & late PP. Carmelit. disp.10.q.6. & hęc est vera, & ad mentem Phylos. & S. Tho.

31 Quoad primam partem, in qua conuenit cum prima sentẽtia, probatur primo ex Philosopho 1. de Histor. anim.c.9. dicente, quod *humor oculi interior, quo videmus, pupilla est.* Quod & docet de Sẽsu, & Sẽsato cap.2. vbi S. Thomas lec.3.litt. b. ait: *Rationabiliter id quod est intrà pupillam, quæ est organum visus, est aqueũ.* Et 2.de Anima lect.17.litt.b.dicit: *Animatum habet humidum aqueum, non vbique, sed in quadam parte determinata, scilicet, in pupilla.*

32 Ratione probatur, quia in omnium æstimatione, potentia visiua est in oculis in ea parte, quæ cæteris sit nobilior, & reliquarum sit velut centrũ, & cui aliæ deseruiãt. Sed pupillæ hoc conuenire constat ex situ, & accidentibus: siquidem est in medio, & est crystallina, & perspicua: quod valde conducit ad recipiendas species: ergo nõ est cur pupilla non sit organum, & subiectum potentiæ visiuæ.

33 Quoad secũdam vero partẽ sumitur ex D. Th. & Philos. de Sẽsu, & Sens. illa lec.5.litt.b. vbi cõcludant: *Et sic principium visionis est interiꝰ iuxta cerebrum, vbi coniunguntur duo nerui ex oculis procedentes. Et ideò oportet, quod intra oculum sit aliquod perspicuum receptiuum luminis, vt sit vniformis immutatio à re visa vsque ad principium visiuum.* Et idem litt.i. ait: *Et sicut visiuum principium non est in superficie oculi; sed intrinsecꝰ: ita etiã principiũ tactiuũ, &c.*

34 Rursùm eodem lib. lec. 19. quæ est vltima litt. d. ait. Si aliquis dicat, quod sicut sunt duo organa visus, scilicet, duo oculi, sic nihil prohibet in anima sẽsitiua etiã esse duos visus; dicendũ est hoc esse falsũ, quia ex duob⁹ oculis fit aliquid vnum, & vna est operatio amborũ oculorum, inquantũ scilicet, visio vtriusque oculi cõcurrit per quosdam neruos ad aliquod intrinsecũ in suum organum, quod est circa cerebrum, vt supra dictũ est. Deinde litt. e. probat, quod nõ possunt esse plures sẽsus eiusdẽ speciei in eodẽ, quia virtus sensitiua, & operatio se inuicẽ consequuntur: ita quod neque virtus est sine propria, & perse operatione, neque operatio sine propria virtute. Operatio autẽ sensitiua distinguitur secundum sensibilia: & ideò vbi sunt omnino eadẽ sensibilia non sunt diuersæ virtutes sensitiuæ causantes diuersas operationes. Et simile est de habitib⁹ scientiarum, quarum actus distinguuntur secundum obiecta. Hæc ibi. Idẽ habetur Opusc. 43. apud D. Thomã cap.3.

35 Ratio S. Tho. & Philos. videtur

tur cõuincens: quia vnicus visus tãtum requirit vnicum organum totale, & proximum: sed tantum datur vnicus visꝰ: tum quia plura superfluunt: tum quia sicut vna scientia sufficit ad omnia scibilia sub tali ratione formali; ita vna potẽtia ad omnia sensibilla sensu visus. Cum ergo oculi gemini vniantur in nertuis opticis, in illis, & in pupilla erit potentia visiua.

36 Dices esse disparitatem, quia scientiæ subiectãtur in intellectu indiuisibili: oculi verò in corpore residente: & ideò licet non possint in eodem esse plures scientiæ eiusdẽ speciei, possunt esse plures oculi, & plures potentiæ visiuæ.

Respõdetur, nos, quoad hoc, nõ facere vim in indiuisibilitate subiecti; sed in superfluitate, & in aduna tione in vna ratione formali obiectiua: & quoad hoc par ratio est de scientia, & de potẽtia visiua: quod sufficit vt exemplum aptũ sit quoad id ad quod adducitur.

37 Præterea obijcit Suar. n. 9. ex Galen. 10. de vsu partiũ c. 12. quia cõstat ex anathome duos illos neruos, neque in mutuo occursu sistere, neq; simul recta procedere, nec se intersecare. Deinde coniunctio illa neruorum opticorum non est propter vnicam visionem formandam; sed vt spiritus à cerebro manantes possint in alterutrum oculũ cõmeare, si alter fuerit impeditus. Cui etiam experientia suffragatur: nam si alter oculus claudatur, alter videt acutius, vt etiam notauit Aristoteles sec. 31. probl. q. 4. de quare latè Vesal. lib. 4. c. 4. & Valuerd. libro 7. c. 3.

Respondetur, quod sicut lingua, & est data ad loquendum, & ad comedendum, ita nerui visorij habẽt meatus quosdam per quos spiritus animales descendunt ad oculos: habent etiam partes solidas, & perspicuas, & ratione harum partium sũt organum visꝰ. Et bene possunt nerui in illo confinio non sistere; & tamen quia ibi adunantur, ibi incipit visio.

38 Quod autem refertur ex Vesalio, quod in anathome cuiusdam capitis reperit neruos illos non cõiungi: tripliciter soluitur à M. Ioan. à S. Thoma §. *quod vero*, primo asserendo id esse incertum. Secũdo, dato, quod ita fuerit, fortasis in ipsa morte fuerunt nerui illi laxati ex aliqua causa, & sic diuisi, sicut postea fuerunt inuenti. Vel tertio, potuerunt coniũgi per aliquas fibras, vel tenues ramusculos, qui non ita potuerunt discerni facta scissione: & sic aliquomodo fuerũt vniti, vt in eis vnica potentia visiua resideret, & simul vnica eliceretur visio.

39 Denique obijcies: quia vt docet S. Thomas de Sensu, & Sensato lec. 4. in principio, pupilla *habet aliquid in fundo, quod terminet eius perfectionem*: & ideo experimur, quod in illa apparet forma rei visę quod causatur ex reuerberatione formæ ad corpus politũ: sicut accidit in speculo, quod propter plumbum impedit ne vlterius procedat immutatio: ergo nõ potuerũt species visibiles, & lumen vlterius procedere: ergo in sola pupilla fit visio.

Respondetur, quod bene potest esse in pupilla spissitudo sufficiens

ad reuerberationem, & tamen sufficiens diaphaneitas, & trãsparentia ad deferendas species ad neruos visuales: quia sunt velut fistula concaua à summo vsque deorsum, & licet radicẽtur in oculo, pertingũt vsque ad humorẽ crystallinum. Vnde sicut negari non potest cõtinuatio ad deferendos spiritus animales, ita est concedenda ad species, & ad visionem.

40 Quod explanant Philos. & S. Thomas de Sensu, & Sensib. lect. 5. litt. c. asigno, quod accidit in quibusdam, qui in pugnis circa tempora vulnerantur; scissis enim poris, qui pupillam continuãt visiuo principio, subito tenebræ fiunt per visus amissionem, ac si lucerna extingueretur. *Pupilla enim est sicut quædã lampas illuminata ab exteriori lumine: & ideò quando præciduntur pori continuantes pupillam principio visiuo, non potest lumen huius lampadis vsque ad visum principium peruenire; & ideò visus obscuratur.*

## §. IIII.

## *Dubium soluitur.*

41 DVo adhuc inquirẽda restãt. Primum est, quare vna res à duobus oculis visa gemina non appareat?

M. Bañez 1.p.q.78. art.3. de Visu dub.2.§. *Alterum*, post aliorũ reiectas solutiones, respondet quod cũ species sensibilis, vt optime explicat Caiet. 2. de Anima. c. 11. possit dupliciter cõsiderari, & in ratione rei, & in ratione representationis, seu similitudinis: sicut fiat species in ratione rei habere vnitatem, & multiplicitatem in ratione represẽtationis; ita stabit è contra in ratione rei esse multas, & vnam in ratione intentionis. Multiplicatur autẽ hæc ratio intentionis ex obiecti multiplicatione. Cum ergo obiectum sit idem, quod multiplicatis potentijs percipimus, & eodẽ modo immutet illas; sequitur quod etiam species in ratione intentionis sit eadem; & sic tantum vnam rem representat. Quia ergo tãtum cognoscim⁹ res per species, secundum quod ab eis in ratione similitudinis representantur; & vt sic non multiplicẽtur: ideò res vna non apparet duplex, sed vnica tantum.

42 Hæc tamen ratio nimium probat, vel principium petit: quia si solum facit vim in eo, quod obiectũ est idem, constat falsum probare, quia ebrijs obiecta gemina apparẽt cum talia non sint, iuxta illud: *Cum bibitur concha, tunc iam vertigine tectũ ambulat, & geminis exurgit mensa lucernis.* Pariter si digito eleuetur pupilla oculi, obiectum apparet duplex: & tamẽ est in se vnum. Si autem faciat vim in eo quod obiectum eodem modo immutat vtramque pupillam, est petitio principij, quia inquirimus quare duæ pupillæ immutẽtur eodẽ modo ab vno obiecto?

43 Duæ aliæ solutiones sunt cõmunes. Alia indicatur à Philos. & D. Tho. verbis relatis n.34. & de Sẽsu, & Sens. lect.19. lit.i. quia duo organa vniuntur in vno principio visionis, & ideò operatio est vna, & obiectum apparet vnum.

44 Alia traditur à Philosopho sect.3. problem.13. & sec.21. problem.

blem.q.11.& 18. & indicatur à D. Thoma 2.de Anima lec.15 litt.d. vbi docent quod omne corpus videtur sub quodam angulo cuiusdã tria guli, vel magis pyramidis, cuius basis est in re visa, & angulus est in oculo videntis. Quod ideo necesse est, quia cum res visa sit maior quantitate, quam pupilla, oportet, quod proportionaliter diminuendo, proueniat immutatio visibilis vsque ad visum. Licet autem species per duas figuras pyramidales terminentur ad duas pupillas; quia tamen lineæ rectæ oculorum tendunt ad idem obiectum, vt ad idẽ punctum à quo incipiũt diuidi species ad duos oculos positos in æquali situ, & ordine; & ideò tantũ apparet vnum obiectum. Si autem pupilla vna sit altior altera, geminantur species, & obiecta apparent plura, de quo Phylos. 2. de Partib. anim. cap. 9. & Galenus 10. de vsu partium cap. 14.

45 Deserit has solutiones M. Bañez quia licet demus quod in visu recte procedant; non tamen assignant radicem vniuersalem, quare cæterę etiam potentiæ duplicatæ rem vnam, vt duas non percipiant.

Respondetur, quod cum nũc de sensu visus agam⁹, sufficit, quod in illo rationes assignatæ procedant, vt non relinquantur vt insufficientes. Deinde, ordo, & situs ad immutationem; & aliqualis conuenientia totius organi in omni sensu locum habet; & ideo proportionaliter applicando, ratio in omni sensu procedit. Cum quo tamen stat, quod in aliquibus sẽsibus distingui debeant principia, & organa radicalia, & alia proxima. Vnde S. Thomas de Sensu, & Sensato lec. 5. in fine ait. Sẽsitiuum enim principium, primo quidem est in corde, vbi est fons caloris in corde animalis: nihil enim est sensitiuum sine calore, vt dicitur in 2. de Anima tex. 130. sed à corde deriuatur virtus sensitiua ad cerebrum, & ex inde procedit ad organa trium sensuum, visus, auditus, & odoratus: tact⁹ autem, & gustus referuntur ad ipsum cor per medium coniunctum.

## §. V.

### *De visione in speculo.*

46 VLtimo inquiritur, quid vis⁹ attingat in speculo? An speciẽ, an vero obiectum, vel potius vtrumque?

Non speciem, sed obiectum dũtaxat videri, renẽt Richardus in 4. dist. 11. q. 1. ad 6. Palatius, Apollinaris, & Toletus Ciruel. & Vitelli. quos citat, & sequitur Rubio de Visu q. 9. Vazquez 1. p. disp. 38. c. 4. n. 26. Petrus Garcia de locis affectis lib. 1. disp. 24 cap. 1. & alij. Quipro bãt primo, quia obiectum visus est lumen, & color: ergo intentionalis species non cõtinetur sub obiecto visus. Secundo, quia experimur in minima parte speculi videri magnũ obiectum: ergo non est intelligibile, quod simulacrũ obiecti videatur. ¶ Tertio, species non habẽt esse naturale, sed intẽtionale: si autẽ secundũ hoc esse viderẽtur, nũquã fuisset dubitatum, an dentur in rerũ natura.

47 Probant denique experiēria, quia si species, quę est in speculo videretur, nō appareret intra profunditatem, & secundum distantiā ipsius è regione positi: nam accidēs, quod est in subiecto, eandem distātiam habet cum ipso, sub qua videtur simul cū ipso: at verò res, quæ speculo obijcitur, multo interius, & in profundiori distantia videtur, quam speculum. Imò quanto magis res ipsa distat à speculo è regione posita, eo profundius videtur intra speculum apparere: ergo nō videtur species obiecti in speculo.

48 Per oppositum alij opinantur in speculo solum videri speciem, quæ per refractionem formatur: rē vero ipsam, non per oculum, sed solo intellectu videri. Ita Caietan⁹ 1.p.q 56.art.3. §. *ad secundam vero.* Et Ioan. à S. Thoma in Logica q. 23.a.2. ad confirm.2. quia videtur excedere facultatem potentię externæ videre mediate, & abstractiuæ; cum acies intuentis solum feratur in speculum, in quo non est obiectum ad extra, sed sola eius similitudo.

49 Multi tamen Authores docēt sensu visus attingi speciem, & obiectum per illam represēratum Ita Auerrois de Sensu, & Sensato cap. 1. Et ex mente S. Thomæ Capreolus in 1.dist.35.q.2.artic.1.ad argumenta contra 2.pag 473. Soto lib. 1.Dialec.cap.3.not.3. & alij Thomistæ: & esse S. Thomæ testatur Biescas 1.p q.12.ar.9. dub.1. Item tenent Scotus in 2.dist.13.q.1. Cælius lib.15.cap 1. Fernandez Vejaranus lib.3.Meteororum q.3.ar.8.

50 Videturque expressa S. Tho. 1.p.quæst.58.art.3.ad 1. vbi ait: *Si autem vno inspecto simul aliud inspiciatur; sicut in speculo inspicitur simul imago rei, & res.* Et q.56 art.3. *Sicut videmus hominē in speculo.* Et quæst.8. de Verit.art 5.in 2. arg. *Sed contra*, ait: *per vnā similitudinem speculi videtur omnia, quæ in speculo relucēt.* Et in corpore art.dicit. Cognoscimus per visū Sortem in quantum visus noster assimulatur Sorti, & inquantū assimilatur imagini Sortis. Et 1.p.q.14. art.5. *cum homo videtur in speculo per speciem speculi.* Et quæst.2.de Verit. art.3.ad 3.ait: sicut visus cognoscēs lapidem per speciem lapidis in ipso existētem; *vel rem, quæ resultat in speculo per speculum*, nō dicitur discurrere; quia idem est ferri in similitudinem rei, & in rem, quæ per talem similitudinem cognoscitur. Et ibidem art.6. ait: *Sensus noster accipit similitudinem rei, quæ est in speculo, dum fertur in eam, non vt in rem quādam; sed vt in similitudinē rei:* & infra ait: *Sicut per similitudinem, quæ est in visu, à speculo accepta, directe fert⁹ vis⁹ in cognitionē rei speculatæ: sed per quandam reuersionē fertur per eādem in ipsam similitudinem, quæ est in speculo.* Et libro 3. Meteororum lectione 6.quæst.4.ad.2.asserit: *Species visibilis vel figura visibilis illius, cuius est idolum, in quod fertur vis⁹ mediante specie, est in eo secundum esse fixum, & permanens: sed tamen est in superficie speculi, a quo fit refractio secūdum aliud esse, & est quodammodo in medio secundum lineam rectam.* Idem docet in 4.distinctione 10.quæstione prima articulo 3.quæstione tertia.

51 In quib⁹ locis tria asserit S. Thomas.

mas. Primum, quod oculus corporalis in speculo videt rem representatam per speciem ibi refractam. Quod manifesta experientia comprobatur, quia illud videtur oculo corporali, de quo certificatur per ipsum: sed per speciē obiecti in speculo receptam, & inde refractam ad visum, certificamur de obiecto, cuius est species, & per illam nouimus eius colores, & figurā, & quantitatem, & situm, & distantiam: ergo oculus corporalis videt rem representatam in speculo.

Secundo, non minus videtur aliquid per speciem propriam, quam per speciem continentis; quia assimilatio in cōtinente sufficit, vt perducamur in notitiam propriam rei contentæ. Sed in speculo est forma liter species rei representatæ in speculo, & ei obiectæ: ergo res representata in speculo videtur auidente speculum, & eadē potentia, qua speculum videt.

52 Secundo asserendum cum D. Thoma, quod in speculo conspicitur ipsa imago, seu species obiecti. Quod etiam comprobat experientia, quia obiectum est maioris magnitudinis, quam speculum: & ideo si non videretur media imagine, non videretur in speculo. Secūdo, quia vnum ex potissimis argumentis, quod vrgebimus libro 3. ad probandum dari in sensibus species impressas, est desumptum ab experiētijs refractionis imaginum in speculis: ergo aliquo modo in illis videntur species.

53 Tertio asserit S. Thomas, quod per visum, non cognoscimus imaginem, seu speciem, inquātum est quędam res, & per modū quidditatis, quia hoc est proprium intellectus: & hoc probant argumenta primæ sententiæ. Cognoscimus autem per visum imaginem, quæ est in speculo, inquantum in actu exercito gerit munus obiecti. Et sic vno actu visus in imaginem, & in obiectum fertur: iuxta illud Phylosophi *idē est motꝰ in imaginē, & in id cuiꝰ est imago*: de quo S. Thomas de Memor. & Remin. lect. 3. litt. e. & 2. 2. q. 81. art. 3. ad 3. & q. 103. art. 3. ad 3. & 3. p. q. 8. art. 3. ad 3. & q. 25. art. 3. ait. Quod sicut Phylos. dicit in libro de Memor. & reminisc. duplex est motus animæ in imaginem. Vnus quidem in ipsam imaginem, vt res quædam est: alio modo in imaginem inquantum est imago alterius. Et inter hos duos motus hæc est differentia: quia primus motus, quo quis mouetur in imaginem, vt est res quædā, est alius à motu, qui est in rem: secundus autem motus, qui est in imaginem, inquantum est imago, est vnus, & idem cum illo, qui est in rem. Quod & sæpissime alibi docet S. Thomas: ex quo facillime argumēta soluta manēt. Nec video quo argumento possit probari, quod visus media specie reflexe causata non possit intueri obiectum, sicut intuetur cum immediate ab ipso obiecto immittitur: nā sicut auditur echo, qui est sonꝰ causatus ex reuerberatione, ita, & visu percipitur imago, & res representata in speculo.

## QVAESTIO. XXXI.

### *De sono.*

1 IN disputando de potentijs externis sequemur ordinem Philosophi, & S. Tho. qui iuxta nobilitatem sensuum, primo loco de nobiliori potentia tractant: & quia auditus est propinquior visui, vt probat S. Thomas 2. de Anim. lec. 14. ideò post tractatū de visu, sequitur vt dicamus de auditu, incipiendo ab eius obiecto; quod esse sonum, experientia est compertum.

### §. I.

### *Vtrum sonus sit qualitas successiua?*

2 DE sono ergo inquiritur primo, vtrum motus sit sonus; an verò qualitas?

Experimur in sono duos interuenire motus: vnus quo duo corpora se tangunt, vel percutiunt: alter motus est ipsius aeris intercepti, quo elliditur, & resilit. Igitur in hoc secundo motu cōsistere sonum, arbitratur Themistius cap. 29. & non esse improbabile docet Toletus 2. de Anim. q. 19. Et probatur primo, quia Philosophus textu 85. sonum per motum definit. Deinde vox est species soni: vox autem est motus vnde inquit Philosophus text. 90. quod *vox est percussio respirati aeris, &c.*

Rursus omnis qualitas, vel est prima, vel secunda: sonus nō est aliqua ex quatuor primis qualitatib⁹ recensitis 2 de Gener. q. 2. Nec est qualitas secūda, quia non fit ex cōmixtione primarū: ergo sonus non est qualitas.

3 Dicendum tamen, cum communi sentētia, motum esse causam soni, & essentialiter esse qualitatē. Ita S. Tho. 2. de Ani. lec. 16. lit. b. dicens, *percussio est causa soni.* Et litt. e. *generatio soni in aere consequitur motum aeris, vt dictum est.* Et lec. 17. lit. f. ait: *quia enim consequitur sonus motum.* Et lit. K. *Sed sicut motus est causa soni; ita velocitas motus est causa soni acuti; & tarditas motus est causa soni grauis.* Et lec. 18. lit. f. exponens definitionē vocis, inquit. *Datur autem hæc definitio per causam: non enim vox est percussio; sed sonus ex percussione causatus.*

4 Rationibus quinque id probat Bañez. 1. p. q. 78. art. 3. de Auditu dub. 1. sed duæ sunt præcipuæ. Prima est manifesta ex dictis, quia son⁹ est sensibile proprium potentiæ auditiuæ: motus autem est sensibile commune, vt docet Philosophus 2. de Anima cap. 5. & patet ex dictis q. 22. ergo motus non est essentialiter sonus. Deinde, sonus quandoque intentionaliter diffunditur, quo motus localis aeris non pertingit, vt docet S. Thomas in 2. distin. 2. quæst. 2. artic. 2. ad 5 ergo sonus non est motus. Erit ergo qualitas tertiæ speciei, quia ibi ponuntur aliorum sensuum sensibilia propria: est enim passio cito transiens.

5 Ad authoritates Philosophi respondet bene Iauellus 2. de Ani. q. 36. dub. 2. quod in doctrina Philosophi inueniuntur aliquæ propo

sitio-

sitiones, & definitiones aliquando formales, & aliquā io causales: causales sicut definit phantasiam textu 161. est *motus factus à sensu secundum actum*. Et de Sēsu, & Sensato textu 26. ait, quod *odor est fumalis euaporatio*: id est qualitas causata, vel fundata in fumali euaporatione. Formales vero sicut 2. de Anima capite 8. definit echo, quod est *sonus reiteratus*. Igitur in præsenti Phyl. intelligendū causaliter, & nō formaliter, constat ex D. Thom verbis relatis, & ex Auerroi comm. 85. & quia in his quorum genera proxima ignota sunt, melius eorum naturæ per proximas causas sēsibiles describūtur: sicut Eclypsis definitur per interpositionem; & ira per motum sanguinis, & sic de alijs.

6 Ad secundum respōdet Bañez ad 3 concedendo, quod sonus nec est prima nec secūda qualitas: quia Aristoteles non diuisit qualitatem absolutè in primam, & secundam; sed qualitatem tangibilem. Videātur, quæ diximus 2. de Gener. q. 2. n. 17.

7 Secūdo inquiritur, an sonus sit qualitas permanēs, vel successiua?

Habere permanentiam, licet parum durātem, docēt Rubio de Auditu q. 1. n. 26. P. Carmel. disp 11. n. 12. & 13. Et probant dupliciter: primo, quia euidenter nobis cōstat eūdem numero sonum à multis audiri successiuè, primo quidē ab his, qui sunt intra sphæram actiuitatis eius: deinde vero ab alijs, qui vel ipsi per motum proximiores fiunt, & eam ingrediantur: ergo toto illo tempore sonus durat: ergo aliquam habet permanentiam. Secundo, in echo apparet, quod idem sonus auditur directè, & reflexè: ergo per totam illam moram temporis sonus durat.

8 Oppositam tamen sententiam docent Palatios, Fonseca, Toletꝰ, & Conimbr. relati à Rubio, & Suarez lib. 3. de Anim. c. 19. nu. 3. & 4. probat sonum esse qualitatem successiuam, quia incipit ad inceptionem motus; quia non est in eo instāti in quo incipit contactus, sed immediatè post; sicut & motus aeris, qui ex tali contactu causatur. Quare in sono, sicut in rebꝰ alijs successiuis, distinguendæ sunt partes, quæ in successione consistunt, à continuatiuis earū: & in istis non est cōpletè sonus, sed terminant, & complent partē præcedentē, inchoātq; subsequentē, vtramque nectendo.

9 Hæc quidem communis sentētia est vera. Et videtur expressa S. Thomæ 2. de Anima lect. 16. litt. a. vbi non semel asserit. *Sonus autē causatur ex motu, & non habet esse fixum, & quiescens in subiecto, sed in quadam immutatione consistit: vnde simul determinatur de eo secundum quod generatur in sua specie, & secundum quod immutat sensū.* Ad differētiā aliorū sensibiliū propriorum: nam color, & odor, & sapor, & qualitates tangibiles, habēt esse permanēs, & fixū in suo subiecto.

10 Intelligenda tamen est hæc communis sententia, vt exponitur à M. Bañez dub. 1. ad 2. quod cum non sint à Philosopho agnita alia entia successiua, nisi tempus, & motus; sonus cum sit qualitas, non est essen-

essentialiter successiua, nec perse; sed denominatiue, & per aliud: sicut illuminatio aeris per motū lucernæ perse est tota simul, & in instanti, peraccidēs vero, & ratione motus est successiua, iuxta dicta lib. 1. de Gener. q. 17. n. 43. & 44. Quānis hic sit maior perfectas, quia sonus perse causatur ex motu locali successiuo: & ideò non habet esse fixū, & permanēs: nam quamuis sit qualitas in facto esse, pendet in esse, & conseruari à causa transeunte, & successiua. Et ideò bene docuit Viguerius capit. 1. §. 4. ver. 3. quod sonus est ens successiuū, quod fit in tempore. Vnde non oportet in sono ponere alia indiuisibilia, præter indiuisibilia motus, à quo causatur, vt in simili dixim⁹ 6. Phy sicor. q. 3. §. 5. & 1. de Generat. q. 17. n. 55. vsque in finem.

11 Argumenta in oppositum vi dētur in æquiuoco laborare, & manifestè instari in ipso motu locali, quē nullus dubitare potest esse ens successiuum; & tamen experientiæ illæ potius sunt de motu locali aeris, quam de qualitate, quæ non ita facile sensu comprobatur. Dicitur ergo quod cum sonus incipiat, & desinat cum motu, & ad modum motus; sicut motus est vnus, vel quia non interruptus, vel quia solū alteri contiguus; non tamen, quia permaneat, cum de eius ratione sit successio: ita sonus dicitur vn⁹, vel simpliciter, quando non interrumpitur; vel secundum quid, quando sola est contiguatio alterationum succedentium; & est permanentia in succedendo, non vero quia sine successione persistat; quia *son⁹ in quadam immutatione consistit*, vt ex D. Th. dictum est.

## §. II.

### *De causis soni, & eius diffinitione.*

12 TErtio dubitatur, qualiter causetur sonus?

Vt respōdeant, præmittunt Philosophus, & S. Thom. 2. de Anima lect. 16. litt. 2. quod sonus dupliciter dicitur; dicitur enim sonus in actu, & sonus in potentia. Dicimus autem aliquam rem habere sonū, & quando actu sonat, & quādo habet potentiam sonandi; sicut dicimus, hæc campana bene sonat, quānis non sonet in actu. Et secundum hunc modum dicimus, quod quædam non habent sonum, quia non habent potentiam sonandi, sicut spongia, & huiusmodi mollia. Quædam autem dicuntur habere sonum, quia possūt sonare; sicut æs, & alia huiusmodi plana, & lenia. Sic ergo patet, quod sonus quādoque dicitur secundum potentiā, quandoque secundum actum.

13 Hoc præmisso, respondent lit. b. quod ad hoc quod sonus fiat in actu, oportet tria concurrere; fit enim semper alicuius, & ad aliquid, & in aliquo; & ideò, si sit vnum tantum, non potest sonum facere. Et huius ratio, siue signū est, quia percussio est causa soni; oportet igitur esse aliquid, id est percutiens, & aliquid percussum. Et propter hoc dicit Philosophus, quod *sonus est alicuius*

*cuius ad aliquid*, id est, percutientis ad percussum: oportet enim, quod illud quod facit sonum, tangat aliquid, & cum tetigerit, suo ictu generetur tunc sonus. Ictus autem percutientis, non fit sine motu locali, motus autem localis, non fit sine medio: vnde relinquitur, quod oportet esse medium, ad hoc quod fiat sonus in actu.

14 Deinde lit.c. exponunt qualia oportet esse ea, quæ causant sonum. Et in primis debent esse dura, & non mollia, quia mollia cedunt percutienti: vnde ex percussione non extruditur aer, vt sic in eo possit formari sonus ex ictu percutientis, & resistentia percussi. Sed si huiusmodi mollia comprimantur, vt aliquam duritiem habeant, & resistant percutienti, sequitur sonus, licet sonus surdus. Sed æs, & corpora lenia, & concaua sua percussione faciũt sonum. Necesse est enim, quod illa, ex quorum percussione sonus redditur, sint dura, vt aer extrudatur; quæ quidem extrusio est causa generationis soni. Requiritur etiam, quod sint lenia, vt sit aer vnus, vt infra (in princ. lect. 17.) dicetur. Concaua autem etiã percussa, bene reddunt sonum, quia in eis intus aer concluditur. Et cum illud, quod primo motum est, non possit statim exire, percutit alium aerem; & sic ex percussione fiunt multi ictus, & multiplicatur sonus. Et propter hoc etiam illa, quæ in sui compositione habent aerem bene dispositum, sunt bene sonora; sicut æs, & argentum. In quorum autem compositione aer nõ bene se habet, non sunt bene sonora; sicut plumbum, & alia huiusmodi, quæ sunt magis feculenta, & terrestria.

15 Deniq; lit.d. addũt, quod si aliquid tardo motu tangat alterum, non facit sonum, quia prius recedit aer, & disoluitur, quam contactus solidorum corporũ fiat. Sed si percussio sit velox, & fortis, tunc fit sonus, quia ad hoc quod fiat sonus, oportet, quod motus pecutientis præueniat diuisionem aeris, vt aer adhuc adunatꝰ, siue collectus, percuti possit, & in eo sonus generari. Hactenus ex Philosopho S. Thomas. Ex cuius doctrina clara manet descriptio, seu definitio soni, quæ talis circunfertur. *Sonus est qualitas sensibilis, resultãs ex forti percussione corporum sonororum, & medij resilientia.* Id quod ponitur loco generis exposuimus §. 1. reliquæ particulæ ab ipso D. Thoma exponuntur verbis relatis.

16 Obijcies primo: causa efficiẽs debet esse nobilior effectu, vel saltim æquè perfecta cum illo: sed motus est imperfectior qualitate, cum hæc ad prædicamentum pertineat, & motus, vt actus imperfectus, sit post prædicamentum: ergo motus nequit causare qualitatem. Cum ergo sonus sit qualitas, motus non erit eius causa. Et confirmatur, quia motus localis terminatur ad corpꝰ extrinsecum, vel ad vbi; non verò ad qualitatem, vt constat ex dictis 5. Phys. & lib. 1. de Gener. q. 13. & seq. Sed motus, de quo loquimur, est motus localis: ergo, vel sonus non est qualitas, vel non causatur à motu locali.

Propter

17 Propterhoc argumentũ, Suarez lib.3.cap.19.n.3.ait, quod motus non est causa, sed tantum conditio requisita ad causandum sonum: sicut in proiectis ex vehemẽti contactu qualitas impulsiua resultat; cum tamen contactus vim productiuam non habeat, sed ipse proijciens, requirens contactũ tam quam approximationem. Simile item videre est in calore, qui ex vehementi corporum motu resultat; hic enim cõditio sola est, quam requirunt corpora vt vim calefactiuam exerceant. Sic in præsenti virtus productiua soni est qualitas aliqua existens in re sonatiua; motio autem, & percusio est conditio necessaria.

18 Aliter Rubio de auditu q.2.n.38. tamquam certum supponit nullam dari causam particularem perse productiuam soni: quia sonantia corpora fere semper mouẽtur per impulsũ ab extrinseco impræssum, per quem solũ intenditur perse præsentia localis, & peraccidens sequitur sonus. Causa autem peraccidẽs proxima, & principalis soni sunt sonantia corpora; resilientiam vero medij, & consequenter impulsum eis impressum, solum esse medium, vel instrumentum, quo efficiũr sonum.

19 Vtraq; solutio falsa videtur. Primo, quia vt docet S. Thomas in 4.dist.1.q.1.art.4.q.2.ad 4. *etiam in motu est virtus substantiæ separatæ mouẽtis, secundum Philosophos.* De quo egimus 2.p.Metap.controu.10.n.76. & controu.12.art.6. Secũdo, quia motus cæli est causa horũ inferiorũ motuũ, imo & mutationũ substantialium, vt docet S. Thom.q.5.de Potent.art.8.& 1.p.q.115 art.3.& in 2.dist.15.q.1.art.2.& 8. Physic. lec.13.lit.g.& 2.de Gene.tota lec. 10.præcipue.lit.e. Et alibi sæpe ait, *quod cum superiora agãt in ista inferiora per motum, & lucẽ, vt habetur in 1. Meteororum.* Motus ergo causare potest.

20 Specialiter incredibile videtur, quod ait secunda solutio, quod iste effectus sensibilis perse, qui est sonus, nullã habeat causam perse; cum omnium aliorum effectuum perse intentorũ à natura, ipsius author proprias, & perse causas destinaberit. Deinde, quoad hoc eadem est ratio de sono, ac de voce: sed vocis dantur perse causæ secundæ: ergo, & soni.

21 Melius respõdent Bañez dub.1.ad 4. Toletus q.19.ad 3. & alij, quod sonus producitur motu locali, non tanquam terminus primus, & immediatus illius; sed tanquam mediatus: sicut etiam calor mediãte locali motu producitur. Immediate ergo sonus producitur alteratione quadam, quę sonatio dicitur. Huius autẽ nõ meminit Phyl. quia non est subiecti transmutatiua: vel illã nomine motus intellexit, quia est coniũcta motui locali.

22 Præterquamquod, motio virtuosa agẽtis principalis, se habet vt virtus instrumenti: constat autem, quod instrumentaliter aliquid potest agere vltra suam speciem, non virtute propria, sed virtute agentis principalis, iuxta dicta 2. Physic. q.10.§.4.& 5. Vnde sonus princi-

paliter

paliter est à mouente, sed medio motu, & impulsu tamquam virtute instrumentaria, vt motio sit virtuosa causatiua soni, vel vocis, vt notant PP. Carmel. n. 16. in fine.

23 Addit Bañez dub. 2. concl. 2. quod generatio soni est naturalis, & non violenta: tum, quia in rerũ natura datur naturalis potẽtia passiua à sono, scilicet auditus: ergo debet dari naturalis potẽtia actiua eam reducens ad actum. Secundo, quia Philosophus textu 77. docet, quod aliqua corpora habent naturalem potentiam ad sonandum: actus autem ad quem naturalis potẽtia ordinatur, non producitur violenter. Quod explicat ad secundũ: nam elemẽta vt partes vniuersi naturaliter conueniunt ad mixtionẽ; licet secundum peculiares inclinationes videretur esse violentia, iuxta dicta 1. de Gener. q. 31. §. 2. Ita licet aer secundum suam naturam non moueatur ad diuersa loca, bene tamen vt deseruit animæ tam. quam deferens sonum. Præterquãquod motum, & effectum naturalem, potest commitari motus alius violentus, vel simpliciter, vel secũdum quid.

24 Secundo obijcies: quia falsũ est, quod plura corpora debeant cõcurrere ad causandum sonũ: nã cũ ventus perflat, vel virga aer percutitur, vel papyrus noua disrũpitur, causatur sonus sine illis tribus corporibus à Philosopho, & D. Tho. verbis relatis n. 13. requisitis.

AEgidius tex. 78. docet in perfecto sono omnino requiri tria corpora interuenire. ¶ Simplicius vero, & Suarez c. 19. n. 5. arbitrantur, non esse necessaria tria, seu sufficere duo, vt vox est percussione aeris ad asperam materiam. Et textu 87. docet Philos. sonum litæ, & tibiæ esse perfectum, voci similem; & ex sola percussione aeris resultat.

25 At verò Bañez dub. 2. con. 1. dicit satis esse, quod hæc corpora distinguãtur formaliter. Quod probatur in sono causato à ventis agitatis, vbi idem aer est qui percutit, & percutitur, & mediũ per quod vnum ad alterũ mouetur. Quod & cõstat in sonitu causato ex collisione mutua fluctuũ maris. Addit tamen, quod huiusmodi corpora distinguuntur etiã realiter secũdũ partes: nam vna pars percutiens distinguitur realiter ab alia. Quod, & docet Toletus q. 19. 9. *pro huius.* Et hac via posse extremas sententias cõcordari, notat Rub. q. 2. nu. 34. & 35. Vnde requiruntur corpora distincta, sed nõ semper realiter discontinuata.

26 Tertio obijcitur contra id, quod diximus n. 14. quod causantia sonum, debent esse dura: quia dum spirat ventus, causatur sonus: & tamẽ est corpus molle: Ergo ad sonum nõ requitur corpus durum. Deinde, ad motum virgę, aut corrigiæ causatur sonus in aere: & tamẽ non est aliquid prohibens aerẽ fluere: ergo ad sonum non requiritur illa compressio aeris.

Iam solutionem indicauerat S. Thomas ibi dicens. *Sed si huiusmodi mollia comprimantur, vt aliquam duritiem habeant, & resistant percutienti, sequitur sonus; licet sonus surdus.* Vnde bene

bene respondet Iauellus 2.de Anima q.36.dub.1. Quod Philosophꝰ solum intēdit, quod aer inquantū mollis, & fluxibilis, nō potest causare sonum: bene tamen si ab extrinseco comprimatur, ratione illius compræsionis causare potest sonū: nam ex impetuoso motu partes aeris sibi mutuo obsistūt, ac si adinuicem colliderentur, sicut accidit in vndis maris tempore tempestatis: vnde aer vt agitatus sonat. Similiter in motu virgæ, ne detur vacuū partes aeris velociter agitantur, & mouentur: & ideo aer, vt fungens vicem corporis solidi causat sonū resistens virgæ percusioni.

§.III.

*De subiecto soni.*

27 QVartum dubium est de subiecto soni, quodnam sit? Venetus. & Vega apud Rubio q.3.tenent sonum, non solum in medio, sed etiam in corpore sonāte subiectari. ¶ Suarez lib.3.c.19. n.8.ait, esse certum sonū præcipuè in corpore medio, qualis est aer, in hęrere, cum ipse pręcipuè agitetur, & moueatur. Docet secundo, rem esse obscurā an aliquid soni subiectetur etiā in corpore sonāte? Licet tādē cōsētiat cōmuni opinioni.

28 Asserendum tamen est sonum esse subiectiuè in aere, & in corpore sonatiuo solum causaliter. Ita ex Philosopho S. Thomas lec.16. lit. a. in fine dicens: *In corpore sonante nō est sonus, nisi in potentia. In medio autem, quod mouetur ex percussione corporis sonantis, fit sonus in actu. Et propter hoc dicitur, quod sonus in actu est medij: & auditu, non autē subiecti sonabilis.* Estque communis omnium expositorum.

29 Duplici experientia eam probat Iauellus 2.de Ani. q.33.in principio: experimur enim ad motionē aeris defferri sonum: nam si fiat ventus versus nos, defertur intensꝰ sonus ad auditum, oppositō autem modo contingit; si ad partē oppositam ventus spirat. Deinde quando videmꝰ à longe duo corpora dura ad inuicem percuti, non statim audimus sonum donec aer motus ad nos attulerit sonum: ergo signum est sonum esse subiectiue in aere, & non in corpore sonatiuo.

30 Quod autem non sit in percutiente corpore, & in aere percusso, probat idem Iauellus, quia cum sonus sit accidens, & qualitas vna numero, nō potest esse in duobus subiectis. Et cum duo corpora se percutiunt, non est maior ratio quare sonus esset in vno, quam in alio: & admittere esse duos sonus, aduersatur experientię sensuū. Rationes istas pōderāt PP. Carm.disp.11.q.2.

31 Præterea id probat Toletus q.20.quia illic est sonus, vbi actio est, qua producitur. sed talis actio est in medio, scilicet motus resiliētiæ, & alisionis, quæ est in corpore intercepto: ergo, & sonus. Quod explicat Bañez dub.3.in principio: nam potentia sonatiua est in corporibus duris: illa autem potentia non est ad actus immanētes, & vitales, sed ad operationes transeuntes: non ergo sonꝰ est in corpore sonāte, sed in aere intercepto.

32 Sed pro priori opinione multa cōgeruntur argumēta. Primū, quia pro diuersitate corporū se collidē-

tium

tiũ causantur diuersi soni: ergo in illis est sonus subiectiue. Secundum: nam stante æquali percussione aeris, sonus est maior ex corpore percusso, vt cum pulsatur cymbalũ: ergo in illo, & ex illo sumitur diuersitas soni. ¶ Tertium, illud est subiectũ inhæsionis soni, quod auditu percipitur mediante soni perceptione; sicut illud est subiectũ coloris, quod videtur peraccidens visa albedine. Sed corpora se collidentia cognoscuntur perfecto sono, siquidem percipimus sonum cymbali distingui à sono ligni: ergo illa corpora sunt subiectum soni.

33 Respondet Suar. n. 9. quod ad efficiendũ sonũ, eiusque diuersitates, nõ concurrit solũ aer medius; sed etiam aer inclusus in poris corporum se percutientiũ: in illo enim sonus etiã recipitur. Diuersus etiã modus percutiendi, seu cõprimẽdi aerẽ inter corpora ipsa percussa, aut etiam diuidendi, diuersitatem soni causat. Cum ergo aer intern⁹. & externus non eodẽ modo agitentur, quando diuersi soni resultant; nec fit eadem dispositio rei sonãtis, ex qua prouenit aerem percuti, reflecti que diuersimode: & ideo nõ mirũ, quod licet sonus subiectetur in aere, ex diuersitate corporũ, & diuersa percussione causentur diuersi soni. Hãc doctrinam video traditam à D. Th. verb. rel. n. 14. in fine. Sed in his oportet attendere, quod *extrema sint paria*, quia concauitas, & duricies, & lenitas corporũ, magis conducit ad resiliẽtiam soni, quã pori corporum sonantium: quamuis cõmoto aere intrinseco, & extrinseco, ex diuersitate obsistentium corporum, soni varientur.

34 Ad 3. respõdent PP. Carm. n. 28. quod si quando audito sono in cymbalo, percipimus nõ solũ sonũ, sed etiã iudicamus illud cymbalũ, nõ est, quia auditu prædictũ cymbalũ, etiã confusa quadã ratione in se percipiamus: sed quia mediãte alio sensu, scilicet, visu, habemus speciẽ cymbali, & mediante auditu speciẽ soni per illud causati; & istæ excitãtur percepto sono per auditum: & ita non per auditũ, sed per aliã potẽtiã internã causam soni percipim⁹.

35 Sed contra hoc est, quod diximus. q. 22. n. 45. quod sensib⁹ externis, non solũ percipimus sensibilia propria, & cõmunia; sed etiã sensibilia peraccidens vsq; ad ipsam substantiã: cũ ergo corpus sonatiuũ sit sẽsibile peraccidẽs respectu audit⁹, per auditũ percipiẽtur peraccidens corpora sonatiua, & sonãtia. ¶ Secũdo: homo cæcus audiens sonũ cymbali, & sonũ ligni, per auditũ discernit inter vtrũq;: ergo saltẽ peraccidẽs percipit causã soni.

36 Respondetur ergo, quod sẽsibile peraccidens, non solũ est subiectũ sẽsibilis perse, sed etiam causa, & circunstantia eius, quia istæ sufficienter habẽt cõiunctionẽ cũ sensibili proprio, vt peraccidẽs, & ratione illius possint percipi cognitione, seu sensatione perse terminata ad ensibile propriũ, & peraccidẽs ad causas ei⁹, & ad principia diuersitatis. Ista tamen omnia perse attingũtur ab intellectu, & ab aliis potẽtijs internis, vnde sine illis non cognoscuntur perfecte causæ soni.

Quin-

37 Quinto dubitatur, vtrum sol? aer sit subiectum, & medium soni secundum esse reale?

Sonum causari etiam in aqua, tenent Auic.6.Natur.2.p.c.6.Theophrastus, Simplicius, & Themistius 2.de Ani.c.7.ibi Caiet.dub.1. & 2. Tolet.q.20.conc.2. Rub.q.3. 2.p. Arriaga disput.5.sec.3.subsec.3. Et probatur ex Phylos.tex.79. dicente: *Amplius auditur in aere, & in aqua; sed minus in aqua.* Vbi idem docet S. Tho.lec.16.lit.d. Et Aristoteles 4. de Histor. ani. c.9. docet ranas sub aquis sonos edere, demissa scilicet inferiori mandibula, aquaque modice rupta in faucibus. Naues etiã, & remigia sub aquis sonum causãt, quem pisces percipientes fugiunt, vt docet Phylos. 4.de Historia animalium cap.8.

38 Fauet etiam experientia, lapides enim sub aqua, aut demissus in puteo leues, cum terram attingit, sonum efficit. ¶ Ratioque est facilis, quia aqua habet omnes cõditiones, quas aer: est enim mollis, diuisu facilis, impetuosa, comprimique potest violenter: est ergo subiectũ sufficiens soni; licet minus idoneũ, quam aer.

39 Addit Suarez lib.3.cap.19.n. 12.ignem quoque subiectum soni esse: quia si quis violenter diuidat flammam, vel si intra illam corpora solida sese percutiant, nõ minor causabitur sonus, quam in aere. Et ratio est, quia ignis rarior est aere, & facilis ad diuidendum. Et ideò non solum in aqua, igne, & aere, sed etiam in mixtis eandem dispositionem habentibus, vt in liquoribus, & nubibus potest causari sonus.

40 Per oppositum alij censent in solo aere posse generari sonum, & non in sola aqua, nisi admisceatur aer. Indicat Phylos.tex.eodem 79. dicens. *Sed oportet solidorum percussionem fieri ad se inuicem, & ad aera.* Vbi idem asserit S.Tho.lec.16. lit.d. & lec.17.lit.c.ait: *Dictum est enim, quod ad generationem soni, oportet fieri percussionem duorum solidorum ad inuicem, & ad aerem.* Quod & sequuntur Auerrois com.81.B.Albertus tract.3.c. 18.Aegid.tex.79.Gaetanus, Vincẽtius, & Iandunus, quos citat, & sequitur Iauellus 2.de Ani.q.33. (nõ 73.vt non bene referunt Suarez, & alij) & Bañez de Auditu dub.3. & P.Hurtado, & alij hic.

41 Probat B.Albertus, quia si fiat sonus in fundo aquæ, est necesse supernatare aerem, & apparere super aquam in quibusdam ampullis. Secundo, quia pisces velociter natantes in fundo aquæ, & in medio, etiã si percutiant branchias, nõ faciunt strepitum; faciunt autem in superficie aquæ, eoquod sit cõtigua aeri. Quæ experiẽtia verificatur in magnis piscibus fortiter aquas diuidentibus, & contra impetum eiusdem aquæ natantibus. ¶ Idem apparet in aqua maris: nam in profundo solet moueri velocissimè, & impingit ad rupes, & ad alia corpora solida intra mare; & tamen non sonat nisi commoueatur aer.

42 Et ratio est, quia, vt notat Iauellus, cõditiones ad sonum requisitæ non inueniuntur in aqua in tãta perfectione, quod possit in ea sola generari sonus: oportet enim, quod

quod corpus medium interpercutiens, & percussum ita frangatur, quod quasi subito impellatur; si autem nō exeat confestim, non excitatur sonus: aqua autē propter sui crassitiem, non potest confestim exire, sed paulatim dilabitur: & ideò non est aptum medium ad excitandum sonum.

43 Ad experientiam in contrariū respondet Bañez ad 2. quod non constat nobis de tali experientia: imò oppositum expertus fuit B. Albertus, qui naturæ secreta curiosissime fuit contemplatus. Vel fit ratione alicuius aeris in branchijs piscium detenti.

44 Hanc communem sentētiam sequuntur PP. Carmel. disp. 11. q. 3. & 4. & M. Ioan. à S. Tho. q. 7. art. 3. §. *inquires*, licet diuersimode eā explicent: quia PP. Carmel. tota q. 4. probant sonum secundū suum esse intentionale sumptum recipi tamquam in subiecto, & medio, non solum in aere, sed etiam in aqua, & alijs corporibus similibus: licet sol' aer sit medium, & subiectum soni secūdum esse reale, & naturale. Ita docuerat Iauellus in fine q. 33. & q. 35. ad 2. Probant authoritatibus Philos. & S. Thom. n. 37. relatis. Et quia S. Tho. lec. 17. lit. d. ait: *Quidā autem libri habent*, in aqua non audimus, *quod est contra illud, quod dictum est, quod audimus in aere, & in aqua: & contra id quod Philosophus dicit in libro de historia animaliū* (lib. 4. c. 8.) quod animalia audiunt in aqua: *licet enim aqua non ingrediatur ad interiorem aerē; tamen potest eum comouere, & sic imprimere ei speciem soni.*

45 Et ratio est, quia ista corpora habent cōditiones requisitas ad species deferendas ad auditum. Et suffragatur experiētia, nam si extra aquam crepitus fiat, fugiunt pisces, etiā si aqua turbida sit: audiūt ergo intra aquā. Vnde Plin. lib. 10. c. 70. refert fuisse in piscinis Cæsaris aliquos pisces adeò perfecti auditus, vt haberent propria nomina eisdē imposita, & vocati venirent: quod esse non posset nisi intra aquas audirent, sine commotione reali aquæ: cum sola loquutione aqua physicè non moueatur.

46 At vero M. Ioan. à S. Tho. asserit, quod prima soni realis generatio, aerem requirit, quem feriat: potest tamen continuari per aquam etiam sonus realis, & multo melius traiectio specierū. Priorem partem suadent fundamenta secundæ sentētiæ. Tertiam verò probant, quæ adducta modo sunt pro modo præcedente dicendi. Secunda verò pars, videlicet, quod sonus excitatus in aere, per aquam ipsam deferri possit, constat ex dictis, quia pisces intra aquas positi audiunt. Imò intra parietes audimus intrātibus specieb' per corpus solidum, vel per eius poros. Vnde Caiet. text. 82. ad 2. ait, *quod aer clausus in porositatibus parietū, continuat aerem extrinsecū intrinseco; & si non esset continuatio medij, nō audiretur sonus.* Et ipse motus realis, quo editur sonus, non repugnat aquam cō mouere: sicut sonitus tormenti bellici, propè aquas explosi, gyrationes facit in aqua: & à magnis tonitruis etiam nubes ipsæ mouentur, quæ sunt vapores aquæ.

47 Et S. Th. 2. de Ani. lec. 18. lit. b. ait: quod aliqua animalium habentium sanguinem, non habēt vocem, scilicet, pisces. Et hoc rationabiliter accidit, quia sonus est quidā motus aeris, vt supra dictū est. Huiusmodi autem animalia non respirant aerem: & ideò non habēt proprium sonum, qui sit vox. Sed, quod aliqui pisces dicantur habere vocē, sicut qui sunt in Achelao, quod est proprium nomen fluuij, nō habent proprie vocem: sed faciunt quendam sonum cū branchijs, quibus expellunt aquam, & attrahunt aerem, aut aliquo alio instrumēto motus. Hactenus ex Phylos. S. Thomas. Quare secunda sententia, vno ex duobus istis modis limitata, & exposita, est amplectenda.

## QVAESTIO. XXXII.

*De Echo, & voce.*

### §. I. *De Echo.*

1 QValiter fiat reuerberatio soni, quæ vocatur echo, explicat optime ex Phylos. S. Thom. 2. de Anima lec. 16. lit. c. dicens. Considerādum est autem circa primū, quod generatio soni in aere, consequitur motum aeris, vt dictum est. Sic autem contingit de immutatione aeris, ad generationē soni, sicut de immutatione aquæ, cū aliquid in aquam proijcitur: manifestū est enim, quod fiunt quædā regyrationes in circuitu aquę percussæ. Quę quidem circa locū percussionis sūt paruæ, & motus est fortis: in remotis autem gyrationes sunt magnæ, & motus debilior: tandem motus totaliter euanescit, & gyrationes cessant. Si autem antequam motus cessēt, gyrationes illæ aliquod obstaculum inueniant, fit motus gyrationis in contrariū: & tanto vehementius, quanto propinquius fuit primæ percussioni.

2 Sic igitur intelligēdū est, quod ad percussionem corporum sonātium, aer in gyrum mouetur, & sonus vndique diffunditur: & in vicino quidem gyrationes sunt minores, sed motus fortior, vnde, & sonus fortius percipitur. In remotis autem gyrationes sunt maiores, & motus debilior, & sonus obscurior auditur: tandem autem deficit. Si autem antequam huiusmodi gyrationes deficiant, fiat reuerberatio aeris sic moti, & sonum deferentis ad aliquod corpus; gyrationes reuertentur in contrarium: & sic auditur sonus quasi ex aduerso: & hæc vocatur echo.

3 Quod præcipuè fit quādo illud obstans, ad quod repercutitur aer motus, est aliquod corpus cōcauū, quasi quoddā vas, determinans, & concludēs aerem in sua vnitate, & ideò prohibens ipsū diuidi: tunc enim ille aer sic vnitus, & cō motus, quia non potest vlterius motū protendere, propter corpus obstans, percutit iterum aerem, à quo percutiebatur. Sicut accidit, cum aliquis proijcit pilam, quæ hic (à Phylos.) sphæra dicitur, & inueniens obstaculū, retro resilit. Hæc ibi.

4 Quomodo autem diuersimode fit echo, exponunt lect. eadem 16. lit. f. & dicunt, quod videtur sē per fieri echo; sed non semper fit certa, id est, manifeste perceptibilis. Et hoc ostendunt per simile: accidit

cidit enim in ſono, ſicut in lumine. Lumen enim ſemper repercutitur: ſed quandoque quidem eſt manifeſta repercuſsio luminis; quãdo autem non. Manifeſta quidem eſt repercuſsio luminis, quãdo repercutitur ab aliquo corpore fulgido, ita quod cũ quadam claritate fit luminis repercuſsio; ſimili modo primę luminis emiſsioni. Immanifeſta autem eſt repercuſsio luminis, quando repercutitur ab aliquo corpore opaco; quia huiuſmodi repercuſsio fit ſine claritate, & radiorũ emiſsione. Niſi enim à corporibus opacis fieret repercuſsio radiorum Solis, non fieret lumẽ penitꝰ, id eſt, in qualibet parte aeris ſuperioris hemiſpherij; ſed vbiq; eſſet tenebra extra Solem, id eſt, extra loca, ad quæ directe perueniunt radij ſolares.

5 Non tamen ſic repercutitur lumen à corporibus opacis, ſicut ab aqua, vel aere, aut aliquo de numero lenium corporum, & terſorum, à quibus fit repercuſsio cum claritate, & radiorũ emiſsione. Et ideò quia repercuſsio, quæ fit à corporibus opacis, non eſt ſimilis repercuſsioni, quæ fit à corporibꝰ fulgidis; repercuſsio, quæ fit à corporibus, opacis, facit tenebrã, id eſt, vmbrã, ex illa parte, vbi determinatur lumen manifeſtum, quod eſt ex directa emiſsione radiorum ſolarium. Similiter autem quando repercuſsio ſoni fit ad corpus concauum, in quo natus eſt multiplicari ſonꝰ, fit echo certa, id eſt manifeſte comprehenſibilis. Quando autem ad alia corpora fit reuerberatio ſoni, quæ non ſunt nata multiplicare ſonum, non fit echo manifeſta. Huc vſque S. Tho. Similia docẽt B. Alb. tract. 3. c. 19. Auicena, Auerrois, & Aegidius 2. de Ani. textu 79. & 80. & Suarez lib 3. c. 20. n. 4. & alij relati à PP. Carmel. diſp. 11. n. 64.

6 Ex quibus facile diluũtur duo dubia hic diſputari ſolita. Primum, vtrum echo ſit idem numero ſonus, vel vox cũ ſono, & voce directa? ¶ Affirmant Auicena 6. Natur. p. 2. c. 6. & Toletus 2. de Ani. q. 22. & Rubio de Auditu q. 5. n. 106. in fine. Licet non eodẽ modo explicẽt: nam Auicena arbitratur, quod illa aeris portio, quę primum recepit ſonum, tendit per medium aerem, & regreditur, & bis auditur. Toletus vero, & Rubio probant, quia vtraq; auditio recta, atque reflexa fit per ſpecies primo productas ab eadem numero voce.

7 Sed quia modo loquimur de reflexione ſoni realis, quando datur. Et non eſt eadem numero portio aeris, quæ defert ſonũ, & reflectitur: ſed vna aliam impellit, vt in exẽplo aquæ apparet. Ideo neuter dicendi modus ſubſiſtit.

8 Ratione arguit Toletus, quia ſi nouus eſſet ſonus productus ab obſtaculo, non poſſet eſſe articulatus: at ſentimꝰ integras, & diſtinctas voces repercuſſas: impoſsibile ergo eſt ab inanimato corpore fieri. Probatur conſequentia, experimur enim, quod tibia quantumcumque à lingua moueatur, non poteſt diſtinctè vocem exprimere: quomodo ergo aer percutiens murum, vel alium aerem, ſyllabicum faciet ſer-

monem? Ergo non multiplicantur voces per medium, nec sonus.

9 Dicēdum tamen, cum D. Thoma, & Auerroi, & communi sentētia, primum sonum realiter distingui ab echo. Probat bene Iauellus 2.de Anim.q.34. nam ideò causatur echo, quia iterum aer reflectitur ad priorem locum, sicut pila repercussa à pariete: vnde echo cōsequitur motum reflexum aeris. Sed motus reflexus non est idem cum directo, vt dicitur 8.Phys.text.62. immò in pūcto reflexionis cadit quies media, vt ostendimus 7.Physicor.q.3. ergo nec echo est idem cum motu priori.

10 Secundo id probat Bañez de Auditu dubio vltimo in fine, quia stat, quod iam sit terminata prior vox, quādo auditur echo: ergo nō est vna numero vox, nec vnus numero sonus. Quod & insinuatur Sapientiæ 17.dum dicitur: *Resonans de altissimis montibus echo.* Quia resonare, est iterum realiter sonare.

Ad argumentum respondet negando, quod sit vox articulata, saltim perfecta; sed est veluti quædam impressio, & similitudo eius imperfecta in corpore, à quo regreditur, à voce humana causata, sicut cōtingit in impressione sigilli circa ceram.

11 Aliter respondet Iauellus, quod son⁹ directus, & echo, & vox directa, & echo differūt solo numero: nam quando fit echo ex voce animalis, est vox; licet secundaria, & reiterata. Ab ore autē animalis fit echo, nō immediate, & formaliter, vt vox procedens; sed mediate, & virtute, propter impulsum resilientiæ, eo quod in aere repulso à corpore concauo, seruatur virtus impressa ab ore animalis.

12 Alterum dubium est, vtrum echo possit fieri sola regressione intentionali specierum?

Videtur negare S.Thom. & omnes relati num.5. qui cum Physicopho coparāt formationē echo resilientiæ pilæ. Et id manifeste videtur docere Physic.sec.13. Proble.sec.13. Et quia si esset sola reuerberatio specierum, sonus directus, & reflexus simul possent audiri: quod refragatur manifestiæ experientiæ Secundo, quia experimur non audiri in echo sonum, nisi vbi est motus resilientiæ: ergo nō fit per solas species intentionales refractas, sicut fit visio hominis in speculo.

13 Per oppositum affirmant alij echo non fieri per reflexionem soni realis; sed solum per reflexionē specierum intētionalium in corpore obstante. Ita Buridanus 2.de Anima q.12. Apolinaris q.24. Tolet⁹ q.22. Rubio q.5.n.106. Molina 1.q.58.art.2 disp.1. & alij. Et probār, quia sonus non multiplicatur, nec perse potest vsque ad auditum peruenire, nec reflecti, vt patet quādo parua voce fit echo. Ergo sicut recta auditione auditur per species intentionales, ita etiam auditione reflexa.

14 Distinctione tamen adhibita, facile alij dubio satisfaciunt, dicēdo, quod vtroque modo potest esse reflexio soni, & formari echo; vel producto alio sono reali, & reflexo; vel solum medijs speciebus re-

reflectentibus, & auditum immutãtibus, ita vt duplex appareat sonꝰ, vel vox. Ita Bañez, & Suarez vbi supra. PP. Carmel. tract. 4. num. 74. vsque 79. M. Ioan. à S. Tho. q. 7. art. 4. Et probant fundamentis vtriusque extremæ sententiæ. Et explicant exẽplo visus, cuius species reuerberãt in speculo. Quod autem non quælibet repercussio sufficiat vt reflectatur sonus, vel vox perfecta, satis explicat S. Tho. verbis relatis n. 5. Disparitas autem, quę est inter reflexionem specierum visus, & auditꝰ, solum est in diuersa dispositione recipientium, & in minori perfectione auditus: nam quoad alia paritas currit: de quo latè Authores relati: nec vllo modo contradicit Sanctus Thomas.

## §. II.
## De voce.

15 HAec tria, sonus, vox, locutio, seu sermo, se habent sicut superius, & inferius: nam vox est quædam species soni, nẽpe quorundam animatorum: est tamen cõmunis irrationalibus: locutio autẽ est homini rationali propria, vt docet Philosophus 4. de Histor. anim. c. 9. addit enim dearticulationem, & distinctionẽ, quibus diuersæ syllabæ, & dictiones cõponi possint.

16 Vt autem Philosophus vocẽ definiat, tria præmittit. Primo in textu 87. ait, quod nullum inanimatũ habet vocem. Et si aliquando aliquod eorum dicatur habere vocẽ, hoc est secundum similitudinem; sicut tibia, & lyra, & huiusmodi instrumenta dicũtur habere vocem. Habent enim tria eorũ soni, in quibus assimilantur voci: quod latè declarat S. Thom. 2. de Anima lec. 18. lit. a. Ex quo infert S. Thom. 1. p. q. 51. art. 3. ad 4. quod Angeli proprie non loquuntur per corpora assumpta: sed est aliquid simile locutioni, inquantũ formãt sonos in aere similes vocibus humanis. Quod & docet in 2. dist. 2. q. 2. art. 2. ad 5. & dist. 3. q. 1. art. 6. & dist. 8. artic. 4. in corp. & ad 5.

17 Præmittit secundo Philosophus, quod etiam multa animalia sunt, quæ non habent vocem, sicut omnia carentia sanguine. Quorum quatuor sunt genera, vt dicit Philosophus 4. de historia anim. cap. 9. & ex ipso refert S. Thom. hic lect. 18. lit. b. scilicet, mollia, quæ habẽt mollem carnem exterius, vt pulpi, & sepiæ, & animalia mollis testę, vt cancri; & animalia duræ testæ, vt ostreæ; & animalia annulosi corporis, vt apes, & formicæ, & huiusmodi: nullum enim horum habet sanguinem, neque vocem. Et similiter aliqua animalium habentium sanguinem, non habent vocem, scilicet, pisces. Et hoc rationabiliter accidit, quia sonus est quidam motus aeris, vt supra dictum est. Huiusmodi autem animalia non respirant aerem; & ideò non habent proprium sonum, qui sit vox.

18 Subdit vero textu 88. quod illa sola animata vocem habent, quæ aerem respirando suscipiunt, & ex eadem parte vnde respirant. Natura enim vtitur aere respirato ad duo opera, videlicet ad mitiga-

tionem caloris naturalis; quod est necessarium, vt dicitur in libro de Respiratione, & ad formationem vocis, quod est ad bene esse: interpretatio enim, quæ fit per locutionem, est ad bene esse. Et est simile: nam natura etiam vtitur lingua ad gustum, & ad locutionem: quorum duorum gustus est necessarius, est enim discretiuus alimenti cõuenientis, quo conseruatur animal, & propter hoc pluribus animalibus inest.

19 Tertio præmittit Aristoteles, quod organum respirationis est arteria, quæ est ordinata ad pulmonem, vt ei deseruiat ad aeris attractionem: necesse est enim, vt aer recipiatur in pulmone, quia animalia gressiua habent in hac parte plus de calore, quam in alijs partibus. Pulmo enim coniungitur cordi, in quo est principium caloris naturalis; & ideo locus, qui est circa cor, indiget respiratione ad refrigerium caloris naturalis. Dicit autem *locus primus*, vt exponit S. Tho lect. 18. litt. e. vel quia est primus post cor pulmo, vtpote ei vicinior. Vel quia cor est prima pars animalis, & quantum ad generationem, & quãtum ad causalitatem motꝰ, & propter hoc necesse est, vt aer ingrediatur ad pulmonem, ad refrigerium caloris naturalis cordis.

20 Ex præmissis, vocis definitionem concludit Philosophus textu 90. dicens. *Quare percussio respirati aeris, ab anima, quæ est in his partibus, ad vocalem arteriã, vox est.* Quam diffinitionem sic exponit S. Thom. litt. f. dicit ergo primo, quod quia vox est sonus animati, & ex illa parte qua aerem respirat, sequitur, quod vox sit respirati percussio aeris, ad arteriam vocalem. Quæ quidẽ percussio fit ab anima, quæ est in his partibus, ideſt principaliter in corde: quamuis enim anima sit in toto corpore, vt est forma animalis; tamen vis eius motiua est principaliter in corde (in quo resident appetitus sensitiuus: & appetui, & imaginationi tribuitur vis motiua: de qua supra. q. 17. §. 4.) Datur autem hæc diffinitio per causam: nõ enim vox est percussio, sed sonus ex percussione causatus.

21 Secundo aduertit S. Tho. litt. g. quod Aristoteles posuerat tria in diffinitione vocis: & quia tertium manifestarat tex. 89. verbis relatis n. 19. ideò restabat, quod duo prima manifestaret. Dicit ergo primo, quod sicut supra dictum est, nõ omnis sonus animalis est vox. Contingit enim linguam facere aliquos sonos, qui tamen non sunt voces: sicut & tussiẽtes faciunt sonum, qui tamen non est vox. Oportet enim ad hoc quod sit vox, quod verberans aerem sit aliquid animatum, & cum imaginatione ad aliquid significandum. Oportet enim, quod vox sit sonus quidã significans, vel naturaliter, vel ad placitũ. Et propter hoc dictum est, quod huiusmodi percussio est ab anima: operationes enim animales dicuntur, quæ ex imaginatione procedunt. Et sic patet, quod vox non est percussio respirati aeris, sicut accidit in tussi. Sed id cui principaliter attribuitur causa generationis vocis, est anima,

ma, quæ vtitur isto aere, scilicet, respirato, ad verberandum aerem, qui est in arteria, ad ipsam arteriã. Aer ergo non est principale in vocis formatione; sed anima, quæ vtitur aere vt instrumento ad vocem formãdam.

22 Aliam particulam diffinitionis, scilicet, quod vox sit percussio aeris respirati, ex Physiosopho manifestat S. Tho. lit. h. & dicit, quod signum huius est duplex. Vnũ, quia animal non potest formare vocẽ, neque dum attrahit aerem respirando: neque dum expellit expirando: sed dum retinet aerem, quia dũ retinet, isto aere retento, & percutiente aerem existentem in vocali arteria, causat motum ad formationem vocis. Aliud signum est, quod pisces non habent vocem: non enim habent guttur, idest, vocalem arteriam: & hanc partem non habent, quia non recipiunt aerem, neque respirant: cuius causam assignare pertinet ad scientiam, in qua considerantur particularia accidentia animalium.

23 Sed contra diffinitionem sic expositam, obijcies primo: nã aer est id in quo subiectatur vox: est enim species soni: & omnis sonus fit in aere, iuxta dicta q. 31. dub. 5. Sed subiectum soni, & vocis non est, quod percutitur à sono: ergo falso asserit Physiosophus, quod aer respiratus est aer percussus.

Respondet Iauellus. q. 38. ad 2. quod non est inconueniens in formatione vocis aerẽ fungi vice duorum, scilicet, percussi, & subiecti, aut medij in quo recipitur vox. Percussi quidẽ vt expellitur à pulmone, & repercutitur ad arteriam vocalem. Subiecti autem, aut medij, vt in quo ex tali percussione causatur vox. Et est simile quando baculus ducitur velociter per aerẽ, aer resistit baculo, & se habet vt corp⁹ percussum à baculo: & tamẽ in eodem aere recipitur sonus factus ex motu forti ipsius baculi. Pariter ergo non inconuenit aerẽ habere rationem percussi, & rationem subiecti, aut medij.

24 Possumus addere, quod formatur vox aere retento, & percutiente aerem existentem in vocali arteria, vt diximus ex D. Thom. Vnde non est eadem pars aeris, in qua causatur vox, & in qua recipitur sonus: & ideò nõ mirum, quod aer sit percussus in vna parte, & in alia sit subiectum soni. Immo bene aduertit S. Tho. in 2. dist. 2. q. 2. art. 2. ad 5. quod *ad vocem, non tantum exigitur aer interior, sed etiam exterior, cui⁹ confractione, & motu sonus defertur.*

25 Secundo obijcies: nam grilli cãtant sine arteria vocali, vt notat B. Albertus Magnus, qui & dicit se expertum esse grillum cantare, etiã amputato capite; ergo ad vocem formandam non requiritur arteria vocalis.

Respondetur cum eodem B. Alberto, quem citat, & sequitur Iauellus ad 4. quod cum grilli, & cicadæ careant sanguine, non formant vocem, nec sonum faciunt ore respirãdo per aerem: sed frequentatis ictibus percutiendo aerem exteriorẽ, cum diafragmate, seu parte pectorali. Vnde nõ formant vocem, sed

sonum, quia non habent arteriá vocalē. Quam solutionē in simili tradit Phyl.tex.87.& S.Th.lec.18.lit. b. *De quibusdam piscibus, qui non habēt proprie vocem; sed faciunt quendam sonū cum branchijs, quibus expellunt aquam, & attrahūt aerem, aut aliquo alio instrumento motus*; vt etiā retulimus q.31. n.47.

26 Tertio obijcies: nam vltra organa vocis, quorum meminit Philosoph⁹, alia multa sunt necessaria: sine lingua enim loqui non possumus: ergo insufficienter manifestat causas, & instrumenta vocis.

Respondēt Iauellus in fine q.38. & Toletus q.23. quod Philos. non meminit nisi trium instrumentorū vocis, scilicet, pulmonis, & aeris respirati. & arteriæ vocalis, quia nō considerat de formatione vocis, nisi absolute, & ad hoc illa tria sufficiunt. In consideratione autem, vt dearticulatæ prout deseruit sermoni, adduntur alia instrumenta, nempe, palatum, & lingua, dentes, & labia, quia sine his vox nō distinguitur per litteras, & syllabas.

27 Præterquamquod, iam textu 88. meminerat linguæ: & in particulari organa omnia siggilatim describere, nō est huius loci: sed id præstitit Philosophus 5. de Generation. animalium cap.7.& Gallenus de Vocis instrumento cap.4.& lib. 7. de vsu partium cap.5. B. Albertus in summa de homine de voce q.4. & Conimb. 2. de Anima cap.8.q.3. ar.1. quia attinet ad Medicos, & Anothomistas in his non immoramur.

## §.III.

### *De vnitate vocis.*

28 SOlum inquirendum restat, vtrum sit eadem vox numero, quam plures audiunt?

Nō est difficultas de vnitate quo ad significationem, quia nō omnes cognoscunt significationem vocū, quas audiunt. Et quando vnum nomen, vel vna vox habet plures significationes, an dicenda sit vna, vel plures? Iam determinatum est lib. 2. Logicæ q.1.§.4.& obiter notandum, id quod aduertit S. Tho. 1.p. q.85.art.2.ad 3. *Quod voces non significāt ipsas species intelligibiles; sed ea, quæ intellectus sibi formāt ad iudicandū de rebus exterioribus*: de quo videatur S. Thomas Quodlib.4.ar.17. Quæstio ergo est de sono, & voce materialiter sumptis.

29 Ad hoc dubium sic expositum, bene respondet Ferr.2. de Anim.q.15. duplici conclusione, quarum prima est. Vox, quātum ad suū materiale, potest vna, & eadem numero à pluribus percipi. Quia plures species vocis possunt representare vnam, & eandem numero vocem. Sed ab vna, & eadē voce possunt causari plures similitudines in pluribus, quando aer, in quo est sonus, intentionem soni in alijs partibus aeris causat. Ergo vna vox numero potest à pluribus percipi: sicut idem numero à pluribus videtur, mediātibus diuersis speciebus ab vno obiecto immissis: eo quod vnitas numerabilis accidētium nō

est

est ab obiecto, sed à subiecto, vt exponit ad 1.

30 Secunda conclusio eiusdem est, aliquando vox loquentis, quæ immediate immutat auditum plurium non est vna numero. Licet illa, quæ primo immutat sit vna numero. Primam partem probat, quia Petro loquente, potest aer, in quo recipitur vox, diuidi; & discõtinuari, & similiter son⁹, iuxta dicta n. 2. & n. 9. & sic secũdum diuersas partes aeris diuisi peruenire potest ad diuersorũ aures: ergo tũc nec vox, nec sonus erit idem numero, qui à pluribus auditur.

31 Secunda vero pars patet: quia loquẽs primo vnam vocem numero producit: quæ diuisa deinde alias voces, quę immediate mouent auditũ, efficit. ¶ Quod totum ex Philosopho docet S. Tho. de Sensu, & Sensato lect. 16. litt. c. dicẽs, quidam dicũt, quod eũ diuersi per diuersa organa sentiunt, impossibile est, quod idem sentiant. Quod quidem verum est, si referatur ad id, quod *proxime mouet sensũ*: quia diuersorum sensus immutãtur immediate à diuersis partibus medij sibi propinquis: & ita intercipitur hoc, & distinguitur illud quod vnus sentit, ab eo quod sentit alius. Si verò accipitur, id quod *primo mouet medium*: sic vnum, & idem omnes sentiunt: sicut vnius percussionis sonũ audiunt omnes, siue propinqui, siue remoti: & similiter vnũ corp⁹ odoriferum, puta cothomum, vel thus in igne ardens odorãt omnes. Sed id quod iam peruenit ad vnum quẽq;, est *alterũ numero; sed est idẽ specie*, quia ab eadẽ forma primi actiui omnes huiusmodi immutationes causãtur. *Vnde si vnus multi vidẽt, & odorãt, & audiũt idẽ sensibile per diuersas immutationes ad eos peruenientes.* Hęc ibi

32 Sed obijcies: nam dicit Phyl. text. 77. & 82. *Quod medij, & audiũ⁹ est facere sonum in actu.* Sed vnum accidens numero non habet esse actu in duobus subiectis: ergo alius son⁹ in actu erit in aure vnius, & in aure alterius. Sed sonus in actu est qui sẽtitur: ergo à diuersis alius, & alius sonus auditur.

Respõdet bene S. Th. lec. 16. lit. a. in fine, quod omne sẽsibile dupliciter dicitur esse in actu. Vno modo quãdo actu sentitur, hoc est dũ species eius est in sẽsu. Et sic sonus est actu secũdũ quod est in auditu. Alio modo secũdũ quod habet propriã speciẽ per quam sentiri potest prout est in suo subiecto. Et sic alia sensibilia fiunt in actu prout sunt in corporibus sensibilib⁹; sicut color prout est in corpore colorato; & odor, & sapor, prout sũt in corpore odorifero, & saporoso. Sic autẽ non est de sono; nam in corpore sonãte nõ est sonus, nisi in potentia: in medio autẽ, quod mouetur ex percussione corporis sonãtis, fit sonus in actu. Et propter hoc dicitur, quod *sonus in situ est medij, & audiũ⁹, non autẽ subiectiue sonabilis.* His verbis S. Tho. optime est expositũ testimonium Philosophi.

33 Pro forma autem argumenti, addit M. Mathias Aquarius in add. ad Ferrariam illa q. 15. in fine, quod vna forma numero non habet esse actu in diuersis subiectis secundum esse

esse naturale: potest tamen esse in pluribus secundum esse intentionale; in quantum vna forma naturalis potest plurimis causare diuersas intentiones, seu imprimere diuersas species in diuersis sensibus. Præterquãquod, species quę est in auditu, non est illud quod auditur; sed id quo aliquid auditur. Vnde etiam si in plurium auribus sint plures species, nõ sequitur, quod sint plures soni, qui audiuntur: cũ plures species possint vnum repræsentare; & vnum solum representent cum ab vno causantur: quia similitudo, & species naturaliter repræsentat obiectum a quo causatur.

34 Aliter toti quęstioni respõdet Bañez dub.4.conc.2. docens absolute, quod idem numero sonus est, qui procedit ab eodem corpore sonante diffusus per spatiũ: quia procedit ab vno agẽte: & habet vnum subiectum continuum formaliter: & ipse sonus non discontinuatur. At verò in ratione passionis, posset multiplicari secundum multiplicationem audientium, quia recipitur in diuersis subiectis: sicut dicitur de luce Solis, & de calore ignis quod multiplicantur iuxta multiplicationem recipientium calorẽ; vel lucẽ. Quam conclusionem dicit debere intelligi de sono tam secundum esse intentionale, quã etiã naturale.

35 Hæc tamen sententia difficilis videtur in sententia, quod actio trãsiens sit in passo: quã ipse M. Bañez nobiscum dicit probabiliorem, vt retulimus 3.Phys.q.4.n.6. Nã iuxta numerum recipientium, non solum passiones, sed & actiones transeuntes debẽt plurificari. Præcipue cũ actio, & passio inter se, & à motu non differant realiter, vt ibi ostẽdimus q.3. ¶ Alia etiam via difficilis est conclusionis explicatio, quia eiusdem soni numero possunt esse in diuersis audientibus diuersæ species: licet illarum repræsentatum, sit vnum numero. Quare solũ iuxta tenorem secundę partis secundę conclusionis, quæ proposita est nu. 31. est acceptãda hæc doctrina M. Bañez; & ideò præferenda est sententia Ferrariensis iam explicata; quam, & obiter sequũtur Rubio q.4.n.89. & Carmel.disp.11.n.62.

## QVAESTIO XXXIII.

### *De Auditu.*

1 QVatuor explicanda restant, vt ea quæ pertinent ad hãc potẽtiam exposita maneant. Primum est, quomodo deferatur sonus vsque ad auditum? Secundo declaranda erit definitio sonatiui à Philosopho assignata. Tertio inquiretur de organo, & subiecto proprio auditus. Denique videndum erit, an aer existens in aure, sit immobilis?

## §. I.

### *Qualiter deferatur sonus vsque ad auditum?*

2 DE quatuor antiquorum opinionibus circa primum punctum, mentionem faciunt Bañez dub. 4. Tolet. q. 21. & vltra eas aliæ sunt exortæ: sed vitandæ cōfusionis gratia, omnes ad tres reducuntur. ¶ Prima arbitratur semper esse necessarium sonum realiter deferri vsque ad auditum. Ita Auicena 6. Natural. c. de auditu. B. Albert. Alexander, & Simplicius, & Aegidius ibidem.

3 Videturque ad mentem Physophi tex. 82. & S. Tho. ibidem lec. 17. lit. a. dicētis. *Sic igitur patet, quod illud est sonans tantum, ideſt, faciens sonum, quod mouet aerem vnum, continuū existentem à se vsque ad auditum.* Quod falsum esset, si sonus nō deberet realiter vsque ad auditum peruenire. Et de Sensu, & sensib. c. 7. vbi S. Th. lec. 16. lit. a. ait. *Ipse verò* (Physosophus ibi lec. 5.) *posuit, quod sēsibilia per modum cuiusdam alterationis immutant medium; ita quod huiusmodi per mutationes perueniunt vsque ad sensum.* Quod late prosequitur lit. e, vbi post multa concludit S. Tho. *Sic ergo per prædicta patet, quod sonus peruenit ad auditū per multos motus partium medij sibi inuicem succedentes. Et simile est de odore; nisi quod mutatio sit per alterationē medij; immutatio autem soni per motū localem.*

4 Ad idem pertinent verba Physosophi, & S. Thom, quæ retulimus q. 32. nu. 1. & 2. ex quibus sumitur ratio: nam propter facilem aquæ, & aeris diuisionem, in motu resiliētiæ vna pars mota facile mouet aliam: ergo sic facilè motus localis, & alterationis possunt peruenire vsque ad auditum. Et ideò corpora concaua bene sonant. Quia aer primo percussus concluditur, & non potest statim exire.

5 Aliam rationem assignant Physosophus, & S. Thomas ibi la lec. 16. de Sensu, & Sēsato lit. d. & e. Quia experimur sonum successiue peruenire ad auditum, & statim videri à longè, & non statim audiri. Cuius non est alia ratio, niū, quia *non per motus sibi succedentes in diuersis partibus medij peruenit lumē vsque ad visū; sed per vnum aliquod esse, id est, per hoc, quod totum medium, sicut vnum mobile mouetur vno motu à corpore illumināte. Sed non est ibi motus, qui succedit motui, sicut dictum est de odore, & sono.* Sed totum hoc esset falsum, si immutatio auditus esset intentionalis, & non physica: eo quod species, quæ non habent contrarium, in instanti deferuntur ad sensum: & hac ratione probat ibi S. Thomas lit. g. quod *illuminatio sit subito, quia lumen non habet contrarium.* Ergo sonus debet motu locali successiuo deferri vsque ad auditum.

6 Per aliud extremū Toletus q. 21. concl. 4. & 5. Rubio de Auditu q. 4. nu. 8. vsque 88. dicunt, quod quamuis accidat aliquando aerem moueri vsque ad aures, cum sonus fuit vehemens; tamen id est peraccidens, quia sonus non multiplicatur realiter per spatium, sed semel realiter productus intentionaliter multi-

multiplicatur per species. Probat Toletus, quia aliter integra vox, & sonus audiri non posset à multis, quia realiter in qualibet medij parte non est tota. Sed in qualibet parte medij, etiam propinqua, auditur tota. Ergo intentionaliter se diffundet per aliquas medij partes.

Deinde, quia motus aeris nō fertur tanto impetu, vt possit alium sonum tantum facere. Nec sonus bombardæ posset ad tantam distantiam peruenire. Rursus, quando aer percussus sonum alium facit, iste est dissimilis à priori. Nec est sonus illę bōbardæ, sed alius: auditus enim percipit, & illum sonum, & sonum bombardæ.

7 Præterea, quia sonus non sentiretur, nisi in illo loco vbi multiplicari realiter desinit, & per species diffunditur: at experientia docet oppositū. Similiter cōtingit, quod vnus cōtra aliam loquitur, & multi contra vnum, & inuicem audiuntur. Quod si realiter multiplicaretur sonus, motus aeris impediretur propter contrarietatem.

Vltimo, quia velocissimè sentimus concionātes, & ad distantiam loquentes: quod si multiplicatio realis, & successiua esset, cū fit per motum percussionis, profecto notabilis mora esset in audiendo: quæ omnia sunt contra experientiam, quam multū obseruare debet Physicus.

8 Rubio verò arguit, quia sonus est proprium sensibile auditus: propria autem sensibilia habent virtutem producendi species in medio, & potentia. Secundo, quia pisces audiunt sine vlla cōmotione aquę. Et tertio, quia Authores referendi pro tertia sententia, fatentur cessāte motu physico, sonum vltra procedere, sola motione intētionali. Sed non minus potest sonus à principio suæ productionis multiplicare speciem sui immedio, & potentia, quam post realē multiplicationem ad illam distantiam: cum per eam, nec naturam mutauerit, nec maioris, sed minoris forte virtutis sit factus. Ergo à principio eas multiplicat, & per eas solas audiri potest. Probatur euidenter consequētia, quia per eas solas auditur ab illa distantia apud Authores huiꝰ sētentiæ.

9 Nihilominus est tertia sentētia media via procedēs, & tria asserēs. Primo, quod sonus communicatur per medium secundū esse reale, iuxta maiorem, vel minorem violentiam primæ percussionis. Quod probant adducta pro prima sententia; & hoc tantum videntur eius Authores intendere.

10 Secundo, dicit quod semper exigitur, quod diffusio fiat per species intentionales. Et hoc probāt argumenta secundæ sententiæ. Quæ confirmantur ex D. Thom. 2. de Anima lec. 16. lit. a. in fine docente, *sēsibile esse in actu, quando actu sentitur; hoc est, dum species eius est in sensu; & sic sonus est actu, secundum quod est in auditu.*

11 Et probat Iauellus q. 3. §. *Tu igitur*, docens non esse necesse, quod sensibile, vt sensibile, sit motiuum medij, neque organi, nisi intentionaliter. Et ideò sensibili, vt respicit sensum, conuenit esse motiuum intentio-

tionaliter. Si autē contingat, quod moueat medium realiter, hoc non competit ei vt respicit sensū, quia cum medium sentiendi deseruiat sensui, non est necesse, quod aliter immutetur à sensibili, quam immutatur sensus. Sensus autem cum sit receptiuus speciei sine materia, nō immutatur, niſi intētionaliter. Omnis ergo immutatio realis facta in medio ab obiecto sensibili, est per accidens in actu sentiendi. Licet in aliquibus obiectis causaliter sumptis perse commitetur, quia sonus nō causatur sine immutatione reali.

12 Præterea idem ostendit Mag. Bañez de Auditu dub. 4. quoniam auditus, eodem modo audit sonū, quando sonus se ipso realiter peruenit vsque ad auditum, & quando solum modo intentionaliter. Signum ergo est, quod quando se ipso realiter attingit illū aerem, qui est intra organum auditus, nō mouet illum secūdum esse naturale, quod habet, sed secundum esse intentionale, quod commutatur ipsum esse naturale. Probatur consequentia: quia si secundum esse naturale moueret, nō posset intelligi, qua ratione immutatio, quæ causatur in organo per motionem realem ipsius soni, non esset omnino alterius rationis, cū illa, quæ causatur ab speciebus soni: & consequenter ipsæ etiam auditiones essent diuersæ.

13 Experientiaque idem confirmat: videmus enim, quod cū violenta aeris percussio realiter tāgit ipsum auditum, potius lædit organum audit', quam causet debitam sensus immutationē. Et hac de causa natura formauit aures cartilaginosas, & meatus illos omnes per quos sonus defertur ad auditum, anfractuosos: & ideò foramē hoc solet foramē cæcū nuncupari, quasi per ipsum ad internas partes organi auditus, non pateat additus. Ergo perse, & indispensabiliter, audibile nō immutat secundum esse reale; bene tamē secundum esse intentiōnale.

14 Tertio asserendum est, sonum simul ac esse incipit, multiplicare species intentionales per medium; quæ pertingunt vsque ad auditum, quamuis illuc immutatio realis nō pertingat. Colligitur plane ex D. Tho. 1. p. q. 78. art. 3. in corpore, & 2. de Anima lec. 20. lit. a. in fine. Et in 2. dist. 2. q. 2. a. 2. ad 5. vbi ait: quædam sensibilia deferuntur ad sensū secundum esse spirituale tantum, sicut species colorum. Quædā, quæ contingunt organum secundū esse materiale: sicut in gustu, & tactu: quædam verò deferuntur vtroque modo: sicut species odorum cum permixtione fumalis euaporationis. *Tamen species extenditur vltra fumalem euaporationem. Et similiter est de sono, & motu.* Quare ita tenere omnes discipulos S. Thomæ, testantur Bañez § *secunda pars.* PP. Carmel. disp. 11. n. 55. vbi citāt Zanardum q. 32. Conimb. cap. 8 q. 2. art. 2. & tenent Veracruz. & Viguerius cap. 1. §. 4. & Suarez lib. 3. cap. 21. qui, & n. 6. refert pro hac parte S. Thomam 1. p. q. 77. art. 1. & in 2. dist. 24. art. 2. q. 1. in quibus locis nil, quod ad rē faciat, inuenio.

Pro-

15 Probant hanc conclusionem, quæ sunt adducta pro secunda sententia. Et eam declarat Bañez conuenienti exemplo: in lumine causato à candela in nocte obscura procul à potētia visiua: tunc enim lux candelæ diffunditur realiter per aliquam partem spatij, & vbicumque est realiter, est etiam intentionaliter; & vltra quā ipsa lux potest per se illuminare realiter, diffunditur intentionaliter. Ergo similiter non est incōueniens, quod in eodē met aere sit sonus realiter, & intentionaliter simul; in alia autem parte solum modo intentionaliter.

16 Cōclusiones autem ad inuicē conferēdo, facilè argumenta extrema soluūtur. Et ad id quod dicit Rubio relatus.n.8. aduertendū, naturaliter fieri non posse sonum aliquem produci in medio secundū suū esse reale, & naturale, sine percussione reali, & naturali eiusdem medij: sicut impossibile est produci impulsum siue motu proijcientis vel proiecti, aut vtriusque. Vnde S.Tho.1. p.q.78.art.3.docet, quod *ad operationem sensus requiritur immutatio spiritualis, per quā intentio formæ sensibilis fiat in organo sensus.* Sed in quibusdā sensibus cum immutatione spirituali inuenitur etiam *transmutatio naturalis, secundum locū quidem in sono, qui est obiectū auditus: nā sonus ex percussione causatur, & aeris cōmotione.* Licet diffusio specierū possit extendi vltra cōmotionem realem.

17 Aduertit etiā M.Bañez ad 2. quod percipitur distantia corporis sonāris, quia quanto longius distat corpus sonans, tāto debilior venit sonus ad auditum. Et ideò propter diuersam modificationē ipsius vocis causatam à distantia maiori, vel minori, percipitur maior distantia corporis sonantis: est enim distātia sensibile cōmune: sensibilia autem cōmunia modificant sensibilia propria, & eorū species, iuxta dicta q. 22.§.4.

## §. II.

### *Definitio sonatiui.*

18 CIrca secundum, cum Philos. egisset de generatione soni, seu de sono in actu, tractat de sonatiuo, seu de sono in potētia: & tex. 82. definit sonatiuum, dicens. *Sonatiuum est id quod motiuum est vnius aeris continuitate vsque ad auditū.* Quod & docet S.Tho. ibi lec.17.lit.a. Ad cuius expositionē posset in primis inquiri de medio auditus, an sit solus aer? Sed hoc iam determinatum est q.31.dub.5.

19 Præterea potest obijci: nā cōtingit vt audiamus sonum in parte aeris multum remota à sonante, ad quam nō peruenit motio realis aeris facta à sonante: ad sensum enim patet, quod machinā belli sentim⁹ per triginta milliaria in circuitu; irrationabile autem videtur dicere machinam illā facere cōmotionē in aere realē per tātū spatiū. Nō igitur est verū, quod sonatiuū sit motiuum aeris vsque ad auditum.

Ad hoc patet solutio ex dictis §.1. vnde bene respondent Caiet. c.7. dub.3. ad 1. & Iauellus. q.35. ad 1. quod ly *motiuum*, prout sonatiuum respicit sensū auditus, dicit motionem intentionalem, quam necesse est

est diffundi quasi spherice per medium totum vsque ad auditū. Motio autem realis solum est in parte propinquo: & in parte remota est sola motio intentionalis: licet in propinqua sonatiuo sit realis, & intentionalis, vt expositum est.

20 Contra illam particulam *uni⁹ aeris continui*, arguitur: quia videtur esse contra experientiam; audimus enim sonum factum in loco vndiq; clauso: si enim claudatur lapillus in timpano, ad motum timpani auditur strepitus causatus ex motione lapidis. Et similiter audimus in cubiculo vndique clauso: & tamē non continuatur aer propter interpositionē corporis: ergo falsū est, quod sonatiuū debeat mouere aerē vnū cōtinuum à se vsq; ad auditum.

Respondent Caiet. ad 2. verbis iā relatis. q. 31. n. 46. & Iauellus ad 3. quod si debet sonus audiri, quantū cumq; videatur fieri in loco vndique clauso, necesse est esse aliquas rimulas, aut parua foramina, aut poros, vt per huiusmodi continuetur aliqualiter aer interior exteriori. Sed quia multoties hæc latent visum propter suam paruitatē; ideò iudicat vulgus aerem discontinuari. Exemplum habemus si ponatur musca in timpano vndique clauso, adhuc sentitur eius strepitus, eo quod aer exterior, & interior cōtinuantur per poros pellis timpani. Huic cōmuni doctrinæ tandem acquiescit Suar. cap. 21. n. 3. rationem adijciens: nā sonus successiuus est, ac citissimè transit: vnde medium requirit citissimè penetrabile; cuiⁿ modi non est densum corpus, si daretur carens poris.

## §. III.

### *De organo auditus.*

21 DE subiecto, & organo auditus variè opinantur Doctores. Tolet q. 21. in princ. ait, quod potentia auditiua residet in tunica, quæ dicitur timpanum, quia ad modum timpani se habet. Et probari potest ex Phylos. text. 83. & ex D. Tho. lec. 17. lit. d. asserente: & non solum ex corruptione aeris impeditur auditus; sed etiam *si meninga*, id est, pellis circundans aerem, aut alia qua pars coniuncta *laboret*, idest, infirmetur: sicut etiam visio impeditur, si impediatur pellis pupillæ, quæ continet humorem aqueū pupillæ. Ergo signum est pellem istam esse organum auditus. Aduerte tamen, quod licet iuxta translationē antiquam, quam expositi S. Thomas, habeatur illud verbum, *meninga*, seu *meringa*: tamen iuxta translationem Michaelis Sophiani dicitur: *Neque enim si membrana circumuenerit.*

22 Alij verò multi docent organum auditus esse substantiam aeream, quæ intra timpanum aurium reperitur. Ita Caiet. cap. 7. dub. vltimo. Bañez dub. 4. Flandria, & Cō imbric. & Rubio quæst. 6. Suar. lib. 3. cap. 22. n. 1. dicens, communem omnium Philosophorum, & Medicorum. Et probatur ex Phyl. & D. Th. de Sensu, & Sens. lec. 5. dicentibus, quod *sensitiua sonorum est attribuenda aeri.* Et in præsenti text. 82.

&

& ibi S. Tho. lec.17.docent,quod *aer conuenit instrumento auditus*. Quod & docet Galen⁹ 4.de vsu partium cap.6.

23 Deinde probatur experientia adducta à Phylosopho,& D.Thoma: *Nam ideò animal,non audit in qualibet parte sui corporis, quia non habet in qualibet sui parte aerem,vt qualibet pars eius possit esse mouenda à sono*. Ergo signum est subsātiam aereā esse proprium, & connaturale organū auditus. Est etiam subsātia illa expers totius soni, vt differentias soni possit percipere: & hoc *ob magnam affinitatem,quam habet cum aere elementari,caret omni motu,ad hoc,vt possit discernere omnes sonorum differentias*.

Denique,quia organum, & medium auditus debēt magnam habere affinitatem, & simbolas dispositiones; seruatis seruandis: sed medium præcipuum auditus est aer: ergo conuenienter organum audit⁹ constituitur substantia aerea, & spirituosa residens intra aures.

24 Rursus B. Albertus hic, cum Auicena, docet organum auditus esse neruum à cerebro descendentem,cui est affixum timpanum. Idē que docere videtur Author Opusc. 43.apud D. Thom. cap. 3. dicens. *Auditus est vis ordinata in neruis mollib⁹ à cerebro procedentibus,ad apprehēdēdū sonum causatum ex aeris commotione conflicti inter percutiens,& percussū*. Qua per moti authoritate PP. Carmel. disp.11.q.7.§.2.& M.Ioan.à S.Th. de Anim.q.5.art.3.ponunt potentiam auditiuam in humore aereo, & in neruis mollibus: tum vt proportionaliter loquantur de potētia auditiua,ac de potentia visiua: de qua partialiter diximus.q.30. §.3. in duobus subiectari. Et etiam,quia auditus habet duas functiones; nēpè accipere species: & ad hoc organum conueniens est substantia aerea,quæ valdè affinis est medio deferenti: secūda functio est elicere sensationem,seu auditionē: & hæc quia virtuosior, & activior,& vnica in vnoquoque, cōuenienter ponitur in neruis illis, qui vniuntur inter se,& participant vim spirituosam cerebri. Quod teneri potest.

25 Quamuis non video, quo firmo argumēto valeat conuincl,qui assereret partialiter esse auditum in omnibus tribus prædictis. Præcipuè cum non constet S. Tho. fuisse authorem illius opusculi. Vnde M. Ioan. Viguerius in Institut. Theol. c.1.§.4.primam opinionem, vt cōmunem tuetur,dicens. Organū auditus dicitur communiter quędam pellicula in aure existens,quę vocatur *meninga*,continens aerem cōnaturalem, inclusum,quodammodo immobilem,denudatum omni sono,& in potentia ad omnem sonū indifferenter. Hæc ibi.

## §. IIII.

### *An aer aurium sit immobilis?*

26 CIrca vltimum dubium,ratio dubitandi sumitur ex Phylos.qui in hoc puncto pugnantia inter se videtur loquutus: nam textu 83.ait: *Hic autem aer est in auribus adificatus,in hoc, vt immobilis sit, quatenus exactè sentiat omnes differētias motus*: iā ergo

ergo hic affirmat aerem illum esse immobilem. At vero text. 84. expresse affirmat moueri, cum dicit. *Semper enim quodam proprio motu aer mouetur in auribus.*

27 Respondent Auerrois textu 84. & Themistius cap. 28. Phylopo nus fol. 61. col. 3. Aegidius, & Gaetanus Vincentinus, & Cardinalis Caietanus cap. 7. dub. vlt. quod aer, qui est inclusus in timpano auriū, est immobilis, eo modo quo aer extra aures mouetur, scilicet, mutando locum secundum se totum: cōstat enim, quod aer timpani auriū nō renouatur, ita quod intret iste, & subintret alius, sed semper vnus, & idem ibi manet: & ideò dicitur *ædificatꝰ immobilis*, quasi vndique cō clusus. ¶ Cum quo compatitur, quod in tuo loco moueatur quasi circulariter, vel propter calorē capitis; vel secūdum B. Albertum, vt conseruetur in aure. Et de isto motu quasi circulari loquitur Phylosophus tex. 84. Quod autem aer in aere moueatur, probant à signo ex sono, quem sentimus in auribus, si aurem manu appositā clauserimus: & est sonus obscurus, & profundus, sicut sonus timpani lentè percussi.

28 Melius tamen S. Tho. lec. 17. lit. c. & e. quem cōmuniter sequuntur Thomistæ, & præcipuè latè, & optimè Iauel. q. 37. Simpl. quem refert, & sequitur Suar. lib. 3. c. 22. n. 4. & alij, docent, quod aer inclusus in auribus, est omnino immobilis motu locali, ad hoc quod animal possit sentire per certitudinem omnes differentias motus. Sicut enim humidum aqueum, quod est in pupilla, caret omni colore, vt possit cognoscere omnes colorum differentias: ita oportet, quod aer, qui est intra timpanū auris, careat omni motu, ad hoc quod possit discernere omnes sonorum differentias: & hoc intendit Phyl. verbis relatis ex textu 83.

29 Verba autem textus 84. nō intelliguntur de aere incluso in auribus rectè dispositis, sed potius, vt ait S. Tho. lit. e. adducitur à Phylos. vt signum, per quod poteſt discerni, vtrum aliquis sit boni auditus, vel non; est quod semper audiat tinnitum in auribus, & sonum, sicut auditur, cum apponitur cornu ad aures, propter motum aeris in cornu. Cum enim hoc accidit, homo non est boni auditus, quia aer in auribus sic audiētis tinnitum, semper mouetur quodam proprio motu. Et sic patet, quod nulla est contradictio, quia aer prædictus in auribꝰ rectè dispositis, est immobilis, vt omnes differentias motuum, & sonorum percipiat: cum autem est male dispositus, ideò non bene percipit differentias motuum, & sonorum propter tinnitum, & motum internum.

30 Ad argumentum contrarium bene respondet Iauellus, quod ſtrepitꝰ ille procedere potest, calore à corde ad caput ascendente, & spirā te per aures: vel ab ascēsu vaporū: vel à venis pulsatilibus locatis iuxta aurem. Vel vt ait Suar. in fine n. 4. id cōtingit eo quod externus aer vehementius intruditur, quem interior pellere nititur, & sic sonus resultat, qui à nobis percipitur.

## QVAESTIO XXXIIII.

*De Odore, & odoratu.*

1 QVoniam ex dictis facilia sūt, quę de odoratu disputāda sunt; ideò vnica quæstione omnia absoluimus.

### §. I.

*Quid sit odor?*

2 IN primis de odore inquiritur, an sit substantia, vel accidens? Heraclitus relatus à Phylosop. & D. Thoma de Sensu, & Sensato lec. 12. litt. f. docuit, quod odor est fumalis euaporatio, quia est aliquid resolutū à sicco terrestri, non pertingēs ad subtilitatem aeream. Tribuitur Platoni in Timæo, & Auicenę 6. Nat. p. 2. c. de odore. Imo & Phylosopho sec. 13. Problem. q. 15. vbi ait, *quod natura odoris vapor quidem, & exhalatio est, quæ calore existūt.* Et ratio est, quia vt docet Phylosophus de Sensu, & Sensato cap. 5. odores instituti sunt à natura ad cerebrum temperandum. Et Galenus 2. Aphorismorū docet partes tenues, & quasi aereas, vt sunt spiritus vitales, & animales, odore nutriri. Sed quod refrigerat, & nutrit, substantia est: ergo odor est substantia. Imò ex Plinio, & alijs referūt Conimb. cap. 9. q. 1. ar. 1. aliquos in extrema Indiæ parte solo odore florum nutriri.

3 Dicendum tamen est odorem non esse substantiam, sed qualitatē. Probant Phylosophus, & S. Thom. de Sensu, & Sensato lect. 12. litt. g. in primis, quod odor nō sit fumus, nec vapor: quia vapor pertinet ad aquam; quæ non est odorabilis absque admixtione sicci. Fumus autē non potest fieri in aqua: in qua tamen fit odor; nam quædam animalia odorant in aqua: ergo odor nō est fumus, nec vapor.

4 Secundo vniuersaliter probāt, quod euaporatio non sit odor: nā similis ratio est quod euaporatio dicatur odor, & quod colores dicantur effluxiones: sed illud nō dicitur bene de coloribus: ergo nec istud bene dicitur de odoribus. Vtrobique enim sequitur quod sensus fiat per tactum, & odorum, & colorū: & quod corpora odorata, & visa diminuerentur, & tādem totaliter resoluerentur per effluxionem, vel resolutionem: & hoc est inconueniens. Præsertim cum inueniatur tā à remotis aliquid videri, & odorari, quod nullo modo resolutio corporis vsque illuc reduci possit. Sic enim ad tāram distātiam, & calor, & odor per spiritualem immutationē medij percipi possunt. Hæc ibi.

5 Secundam partē docet S. Tho. de Sensu, & Sensato lect. 9. in principio asserens saporem, & odorem esse *in tertia specie qualitatis, quæ est passio, & passibilis qualitas.* Et ratio est, quia odor est sensibile proprium ol factus: substantia autem non est per se sensibilis; sed mediantibus qualitatibus tertiæ speciei: ergo sicut color est qualitas tertiæ speciei, pariter sapor, & odor.

6 Ad authoritates respondetur, quod sicut sonus est motus causaliter; quia alteratione causata à motu locali producitur son°; ita fumalis euaporatio à corpore odorifero spi-

spirata dicitur odor causaliter, quia est id in quo odor secundū esse naturale per medium defertur. Vnde S. Thomas de Sensu, & Sensato lect. 5. lit. c. ait. Manifestum est autem, quod odor est fumalis euaporatio; non quidem ita quod fumalis euaporatio sit ipsa essentia odoris: hoc enim improbatum est 2. de Ani. (tex. 97. lec. 20. lit. a.) longius enim diffunditur odor, quam fumalis euaporatio. *Sed hoc dicitur, quia fumalis euaporatio est causa, quod sentiatur odor.* Fumalis enim euaporatio est ab igne, vel à quocumque calido: ergo odoratus in actu fit per caliditatem; quæ principaliter est in igne: & ideò in temporibus, & locis calidis flores sunt maioris odoris.

7 Rationi vero respōdent Phyl. & S. Tho. de Sensu, & Sensato lect. 14. lit. f. dicentes, *non esse rationabile, quod quidam Pythagorici dixerunt, quadam animalia nutriri odoribus.* Quia oportet cibum compositum esse ex pluribus elementis: simplicia enim elementa non nutriunt: quia animalia, quæ ex his nutriuntur, composita sunt ex quatuor elementis: ex eisdem autem nutritur aliquid, ex quib⁹ est, vt dictum est in 2. de Gener. Et ideò aqua sola nō potest nutrire, & multo minus aer. *Vnde relinquitur, quod odor nutrire non possit. Manifestū est enim, quod odor, cum sit qualitas, secundū se non potest nutriendo constituere substantiam: nisi forte ratione susceptiui, quod est aer, vel aqua.* Et addit S. Tho. quod adhuc in sententia opposita tenet ratio Phylos. quod odor nutrire nō possit: inquit enim: *Et si odor esset euaporatio, vel fumalis exhalatio, vt Antiqui dixerunt, adhuc ratio remanet, quia vtrumque pertinet ad naturam aeris.* Et adijcit cum Phylos. secundam rationem lit. h. quia in animalibus ipse aer respiratus, cum quo odor attrahitur, vadit ad locum respirantium, ideſt ad pulmonem. Manifestum est autem, quod in animalib⁹, neque cerebrum, neque pulmo est locus recipiens cibum. *Vnde manifestum est, quod odor non nutrit.*

8 Confortat autem propter immutationem, quæ est à calido, humido, & sicco: & propter delectationem; sicut, & malus odor corrūpit. *Confert etiam ad sanitatem, sicut manifestum est ad sensum.* Vnde cōcludit, *quod sicut sapor ordinatur ad nutritionē, ita odor ad sanitatem.* Hoc sensu intelligitur, quod Viguerius in Institut. cap. 1. §. 5. vers. 1. refert ex S. Antonino, *de quodam infirmo ad mortē, quia apposito odore ad nasum, recepit sanitatē.*

9 Secūdo inquiritur, qualiter generetur odor? Respōdet S. Tho. 2. de Anim. lect. 19. lit. b. in fine, quod *odor, & sapor causatur ex determinata cōmixtione qualitatū elemētariū; & ideò species odoris magis correspondent speciebus saporis, quam simplicibus qualitatibus tāgibilibus.* Sed vberius id explicat de Sēsu; & Sēs. lec. 12. lit. a. dicēs cū Phyl. in generatione odoris est actiuū humidū enchimū. Et dicitur *Enchimū*, ab *en*, quod est *in*, & *Chimus*, quod est *humor*: quasi humore existente imbibito, & incorporato alicui sicco. Hoc igitur est actiuū in odore. Passiuū autē est aliquod aliud genus, quod comprehendit sub se aerem, & aquam. Hæc ibi.

Quod tribus rationibus probāt ibidem lit.e.quas verbis S. Tho. placet proponere,quia eruditione sūt plena; & ideò valde notanda.

10 Primo enim elemēta omnia, scilicet,ignis,aqua,terra carēt odore, quia siue sint humida, siue sicca,sunt enchima,idest, sine humore comprehenso à sicco, quia quæ eorum sunt humida,habent humidum sine sicco:quæ autem horum sunt sicca,habent siccum sine humido; nisi sit facta aliqua commixtio elementorum. Vnde mare habet aliquem odorem;quia in eo siccum terrestre est admixtum humido aqueo;vt manifestatur per salsum saporem.Sal etiam magis habet odorem,quam nitrū. Et quod ista duo, scilicet,sal, & nitrum habeant aliquid de enchimo, manifestatur per hoc quod oleum exit ab eis per aliquod artificium:& ex hoc manifestatur,quod est in eis aliquis humor pinguis comprehensus à sicco: sed nitrum minus habet de huiusmodi humore,quam sal,& ideò est minꝰ odorabile.

11 Secūdo manifestat idem in lapidibus,& lignis:& dicit quod lapis solidus, & durus caret odore, quia nō habet prædictum humorē, à quo odor causatur, propter magnam sui terrestreitatē.Sed ligna habent odorem, quia habent aliquid de prędicto humore:quod patet ex hoc, quia inflammabilia sunt propter pinguedinem in eis existentem. Vnde ligna,quæ habent humorem magis aquosum,& minꝰ pinguem, quasi non comprehensum à sicco, sunt minus odorabilia : sicut patet in ligno populeo. Ligna autē abietis,& pinea,sunt multum odorabilia,propter pinguedinem humoris ipsorum.

12 Tertio manifestat idem in metallis,inter quæ aurum est minimè odorabile,eo quod caret prædicto humore: quod contingit propter magnam eius terrestreitatem; quæ significatur ex maximo pondere eius; est enim ponderosius cæteris metallis.Sed æs,& ferrum est odorabile,quia humidum in eis digestū est imbibitum à sicco,& non est totaliter ab eo separatum,sicut in auro:vnde,& scoriæ eorum,propter admixtionem humidi, sunt minus odorabiles.Argentum vero,& stānum sunt magis odorabilia, quam aurum;minus vero,quam æs,& ferrum:habent enim humorem magis aquaticum,& minus comprehensum à sicco,quam æs,& ferrū.Quia tamen humiditas eorū aliqualiter comprehenditur à sicco, non sunt penitus absque odore,sicut aurum. Hucusque S. Thomas.

13 Ex quibus habetur odorē causari ex permixtione primarum qualitatum,in qua siccum excedat humidū;& sic dicitur ab illo comprehendi.Cuius signum affert Cardin. Toletus q.25.cum enim post terræ siccitatem fit pluuia,odor terræ diffunditur,cum humidum incorporatur siccō,& hoc abundat.At post longam pluuiam nō sentitur odor: quia tūc humidum excedit, & potius comprehendit siccum. Vnde quo siccior est flos,eo solet maiorem odorem emittere:& ideò rosa, & quæ spinas habent, multum odori-

odoriferi flores sunt, propter siccitatem. Et Cardinalis Cantarenus, lib. 5. de elementis aduertit, quod rosæ confitæ iuxta allia solent esse maioris odoris, quia allia terrã calefaciunt, & exiccant: & inde rosæ plus siccitatis in debita proportione participãtes, plus habẽt odoris.

14 Habetur etiam ex dictis diffinitio odoris, quæ talis traditur à Iauello 2. de Anima q. 41. §. *quantum ad tertiũ*. Odor *est qualitas causata ex humido saporoso per calorem resoluentẽ, existens subiectiue in siccosubtili calido euaporante à corpore odorabili*. Circa quam diffinitionẽ aduertit, quod secundum S. Thomam 2. de Anim. tex. 95. lec. 19. litt. c. odor consistit (vel subiectatur) in sicco aereo aliqualiter contemperato: sicut sapor consistit in humido aqueo aliqualiter digesto. At verò secundum B. Albertũ, existit subiectiue in spiritu, ideſt, in parte ignea, tamẽ contemperata, quæ resoluitur ab humido saporoso.

15 Aliter odorem diffinit Rubio q. 1. n. 7. *Odor est qualitas secunda ex certo temperamento primarum, in quo siccum comprehendit humidum, resultans, ac perse mouens sensum odoratus*. Vel vt ait Toletus q. 25. *Odor est qualitas secunda, proxime in sicco comprehendente humidum, consistens, olfactusque immutatiua*. Vltimam tamen particulam merito omittunt PP. Carmel. disp. 12. q. 1. & M. Ioan. à S. Thoma q. 7. art. 5. Quia hic non quæritur de odore in esse sẽsibilis, sed in esse rei. Vnde & Suarez lib. 3. c. 23. num. 3. ait, *quod odor est qualitas secunda consequens exprimarum mixtione, in qua siccũ vincit humidum, calorque absolute dominatur*. Quã dicit esse Aristotelis, & D. Thomæ.

16 Sed obijcies: sapor fit ex prę dominio humidi supra siccum: vnde & Phylosophus textu 100. ait: *Est odor sicci, sicut humidi sapor*. Sed vna, & eadem res sæpe est sapida, atque odorifera: vt patet in pluribus cibis, qui & suauissimum odorem à se diffundunt, & simul sapidissimi sunt: ergo odor non resultat ex prædominio sicci supra humidum. Probatur consequentia: alioquin in eodem subiecto essent simul siccum, & humidum sibi inuicẽ prædominantia: quod aperte repugnat, vt patet ex dictis 2. de Gener. q. 2. & 3.

17 Respondetur concedendã esse maiorem, & minorẽ, vt expresse concedit S. Thom. lec. 19. lit. c. & negandam esse consequentiam. Ad probationẽ respondet M. Mathias Aquarius in Additionibus ad Ferrara 2. de Anima q. 17. ad vltimum, quod vnum, & idem corpus esse humidum, & siccũ à dominio simpliciter, & absolute, nõ est possibile: sed secundum quod refertur ad diuersas qualitates, nullũ est inconueniens, quod requirat humidum, & siccum, & habeat vtrumque illorum aliqualiter, sicut sufficit illi qualitati. Et sic dicimus in proposito, quod mixtum, & saporosũ erit subiectum odoris ratione sicci, & in ipso dominabitur siccũ, quod refertur ad odorẽ: & erit subiectũ saporis ratione humidi, & in ipso dominabitur humidum, secundum quod refertur ad saporem.

18 Sed huic solutioni obijci potest, quod simili opponit Rubio q. 1. n. 11. quia experimur non solum odores suauissimos sequi siccũ cõprehendens humidum, sed etiam mediocres: & pariter de saporib⁹. Patet hoc in vino, & alijs humidis mediocriter sapidis: atque etiam in floribꝰ mediocriter odoriferis; nec non in speciebus aromaticis; vt de thure, & alijs patet, quæ licet non sint suauissimi odoris, nihilominus magis redolent, quo magis incalescunt.

19 Adhuc tamen posset prædicta solutio sustineri, dicendo diuersam esse ab illa, quæ hoc argumento impugnatur: illa enim definitionem odoris non intelligit de omni odore, nec definitionem saporis de omni sapore; sed solum de excellentissimis: quod videtur refragari experientiæ. At verò solutio Aquarij, supposito, quod definitiones sint vniuersales, exponit quomodo idẽ corpus sit odoriferum, & saporosum, quia licet sit inconueniens, quod simpliciter dominetur siccũ, vbi dominatur humidum: tamen quando est qualitas mixtionis non habet qualitates primas in summo: & ideò cum qualitas odorifera, & saporosa distinguantur specie; bene potest quodammodo ratione vniꝰ prædominari siccum, & ratione alterius prædominari humidum.

20 Alia via respondent B. Albertus, & Auicena, & Philoponus, quos citat, & sequitur Toletus. q. 25. §. *ex doctrina*. Conimb. & Rubio à n. 9. vsque 14. & PP. Carm. n. 12. & 13. quod non in eodem subiecto adæquatè est odor, & sapor: habẽt enim temperiem oppositam: sed in partibus subiecti, quibus siccum supereminet humido, inest odor: in partibus verò crassioribus, quibꝰ humidum, præsertim aqueum, abũdat, inest sapor.

21 Sed contra hanc solutionem instatur, primo: nam corpora homogenea habent partes eiusdem rationis, & omnino similes: ergo nõ est diuersitas tanta temperamenti, quod in vna parte prædominetur humidum, & in alia prænaleat siccum. ¶ Secundo, nam experimur eisdem partes suauissimum odorẽ spirantes, pessimum habere saporem: ergo non postulant qualitates repugnantes, quod sint simul in eadem parte subiecti.

22 Respõdet Rubio n. 12. & 13. quod res in quibus sũt simul sapor, & odor, vel sunt partes rerum viuẽtium, vel fructus, vel ex eis procedunt: vnde vel sunt ætereogeneæ, vel ex ætereogeneis procedunt. Quare permanet in eis conditio ætereogeneorum, quantum ad partes diuersi, atque oppositi temperamenti. Præterquamquod raro inuenitur in eodẽ corpore suauissimus sapor cum odore etiam suauissimo.

23 Parum tamen solida videtur hæc solutio, quia sicut ex viuentibꝰ possunt procedere non viuentia: ita ex ætereogenis procedere valent homogenea: & in istis procedit argumentum. Secundo, sicut ex elementis fiunt mixta, ita potest ex admixtione elementorum causari corpus homogeneum habens saporem,

rem, & odorem: vt patet in lapidibus, lignis, & metallis, de quibus diximus cum D. Th. n. 11. & 12.

24 Aliter respondent PP. Carm. n. 13. in fine, quod viuentia habent partes diuersæ rationis distinctas per veram organizationem, & ordinatas ad diuersas functiones vitales: at verò nō viuentia habent partes diuersæ rationis inter se confusas, quæ aliqualiter sunt tales ob similitudinem aliquam, quam cum etereogeneitate partium viuentiū habent.

25 Sed adhuc instari potest, quia in mixtione elementorum, & sine ista confusa partium diuersitate, valent in eodem reperiri sapor, & odor: ergo si oppositæ qualitatis requirunt prædominium, in eadem parte erūt in summo qualitates cōtrariæ.

26 Quare vel recurrendum ad primam solutionem. Vel dici potest, quod vt ait S. Tho. q. 8. de Verit. art. 14. in cor. & ad 14. *Formæ accidentales non contrariæ possunt esse simul in eodem subiecto, si potentias respiciunt diuersas.* Sicut aliquod corpus est simul album, & dulce, quia albedo inest ei secundum quod participat de natura diaphani; dulcedo autē secundū naturam humidi. Probant autem Phyl. & S. Tho. de Sensu, & Sens. lec. 10. lit. d. quod humidum immutatur ad sapores à terra. Et lec 12. lit. b. ostendunt, quod susceptiuum odoris *est perspicuum, secundū quod est lauabile, vel mundabile enchimæ siccitatis, idest, secundum quod est receptiuum enchimi sicci.* Quia ergo odor, & sapor genere differunt inter se sensibilis, respiciunt in subiecto potentialitates, & receptiua proxima diuersæ rationis: & ideò non inconuenit, quod ratione vnius potentiæ vna qualitas ad mediocritatem saporis prædominetur; & ratione alterius potentiæ prædominetur alia ad odorem: quia nō est repugnantia, quando non est ratione eiusdē receptiui proximi. Et hoc habet locum etiam si substantia, & quantitas, & alia accidentia sint homogenea.

## §. II.

## *Qualiter odor ad sensum deferatur?*

27 TErtio dubitatur, quod sit medium odoris?

Aduertit Ferrara 2. de Ani. q. 17. not. 1. quod odor distinguitur à gustabili, & tangibili, quia illa percipiuntur per medium coniunctum, scilicet, per carnem (de quo postea inquiremus.) Odor autem per medium separatum, scilicet per aerē, & aquam. Distinguitur autem à sono, quia sonus fit cum aliqua immutatione locali medij; odor autem cum alteratione corporis odorifer (eo modo quo deinceps exponetur;) à visibili verò distinguitur, quia color habet esse naturale tantum in corpore colorato, odor autem habet esse naturale etiam extra corpus odoriferum.

28 Respondetur ergo, quod medium odoris susceptiuum, non solum est aer, sed etiam aqua. Ita Philosophus tex. 97. & S. Tho. lec. 20. lit. a. dicens, quod sensus olfactus

Immutatur ab odorabili per medium, scilicet, aerē, aut aquam. Et quod aer sit medium in olfactu manifestè apparet, quia nos per aerem odoramus. Vnde oportuit manifestare aquam esse mediū in olfactu. Quod quidem ostendit (Philosophus) per hoc, quod animalia aquatica odorem sentiunt; non solum illa, quæ habent sanguinem; sed etiā illa, quæ sanguine carēt; sicut & animalia, quæ viuunt in aere. Quod apparet ex hoc, quod quædam eorum de longinquo veniunt ad alimentum: quod non posset esse, nisi inquantum prouocantur ab odore. sicut patet de vulturibus, qui ex multis dictis dicuntur ad cadauera conuenire.

29 Vberius idem probant Philosophus, & S. Thom. de Sensu, & Sēsato lec. 12. lit. c. vbi S. Tho. ait. Dicit ergo primo, quod odor, non solum suscipitur in aere, sed etiam in aqua. Et hoc manifestè ostenditur propter hoc, quod pisces aliqui, vt sunt ostra coderma, idest, animalia duræ testæ, viuentia in aqua, videntur odorare, ex hoc quod à longe odore trahuntur ad alimētū, quod videre non possunt. Et ex hoc apparet, quod aqua est susceptiua odoris duplici ratione. Primo quidem, quia huiusmodi animalia, non viuunt in aere, sed in aqua. Quod autem sub aqua, in qua huiusmodi pisces degunt, nō sit aer, sed aqua, probat per hoc, quod aer supernatet aquæ, etiā si infra aquam ponatur; sicut patet de vtre inflato, si per violentiam submergatur, quod supernatabit aquæ. Secundo etiam, quia si daretur, quod aer esset infra aquam; cum tamen huiusmodi animalia non respirent aerem, ita non sentirent odorem, si solus aer esset odoris susceptiuus. Hæc ibi.

30 Quarto, & præcipuè, inquiritur, vtrum odor per mediū diffundatur secundum esse naturale, vel secundum esse intentionale?

Auicena 6. Natur. parte 2. capite de Odoratu, opinatur à corpore odorifero resolui vaporem subtilē, & diffundi in aere, & deportari ad organum odoratus. Et addit, quod si sensatum posset occurrere sēsui, sentiretur sine medio. Probat à signo, & ratione. Signo quidem, quia experimur, quod quando frequenter odoramus pomū, paulatim extenuatur, & odor adhæret manib⁹, & remoto pomo, adhuc remanet odor in medio, vt in aere clauso in camera. ¶ Ratione verò: nam quādo obiectum immutat medium intentionaliter, species intentionalis statim cessat remoto obiecto: vt patet in colore, nam illo sublato non remanet species eius in oculo, nec in speculo, nec in medio. Sed remoto odorabili adhuc remanet odor eius in medio, vt patet ad sensum. Ergo non mutat medium intentionaliter, sed solum realiter.

31 Opinionem hanc impugnat Auerrois 2. de Anima cōm. 97. tribus rationibus, quibus nititur persuadere, quod odor non est in medio realiter, sed solum intentionaliter. Prima est, quia vultures in bello facto in Græcia, venerūt per quinquaginta milliaria attractæ ex odore cadauerū: quod esse non posset, etiam

etiam si omnia illa penitus fuissent in vapores resoluta. ¶ Secundo, quia sequitur ex opposita sententia naturaliter duo corpora esse simul: quia dum à corpore odorifero resoluitur fumalis euaporatio, & recipitur in aere; aut aer cedit; aut nō. Si non cedit, erunt simul duo corpora. Ad sensum autē patet, quod licet partim cedat, non tamen per totum spatium inter corpus odoriferum, & odoratū: alioquin animal odorans nō spiraret. Ergo cum per totū aerē possit odor diffundi, non est in eo realiter, sed intentionaliter. ¶ Tertio: nam elemētū, quod est corpus simplex, non recipit qualitates secundas secundum esse reale. Sed odor est qualitas secūda, vt dictū est §.1. Ergo nō recipitur realiter in elemento aeris; sed solū intentionaliter, sicut sunt in eo species coloris. Rationes istas vrget, & euasiones præcludit Iauellus 2. de Ani. q.42. licet opinioni huic penitus non adhæreat. Eā tamē tenet Rub. de Olfactu. q.2.

32 Dico tamen primo, regulariter loquendo, nō fit odor sine naturali diffusione media exhalatione. Ita ad minus docet S. Th. 1. p. q.78. ar.3. & q. vnica de Ani. a.13. & lib. 3. de Ani. lec.1. in fine, vbi ait. *Alio modo immutatur sensus per mediū: & hæc quidem immutatio, aut est cū alteratione sensibilis: & sic odor immutat sensum cum aliqua resolutione odorabilis.* Et 2. de Ani. lec.20. lit.a. inquit. *Manifestum est enim, quod soni, & odores deferuntur per ventos, vel impediūtur.* Et infra. *Nā contrarij odores etiā in medio se impedire inuicem iuuantur.* Quod nō esset si sola interueniret motio intentionalis: vt patet in visu, cum colores nō deferantur per ventos, *& contrariorū colorū species per eādem partem aeris deferūtur ad visum.*

33 Hanc conclusionē *euidentē esse*, dicit Tol. q.27. cōc.2. quia experimur res odorē emittere, cum calore ignis, vel manuum, alterantur: & vigente calore æstatis flores odorē spargere. Manu etiā solemus aerē attrahere ad odorandum. Quod & probat experientia Auicenæ: videmus enim res odoriferas marcescere, & diminui exhalatione.

34 Secundo, experimur tarde alī quādo odorare in præsentia odorabilis: quod nō esset, si sola interueniret immutatio intentionalis: vt patet in visione. Dixim⁹ etiā. n.8. odores prodesse, vel nocere cerebro: quod nō esset, misi aliquid à corpore odorabili cum odore resolueretur. ¶ Deniq; cū odorabile sit imperfecti⁹, quā sonabile: cū dictū sit sonū esse, vel causari cū motu locali, odor erit cū alteratione sēsibili.

35 Dico secūdo, perse loquēdo, odor defertur ad sēsum per species intentionales, à corpore odorabili vsq; ad olfactū: vnde pertingunt, quo nō se extēdit fumalis euaporatio. Ita S. Tho. locis relatis. q.33. n.14. Et eam probat hic lec.20. lit.a. dicens. Cū enim odor cadaueris vsque ad quingenta milliaria, vel amplius, à vulturibus sētiatur, impossibile esset, quod aliqua corporalis euaporatio cadaueris vsq; ad tātū spatiū diffunderetur. Præcipuè cum sensibile immutet mediū vndiq; secūdū eādē distātiā, nisi impediatur.

Non

Non autem sufficeret ad occupandum tantum spatium, etiam si totum cadauer resolueretur in fumalem euaporationem; cum sit certus terminus rarefactionis, ad quē corpus naturale peruenire potest, qui est raritas ignis. Et præcipue, cum per huiusmodi odorē cadauer non appareat sensibiliter immutatum. Hæc S. Thomas.

36 Sed responderi potest odorē cadauerum vsque ad vultures illos per ventum flantem esse perductū. ¶ Hoc tamen bene impugnat Ferrara 2.de Anima q.17. conc.3.quia illa animalia medio odore, quem sequebantur, & quo ducebātur, venerunt in Græciam: nullum autem esset motiuum sensibile cur potius in Græciam, quam in aliam prouintiam advolassent, si species odoris emissa à corporibus vsq; ad vultures, non peruenisset intētionaliter: ergo necesse fuit odorem esse diffusum intentionaliter per totum spatium inter cadauera, & vultures.

37 Secundam rationem conclusionis assignat Ferrara: nam mediū alicuius sensus est susceptiuum sensibilis secundū esse intētionale, vt patet ex dictis de visu, & auditu. Sed aer, & aqua sunt medium in sē su olfactus, vt dictum est: ergo recipiunt odorem secundum esse intētionale.

38 Denique bene hoc explicat Caietanus cap.8.circa textum 97. quia odor in aere, & in aqua dupliciter inuenitur: primo per admixtionem corpusculorum odoriferorum cum aqua, vel aere, seu per vehiculum eorundem in illis: secūdo inuenitur in eis per speciem intentionalem, sicut color in diaphano medio. Et quod primo modo odor inueniatur in medio, patet experientia: nā sublato primo corpore odorifero, puta pomo, remanent fumositates quædam, quæ nō differunt à pomo, nisi sicut corpusculum à corpore. Et hoc solum cōcludit ratio Auicenę. Cum quo stat quod medium debeat immutari intentionaliter, quod conuincit distātia olfactus à tactu. Et iuxta hoc videmus, quod corpus odoriferū, vel corpusculum ex illo resolutū, semper adest in certa præsentia, & distantia ad immutādum medium, & sensum intentionaliter: & quod sublato corpusculo, aufertur immutatio, sicut in colore accidit.

39 Secundam partem exprimit S. Thomas dicta lec.20. cōcludēs. Et ideò dicēdum est, quod ab odorabili resolui quidem potest fumalis euaporatio: quæ tamen non pertingit vsque ad terminū vbi odor percipitur: sed immutatur mediū spiritualiter, vltra quam dicta euaporatio pertingere possit. Et vlterius probatur, quia intra àquam animalia odorant: & illuc non peruenit euaporatio, vel fumalis exhalatio. Quare ita tenent Thomistæ omnes: & alij cōmuniter, vt refert, & sequitur Suarez lib.3.cap.23.numero 3.

40 Et iuxta hoc Iauellus in fine q.42. soluit rationes Auerrois, docens non esse inconueniens species intentionales diffundi in toto spatio inter medio inter odorabile, & odoratum. Quamuis id admitti nō

possit

posit in diffusione reali, quia odor realiter non potest immediate recipi in elemẽto puro: nec illa corpora spirituosa possunt esse cõtinua, vel contigua, quin totus aer medius inter odorabile, & odoratum expellatur. Et similiter Ferrara conc. 1. ait, quod odor separatus à corpore odorifero habet esse naturale in aliqua aeris parte, sicut in loco, quia est subiectiue in fumali euaporatione, quæ est in aere. Et conc. 2. late probat, quod odor non potest habere esse naturale subiectiue in aere, vt propinquo, aut remoto. Et loquitur de elemento simplici, in quo non sunt qualitates secundæ: & quia in eadem parte aeris, non possunt secundum esse naturale esse simul duæ qualitates contrariæ.

41 Hæc licet in rigore vera sint; facilius tamen soluitur illud argumentum Auerrois cum M. Bañez dub. 2. in fine, §. *Sed contra*, dicendo, quod non datur penetratio corporum, nec aer totaliter cedit; sed illi sic immiscetur, quod in aliquibus partibus est aer, & in alijs ille vapor. Quod experiẽtia comprobat in fumo thuris adusti, in quo videmus aliquas partes densas, & alias raras, & alias in quibus nullus est fumus. Et ex his quæ videmus, proportionaliter iudicare debemus de illis, quæ non videmus. Bene etiam obiter dixit Caietanus, quod corpuscula illa exhalata à corpore odorabili, nõ sunt medium odoratus, sed obiecta, seu partes corporis odoriferi. ¶ Per quæ soluitur argumentum, quo Petrus Hurtado disp. 12. sec. 1. n. 9. probare contendit, olfactum non habere species, quia odor nares ipsas attingit. Cuius signũ est odorem sentiri in cubili longo tẽpore, postquam res odorifera ablata est; species autem intentionales non durant tandiu, quia pendent à præsentia obiecti.

Facillime enim respõdetur cum Caietano, quod in absẽtia rei odoriferæ remanent exhalationes, vel fumositates, quæ sunt partes, vel corpuscula odorifera, quę emittũt species, quæ cessant, in absentia corpusculorum, vt experientia patet. Nec odor tangit organum olfactus, alioquin non differret à tactu: nec odoraremus vltra fumalem exhalationem: quod iam est exclusum: nec nares sunt organum, in quo cõpletur olfactus, vt dicetur n. 62. Et fatetur ipse Hurtado dis. 17. sec. 4. n. 31. vbi nõ satis sibi constat, cum ait: *Hinc est aliquando non sentiri odorẽ, licet eius species sint in naribus.* Iam ergo admittit species, quas negauerat.

## §. III.

### *Tribus dubijs satisfit.*

42 QVod si vlterius inquiratur, an aliqua odorem spirẽt absque vlla alteratione, & exhalatione?

Respõdet Suarez n. 5. cum Auerroi, & Veneto textu 97. quod non est simpliciter necessaria: vt patet in cupresso longo tempore redolẽte sine vlla immutatione. Quod, & videtur tenere Aristot. sec. 12. Proble. q. 10. Et etiã, quia res odorifera

rifera intra aquam sentitur, vbi tamen nil exhalat. Denique, quia sensus à solis speciebus immutantur: species autem fieri possunt absque exhalatione, perse loquendo, cum non habeant necesariam conexionē. Exhalatio autem est valde cōducens, maxime in nobis inquibus olfactꝰ est obtusissimus. Idē docet Toletus q.28.§.*respondeo*. Et probabile dicunt PP. Carmel. disp.12.n. 18.&.19.& à n.30.vsque ad 34.

43 Probabilius tamē videtur opositum, cū authoribus relatis pro secunda conclusione: quia hoc sonant authoritates relatæ S. Thom. Et quia sic proportionaliter discurrimus de odoratu, ac de auditu, in quibus causaliter præcedit immutatio naturalis immutationem intentionalem, ad differentiam visꝰ. Cuius rationem assignat S. Thom. 2.de Anima lec.20.in fine lit.a. dicens. *Quod autem spiritualis immutatio sit à visibili, magis quam ab alijs sensibilibꝰ, ratio est, quia visibiles qualitates insunt corruptibilibus corporibus secundum quod communicant cum corporibus incorruptibilibus. Vnde habent esse formalius, & nobilius quā reliqua sensibilia, quæ sunt propria corruptibilium corporū.* Experientię in contrarium solum probant, quod species deferantur vltra alterationē; non tamē, quod sine illa causentur, vt de sono diximus. Et in arboribus manifeste est exhalatio, sed alimento reparatur: vnde ligna secta post longum tempus minus odorant, & tandem aliquomodo marcescunt.

44 Est adhuc aliud dubium, an odor fiat exhalatione, vel potiꝰ reali multiplicatione sui? Fieri per multiplicationē, docuit Alexander de Sensu, & Sensato c. de odore, & Amonius cap.2. Ante præd. & Garuius in summa q.69.& probabile dicunt Conimb.ca.9.q. 3.art.1.& videtur ad mentem Physicophi 2.de Anima textu 127. Et quia aer contingens rosas, vel aliā rē odoriferam, suauiter olet: ergo quia recipit in se realem odorem in illo multiplicatum.

45 Hoc tamen impugnat Rubio q.2.n.14. quia odor non continetur in potētia aeris, & aquæ; sed solum in corporibus mixtis. Et secundo, quia odor est secunda qualitas naturalis, sicut color: sed secundæ qualitates, non sunt actiuæ ad producendum sibi similes, vt patet de eisdem coloribus: ergo nec odor erit actiua qualitas, ita vt possit per physicam productionem sibi similis multiplicari in medio.

46 Respondet M.Ioan. à S.Tho. q.7.a.5.in fine §.*ad confirmat*. In primis, quod nō repugnat aliquā secūdam qualitatem realiter esse communicatiuam, sicut sonus multiplicatur, & similiter sapor: licet aliæ communicatiuæ immediate non sint. Secundo dicit, quod licet istæ secundæ qualitates seipsis immediatæ non sint communicatiuæ; bene tamen mediantibus qualitatibꝰ primis, vt instrumentis, seu dispositionibus, quibus talis secunda qualitas generatur. Et sic cum odor petat siccitatem prædominātem, illa mediante quæ est qualitas communicatiua; & similiter mediante calore, alijsque qualitatibus temperātibus, potest odor ipse generari, & multi-

multiplicari per aliud corp⁹. Et sic Aristotelis 2. de Anima textu 127. dicit aerem redolere per immutationē ab odore: quod intelligi potest per immutationem mediatā, ideſt, mediate exhalatione illa fumosa, eiusque siccitate, & calore, quibus aer ad odorem recipiendū disponitur.

47 Incipiendo ab ista authoritate Philosophi, extra rem adducitur: quia alius est eius sensus, quem facile declarat S. Thom. 2. de Anima in fine, nempe lect. 24. litt. i. dicens, quod Philosophus ibi *respondet, quod odorare est sic aliquid pati ab odore, quod sentiat odorem. Aer autem nō sic patitur, vt sentiat, quia non habet potē tiam sensitiuam; sed sic patitur, vt sit sensibilis, inquantum scilicet est medium in sē su.* Hæc ex Philosopho S. Thom. Ex quo satis patet authoritatem intentum non probare.

48 Secundo, non video quomodo primæ qualitates, quæ causę sunt secūdarum, & illis nobiliores, sint secundarum instrumentum: cū potius secundæ sint instrumentum primarum: & omnes sint instrumēta substātiæ. Tertio, aliud est, quod odor sit dispositio ad generādum, vel corrumpēdū: aliud verò quod diffusio odoris ad sensum, fiat per multiplicationem, sicut fit in sono. Hoc secundum est, quod inquirimus; & de illo non fit mentio in relata doctrina; sed solū de primo; de quo alia est ratio. Vnde Philos. & S. Thomas de Sensu, & Sensato lec. 14. lit. d. asserunt, *quod homines patiuntur grauedinem capitis à fumo carbonum, propter eius distemperantiam: & quandoque vsque ad corruptionem. Similiter est de sulphure. Vnde animalia fugiunt huiusmodi corruptiua, propter passionem corporis, quam sentiunt.*

49 Quarto, nullā video experientiā, aut rationē, qua cōuincatur odorem fieri per multiplicationem: quare standum est D. Th. & communi Doctorum asserentium odorem fieri alteratione, & exhalatione. Et experientia, quæ obijcitur, potius probat contrarium, quia flores exhalatione marcescūt. Et si aqua odorifera adiungatur nō odorifere, non multiplicatur odor, sed paulatim deficit.

50 Demum notandum cum M. Vigerio Instit. cap. 1. §. 5. vers. 3. quod potest fieri olfactio, per reflexionem; quemadmodum visio, & auditio: quia etiam hic potest esse resilientia, & specierum intentionalium, & ipsarum exhalationum, cum per ventos deferantur, & impediantur; & ideò etiam à corpore solido obsistente possunt impediri.

51 Aliud dubiū mouet ipse Philosophus textu 98. Vtrùm in omnibus animalibus sit odoratus eiusdem rationis?

Ratio dubitandi est, quia homo odorat, dum attrahit aerem respirando, vt experientia patet. Vnde cum animalia non habentia sanguinem, non respirent; videtur, quod habeant aliū sensum præter olfactum, & alios sensus, qui sunt in homine. ¶ In contrarium est, quia sensus distinguuntur secundum sensibilia: vnde cum sensus olfactus sit sensus odorabilis: & hoc communiter sentiatur, tam ab homine, quam

ab

ab animalibûs alijs, sequitur quod idem sensus olfactus sit in homine, & in alijs animalibus.

52 Soluit hanc quæstionē Phyl. tex.100.& ex ipso S.Tho lec.20. lit.d.asserēs, quod ista diuersitas in modo respirandi, non est ex diuersitate sensus, sed ex diuersa dispositione organi. Organum enim olfactus in homine, differt ab organis aliorū animaliū, sicut oculi hominū differūt ab oculis duris quorundā animaliū. Oculi enim hominum habēt quoddā phragma, idest, pannum ad cooperiēdum, scilicet, palpebras. Vnde homo non potest videre, nisi quodam motu, palpebræ retrahantur: quod nō accidit in animalibus habētib⁹ duros oculos; sed statim vident ea, quorum species fiunt in diaphano. Ita etiam, & in animalibus non respirantibus, organum odoratus est sine operculo: sed in animalibus respirantibus habent quoddam cooperculum: quod oportet aperiri ampliatis poris per respirationem. Et ideò animalia respirātia non odorant in aqua, quia oportet quod patiantur ab odore respirando: quod non potest fieri in aqua. Hæc S. Thomas.

53 Vberius idem exponunt Phyl. & S. Thomas de Sensu, & Sensato lec.14.litt.c.dicens. Considerandum est, quod modus sentiendi potest diuersificari dupliciter. Vno modo perse: quod est secundum diuersam habitudinem sensibilis ad sēsū: & talis diuersitas in modo sētiēdi diuersificat sensū: puta, quod vnus sensus sentit sensibile coniunctum, sicut tactus: alius autem sensibile remotum, sicut visus. Est, & alia diuersitas in modo sētiendi, per accidens, quæ non diuersificat sensum; & attēditur secundum remotionem prohibentis: & talis diuersitas in modo sentiendi est in proposito: quia in animalibus respirantibus, per respirationem remouetur quoddā, quod per modū cooperculi subiacet organo odoratus; & ideò quando nō respirant, impediuntur ab odorando propter huiusmodi cooperculum. Sed animalia non respirantia carent huiusmodi cooperculo: & ideò nō indigēt respiratione ad odorandum.

54 Sed contra hoc operculū arguit Galenus 8.de Vsu partium, & libro de instrum.odoratus, quia ex anathomia non deprehenditur. Et quia ad nil est necessarium. Et ideò causam aliā affert, cur non possint sentiri odores nisi respirando; quia nequeūt aliter penetrare vsque ad ventriculos cerebri.

55 Hanc tamen rationem falsum supponere, esseq; insufficientē notat Suarez lib.3.ca.25.n.4. quia si via ad olfactū nō esset occlusa, nulla esset ratio, cur nō penetrarēt species odoris, semel intra nasum positæ, vsq; ad cerebrū, etiā respiratione cessante. Operculum autem nō est omnino sicut palpebra in oculo, sed vt ait Tol.q.26.in fine, est ipsa caro spōgiosa, quæ cōpressa est ante carūculas, & per respirationē dilatatur, & pori aperiūtur. Vel, vt inquit Suar. est via artissima in parte interiori nasi, quæ respiratione dilatatur. Et ideò diximus n.52. cū Phyl. & D.Th. hoc operculū aperi

ri

ri *ampliatis poris per respirationē*. Quæ est cōmunis sententia Doctorum, quos referunt, & sequūtur PP. Carmel. disp. 12. n. 28.

## §. IIII.

### *De organo odoratus.*

56 DE organo, & subiecto potētiæ olfactiuæ varie opinātur Doctores. Organum odoratus esse in ventriculis cerebri, est opinio, quæ tribuitur Galen. vbi supra. Auicenæ 6. Nat. p. 2. c. 5. & alijs. Et fundamentū est, quia cerebrum percipit odores, cum ex eis cōfortetur, aut lędatur: ergo in illo est organū odoratus.

57 Alij verò dicūt esse in osiculis mamillaribus. Pro qua refertur Vesalius lib. 4. c. 13. Alij asserūt esse in ramis membrorū deriuatis à cerebro vsq; ad nasū; quæ dicuntur membrana nasi. Tribuitur Auerr. 2 Collec. c. 17. & Magnes. de Sēsu part. c. 22.

58 At verò Valles. lib. 2. c. 24. & Suar. lib. 3. c. 25. n. 2. opinātur organum odorandi esse in interiori parte nasi: quia ibi est sensatio, vbi voluptas sensibilis: sed voluptas odoris in naso percipitur: ergo ibi sensoriū existit. ¶ Secundo, cū vapores odoriferi ascendant vsque ad cerebrum cōfortandū, cōsonū rationi est, vt olfactus, quasi explorator vaporum, locetur ante cerebrum: sicut in gustu obseruatum videmus, esse scilicet in ore collocatū, quasi in ianua, vt possit de cibis iudicare, antequā ad vētriculū dimittantur.

59 Dicendum tamen est organū odoratus esse iuxta cerebrū, in processu mamillari, vt vniūtur neruis, à quibus pendent. Hanc esse cōmunē, multis relatis, ostendunt Tol. q. 26. Rub. q. 3. PP. Carm. disp. 12. nu. 37. M. Ioan. à S. Th. q. 5. art. 4. & tenent S. Greg. Nisen. lib. 4. de Virib. animæ. c. 5. & indicant Philos. & S. Tho. de Sens. & sens. lec. 5. lit. f. vbi probant, *quod organū odoratus est circa cerebrū*. Et 2. de Ani. tex. 100. & ibi S. Th. lec. 20. in fine ait, quod Philosophus *determinat de instrumento olfactus, & dicit, quod odor fundatur in sicco, sicut sapor in humido. Organum autē odoratus oportet esse in potentia ad odorē, & ad siccum; sicut organum visus est in potentia ad colores, & ad lucem*. Quasi arguant: organum debet esse in potētia, id quod sēsibile est in actu, quia illud recipiendo actuatur: sed odorabile fit in actu per calidum, & siccum: ergo organum olfactus debet esse actu frigidum, & humidum, & in potentia calidum, & siccum: ergo organum odoratus est circa cerebrum. Hanc cōsequentiā probat S. Thom. illa lec. 5. *Quia cerebrum inter omnes partes corporis est humidus, & frigidius: & ita habet naturā aquæ, quæ est naturaliter frigida, & humida: & sic congruit organo odoratus, quod debet esse calidum in potētia, vt sit in prædicto loco*.

60 Dices immutationem sensus à sensibili, per se loquendo, esse non naturalem, sed intentionalem, vt dictum est nu. 35. ergo male arguitur ex qualitatibus naturalibus, ad quas est cerebrum in potentia, ad probandum ibi esse organum olfactus.

Respōdetur primo, quod ad recipiēdas species intētionales requirūtur in organo debitæ dispositiones,

[illegible]

præuiæ naturales: vnde sicut, vt oculus recipiat colorem, & lucē intentionaliter, debet realiter, & physicè esse perspicuum, & in potentia ad lucem, & colorem: ita vt organum immutetur ab odorabili immutatione intentionali, debet esse in potētia ad qualitates, quibus causatur odor.

61 Secundo dicitur, quod in solo visu est immutatio purè intētionalis; in alijs verò sensibus admisce tur immutatio naturalis; & quia hæc est notior, & debet esse quodā modo proportionata medio, & organo potentiæ; ideò illa mediante venamur vbi resideat potentia.

62 Specialiter secunda pars probatur experientia, quia respirando odoramus attrahendo aerem, vel exhalationem ad locum intimiorem. Secundo, quia mamillæ sunt rectæ dispositę ad sentiendum odorem, seu olfaciendū; sunt enim spongiosæ, & facile mouentur à respiratione. Tertio probatur impugnando alias sententias: quia cerebrum cum humidissimum, & frigidissimum sit, non est aptè dispositum vt sit organum olfactus. Sequeretur etiā nos posse odorare sine respiratione, & quod qui caret naribus, non odoraret, si vera esset Auerrois sententia; cuius cōtrarium experimur. Nec attractio interior exigeretur ad odorandum, si in aliqua parte nasi esset organum. Et dato, quod ibi sit inchoatiue, vt probant argumenta Vallesij; non tamē ibi potest esse consumatiue, vt ostē sum est. Per quæ defacili argumenta soluuntur: de quibus latius PP. Carmel. tot. §. 2. & 3.

63 Videtur autem noster dicendi modus insinuatus Opusc. 43. apud D. Thomam cap. 3. vbi dicitur. *Olfactus est vis ordinata in anteriori parte cerebri, cuius organi sunt nares, & duæ mollities similes capitib⁹ mamillarū, per quas remittit ad cerebrum odorem sibi oblatū ab aere, cui huiusmodi odor permiscetur.* Inchoatur ergo odor in naribus, & cōsumatur in processū mamillari in anteriori parte cerebri: nam mollities neruis iunguntur cerebro. Et fortasse hac de causa M. Vigerius c. 1. §. 5. in principio ait, quod organum olfactus est quædā venula infra nares, & prope cerebrum existēs, omni odore denudata, in potentia tamen ad omnes odores.

## QVAESTIO. XXXV.

### *De Sapore, & Gustu.*

### §. I.

### *Diffinitur Sapor, & eius numerantur species.*

1 SAporem dari, gustu percipitur; & ideò non eget, qui id negaret, ratione, sed sensu. Est autem sapor in tertia specie qualitatis, quæ est passio, vel passibilis qualitas. Et ideò Phylos. de Sensu, & Sensato, dicit, *saporem, & odorem fere esse eandē passionem: quia*, vt ait S. Tho. lec. 9. lit. a. vtrūque causatur ex permixtione humidi, & sicci secundum aliqualem terminationem à calido: non tamen vtrumque eorū est omnino in eisdem, quia odor magis sequitur

quitur siccum; & ideò principalius est in fumali euaporatione: *Sapor autem magis sequitur humidum.*

2 Integram autem saporis definitionem, tradunt Phylosophus, & S. Thom. de Sensu, & Sensato lect. 10. lit. g. dicentes, quod sapor nihil est aliud, quam *passio facta in humido aqueo à dicto sicco, scilicet, terrestri, cum additione calidi; quæ gustum secũdum potẽtiam alterando, in actũ reducit.* Quod quidem additur ad differẽtiam odoris, & quarumdam aliarum passionum, quæ causãtur ab humido, & sicco per actionem calidi: quę tamen non sunt immutatiua gustus, sed aliorum sensuum. Et ideo explicatur entitas saporis per proprietatem eius, seu virtutem ad immutãdum gustum, quia aliter non poterat innotescere differentia vltimata eius ab alijs sensibilibus. Vel dicatur cum Iauello 2. de Anima q. 46. in fine, quod sapores dupliciter considerantur: primo quoad naturas suas: secundo, vt gustabiles sũt. Primo modo cõsiderantur in libro de Sensu, & Sensato; secundo autem modo in libris de Anima. Et ideò curauit Phylosophus exponere saporem, vt immutat sẽsum.

3 Est ergo sapor qualitas tertiæ speciei causata ex permixtione primarum, & potissime ex commixtione sicci, & humidi, facta medio calore. Vltimam autem diffinitionis particulam, manifestat ex Phylosopho S. Thomas lect. 10. lit. h. nã sapor, sicut, & quodlibet sensibile, reducit in actum, sensitiuum, quod prius erat in potentia ad sensibile: quia in eo, qui sentit, nõ generatur sens⁹ de nouo per actionẽ sẽsibilis, sed sẽs⁹ fit actu operãs, sicut cõtingit in eo, qui speculatur actu.

4 Aduertit etiam Phylosophus 2. de Anima text. 103. & S. Thom. lect. 21. lit. c. quod nullum saporosum facit sesum sui humoris, idest, saporis, sine humiditate. Nam sicut color fit actu visibilis per lumen; ita sapor fit actu gustabilis per humidum. Et propter hoc oportet, quod gustabile, vel actu habeat humiditatem aqueam, sicut vinũ, vel aliquod huiusmodi; aut sit potẽtia humectabile, sicut quod sumitur per modũ cibi. Et ideo oportet vt sit saliua in ore, quæ est bene liquida, & liquefactiua linguæ, per quã ea, quæ sumuntur, humectãtur, vt eorũ sapor percipi possit. Hæc ibi. Ex qua doctrina S. Thomæ, excluditur, quod inquit Suar. lib. 3. c. 23. n. 5. quod in sapore calor est principalior humiditate: constat enim quod calor se habet quasi remote, & quod proxime sapor sequitur humidum, & siccum. Vnde S. Thom. de Sensu, & Sensato lec. 11. lit. a inquit. *Quia enim sapor propinquius sequitur humorem, quam calorem; non oportet considerare medium, & extremum secundum calidum; sed secundum humidum aliqualiter passum à sicco, & calido; quia in hoc principaliter consistit natura saporis.*

5 Notandum etiam, quod Toletus q. 29. aliter proponit definitionem ex Phylosopho, nempe. *Sapor est passio facta ab humido aqueo in siccoterreo, immutatiua gustus ex potentia ad actum.* Sed quãtum attinet ad mẽtẽ Phylosophi, tam in antiqua trãslatione, quam in noua Nicolai Leo-

niceni, habetur, vt retulimus ex D. Thoma. Quantum verò ad rem ipsam, cum humidum à ficco patiatur, & siccū ab humido repatiatur, parum refert definiri saporē, quod sit passio facta ab humido in siccū terrestre; vel quod sit passio facta in humido aqueo, à ficco terrestri, vt diffiniūt Physosophus, & S. Thomas. Vt enim late exponunt PP. Carmelit. disp. 13. n. 9. vsque ad 11. siccitas habet se, vt formalior in esse rei; quia humidum se habet vt patiens, & siccū vt agens. At verò in esse causæ, & radicis saporis, humiditas habet se, vt quid formale, ex eo quod humidum nō patitur à sicco, vt siccum sit ratio recipiendi saporem; sed potius humidum sit actu, & in exercitio id, ratione cuius sapor recipiatur in illo; & ita siccū deserait humido; non tamen è contra. Vnde Physosophus, & S. Thomas de Sensu, & Sēsato lec. 10. lit. f. dicunt, *quod quando humidum aqueū colatur per siccū terrestre, & cum hoc sit aliqua immutatio à calido digerente, & quodammodo commiscente humidū siccō, qualificatur humor aqueus qualitate saporosa.*

6 De speciebus saporum determinat Physosophꝰ tex. 105. & S. Thomas lec. 21. lit. g. dicens, quod sicut in coloribus, simplices colores sūt contrarij, vt album nigro; sic in saporibus simplices sunt contrarij, vt dulce, & amarum. Species autē saporum habitę, ideſt, immediatè cōsequentes simplices species, sunt pingue, quod sequitur dulce, & salsum, quod sequitur amarū. Media autē horū sunt acetosum, & austerum, & pōticum, & acutū; quę duo in idem reducuntur. *Ad has autem septem species saporum fere videtur reduci omnes aliæ.*

7 Aduertit autem S. Thomas de Sensu, & Sensato lec. 11. lit. d. *quod septem species saporum sic numerandæ sūt, vt pinguis sapor non distinguatur à dulci; salsus autem distinguatur ab amaro; ita quod si his tribus saporibus addantur alij quatuor supra enumerati, erunt septem sapores.* Quandoque enim sapor pinguis reducitur ad dulcem, ob similitudinem, quam habent: licet etiam vt species distinctæ soleant recensēri. Sicut, & ponticum, & acutum quandoque reducuntur in idem, & quādoque, vt species distinctæ. Per quæ concordari possunt, qui cōstituunt sex, & qui statuunt septē species saporum. Insipidꝰ autem sapor reducitur ad dulcem remissum, & imperfectum. Addit S. Thom. *Sunt autem aliæ species plurimæ colorum, & saporum, ex commistione prædictarū specierum ad inuicem.* Vnde nō sunt species infimę; licet fere omnes ad has reduci possint.

8 Contra hucusque dicta videtur opinari Galenꝰ: nam vt refert Auerrois 2. de Anima cōm. 105. & lib. 5. Collec. cap. 27. docet penes calidum, & frigidum in extremo debere assignari extremos sapores. Vnde apud ipsum, acutum ex parte calidi, & pōticum ex parte frigidi, sūt extremi sapores. Contra quam opinionē tripliciter arguit Auerrois. Eius tamen rationes nō esse demōstrativas notat Iauellꝰ q. 46. referēs solutiones, quas Medici eis adhibent, & dicens eas probabiles.

At

9 At verò Toletus q.29.in fine, & Rubio q.1.n.10.opiniones concordare nituntur, dicentes Aristotelē, vt Physosophum, & naturæ scrutatorem cōsideraſſe saporem secundum propriam naturam, & etiam in ordine ad gustum, de quo tractabat; & ideò dulce, & amarū extrema fecit, quia alij sapores generantur exijs, vel ex mixtione cum sarū dulcis, & amari. At verò Galenus, vt Medicus, considerans potiꝰ corpora, vt ad sanitatē conferunt, sapores ad ipsorū tēperies dignoscēdas ordinauit: & sic per subiecta distinxit. Id tamē quod perse est in consideratione Medici, potest esse accidentale in cōsideratione Phys. & ideò eius sentētia ab alijs Doctoribus communiter præfertur.

10 Vnde S. Th. lec. 21. lit. g. ait. Cōsiderādū est autē, circa has species, quod quāuis sapores causētur à calido, & frigido, & humido, & sicco, & cōtraria sunt, quę maximè distāt: nō tamen secūdū maximā distātiā calidi, & frigidi, & humidi, & sicci, attenditur cōtrarietas in speciebus saporū: sed secundū ordinē ad gustū, prout natus est immutari à sapore, vel cū horrore, vel cū suauitate. Vnde non est necessariū, quod dulce, vel amarum sit maxime, vel calidū, vel frigidū, vel humidū, vel siccū: *Sed maximè se habeat in tali dispositione per quā cōparatur ad sēsū gustꝰ.* Loquitur de sapore in esse sensibilis. Cū autē libro de Sēsu, & Sēsato lect. 11. litt. a. distinguit penes proportionē humidi, & sicci, loquitur de saporibꝰ ex natura sua; & sic cōcordat Iauellus in fine q 46.

11 Quod si in particulari exigantur harū specierū definitiones; non facile valent assignari, quia nō facile definiuntur ab intellectu, licet in exercitio percipiātur à sēsu. Sufficiet exēplis exponere, vt exposuit Tol. q. 29. & PP. Carm. n. 15. Dulce est in melle, ficubus, vbis maturis, & huiusmodi. Pingue in rebus vnctuosis, vt pinguedine, medulla, lacte. Amarū in oppio, absynthio genista, felle. Salsū in sale, in aqua maris. Acutū in pipere, raphano, zingibere. Austerū in fructibꝰ ante maturationē. Stypticus in fructu myrti, & sorba immatura: sunt enim styptica pura absque acrimonia. Pōticū in limonijs. Acetosum in aceto, & aliquibus putrefactis.

12 Aliter, & meliꝰ species has ex Phys. exponit S. Th. de Sēs. & Sens. lec. 11. lit. c. dicēs, quod sapor pinguis est quasi idē cū dulci: vterque enim sapor designat digestionē humidi à calido. Verūtamē in dulci sapore ostenditur calor magis dominari super humidū. Vnde pinguis sapor propinquior est aquoso, siue insipido sapori, propter abūdātiā humiditatis. Similiter etiam amarꝰ sapor, & salsus fere sunt idem: vterq; enim ostēdit excessū caloris cōsumētis humidū. Verūtamē in amaro videtur esse maior consumptio humiditatis, quā in salso: quia in salso videtur esse cōsūptū humidū in fusum corpori: in amaro autē videtur esse vlteriꝰ resolutū, & cōsūptū, vel totaliter, vel in parte humidū cōglutinās substātiam corporis. Vnde fœces corporū resolutorū, & interminatorum, sunt amaræ.

13 In medio autem sunt ponticus, siue mordicatiuus sapor; & austerus, ideſt, acetoſus, & ſypticus, & acutus: ita tamen, quod ponticus & acetoſus conſiſtunt in humore nondum digeſto propter defectum caloris: propter quod fructus indigeſti ſunt, vel acetoſi ſaporis, vt poma acerba; vel pontici, ſicut pira acerba. Ponticus autem ſapor videtur plus habere de terreſtri: vnde & terra fere ponticum ſaporem habet. Acetoſus autē videtur plus habere de frigido. Stypticus autē ſapor videtur etiam multum habere de terreſtri; propinquius enim eſt pontico; ſed plus habet de calido; magis enim ad digeſtionem accedit. Vnde etiam quædam digeſta habent ſaporem ſtypticum, ſicut fructus myrti. Acutus autem ſapor ſignificat exceſſum caloris; nō quidem conſumentis, ſed ſuperdigerentis humidum. Hæc ibi.

## §. II.

### *De medio, & organo guſtus.*

14 NOtat Sanctus Thomas lect. 21. litt. a. quod medium eſt duplex: aliud coniunctum, & intraneum, quia eſt pars, vel aliquid animalis. Aliud verò extraneum, quia mediat inter animal, & obiectum. Igitur medium guſtus eſt intraneum, & coniunctum. Quod probat cum Philoſopho Sanctus Thomas: nam tactus non ſentit ſuū obiectum per medium extraneū, ſed per medium coniunctum: nam caro eſt medium in ſenſu tactus, vt infra patebit. Et ideò cum *guſtus ſit quiddam tactus*, & guſtabile ſit quod dam tangibile, non percipietur guſtabile per medium extraneum. Quod autem guſtabile ſit quodam tangibile, oſtendit per hoc, quod humor, ideſt, ſapor, qui eſt guſtabile, radicatur in humido, ſicut in materia propria. Humidum autem eſt quoddam tangibile. Vnde manifeſtum eſt, quod guſtabile eſt quoddā tangibile.

15 Circa hanc rationem dubium mouet ipſe Sanctus Thomas, nam ſi guſtus eſt quiddam tactus, videtur quod non debeat diſtingui contra tactum, cum ſpecies non diuidatur ex oppoſito contra genus: & ſic ſequitur, quod non ſunt quinque ſenſus, ſed tantum quatuor.

16 Pro huius ſolutione notat Caietanus cap. 9. & latius Iauellus quæſt. 45. & alij frequenter, quod hæc propoſitio *guſtus eſt quiddam tactus*, poteſt tripliciter intelligi. Primo, quod ſit prædicatio proportionalis, vel modalis, vt loquitur Caietanus: nam ſicut tactus ſentit obiectum per medium coniunctum, quod eſt caro; ita & guſtus. Et in hoc ſenſu exponitur ab Auerroi cō ment. 101. & à D. Thoma, dicente, quod guſtus, & tactus poſſunt conſiderari dupliciter. Vno modo quā tum ad modum ſentiendi: & ſic guſtus eſt quidam tactus: nam in tangendo ſuum obiectum percipit. Alio modo quantū ad obiectū: & ita oportet dicere, quod ſicut ſe habet obiectum guſtus ad obiectum tactus, ſic ſe habet ſenſus guſtus ad ſenſum tactus.

Mani-

Manifestum est autē, quod sapor, qui est obiectum gustus, non est ali qua qualitas de qualitatibus simplicium corporum, ex quibus animal cōstituitur, quæ sunt propria obiecta sensus tactus, sed causatur ab eis, & fundatur in aliquo eorum, sicut in materia, scilicet in humido. Vnde manifestum est, quod gustus non est idem, quod sensus tactus, sed quodāmodo radicatur in eo. Hæc S. Thomas. Vnde Ferrara q. 18. conc. 3. ait, quod gustus dicitur materialiter tactus, sicut gustabile dicitur materialiter tangibile, quia gustus fundatur in tactu, sicut, & gustabile fundatur in tangibili: eo quod sapor fundatur in humido, quod est tangibile.

17 Secundus sensus propositionis est formalis, ita quod tact⁹ prædicetur essentialiter de gustu in primo modo dicendi per se. Quia tamen tactus accipi potest duplicitter, sicut, & dispositio, nempe, generice, & specifice; ideò accipiendo specifice, propositio est falsa, quia obiectum gustus non est obiectum formale tactus: nam tactus est circa primas qualitates, gustus vero circa saporem. Si autem tactus sumatur generice, sic propositio est vera in sēsu formali, iuxta Auerroim, & S. Thomam vbi supra, qui littera a. concludit. *Vnde, & consuevit de gustu distingui, quod potest accipi gustus prout est discretivus saporum* (Et hæc est acceptio specifica) *& potest accipi, vt est tactus quidam* (idest, vt cōtinetur sub tactu generice sūpto) *prout discernit qualitates tangibiles, scilicet, alimenti, cuius est sensus tactus, vt supra dictum est* lec. 20. *Vnde Philosophus dicit in 3. Ethicorum cap. 12. quod circa delectationes gustus, prout accipitur primo modo, non est temperantia; sed solum prout est tactus quidam.* Hæc ibi.

18 Nec inconuenit, vt bene notat Viguerius c. 1. §. 7. ver. 1. quod diuersi sensus habeant idem medium, vt patet de visu, auditu, & odoratu, qui habent aerē pro medio. Medium gustus, scilicet caro, est medium intraneum: & per hoc differt à tribus primis sensibus. A tactu autem differt; quia non identificantur adequatè, & formaliter; sed tantum inadæquatè, & inconuertibiliter in organo conueniūt. Vnde S. Thomas 2. de Anima lect. 22. lit. g. in fine ait. *Sed nunc apparet, quod gustus, & tactus sunt duo sensus, quia non conuertuntur ad inuicem, non enim per quamcumque partem sit sensus tactus, sit sensus gustus. Ratio autem quare non per quamcumque partē sit gustus, per quam sit tactus, est quia sapores non sunt qualitates elementorum ex quibus corp⁹ animalis cōstat: vnde nec pertinent ad consistentiam animalis, sicut qualitates tangibiles.*

19 Demum notandum cum Caietano cap. 9. in fine, quod Philosophus tex. 102. excludit specialiter, quod humidum non sit mediū extraneū in gustu, quia illo exclusō, nullum restabat medium dubitandum, nam alia ab ipsa experientia exclusa manēt. Exclusit autem à ratione medij extranei humidū, ex ipsa medij ratione, quia, scilicet, medium, non est medium per admixtionem, defluxionem, alterationem naturalem: sed per reddi

tionem intentionalem, vt diaphanum in actu reddit colores visui. Humidum autem est materia saporis, & in eo miscetur sapor, sicut sal in aqua. Ergo humidum non est medium extraneum in gustu. Sed requiritur eo modo, quo exposuimus. n. 4. ex D. Thoma, vt medium extraneum ab organo.

20 Organū autem, seu instrumētum gustus esse siccum, & in potentia humidum, docet Phylos. textu 104. & S. Thomas lect. 21. littera. e. dicentes, quod quia illud quod est gustabile, oportet esse humidum, & saporosum, necesse est organum gustus, neque esse humidum actu, neque saporosum secundum se ipsum; neq; esse tale, quod non possit fieri humidum: sicut instrumentum visus est, quod non habet colorem, sed est susceptiuum coloris. Et hoc ideò est, quia gustus patitur aliquid à gustabili, secundū quod est gustabile, sicut quilibet sēsus à sensibili: vnde cum gustabile, inquātum gustabile, sit humidum; necesse est, quod organum gustus, inquantum est iam passum, sit humectatum: & tamē saluatur in sua natura, vt sit gustatiuum, ideſt, potens gustare, cum possibile est humectari; non tamen est humidum actu.

21 Signum autem prædictorum est (vt prosequitur S. Thom. lit. f.) quod neq; lingua existens sicca, posset sentire; neque existēs multum humida: quia cum existit valde humida, à præcedente dominante humiditate, fit in ea tactus, & sensus præcedentis humidi, & non superuenientis, sicut cum aliquis ante gustauerit aliquem fortem saporem, postea, si gustet alterum, non percipit ipsum, quia adhuc manet sensus primi humoris in lingua. Et similiter laborantibus, ideſt, febricitātibus, omnia videntur esse amara, propter hoc, quod sentiunt per linguā plenā humiditate huiusmodi, scilicet cholera, quæ est amara.

22 Ex quibus patet linguam esse organum gust⁹, ratione cuiusdam nerui mollis descendentis à cerebro, & sparsi per linguam. Sumitur ex Phylosopho 1. de Hist. animal. cap. 11. & habetur Opusc 43. apud D. Thomam cap. 3. vbi dicitur. *Gustus est vis ordinata in neruo sparso supra corpus linguæ ad apprehendum diuersos sapores resolutos ex corporibus contingentib⁹ ipsam.* Patetque experiētia; quia etiam agnoscitur, quod in linguæ culmine magis viget vis gustatiua: & quod gustus extenditur vsque ad palatum, siquidem, cum res sapida ibi apponitur, ibi eius sapor gustu percipitur. De quo Galenus lib. 16. de vsu partiū cap. 3. & Vessalius lib. 2. cap. 19. & lib. 4. cap. 6.

23 Infert ex dictis M. Viguerius cap. 1. § 7. quod animalia, quæ nō habent linguam, vel aliquid loco linguæ (vt ab aliquibus dicitur de Ciconia) non percipiunt saporem: & sic Ciconia gustum non habet: si quidem organum gustus est quidā neruus diffusus ad modum retis super latitudinem linguæ carni immersus: quo organo dicta animalia carent. Sed cum Ciconia sit animal perfectum, non possumus ei om-

omnem sensum gustus negare, iuxta ea quæ diximus supra. q. 26. nu. 19. quo circa in alia parte est organum illorum animalium, licet formaliter sensus sit idem: iuxta ea quæ in simili docuimus cum Philosopho, & Sancto Thoma quæstione 34. num. 52.

## QVAESTIO. XXXVI.

### *De tangibili, & tactu.*

1 VLtimo determinat Philosophus de sensibili secũdum tactum; quia vt notat S. Thomas lec. 22. in principio, tactus inter alios sẽsus videtur esse minus spiritualis licet sit omnium aliorum sensuũ fundamentum.

### §. I.

### *De obiecto, & medio tactus.*

2 TAngibile autem, quod est sensibile propriũ tactus, sunt quatuor primæ qualitates, de quibus egimus 2. de Generat. q. 2. Experientiaque ipsa compertum est, quod non solum tactu discernimus calidum, & frigidum, humidum, & siccum; sed etiam molle, & durum, asperum, & lene, & similes qualitatũ sensibilium differentias.

3 Aduertit etiam S. Thomas de Sensu, & Sensato lectio. 5. circa finem, quod *sicut alij sensus fiunt per medium extrinsecum, ita gustus, & tactus per medium intrinsecum.* Quod prouenit ex maxima materialitate horũ sensuum, quia quasi pertingunt ad modum naturalem rerum non sentientium. Vnde S. Thom. 1. p. q. 78. art. 3. in fine corp. ait. Tactus autem, & gustus sunt maxime naturales. Et inde est quod alij sensus non fiunt per medium coniũctum, ne aliqua naturalis trãsmutatio pertingat ad organum, vt accidit in his duobus sensibus.

4 Peraccidens tamen potest esse tactus per medium, vt si quis percutiatur mediante clypeo, vel tangat corpus humectatum aqua. Cuius rationem assignat S. Thom. 2. de Anima lect. 23. lit. a. circa finem dicẽs, quod quia aer, & aqua sunt facile mutabilia ab extraneis qualitatib⁹, & præcipue quando sunt modicæ quãtitatis, sicut accidit in aqua; vel aere, quæ sunt inter alia duo corpora se tangentia, propter hoc nõ impeditur sensus tactus, quin per medium aerem, & aquam fieri possit. Et minus etiam impedit aer, quam aqua, quia aer habet qualitates tangibiles parum sensibiles. Vnde si intendantur qualitates tangibiles aeris, vel aquæ, magis impeditur tactus, vtpote cum aer, vel aqua intẽsam frigiditatem, vel caliditatem habuerint. Hæc est autem differentia inter istum, & tres primos sens⁹, quod in istis perse exigitur mediũ extraneum, vt illo immutato immutetur sensus; in tactu vero hoc perse non exigitur, licet peraccidens id permittat. Quod notat S. Thomas lec. 23. lit. c. dicens. *In alijs sensibus immutatio medij est causa, quod immutetur sensus, non autem in tactu: nã in alijs sensibus medium est necessitate; in tactu autem quasi per accidens, ingrantum*

*accidit corpora se tangentia esse humectata.* Sed his latè, & bene Iauellus quæstione 49.

§. II.

*De modo immutationis tactus tria dubia.*

5 Hæc cum certa sint, dubium remanet, primo, vtrum qualitas, quæ tactu percipitur, sit illa, quæ est in organo; vel quæ est in obiecto; vel vtraque?

5 Respondetur solum percipi tactu qualitates sensibiles ei directe oppositas: vnde nō percipitur qualitas residens in organo, ex ea parte qua ei inhæret. Licet possit sentiri qualitas partis vicinæ, si sit excellētior. Colligitur ex D. Thoma 1.p.q.78.a.3.ad 4. vbi ait. *Tactus immutatur naturali immutatione, & non solum spirituali quantum ad organum sui secundum qualitatem, quæ ei proprie obijcitur.*

6 Probat hanc conclusionē Suarez lib.3.c.26.n.3. In primis à paritate aliorum sensuum: nullus enim eorum sentit sibi inhærentem qualitatem: ergo neque tactus. Secundo, quia tum tactus continuo sentiret, quia semper aliquæ qualitates primæ ei inhærent: cōsequēs verò est cōtra experiētiā: de quo videatur Rubio q.3. dicēs hanc *cōmunem, & veram* sententiam. Alias duas rationes ibi Suarez prosequitur: quæ probant quidē tactum sentire qualitates extraneas, vt duritiem lapidis: inde tamen non deducitur nō simul sentire sibi inhærentes.

7 Duplici alia ratione eandem conclusionem ostendunt PP. Carmel. disp.14.n.7.& 8. quia intimius coniungitur sensui sensibile inhærens, quam adhærens, seu ipsi contiguum, vt ex se constat: sed sensibile positum supra sensum impedit sensationem, vt diximus supra q.25. ergo multo magis sensibile inhærens eidem sensui.

Aliam rationem dicunt desumi ex D. Thoma q.vnica de Anima artic.13. quia qualitas organo inhærens non potest denuo eum in eadem parte alterare: quia vel multiplicabuntur qualitates solo numero distinctæ in eadē parte subiecti: vel idem aget in seipsum, vel producet vltra suam virtutem: contra ea quæ dicta sunt lib.1. de Gener. ergo qualitas organo inhærens non poterit ab eadem parte organi per tactum sentiri. Patet consequētia, quia in tactu non est mutatio intentionalis nō fundata in mutatione, & alteratione physica.

8 Sed obijcies: experimur febricitantes percipere calorem febris: & tamē calor ille est in organo sētiente: ergo qualitas residens in organo potest sentiri.

Respōdetur, quod licet calor nequeat sentiri ab ea parte, in qua inhæret; potest tamen percipi à parte viciniori, paululū tamen distanti, quia si sit excellens, habet omnes conditiones requisitas, vt sentiatur. Et sic febricitantes, per vnam partem organi sentire possunt intensiorem calorem, qui est in alia. Præterquamquod organum tactus non est caro externa, sed neruus quidam: eoquod caro

est

est medium, vt ait S. Thomas lectione 22. & ille neruus poterit sentire calorē carnis qua tegitur. De quo M. Ioan. à S. Tho. q. 7. art. 7. pūct. 3.

9 Secundo obijciunt alij, quia durum, ac difficile est asserere hominem recipientem calorem ita intensum, vt illo comburatur, non sensurum hunc calorem, neque dolorem aliquem per pessurum; si hic calor in omnibus suis partibus sub eadem intensione produceretur: quod fieri posse, saltim à Deo, negabit nullus. Ergo quamuis tactus non sentiat calorem debitum ad propriam temperaturam, & collatum in prima conditione; tamen sentiet calorem excedentem; præcipuè causatum ab extrinseco; vel quando immediatè antea præcessit priuatus illo, & informatus contraria qualitate.

Respondetur, quod cum communis omnium Peripateticorum sententia teneat cum Philosopho, quod sensibile immediate positum supra sensum non facit sensationem; facile percipitur, quod dato illo casu, destrueretur animal, & impediretur sensatio. Et sicut ipsi fatentur experiri tactum non esse in continua sensatione sui temperamenti, licet illam qualitatem habeat intimam; idē dicemus nos de qualitate foris adueniente, quia quoad hoc differentia est peraccidens, & materialis, quod sensatio sit noua, vel antiqua. Experientiæ contra hoc nullæ adduci possunt, quia numquam toti neruo applicantur qualitates excellentes, & in omni parte eiusdem intensionis: licet caro externa vndique comburenda apponatur. Videantur quæ diximus q. 25. §. 4.

10 Secundo inquiritur, vtrum tactus solas superantes qualitates sentiat?

Respondetur, tactum solum sentire excellentias obiecti tangibilis, non vero gradus æquales, aut inferiores. Ita Philosophus textu 118. & S. Thomas lect. 23. litt. e. dicens, *organum tactus non sentit illam qualitatem, secundum quam est in actu: non enim sentimus id quod est calidum, aut frigidum, durum, aut molle, secundū illum modum, quo hæc insunt organo tactus: sed sentimus excellentias tangibiliū, quasi organo tactus constituto in aliqua medietate inter contrarias qualitates.* Quare ita tenent cōmuniter Thomistæ, & alij, vt PP. Conimb. c. 11. q. 3. ar. 3. & P. Rubio q. 4 licet aliorum rationes impugnet.

10 In primis comprobatur experientia, quia manus nimis calida minorē calorem non discernit, neque æqualem. Vnde quando duæ manus se tangūt nō percipiūt secūdū tēperamētū in quo conueniunt, sed in eo in quo est diuersitas, vel excessus.

Secundo, quia ex opposito sequitur tactum sentire omnes gradus, quos apud se habet, vel ex proprio temperamēto, vel quouis alio modo: & cum semper illos apud se habeat, sequitur esse in perpetua sēsatione: contra euidentem experientiam. Has duas rationes ab inconuenienti, & ab experiētia desūptas facile Authores admittunt; nō tamē approbant omnes rationem eandē à priori.

Effica-

11 Efficacem omnino insinuat Phylos.& proponit S.Tho.illa lec. 23.dicens. *Oportet quod sicut organum, quod debet sentire album,& nigrum; neutrum ipsorum habeat actu, sed vtrumque in potentia;& eodem modo in alijs sensibus: sic etiam se habeat in sensu tactus, scilicet organum, neque sit actu calidum, neque frigidum actu; sed potentia vtrũque.* Cuius rationis vis facile percipitur supponendo ex dictis q.34.n.60. & 61.& alibi sæpè, quod in solo visu est immutatio intentionalis sine reali; in alijs vero sensibus,& præcipuè in tactu,& gustu, non est immutatio intentionalis sine reali. Vnũquodque autem patitur secundum quod est in potentia, non autem secundum quod est actu. Cum ergo sensus patiatur à suo sensibili, debet esse in potentia ad qualitates, quas sentit: ac perconsequens solũ sentiet exuperantias qualitatũ, ad quas solas est in potentia. Videatur S.Tho.3.de Ani.lec.18.lit.a.

12 Dices rationem hanc nimium probare, videlicet tactum esse denudatum ab omni qualitate, sicut alij sensus carent omni qualitate ad quam recipiendam sunt in potentia: sed consequens est falsum, quia qualitates tangibiles sunt propriæ passiones elementorum, vt diximꝰ 2.de Gen.q.2.§.3.& ideo mixtum, quod componitur ex elemẽtis nõ potest esse denudatum ab omnibus his qualitatibus, iuxta dicta 1.de Gen.q.33.§.3.

Occurrit huic obiectioni ipse S. Tho.illa lec.23.immediatè subiungens. Aliter tamen accidit hoc circa tactum,& circa alios sensus. Nã in visu organum visus est in potentia ad album,& nigrum, denudatũ à toto genere albi,& nigri; est enim penitus carẽs colore. Sed organũ, & medium tactus non potest denudari a toto genere calidi, & frigidi, humidi,& sicci; componitur enim ex elementis, quorum hæ sunt propriæ qualitates. Sed sic sit in potentia organum tactus ad sua obiecta, inquantum est medium inter contraria: medium enim est in potentia ad extrema. Et propter hoc quanto animal habet complexionem magis reductam ad medium, tanto habet meliorem tactum. Vnde homo inter omnia animalia est melioris tactus, vt supra dictum est. Hæc ibi S.Tho. Ad cuius expositionem videndi PP.Carm.q.2.§.4.

13 Sed obijcit Rubio.n.60.difficultatem, quam ipse vocat *maximam*, quia qualitates tangibiles nõ actiuæ, vt asperum,& lene, durum, & molle, non sentiuntur, nisi secũdum excessum intensionis, sicut qualitates actiuæ. Et tamen neque producunt species, nec sentiuntur simul cum alteratione naturali organi: & vtrumque docet eadem *experientia euidens*: ergo ratio alterationis naturalis ad probandũ, quod in qualitatibus actiuis, excellentiæ tantum sentiantur, *friuola est, & nullius momenti*. Quo etiam argumento conuincitur Murcia disp.10.q.2. vt deserat Philosophũ quoad qualitates secundas tangibiles: quamuis consentiat ei quoad qualitates primas,& actiuas.

Facilè tamen duplici solutione satisfaciunt PP.Carm.dis.14.n.37. &

& latius. n 48. & 49. quod licet qualitates secundæ non sint actiuæ actiuitate per quam producant sibi simile: vnde mollities nō potest producere aliam mollitiem: possunt tamen causare aliquam aliam immutationem naturalem, & physicam.

14 Secundo, admisso, gratia disputationis, quod qualitates secundæ non immutent medium immutatione naturali, adhuc retinet vim ratio S. Tho. quia organum tactus debet esse in potentia obiectum tāgibile: & ideò non potest nisi secūdum exuperātiam illud sentire. Et quoad hoc discurrendum, sicut diximus de visu, cuius immutatio intentionalis proportionatur physicæ dispositioni organi. Et pro vtroque notanda sunt verba S. Thom. qui in 3. de Anima lec. 7. lit. d. ait. Neque refert quantū ad actum potentiæ, vtrum ipsa potentia habeat aliquam qualitatem sensibilem determinatam, aut organum; *cum actus non potentiæ sit solum, sed compositi ex potentia, & organo corporeo.* Quod si alias vis solutiones, lege M. Ioan. à S Tho. q. 7. art. 7. punct. 2. ad 4. fol. 276.

15 Præterea arguitur, qualitates omnes quātumuis remissæ, sunt per se tangibiles, quia sunt sēsibilia propria tactus. Sed si tactus solum potest sentire exuperantiam sui obiecti, non dabitur tactus per se tactiu⁹ caloris vt vnum: eo quod nullus datur tactus, qui per se loquendo, non habeat in organo maiorem calorem, quam sit calor vt vnum. Ergo tactus potest percipere qualitates æquales, & minores.

Respondent PP. Carmelit. n. 34. vsque 36. calidum vt vnū esse per se tangibile ex parte formæ; nō verò ex parte tantitatis (vt sic dicamus) eiusdē formæ. Quia licet qualitas sit forma potissima tangibilis; exuperantiæ tamen sunt modi intrinseci eiusdem qualitatis, & formæ, & vt sic sensibiles per se. Aliquo modo autem peraccidens modus imperfectus non potest per se sentiri, quia nō est in debita proportione ad organum.

16 Quod magis explicat M. Ioā. à S. Tho. ad 2. docens qualitates remissas esse sensibiles dupliciter. Primo, directè, ab illo tactu, qui in suo temperamento habuerit similem qualitatem in minori gradu. Secundo, indirectè, quia qualitas remissa est coniuncta oppositæ magis intensæ, & sentiendo illam, indirecte sentitur remissa, & tepida. Quod si qualitas ita remissa sit, quod infra illam nō possit reperiri temperamētū tactus, peraccidens pro tali statu non erit tangibilis directè: licet per se, & ex ratione propria formæ tāgibilis sit: licet non pro omni statu, nec pro omni modo: sicut aliqui dicūt de minimo visibili naturali peraccidens inuisibili. Idem explicat Rubio q. 4. in fine, exemplo illius, cuius tactus accidēte aliquo mutatur in temperamento, & peraccidens est, quod modo possit, quod antea non poterat ex diuersa organi proportione cum tangibili.

17 Tertio dubitatur, quæ immutatio exigatur ad tactum?

Opinantur aliqui non requiri immutationem intentionalē, sed suffi

cere

cere physicam immutationem, vel contactum. Ita Valles lib.2.c.29. Tol.lib.3.q.2.P.Hurtado disp.12. sec.1.n.10.& Arriaga disp.4 sec.1. subsec.5.dicit *communem*,& probari facile, quia hæc obiecta non percipiuntur nisi contigua sint ipsis potētijs:& ideò possunt perse ipsa immediate concurrere: habent enim propinquitatem, ob cuius defectū præcitè in visu,& auditu species requiruntur.

18 Sentētiam hanc, ex parte qua negat species in his sensibus esse cōtra communem Theologorum, & Physosoph. dicemus infra lib.3.q.7.& ex professo impugnant Suarez lib.3.cap.26.n.5.& Rubio hic q.3. Et Thomistæ omnes, præter innumeros alios suo loco referēdos: vt perpendas, quam sine fundamento Arriaga iactet suam sententiam esse communem,& facilem.

19 Differt tamen Rubio ab alijs, quia conclusione tertia asserit immutationem naturalem, quæ vltra intentionalem requiritur in tactu, non esse alterationem organi; sed realem contactum obiecti tangibilis. Quod probat. Primo in qualitatibus non actiuis. Sed de istis iam diximus n.13. Secundo arguit, quia tangibile, sicut visibile, in instanti producit species intentionales; & ideò in instanti fit sensatio tactus. Sed alteratio organi fit successiue, & in tempore, cum sit motus: ergo sequitur post sensationem iam factam: ergo non potest esse necessaria ad illam.

20 Dicendum tamen est qualitates tangibiles primas, & secundas immutare organum tactus physicè, & naturaliter, vt eum immutēt per species intentionales. Ita S. Thom. 1.p.q.78.art.3.in cor.& ad 4.& q. de Anim.art.13.vbi cōcludit. *Quia igitur huiusmodi sensibilia immutant nos, etiam materialiter agendo, materialis autem immutatio fit per contactum; necesse est, quod huiusmodi sensibilia contingendo sentiantur: propter quod potentia sensitiua comprehensiua vocatur tactus*. Et ideò ita tenēt communiter Thomistæ: imo & communiter Physosophi, vt pluribus relatis ostendunt PP.Carmel. disp.14.q.4.per totam.

21 Et quoad immutationem intētionalem patebit ex dicendis lib.3.de indigentia specierum. Et etiā, quia si sensus nō immutarentur per species, sed solum alteratione, vel contactu physico, in nullo differret passio sensus à passione mere naturali: quod est contra diffinitionem sensus. Et hanc rationem insinuat S.Thomas illo art.13.dum ait. *Cum enim sensus sit susceptiuus specierum sensibilium sine materia, &c.* Quę est sensus diffinitio tradita à Physosopho tex.121.& à D.Thom.lect.24.lit.a. dicente. Hoc oportet accipere vniuersaliter,& communiter omni sē sui inesse, quod *sensus est susceptiuus specierum sine materia: sicut cera recipit signū annuli sine ferro, & auro*. Et postea late exponit, quod alterius modi est se habet forma in sensu,& in re sensibili. Nam in re sensibili habet esse naturale; *in sensu autem habet esse intentionale, & spirituale*. De qua diffinitione late disputat Iauellus q.51.

22 Præcipue vero conclusio probatur: quia sicut se habet intensior cale-

calefactio ad productionem perfectioris speciei, & sensationis in sensu, ita se habet calefactio simpliciter ad absolute producendam speciem, & sēsationem: eo quod sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis Sed experimur eo perfectiorem speciem, & maiorem sensationem produci in sensu tactus, quo maior est alteratio, vt patet cum approximamus ad ignē: ergo vt tactus recipiat speciem, requirit alterationem.

23 Secundo idem probatur ratione D. Thomæ, quia sensus tactus est imperfectissimus omnium, & minus spiritualis: ergo debet immutari intentionaliter sicut visus, & materialiter, vt alij sensus distincti à visu, & immutatio hæc debet se tenere ex parte organi, vt sic diferat à gustu. Vnde ait S. Thomas illa sol. ad 4. tactus immutatur naturali immutatione, & non solum spirituali quantum ad organum suum secundum qualitatē, quæ ei propriè objicitur: gustus autem organum non immutatur de necessitate naturali immutatione secundum qualitatē, quæ ei proprie objicitur, vt scilicet lingua fiat dulcis, vel amara, sed secundum præambulam qualitatē, in qua fundatur sapor, scilicet, secundum humorem, qui est obiectū tactus.

24 Ad argumentum respondetur maiorem esse falsam: quia cum experiamur auditionem fieri successiue, quæ est immaterialior, quam sēsatio tactus, non mirum, quod idē dicam⁹ de tactu. Et quoad hoc quatuor sensus differunt à visu: nam illius immutatio est intentionalis, & illius receptio est in instāti, sicut, & illuminatio, eo quod lux nō habet contrarium, & immutatio visus intentionalis non dependet à motu physico: at verò immutationes intentionales pendēt ab immutatione physica, & naturali causata in tē pore: ac per consequens etiam sensationes fiunt successiue, vt tactus caloris fit successiue, sicut & calefactio actiua, & passiua.

## §. III.

### *De organo tactus.*

25 VArie circa hoc opinantur Philosophi. Tribuitur Themistio, & Simplicio ad textū 116. quod posuerint tactum residere in corde: quia ita videtur docere Phylos. de Sensu, & Sensato cap. 2. & libro de partibus animalium cap. 10.

26 Opinantur alij carnem, & neruos, & reliqua quæ ad carnem reducuntur, esse organum tactus. Ita Auerrois, Alexander, & Philopon⁹, Auicena, Fernelius, & Portius, Toletus, & Cōimbricēses, quos refert, & sequitur Rubio de tactu q. 1. & Suarez lib. 3. ca. 27. & alij, qui probant primo, ex Philosopho lib. 1. de Historia animal. c. 4. & libro de partibus anim. ca. 1. & 5. vbi docet carnem esse sensorium tactus.

27 Secundo, quia experiētia negari non debet, vbi in contrarium cuidens ratio non vrget: sed experimur quod in cute, & in carne detracta cute sentim⁹: ergo tactus est in carne, vt in organo.

Tertio,

Tertio, quia nerui sũt terrestres, & nimis frigidi, & sicci, vt docet Phylosophus 2.de Gener.Anim.c. 4.& 2.de Ani. text.79.temperamẽ tum vero tactus est in carne; ergo ista, & non illi sunt organum tactus.

28 Verum tamen carnem nõ esse organum tactus, sed medium: organum vero esse neruum intus latẽtẽ, docent Phylosophus 2. de part. anim.cap.10.& 2.de Anima textu 116.& S.Thomas lect.23.& B.Albertus 2.de Anim.tract. 3. c. 31. & 34. Eandem insinuare sententiam Sanctos Patres, probat Bañez 1.p. q.78.art.3.de tactu dub.2.concl.2. referens S.Greg.Nyssenũ lib.4. Phylos.c.16.S.Damasc.2.de Fide cap. 18.S.Ambr.6.Exam.c.9. & tenere Galenum, Fernelium, Vesalium, Aegidium,& alios, probãt PP.Carmel.disputatione 14.nu.72. & esse communẽ, testatur Iauellus quæst. 48. bene diluens argumenta contraria.

29 Ratio Phylosophi sic formatur à D.Tho.illa lec.23.lit.d.Manifestum est, quod organum sensitiuũ in sẽsu tactus sit intus: sic enim accidit in hoc sensu, sicut & in alijs: non enim sentiunt animalia sensibilia apposita super organum sensus. Sentiunt autem sensibilia posita super carnem. *Quare manifestũ est, quod caro non est organum sensus, sed medium.* Minor huius rationis experiẽtia patet. Et maior est latè probata supra q.25.

30 Aliã rationem indicat S.Thomas de Sensu, & Sensato lect.5.lit. h.dicens. Et de organo quidem tactus ratio ista est, quia, vt dicitur 2. de Anima text.66.organum tactus ad hoc vt sit in potentia ad contrarias qualitates tangibiles, debet esse mediocriter complexionatum: & ideò oportet, quod sit ibi secundum quãtitatem plus de terra, quæ inter alia elementa minus habet de virtute actiua. Sed hæc temperies terrea non est in carne, quæ est aerea; sed in neruo intus latẽte; ergo in neruo, & non in carne est organum tactus.

31 Distinctione adhibita conatur Caiet.2.de Anim c.10. q. vlt. quæ est circa tex.116.ita adhærere secũdæ sententiç, quod authoritates, & argumenta vltimę facilè possint exponi. Eius subijciã verba, quia subtiliter, & cõpẽdiosè, vt assolet, quæstionem dirimit. Igitur §. *& quãuis*: sic ait. Siquis tamen diligenter, ac perspicaciter contemplatus fuerit, rationi consonum inueniet, quod quemadmodum in visu diaphanũ, nõ solum mediũ, sed organum est: ita in tactu caro, & medium, & organum erit. Itaque sicut in oculo distinguitur duplex diaphanũ, primum in exteriori parte oculi, & secundũ in glaciali interiori: quorũ primum medij, secundũ organi officio fungitur. Ita in tactu exterior caro, interiorque distinguenda est: & exterior quidẽ medij; interior autẽ organi officio est donata. Interiorem autẽ carnẽ in proposito dicimus, non carnẽ sub cute; sed carnem primam, quæ scilicet primo viuit vita animalis. Hanc enim organum tactus sic ponimus, vt continuata cum reliqua carne per illam tan-

tangibilia sentit. Sicut diaphanum glaciale coniunctum reliquo diaphano per illud videt. Et sic nō solum medium tactus diffunditur per totum corpus; sed etiam organum quodammodo, ideſt secundum cō tinuationem. Hæc ibi.

32 Fundatur Caietanus authoritate adducta n. 26. & ratione, quam dicit suum quietare intellectum, in hac forma. Organum sensus est mē brum illud, quod sentit primo obiectum: sed caro est prima pars animalis percipiens tangibile: ergo ca ro est organū tactus. Maior est perse nota. Minor experiētia teste patet: & ratione probatur efficaci, sic. Organum est in quo primo est potentia sensitiua, vt docet Phylosop. textu 122. Sed animal est propter sensum tactus: ergo prima pars corporea animalis est vbi residet organum tactus. Sed caro est prima pars animalis; ita quod ipsa perse est corpus animalis, & cæteræ partes, vt nerui, & ossa, sunt propter illam, vt patet in 2. de part. anim. c. 8. Ergo caro interior est organum, & caro exterior est medium. Et de ista verificantur, quæ adducuntur pro tertia sententia.

33 Huic videtur fauere Sanctus Thomas in quarto distinctione 23. quæst. 2. artic. 3. quæst. 2. docens. quod *tactus in pulpis digitorū præcipue vigeat*: vbi tamen nerui non vigent. Et Author Opusc. 43. apud D. Tho. c. 3. ait. Sicut autē est in visu, quod vnum habet organum publicū extra, scilicet, pupillā, & aliud intra, in quo fit iudicium, sicut vult Phylos. in lib. de Sēsu, & Sensato: ita est & in tactu, quia *organum in quo fit apprehensio, est caro*, & quælibet pars secundū æqualitatem mista. Illud autem *in quo vltimo fit iudicium, est neruus interior*, & cerebrum, quod licet sit de se insensibile; est tamen principium sentiendi ipsi neruo. *Est autem caro in tactu, & organum, & medium; sed ratione diuersorum*: quia ratione æqualitatis commistionis, quæ est in potentia respectu excellentiæ qualitatum, est organum: ratione verò æqualitatis commixtionis consimilis existētis in ea, est medium, illud deferens. Hęc ibi. Consonat Sanctus Thomas de Sensu, & Sensato lectione quinta littera. i. in fine dicens. Et sicut visiuum principium non est in superficie oculi, sed intrinsecus: ita etiam principiū tactiuū est intrinsecus circa cor. Cuius signum est, quod læsio si accidat in locis circa cor, est maximè dolorosa.

34 Ergo distinguere oportet tria principia, seu organa quasi partialia tactus: alterum radicale, & primū; aliud proximum, quasi iudicatiuum; aliud externum primo perceptiuum; & hæc duo vt coniuncta faciunt integrum organū: quod ab Auic. 6. Natur. cap. de tactu, vocatur *caro neruosa*. Igitur principium radicale tactꝰ est circa cor. Vnde S. Thom. dicta lect. 5. ait. *Sensitiuum enim principium primo quidem est in corde vbi est fons caloris in corde animalis: nihil enim est sensitiuum sine calore, vt dicitur 2. de Anima* tex. 130. & de isto loquitur Phyl. locis adductis pro prima sentētia. Principiū autē proximè tactiuum completur in neruo, de

de quo loquuntur ea, quæ sunt adducta pro tertia opinione. Vere tamē in ipsa carne interna est pars organi tactus: & sic inclino magis in sententiam Caietani, quia est conformior his quæ diximus de organis aliorum sensuum: & quæ vtrimque de organo tactus scribuntur, *non multam habent euidentiam*, vt fatetur Iauellus in fine q.48.

## §. IIII.

### *De vnitate tactus.*

35 SEnsum tactus non esse formaliter vnum, sed plures, videtur docere Philosophus text.109. & S. Thomas lec.22.lit.d.vbi concludit. *Vnde formaliter loquendo, & secūdum rationem, sensus tactus, non est vnus sensus, sed plures. Subiecto autem est vnus.* Philosophi fundamētum est, quia vnus sensus est vnius contrarietatis. Sed in genere tangibilium sunt plures primæ contrarietates perse, vt calidum, & frigidum, humidum, & siccum: ergo sunt plures sensus formaliter. Vnde S.Tho.q. vnica de Ani.ar.13.ad 17.ait. *Quod Philosophus determinat in 2. de Anima, quod tactus non est vnus, sed plures.* Idēque tenent Auerrois, & Auicena, & B.Albert.2.de Ani.trac.3.c.29. quos citat, & sequitur Iauellus q. 47. Item Themistius, & Alexāder, Iandunus, & Apollinaris relati, & sequuti ab Aquario.q.18.& alij.

36 Oppositam tamen sententiā docent Bañez dub.1.PP. Carmel. n.64.Ioann.à S.Thom. q.5.ar.6.& Viguerius cap.1.§.6.ver.3. qui dicit, quod Philosophus in hac parte disputatiuè loquutus est, & nō assertiuè. Quod notauerat Caiet.c. 10.text.108.dicens quod quamuis Aristoteles declinet in pluralitatē tactus: non tamen asserit vt certū, sed vt rationabile. In hanc secundā sententiam magis inclinat S. Thomas illa solut.ad 17.& 1.p.q.78.artic.3.ad 3.licet propter Philosophum, primam sententiam, vt probabilem proponat. Hanc ipse probat asserens. *Posset tamen dici, quod omnes illæ contrarietates, & singulæ conueniunt in vno genere proximo, & omnes in vno genere communi; quod est obiectū tactus secundum rationem communem. Sed illud genus commune est innominatum; sicut etiam genus proximum calidi, & frigidi est innominatum.*

Quare hanc sententiam sequūtur Philoponus, Simplicius, & Alexāder, Venetus, Magnesius, & Fernelius, quos citat, & sequitur Suarez lib.3.c.28.n 5. Tolet.q.32.& Rub. q.7.& passim alij. Quia sic melius verificatur sensus externos esse tantum quinque: & quia omnes tact⁹ conueniunt in eodem obiecto formali, & in vno modo immutandi. Quare etiam hæc pars præfertur Opusculo 43. apud D.Thomam cap.3.& non solum facilior, sed & verior videtur.

QVAE-

## QVAESTIO. XXXVII.

*Vtrum sensus externi sentiãt privationes suorum obiectorum?*

1 SIngulis quinque sensibus expositis in communi, & in particulari, solum duæ quæstiones omnibus communes determinandæ restant in ista, & sequenti quæstione.

### §. I.
*Duæ opiniones.*

2 IN hac quæstione sententiam negatiuam tenet Vazquez. 1.p.disput.61.cap.1.dicens, quod sensus dicitur esse priuationis proprij obiecti, non quia circa illam habeat aliquem actum cognitionis: sed quia priuatio proprij actus prouenit ex priuatione proprij obiecti. Et inde homo discernit, non visu, sed intellectu, non esse lucem in medio, quia apertis oculis nõ videt. Visu autem non percipi tenebras, neque interiori aliquo sensu, probat, quia visus nõ habet speciẽ illarum: sensus autem interiores ea tantum percipiunt, quorum habẽt species deriuatas per sensus externos. Idem repetit. 1.p.disp.104.c. 5.n.19. & sequitur M. Biescas. 1.p. quæst.25.art.3.dub.2.in fine: quia tenebræ non sunt obiectum visus; sed impedimentum eius.

3 Oppositam tamen sententiam tenent Caietanus, & alij, quos retulimus quæst.22. num.50. & Nazarius. 1.p. q.25. art.3. & ibi Albelda disp.80.num.2.Serra ibidem ad 2. Et probatur primo, quia ita videtur tenere Phylosophus 2. de Anima tex.103.vbi ait. *Sicut autem visus, & visibilis est, & inuisibilis; tenebra autem inuisibilis est; indicat autem, & ipsam visu.* Secundo, Angelus nõ percipitur, aut iudicatur à potentia visiua, quamuis circa illum in visu sit negatio actus: ergo cum tenebra percipiatur visu, aliquomodo versatur circa illam.

4 Tertio, rationem assignat Sanctus Thomas lec.19.lit.d. asserens: *Sicut auditus est audibilis, & non audibilis, & visus est visibilis, & non visibilis: cum sit eadem potentia cognoscitiua oppositorum; & priuatio non cognoscatur nisi per habitum. Similiter olfactus est odorabilis, & non odorabilis.* Et lec.15.litt.a. inquit. *Quia verò eadem est potentia cognoscitiua oppositorum, sequitur, quod visus, qui cognoscit lucem, cognoscat, & tenebram.*

### §. II.
*Resolutio ex D. Thoma.*

5 VT respondeatur, distinguere oportet, quod priuatio est duplex: alia perfecta, & completa, & in facto esse: alia imperfecta, incõpleta, & in fieri. Distinctio est S. Thomæ. 1.2.q.73.art.2.cuius verba retulimus 2.de Gen.q.4.n.21.& quo ad præsens intentum traditur à D. Thom.2.de Ani.dicta lec.19. in fine, vbi ait. *Sed non odorabile dicitur dupliciter; aut quod omnino non potest habere odorẽ, sicut corpora simplicia; aut quod habet parum de odore, aut malum odorẽ. Et similiter intelligendum est de gustabili, & non gustabili.* Eadem distinctio de

visibili traditur à D.Thom. lec.15. lit.a.& de omnibus sensibus latè eā prosequitur S.Tho.lec.21.lit.d. & lec.23.lit.f.

6 Dico ergo primo, priuationes imperfectæ,& incompletæ, percipiuntur à sensu in actu exercito,actu,& sensatione positiua, qua percipiunt sensibilia imperfecta. Ita S. Tho.locis relatis : & præcipuè illa lec.15.dum ait. *Licet igitur diaphanū secundum se careat colore,& lumine,quorum est susceptiuum;& sic secundum se visibile non sit,eo modo quo sunt visibilia lucida,& colorata: tamen potest dici visibile,sicut videtur tenebrosum,quod vix videtur.* Et lect.21.lit.d. inquit. Auditus, *est non audibilis,idest soni male audibilis,& c. Qui propter sui paruitatem non sufficienter sensum immutat.* Et infra. *Similiter autem,& gustus,& gustabilis,& non gustabilis. Non gustabile autem dicitur dupliciter:quod aut parum habet de sapore,aut malum saporem,& c.* Et lect. 23.lit.f dicit, *quod sicut est visus quodā modo visibilis, & inuisibilis ; & sicut alij sēsus sunt oppositorum,vt auditus soni, & silentij:sic & tactus est tangibilis,& intāgibilis.* Intāgibile autem dicitur dupliciter:aut illud quod habet excellentiam,ita quod corrumpit sensū, sicut ignis: *Aut illud quod habet parum de qualitate tāgibili,sicut aer. Vtrumque enim dicitur intangibile,quasi male perceptibile sensu tactus.*

7 Si hæc conclusio percipiatur, facillime probabitur. Pro quo aduertendū,quod inistis priuationib⁹ incompletis, & est aliquid positiuum, nempe qualitas imperfecta; & est aliquid priuatiuum,seu remotiuum,quæ est carentia perfectionis qualitatis proportionatæ sensui. Ex parte ergo positiuæ qualitatis, cum illa sit sensibilis perse, non est cur circa eam non versetur positiua sensatio;licet cum difficultate, propter paruitatem : vt experientia patet in omnibus sensibus.Ex parte vero priuationis,cum modificet sensibile perse,reducitur ad sensibile commune ; sicut quies reducitur ad motum. Et hoc probant argumenta secundæ sentētiæ.

8 Dico secundo, loquendo de priuationibus completis, & in facto esse,non attinguntur à sensibus internis actu positiuo ; sed tantum per remotionem priuatiuam sensationis ex priuatione sensibilis;& in quātum sensibilia communia, quia priuationes modificant subiectum affectum qualitatibus ab alijs sensibus perceptibilibus. Colligitur ex D.Thoma locis relatis : & probat eam fundamentum primæ sententiæ.Et vlterius constat , quia nulla potentia potest ferri extra latitudinem sui obiecti: sed priuationes, cū sint materiales, & insensibiles perse,sunt extra latitudinem sensuum externorum: ergo ab illis nequeūt attingi actu positiuo , sed priuatiuo,& nō mere negatiuo. Vnde bene notat Vazquez, quod visus hoc modo non discernit silentium, sed auditus,quando ipso applicato, nō audit,& sic de alijs. Et hoc modo visu externo non percipiuntur Angeli,qui sunt extra sphērā visus ; & percipiuntur tenebræ,quia *eadem est potentia oppositorum*, vt ait S. Th.& videdus 3.de Ani.lec.11.lit.d.& lec. 14.lit.e.in fine.Et recolēda quæ di

xim⁹

xim⁹ q.24.n.30.& S.Th.3.de Ani. lec.1.lit.e.ait. *Manifestū est etiā, quod quies comprehenditur ex motu; sicut tenebra per lucem: est enim quies privatio motus. Numerus etiā cognoscitur per negationem continui, quod est magnitudo.*

9 Demū nota, quod Arriaga disp. 5.de Ani.sec.5.nu.78. asserit, quod eo ipso, quod bruta cognoscant, & videant obiectū aliquod externū, murū, v.g. album, in quo sunt foramina, fenestræ, &c. per sensus tantū percipere albedinem illam positiuam; Deum autem infundere illis species, quibus formentur aliquas apprehensiones negatiuas.

10 Hoc tamē impugnatione vix indiget. Primo, quia qua facilitate dicitur, cōtemnitur. Secūdo, quia minus sufficienter Author naturæ prouidisset brutis, si possent perse prosequi obiecta cōueniētia, & nō possent, vbi non est obiectū, vel cessare à sensatione: vel attingere, vt modificatiua sensibiliū perse. Tertio, quia dicit S.Tho.Opus.de motu cordis *esse ridiculū ad causā primā recurrere, quādo adest principiū intrinsecū*: videantur quæ in simili diximus 2.Phys.q.10.n.27.& 1.de Gen.q. 8.n.16.& q.28.n.16.vsque 18. Denique, si illæ species excedunt vim naturalē brutorum, Author naturę eas numquā infundet. Si vero vim naturalē nō excedunt, nō nisi diuinādo poterit ratio assignari, cur alias species bruta ab obiectis acquirant, & istas cōparare nō valeant; si nō immediatè, saltē mediatè. Pluribus parco, quia iā video nulli, etiā è domesticis, illā doctrinam placere. De qua iterū lib.3.q.4.n.21.

## QVAESTIO XXXVIII.

*Vtrum sensus externi hominum excedant sensus aliorum animalium?*

1 PRimo certū est ex dictis q.15. §.5.quod sēsus hominis, vt sūt proprietates animę sensitiuæ humanæ, sunt nobiliores sensibus aliorū animalium; quia propriæ passiones sunt nobilioris naturæ. Aduertit tamen Iauel.2.de Anima.q.39.quod hæc consideratio non facit potentiā, vt potentiā, nobiliorem, aut viliorē; sed potentiā, vt res est: nā potentia, vt potētia, respicit obiectū; & non subiectum in quo est: & nobilitas potentiæ debet desumi ab obiecto: alioquin visus Aquilæ nō esset perfectior visu hominis.

### §. I.

*Homo omnia animalia excedit in tactu.*

2 SEcūdo est certum, quod homo in sensu tactus simpliciter excedit cætera animalia. Quod docent Philosoph.2.de Ani.tex.94.& S. Thom.ibi lec.19.lit.b.dicens. Homo secundum tactum multum differt in certitudine cognitionis ab alijs animalibus. Vnde quia homo habet optimum tactum, sequitur, quod sit prudentissimum omnium aliorum animalium. Et in genere hominum ex sensu tactus accipimus, quod aliqui ingenioſi sūt, vel non ingenioſi; & non secundum alium alium sensum. Qui enim habent duram carnem, & perconsequens habent malum tactum, sunt inepti secundum mentem: qui vero sunt moles carne, & perconse-

quens boni tactus, sunt bene apti mẽte. Vnde etiam alia animalia habent duriores carnes, quam homo. Videatur S. Thomas 1.p.q. 76. art.5.& in 2.dist.1.q.2.ar.5. & dist. 32.q.2.art.3. & q.vnica de Anima art.8.& de Sensu,& Sensato lec.9. lit.b.in fine. In isto vltimo loco ait, quod huius signum est, quod homo minus potest sustinere vehemẽtiã frigoris,& caloris, quã alia animalia.

3 Sed obijcies: nã videtur, quod aptitudo mentis magis respondeat bonitati visus, quam bonitati tactus, quia visus est spiritualior sensus, & plures differentias rerũ demonstrat. Respõdet S.Thomas ibi lec.19. quod duplici ex causa bonitas mentis respõdet bonitati tactus. Prima ratio est, quod tactus est fundamentũ omnium aliorum sensuum. Manifestum est, quod organum tactus diffunditur per totũ corpus: & quod libet instrumentũ cuiuscumque sẽsus, est etiam instrumentum tactus: & illud ex quo aliquid dicitur sensitiuum, est sẽsus tactus. Vnde ex hoc quod aliquid habet meliorem tactum, sequitur quod simpliciter habet meliorem sensitiuam naturam: & perconsequens, quod sit melioris intellectus: nam bonitas sensus est dispositio ad bonitatem intellectus. Ex hoc autẽ, quod aliquis habeat meliorem auditũ, vel meliorẽ visũ, non sequitur quod sit melius sensitiuus, vel melioris vis sẽsitiuæ simpliciter: sed solũ secundũ quid.

4 Alia ratio est, quia bonitas tactus sequitur bonitatem cõplexionis, siue tẽperantiæ. Cum enim instrumentum tactus non possit esse denudatum à genere tangibilium qualitatum, eo quod est ex elemẽtis compositum, oportet quod sit in potentia ad extrema, saltem per hoc quod est medium inter ea (iuxta ea, quæ docet S. Thom. lect. 23. lit.e. verbis iam relatis q.36.n.12) Ad bonam autem complexionem corporis sequitur nobilitas animę, quia omnis forma est proportionata suæ materiæ (ex quo principio deduxim⁹ q.11.animarum inęqualitatẽ indiuidualẽ). Vnde sequitur, quod qui sũt boni tact⁹, sũt nobilioris animæ,& perspicatioris mẽtis.

5 Addit Iauellus q.40. §. *Quãtum ad tertium*, quod aliud est sensum deseruire intellectui: & aliud est sensum ostendere bonitatem intellectus. Primum est commune omni sensui, quia nil est in intellectu, quod nõ prius fuerit in sensu. Et inter omnes sensus nobili⁹ deseruiũt visus, & auditus: visus, quantum ad scientiam, quæ habetur per inuentionem, & auditus quantum ad eã, quę habetur per doctrinam; de quo latius Iauellus 1. Metaphis.q. 4. & Flandria ibi q.3.art.3.ad 4. Secũndum autẽ conuenit soli tactui, quia non offenditur, quod aliquis sit boni intellectus, quia percipit per sensus multa intelligibilia, vel plures species sine ordine: sed quia circa intelligibilia, quorũ habet species, ordinate, & subtiliter, operatur: veraciter, & subtiliter intelligens. Id autẽ declaratur sola bonitate tact⁹, quia per ipsũ manifestatur corp⁹ mixtum nobilissima mixtione, & proportionatũ nobilissimę animę, & intellectui perspicatiori.

Sed

6 Sed instabis; nã mulieres molliores carnes habent, quam viri, vt experientia patet: & tamen vniuersaliter loquendo non sunt melioris intellectꝰ: ergo sensus tactus nõ est nobilior in habentibus molliores carnes.

Respondet bene Ferrara q. 16. ad 2. quod vniuersaliter loquẽdo mulieres nõ sunt nobilioris tactus quã viri: nam mollities carnis in mulieribus non est propter temperamentum, & debitam mixtionem humidi cum sicco, quam bonitas tactus consequitur: sed propter abundantiam flegmatis, quæ magis complexionem frigidam, & humidã, quam bonitatem tactus enunciat. Vnde Iauellus q. 40. in fine ait, quod mulier potius dicenda est laxæ cutis, quam mollis carnis. Idemque accidit in pueris: quia habent mollitiẽ spongiosam consistentem in humido aqueo; non mollitiem aeream, & sanguineam ex humido, & calido. Licet etiam non nulli reperiãtur bonæ complexionis, & perspicacis ingenij: sicut & non nullæ mulieres.

7 Tertio est certum, quoad aliquas cõditiones sensus hominis excedi à sensibus aliquorum animalium. Quod probant illa celebrata Carmina Homeri. *Nos sus auditu, linx visu, simia gustu, Vultur odoratu, præcellit aranea tactu.* Quamuis nõ vniuersaliter ita verificetur: nam de aranea dicit B. Albertus tract. 3. c. 73. quod non habet nisi prauum tactũ: est enim frigidę cõplexionis, & viscosã habet humiditatẽ, quæ tactũ habetat: vnde ignẽ admotũ non statim sentit. Quod si percipit vermiculos in telis irretitos, est propter motũ, qui non est sensibile propriũ tactus, sed qualitates primæ. Nec quod dicitur de simia, videtur verum, sed dicitur habere optimũ gustum, quia vt notat Toletus q. 24. ad 2. facit gesticulationes quasdam, quibus delectationem magnam in gustãdo præfefert. Quia de singulis sensibus singulorum animalium nõ est iste locus disputandi; solum continet specialem difficultatem olfactus hominis, de quo specialiter inquiritur, vtrum sit imperfectior olfactu aliorum animalium?

## §. II.

### *Vtrũ homo habeat peiorẽ olfactũ?*

8 DE odoratu duo asserunt Philosophus, & S. Thomas, quæ prima facie videntur contraria. In primis 2. de Anim. text. 92. lect. 19. lit. a. & de Sensu, & Sensato lect. 9. lit. b. expresse dicũt, quod *sensum olfactus peiorem habemus, & per comparationem ad cætera animalia*, & per comparationem ad cæteros sensus, qui in nobis sunt. Cuius ratio est, quia odoratus in actu perficitur per calidum igneum. Est autem organum olfactus circa cerebrum, quod est frigidius, & humidius omnibus partibus corporis, vt supra lec. 2. habitum est. Homo autem inter omnia animalia habet cerebrum maius secundum quantitatem sui corporis, vt dicitur 2. libro de Partibꝰ anim. cap. 7. & ideò oportet quod homo deficiat in sensu odoratus.

9 Per oppositum in eodem libro de Sensu, & Sensato lect.13. litt.a. distinguunt, quod duæ sunt species odorabilis: vna quidem per conuenientiam ad sapores: alia secundum se, quia quidam odores sunt delectabiles secundum se ipsos, ideſt, non per comparationem ad alimentum; sicut fit de odoribꝰ florum. Et quia nutrimentum est commune omnibus animalibus, id circo omnia animalia percipiunt odores, qui sunt passiones nutrimenti, sicut & sapores. Subiungunt tamen lit.f. quod odorabile, quod secundum se delectat, vel contristat, est proprium hominis, quia scilicet solus homo huiusmodi odorabilia discernit, & in eis delectatur, vel contristatur. *Vnde quantum ad hoc abundat in homine sensus odoratꝰ præ alijs animalibus.* Sed odor, qui coordinatur sapori, competit etiam alijs animalibus, quæ in huiusmodi odoribus discernendis *habent acutiorem sensum, quam homo.* Et quãtum ad hoc supra dixit, *quod sensum odoratus habemus peiorem alijs animalibus.* Rationemque assignat lit.g. & litt.K. & lec.14.lit.d. iam relatam num. 8.

10 Iam apparentem contradictionem non eodem modo Authores concordant. Iauellus q.39. & Bañez.1.p.q.78.art.3.de Odoratu dub.1.concl.1. & Tolet.q.24. & alij docent, quod homo in sensu olfactus respectu aliorum animalium excedit, & exceditur: excedit enim homo cætera animalia in olfactu respectu odorabilium per se delectabilium: quia vt dicunt Phylosophus, & S. Thomas illa lec.14. de Sensu, & Sensato, reliqua animalia non curant, neque fugiunt odores per se delectabiles, vel contristabiles; nisi inquantum fœditas odoris representat aliquam disconuenientiam nutrimenti.

11 Exceditur tamen homo ab alijs animalibus respectu odorabilium peraccidens delectabilium: nam magis à remotis odorant, & odores minus intensos, vt docet S. Thomas 2.de Anima lec.19. & 1.p.quæst.91.ar.3.ad 1. & quæst.115. art.5.ad 1. & in 4.distinct. 44. quæstione 1.art.2.quæstiuncula 4.ad 3. Et patet experiẽtia de vulturibus, de quibus Plinius lib.7.historiæ Naturalis cap.18. refert ad quingenta vsque milliaria percipere cadauera mortuorũ. Quod & docẽt S. Thomas, B. Albertus, Auerrois, & alij communiter, vt patet ex dictis quæstione 34.n.31. & 35. & hoc probat ratio S. Thomæ adducta.n.8. quã late declarat Bañez.

12 Alij verò absolute proferũt imperfectiorem esse olfactum hominum, quam aliorum animalium. Ita Viguerius cap.1.§.5.ver.2. Cõimbric.3.de Anima cap.1.q.vnica. Rubio ibi quæst.2. & lib.2.de Olfactu q.4. dicit ita tenere omnes Interpretes Aristotelis, nullo excepto. Et quod idẽ sensit Plato in Thimæo, & Theophrastus lib.6.de causis plantarum cap.5. Facile tamen omnes isti exponuntur, vt Phylosophum exposuit S. Thomas ex ipsiꝰ Phylosophi doctrina.

13 Denique Suarez lib.3.cap.29. n.3. absolute profert, quod in omnibus

nibus sensibus exterioribus superat homo cætera animalia simpliciter, & absolute loquendo; quamuis secundum quid superetur in nonnullis. Hanc secundam partem probat relatis experientijs. Primam vero, quia natura sensitiua in homine cõiungitur rationali: ergo est perfectior simpliciter: ergo & talis naturæ erunt potentiæ simpliciter perfectiores.

14 Hanc rationem parum vrgere, patet ex prænotatis n. 1. Experientiæ vero optime intelligũtur, iuxta dicta n. 10. quare modum dicẽdi, Iauelli, & Bañez omnino amplectendum iudico, quia verum, & omnino ad mentem Philosophi, & S. Thomæ. Et hæc de hac Quæstione, & Libro dicta sufficiant.

# LIBER TERTIVS ARISTOTELIS DE ANIMA.

1 ARabes non terminant librum secundum de Anima, nisi post tractatum omnium sensuum internorum; & ideò inchoàt librum tertium à capite quarto, vbi Philosophus incipit determinare de intellectu. Quam partitionem sequuntur Auerrois, B. Albertus Magnus, Aegidius, & Caiet. & Iauel. quia sic erat consuetum in Italia, in qua multi floruerunt Auerroistæ.

2 Græci verò librum tertium hic incipere dicunt: & satis rationabiliter (inquit S. Tho. lec. 1. initio) ex hinc enim Aristotelis ad inquirendum de intellectu accedit. Fuerunt enim aliqui, qui posuerunt sensum, & intellectum esse idem. Manifestum est autem, quod intellectus nō est aliquid de sensibus exterioribꝰ, de quibus iam dictū est, ex eo quod non coarctatur ad vnum genus sensibilium cognoscendum: vnde restat inquisitio, vtrum in parte sensitiua sit aliqua alia potentia cognoscitiua? Vt ex hoc possit accipi, vtrum intellectus sit aliquo modo sensus? Hæc S. Thomas.

3 Partitionem eandem ex antiquis tradiderunt S. Boetius, Argyropilus, Simplicius, Themistius, & alij. & post D. Thomam fere communiter Interpretes, vt multis relatis, ostēdunt PP. Carmelitani. Et vt ait Toletus, quamuis parum hoc referat ad rei veritatem consequendam, mihi tamen rationabilius visū est, Græcos Authores sequi; quippe qui in his quæ ad verba Aristotelis pertinent; maiori digni sunt authoritate, & propter linguę peritiā, & propter antiquitatem.

4 Continet autem liber iste tredecim capita: & diuiditur in tres principaliores partes. Tribus primis capitibus agit de sensibus; tum quia aliqui eos nō distinguebant ab intellectu: tū quia sunt aliquid præuium parti intellectiuę. In secunda parte à capite 4. vsque ad 8. inclusiue tractat de parte intellectiua. Denique à cap. 9. vsque ad finē, disputat de potentia motiua, & appetitiua per quinque capita.

*Summa capitis primi.*

5 IN primo capite duo præstat Philosophus: primo ostēdit, quod non sit alius sensus præter quinque: secundo ostendit quare sunt plures, & non vnus tantum. Circa primum, vtitur tali ratione. Quicumque habet aliquod organū sensus, per quod nata sunt cognosci aliqua sensibilia, cognoscit omnia

nia illa sensibilia, per organum illud: sed animalia perfecta habent omnia organa sensus: ergo cognoscunt omnia sensibilia. Cum igitur non habeant nisi quinque sensus, non erit alius (respectu propriorū sensibilium) præter quinque sensus.

6 Sed quia posset aliquis dicere, quod est aliquis alius sēsus cognoscitiuus sensibilium communium: excludit hoc tali ratione. Quicquid cognoscitur ab vno sensu, vt proprium sensibile eius, non cognoscitur ab alio sensu, nisi peraccidens: sed sensibilia communia non sentiuntur peraccidens ab aliquo sensuum; sed perse à pluribus: sensibilia igitur communia nō sunt per se obiecta alicuius sensus.

7 Circa secundum aliquis potest inquirere, cuius causa habemus plures sensus, & non vnum tantum? Et est responsio ad hoc, vt nos non lateant ea quæ consequuntur ad sensibilia propria, & sunt communia diuersis sensibus, sicut motus, & magnitudo, & numerus.

*Summa capitis secundi.*

8 VT determinet de sensibus internis, inquirit vtrum sit aliqua potentia sensitiua communis his quinque sensibus? Quoniam sentimus, quod videmus, & similiter sentimus, quod audimus, & sic de vnoquoque sensibilium; & ideò videndum vtrum hoc fiat ipsis sensibus, aut per aliam virtutem?

Respondet, quod actio visus potest considerari, vel secundū quod consistit in immutatione organi à sensibili exteriori: & sic non sentitur nisi color. Vnde ista actione visus non videt se videre. Alia est actio visus secundum quam post immutationem organi, iudicat de seipsa perceptione organi à sensibili, etiā abeunte sensibile: & sic visus non videt solum colorem, vel sentit, sed sentit etiam visionem coloris. Potest etiam responderi, dicendo quod videns est tamquam coloratum, quia in vidente est similitudo coloris: vnde videns est simile colorato.

9 Ex quo sequitur, quod sensus, & sensibilia secūdum actum, simul corrumpantur, & saluentur. Sed si dicantur secundum potentiam, nō necesse est, quod simul corrumpantur, & saluentur. Et cum sensus consistāt in quadam proportione; excellens sensibile corrumpit sensū, eo quod proportio corrūpitur per superabundantiam.

10 In posteriori parte capitis probat dari sensum communem; quia discernimus aliqua virtute, non solum album à nigro, vel dulce ab amaro; sed etiam album à dulci, & vnumquodque sensibile discernimus ab vnoquoque, & sentimus, quod differunt: & hoc fit per sensum, quia cognoscere sensibilia, inquantum sunt sensibilia, est sensus. Cum ergo hoc non fiat complete, per sensus proprios; debet dari sensus communis, quasi fontalis radix omniū sensuū externorum; ad quē etiā perueniunt immutationes omnium sensuum propriorum, sicut ad communem terminum.

*Summa*

*Summa capitis tertij.*

11 VT determinet quid sit phãta sia, tria præstat Phylosophus in hoc capite. Primo impugnat Antiquos dicentes intellectum nõ differre à sensu: secundo excludit falsas sentẽtias de phantasia: denique determinat quid sit phantasia.

Igitur Empedocles, & Homerꝰ dixerunt, quod idem sit sapere per intellectum, & sentire; quia corpora cælestia imprimunt directe in intellectum, & voluntatem; & nullum corporeum potest directe agere in id quod nullo modo est corporeũ. Esse autem idem sensum, & intellectum, ponebãt, quia intelligere, & sentire fiebat per similitudinem secundum esse corporeum, vt quod per terrã terra cognoscitur, & per aquam aqua, & sic de alijs.

Quod improbat duobus medijs. Primum est: intelligere contingit rectè, & non rectè. Sentire autẽ nõ contingit ni si rectè, quia sensus circa propria sensibilia semper verus est. Ergo sentire, & intelligere non sunt idem. Secundo, quia sentire inest omnibus animalibus: intelligere autem non, sed solis illis, quibus inest ratio, scilicet hominibus: ergo & rectè intelligere, non idem est quod sentire.

12 Ex hoc etiam apparet, quod sensus, & intellectus differũt, quia phantasia aliud est à sensu, & ab intellectu. Et non est idem opinio, & phantasia: quia passio phantasiæ est in nobis cum volumus: sed opinari non est in potestate nostra; quia opinans debet habere rationẽ, per quã opinetur, vel verum, vel falsum: ergo opinio non est idem quod phantasia. Et quia ad opinionem statim sequitur passio in appetitu, non vero ad phantasiam.

13 Phantasia autem non est sensus; quia dormiens, aliquid phantasiatur: hoc autem nõ fit secundum sensum in potentia, quia sensu in potentia existẽti, nihil apparet: nec secundum sensum in actu, quia in somno non est sensus in actu; ergo phantasia non est sensus in potẽtia neque sensus in actu. Rursus, intellectus est primorum principiorum, & scientia de conclusionibus, & per demõstrationem acquisita, & semper sunt verorum: phantasia autem quandoque est falsa: ergo phantasia non est intellectus, neque scientia.

14 Quod autem phantasia non sit opinio, probatur: quia ad omnẽ opinionem consequitur fides, quia vnusquisque credit illud, quod opinatur. Sed ad fidem sequitur quod aliquis sit persuasus; ea enim credimus quæ nobis per persuasa sũt per aliquam rationem: ergo quicunque habet opinionem, habet rationem. Nulla autem bestia habet rationem; cum tamen aliqua habeat phantasiam: ergo phantasia non est opinio, neque composita ex sensu, & opinione.

15 His exclusis, in vltima parte determinat, quod phansia est quidã motus causatus à sensu secundum actum; qui quidem motus non est sine sensu, neque potest inesse his, quæ nõ sentiũt. Ideò autem quãdo

que

que est vera, quandoque falsa, quia sensus, à cuius actu causatur, diuersimode se habet ad veritatē, & falsitatē. Vocatur autē phātasia, quia *phos* in Græco, idem est quod *lux*; & inde venit *phanos*, quod est apparitio, vel illuminatio, & phantasia: & accepit nomen à lumine sine quo non est videre.

*Summa capitis quarti.*

16 INcipit iam Philosophus determinare de parte Animæ intellectiua. Et in hoc capite agit de intellectu possibili: & diuiditur in tres partes; in prima determinat de intellectu possibili; in secunda de obiecto eius; in tertia soluit dubitationes circa prædeterminata.

Circa primū, inquit intellectum, propter hoc quod intelligit omnia in potētia, nō esse mixtum ex reb⁹ corporalib⁹, sed esse immissū: omne enim quod est in potentia ad aliquid, & receptiuū ei⁹, caret eo ad quod est in potentia, & cuius est receptiuū: intus enim apparens prohibebit cognoscere extraneū, & obstruet, idest, impediet intellectum, & quodammodo velabit, & concludet ab inspectione aliorum. Cū igitur intellectus noster natus sit intelligere omnes res sensibiles, & corporeas; oportet quod careat omni natura corporali. Sicut sens⁹ visus caret omni colore, propter hoc, quod est cognoscitiuus coloris.

17 Ex quo etiam patet, quod intellectus non habet aliquod organum corporale, sicut habet pars animę sensitiua. Et verificatur, quod anima est loc⁹ specierum, eo quod est specierum receptiua. Secundo colligitur ex dictis, quod non est similis impassibilitas sēsitiui, & intellectiui, quia sensus efficitur impotens ad sentiendum ex valde sensibili. Sed intellectus, quia nō habet organum corporeum, cum intelligit aliquid valde intelligibile; non minus postea intelligit infima, sed magis.

18 Circa secundum, docet Phyl. quod intellect⁹ reducitur in actum specierum intelligibilium, per modum, quo sciens actu, adhuc est in potentia intelligens. Cum autem actu intelligit, species intelligibiles sunt in eo secundum actum perfectum, & intelligit alia, & seipsum.

Obiectum igitur intellectus est, quod quid, vel essentia rei. Sed nō possemus cognoscere comparationem vniuersalis ad particulare, nisi esset vna potentia, quę cognosceret vtrumque. Intellectus igitur vtrumque cognoscit, sed alio, & alio modo: videlicet, naturam speciei directe; ipsum autem singulare per quādam reflexionem, inquantum redit super phantasmata, à quibus species intelligibiles abstrahuntur: nam sicut res sunt separabiles à materia, ita se habent ad intellectum.

19 Duo dubia mouet, & soluit Phylosoph⁹ in tertia parte capitis. Primum est, cū intelligere sit quodam pati: & ea quæ agunt ad inuicem, debeant communicare in materia, vt dicitur in 1. de Gener. tex. 22, non poterit intellectus esse simplex, & impassibilis.

Rel.

Respondet, quod pati dicitur aliquid dupliciter: & per contrarias dispositiones, sicut est in rebus naturalibus, quæ communicãt in materia: & est aliquod pati, quod dicitur secundum receptionem tantum. Intellect⁹ igitur dicitur pati, quia nihil intelligibilium est in eo actu, sed potentia tantum; sicut cõtingit in tabula, in qua nil est actu scriptum; sed plura possunt in ea scribi.

20 Secundo inquirit qualiter intellectus seipsum intelligat? Respõdet quod intellectus possibilis est intelligibilis, non per suam essentiam, sed per aliquam speciẽ intelligibilem, sicut & alia intelligibilia: quia intellect⁹ possibilis est potentia tantum in ordine intelligibili: & nihil intelligitur, nisi secundũ quod est in actu. Et ideò nõ semper intelligit, quia species non est intelligibilis secundum actum, sed secũdum potẽtiam tantum in rebus habentibus materiam.

*Summa capitis quinti.*

21 DEterminat de intellectu agẽte: & primo ostendit esse intellectum agẽtem: deinde ostendit huius intellectus naturam: & tertio determinat de intellectu secũdum actum. Dari intellectum agentem, sic probat. In omni natura, quæ est quandoque in potentia, & quandoq; in actu, ponere oportet aliquid quod sit in potẽtia ad omnia illius generis; & aliud quod sit causa agens, & factiuum. Sed anima secundum partem intellectiuam, quãdoque est in potentia, & quandoque in actu. Ergo necesse est in anima intellectiua sit vnus intellectus, in quo possint omnia intelligibilia fieri; & hic est intellect⁹ possibilis: & alius intellectus sit ad hoc, quod possit omnia intelligibilia facere in actu, qui vocatur intellectus agens.

22 Quatuor autem sunt conditiones intellectus agentis: quarum prima est, quod sit separabilis; secũda, quod impassibilis; tertia, quod sit immixtus, ideſt, non compositus ex naturis corporalibus, neque adiunctus organo corporali. Quarta autem conditio est, quod sit in actu secundum suam substantiam: in quo differt ab intellectu possibili, qui est in potentia secundum suã substãtiam, sed est in actu solum secundum speciem susceptam: quia agens est nobilius patiente, non nisi secundum quod est in actu.

23 Tres autem sunt conditiones intellectus in actu: quarum prima est, quod scientia in actu est idem rei scitæ: quod non est verum de intellectu in potẽtia. Secunda, quod scientia in potentia in vno, & eodem, tempore est prior, quam scientia in actu; sed vniuersaliter nõ est prior, non solum natura, sed neque etiã tempore. Tertia conditio per qua differt ab intellectu possibili, & intellectu in habitu, est quia vterque quandoque intelligit, quandoque non intelligit: sed hoc nõ potest dici de intellectu in actu, qui cõsistit in ipso intelligere.

24 Denique, dicitur pars intellectiua, separata, ex hoc quod habet opera-

operationē ſuam ſine organo corporali: & ſola hæc pars animæ eſt incorruptibilis, & perpetua, eo quod ſemper erit. Deſtructo autem corpore non remanet in anima ſeparata ſcientia rerum ſecundum eūdem modum quo modo intelligit: eo quod nō intelligit aliquid ſine phātaſmate.

*Summa capitis ſexti.*

25 DE duplici operatione intellectus agit in hoc capite, primo diſtinguēs eas; ſecūdo determinādo de vtraq; earū. Vna operatiō nū intellectus eſt ſecūdū quod intelligit indiuiſibilia. Et hæc intelligētia eſt in his circa quę, non eſt falsū. Sed in illis intelligibilibus, in quib⁹ eſt verum, & falſum, eſt iam quædā compoſitio intellectuum, ideſt, rerum intellectarum, ſicut quādo ex multis fit aliquid vnum.

26 Vt determinet de prima operatione, ait quod in diuiſibile dicitur tripliciter, ſicut & vnū. Primo dicitur indiuiſibile continuū, quia non eſt diuiſum actu; licet ſit diuiſibile in potentia. Secundo dicitur indiuiſibile ſecundum ſpeciem; tertio eſt aliquid penitus indiuiſibile, vt punctus, & vnitas. Nihil ergo prohibet intellectum intelligere indiuiſibile, cum intelligit continuum; & ideo intelligit cum indiuiſibili tempore; cum intelligit id ſimul, vt quid conſtans ex multis partib⁹. Pariterque dicendum cum intelligit ſpeciem indiuiſibiliter: ſi autem intelligeret partes vt diuiſas, tunc non intelligeret in tempore indiuiſibili. Punct⁹ verò, & vnitas nō definiuntur, niſi negatiue. Dictio autē intellectus ſemper eſt, aut vera, aut falſa: ſed intellectus non ſemper eſt verus, aut falſus, quia intellectus eſt incomplexorum.

*Summa capitis ſeptimi.*

27 TRia præſtat Philoſophus in hoc capite: primo determinat de intellectu per comparationem ad ſenſum: ſecundo comparat cognitionem intellectus practici, & ſpeculatiui: tertio explicat qualiter intellectus intelligat, quę ſunt ſeparata à materia. ¶ Dicit ergo primo, quod ſenſibile reducit ſenſum de potentia in actū: & mouet, nō motu phyſico; ſed motu, qui eſt actus perfecti: & quoad hoc eſt ſimile ei quod eſt intelligere. Vnde ſicut ſenſus mouetur à ſenſibilibus, ita intellectus à phātaſmatibus. Et ſicut, cū ſenſus apprehendit aliquid, ſicut delectabile, vel triſte, proſequitur illud, aut fugit; ita etiam cum intellectus apprehendit aliquid affirmāns, vel negans eſſe bonū, vel malum, fugit, aut proſequitur. Ex quibus patet, quod pars animæ intellectiua intelligit ſpecies à phantaſmatibus abſtractas. Et ſicut intellectui determinatur aliquid imitabile, & fugiendum in ſenſibilibus, cum præſentia fuerint, ita cum repreſentantur phantaſmata in abſentia ſenſibilium.

28 Circa ſecundum inquit, quod vera, & falſa cognitio intellect⁹ ſecundum quod pertinet ad intellectum practicum, & ſecundum quod per-

pertinet ad intellectum speculatiuum, est in eodem genere; siue illud genus sit bonum, siue malum: quia non diuersificatur genus rei, quod consideratur speculatiue; vel practice: & ipsa cognitio est quodam bonum intellect⁹, siue speculatiui, siue practici, & cognitio falsa est quodam malum intellectus: speculatiuus considerat in vniuersali, practicus autem applicando ad particulare operabile, quia operatio in particularibus est.

29 Denique in vltima parte asserit, quod intellectus intelligit omnia mathematica separate, tamquã si essent separata, quamuis non sint separata secundum rem. Non autẽ sic intelligit naturalia, quia in diffinitione naturalium ponitur materia sensibilis; nõ autẽ in diffinitione mathematicorum. De cognitione autem substantiarum separatarum pertinet ad Metaphisicam.

*Summa capitis octaui.*

30 EX dictis ostendit, quid de natura animæ sit sentiendũ? Et in primis asserit, quod anima quodammodo est omnia: nam sensus in actu, & scientia, vel intellectus in actu, sunt scibilia, & sensibilia in actu. Quod quidem non est intelligendũ eo modo quo Empedocles posuit, quod terra terram cognoscim⁹, & aqua aquam, & sic de alijs: quia lapis non est in anima, sed species lapidis. Sed per hũc modum dicitur intellectus in actu esse ipsum intellectũ in actu, inquantum species intellecti est species intellect⁹ in actu. Et sic anima assimilatur manui, qua homo sibi omnia præparat: & similiter anima data est homini loco omnium formarũ: quia est receptiua omnium formarum intelligibilium in intellectu; & sensibilium in sensu.

31 Rursus ostendit, quod intellectus indiget sensu, quia sine sensu nõ potest aliquis homo addiscere, quasi de nouo acquirens scientiã; neque intelligere, quasi vtens scientia habita: & propter hoc per læsionem organi impeditur vsus sciẽtiæ iam acquisitæ: quia oportet phantasmata speculari: phantasia autem est motus factus à sensu secundum actum.

32 Denique ostendit differentiã inter phãtasiam, & intellectum: nã phantasia est alterum ab affirmatione, vel negatione intellectus, quia in complexione intelligibilium iã est verum, & falsum; quod nõ est in phantasia. Similiter intelligentię indiuisibilium non sunt phãtasmata; quia phãtasmata sunt similitudines particularium: intellecta autẽ sunt vniuersalia ab indiuiduantibus cõditionibus abstracta.

*Summa capitis noni.*

33 IN isto, & sequenti capite agit de virtute loco motiua; in isto quidem disputatiue; & in capite decimo veritatem determinando. Dubitationem enim habet quomodo oporteat distinguere partes animæ? Nã si singulis operibus, & motibus eius diuersæ sunt attribuẽdæ partes; videntur infinitæ esse, ideſt, non

non posse comprehendi sub aliquo certo numero. Diuisio autem in rationalem, irascibilem, & cõcupiscibilem, solum comprehẽdit vires motiuas. Diuisio vero per rationẽ habentem, & irrationabilem, non est propria diuisio partium animæ.

34 Et ideò arguit cõtra istas diuisiones, quia pars vegetatiua in plantis, & viuentibus; & sensitiua in animalibus, plus differunt quam irascibilis, & concupiscibilis: & tamẽ istę duæ potentiæ non comprehenduntur sub illis diuisionibus. Pars etiam phãtastica differt ab istis. Vis etiam appetitiua videtur esse altera ratione, & potentia, ab omnibus partib⁹ animæ. Et motiua secundũ locum facit dubitationẽ circa prędictas diuisiones, quia non videtur sub eis contineri. Et de motu augmenti, & decrementi, & de respiratione, & expiratione, somno, & vigilia sunt speciales difficultates, & ideò specialem exigunt tractatum.

35 In secunda parte capitis procedit disputatiue ad inquirendum, quid sit principium motus secũdũ locum in animalibus? Et primo ostẽdit, quod nõ sit vegetatiua potẽtia: quia motus processiuus secũdũ locum est propter aliquid imaginatum, & desideratum. Phantasia autem, & appetitus nõ conuenit parti vegetatiuæ. Deinde, quia pars vegetatiua est etiã in plantis; quæ nõ mouẽtur hoc motu. Nõ ergo pars vegetatiua est principium mot⁹ localis processiui in animalibus.

Secundo ostendit, quod neque sensus est principium talis motus: quia multa animalia habent sensũ, quæ tamen manent semper in eodẽ loco quandiu viuunt: & natura nõ deficit in necessarijs, nisi in animalibus orbatis, & imperfectis. Sed animalia immobilia sunt perfecta in sua specie: vnde si haberent principium motus, haberent partes organicas dispositas ad motum processiuum.

Neque etiam intellectus est principium motiuum: & de speculatiuo videtur clarum, quia speculatiuè considerãdo aliquid agibile nõ mouet. Et de practico idem probatur, quia stat quod intellect⁹ dictet aliquid fugiendum, vel prosequendũ, nec propter hoc homo moueatur, sed agat per concupiscentiam; vt patet de incontinentibus: & de his qui habent sciẽtiam medicinæ, & non sanantur. Sed neque pars appetitiua mouet, quia videm⁹ quod continentes appetunt, & concupiscunt; sed non operantur ea quorũ habent appetitum.

*Summa capitis decimi.*

36 DEterminat veritatẽ de principio motus localis. Et in primis statuit, quod duo hæc videntur principia motus, scilicet appetitus, & intellectus: ita tamen vt sub intellectu phantasia comprehendatur; multi enim prætermissa, scientia sequuntur in suis motibus phantasiam; sicut qui imperu mouentur, & non secundum rationem. Et in alijs animalibus ab homine non est intellectus, sed solum phantasia. Intellectus autem, qui mouet, est intellectus practicus, qui speculatur veritatem propter operationem.

Et

Et hæc mouentia reducuntur ad vnum, quia intellectus non inuenitur mouens sine appetitu; nec phãtasia mouet sine appetitu. Et ideò in actionibus nostris contingit deficere à rectitudine, secundum quod deficimus ab intellectu, & ratione. Vnde appetibile, quod mouet, aut est vere bonum, aut apparens bonum, quando decinat a iudicio intellectus recti, propter appetitum, vel phantasiam. In homine autem sunt cõtrarij appetitus, quorum vnum continentes sequuntur, & alij repugnant: & hoc contingit cũ ratio concupiscentiæ contrariatur.

37 In secunda parte, vt explicet ordinẽ motus præmittit quod omnia mouentia formaliter cõueniũt in specie primi mouentis, nempe in ratione appetibilis, vel appetitiui; tamen numero sunt plura. In motu igitur animalis mouens non motũ est bonum appetitum, prout intellectum, vel imaginatum. Sed mouens motum est appetitus, quia appetere est quidam actus, vel motº. Quod autem mouetur est animal. Organum autem quo appetitº mouet, est aliquid corporeum. Et primum mouens organice oportet tale esse, vt in eodẽ sit, & principiũ, & finis motus. Vnde oportet in ipso organo motus, quod est cor, sit aliquid quiescens, in quantum est principium motus; & aliud quod mouetur, in quantum motus termi natur ad ipsum: & ideò omnis motus animalis componitur ex pulsu, & tactu. Et cor in eadem parte manens mouetur secũdũ dilatationẽ, & cõstrictionem.

*Summa capitis vndecimi.*

38 AGit de principio motiuo per comparationem ad diuersa genera animaliũ: omne enim animal in quantum est appetitiuũ, sic est sui ipsius motiuum; nam appetitus est causa propria motus. Animalia imperfecta, quibus ineſt solus sensus tactus, mouentur phantasia, vel concupiscentia indeterminata, in quantum imaginantur, & cõcupiscunt aliquid vt cõueniens, nõ autem vt hoc, aut illud, aut hic, aut ibi.

39 Ostendit in secunda parte capitis, quod principium motiuum sit in hominibus, dicens quod phãtasia sensibilis est etiã in alijs animalibus, sed illa quæ est per deliberationem, est tantum in rationalibus; quia considerare, vtrum hoc sit agendum, aut hoc, (quod est delibe rare) opus est rationis. Sed appetitº inferior, qui est sine deliberatione, vincit deliberationem, & remouet hominẽ ab eo, quod deliberauit: sed naturalis ordo est vt superior appetitus moueat inferiorem. Aduertit autem, quod ratio speculatiua non mouet, sed ratio practica; non quidem vniuersalis, sed particularis. Aut si vtraque mouet, illa, quæ est vniuersalis mouet, vt causa prima, & quiescens; particularis verò vt causa proxima, & motui applicata quodammodo.

(.·.)

Summa

*Summa capitis duodecimi.*

40 OStendit quomodo partes animę ad inuicē ordinentur: & asserit primo, quod omne, quod viuit, necesse est quod habeat animam vegetabilem à principio suæ generationis vsque ad suā corruptionem: quia necesse est, quod omne viuens, quod generatur, habeat augmentum, & statum, & decremē tum. Sed hæc nō possunt accidere sine alimēto. Cum igitur vti alimē to pertineat ad partē vegetabilem, necesse est quod hæc pars animæ sit in omnibus viuentibus.

41 Asserit secundo, quod non est necessarium, quod omnia viuentia habeant sensum; quia sensus tactus (sine quo nullus alius potest esse, & perconsequens neque aliquod animal, cuius ratio perficitur ex hoc quod habet sensum) esse nō potest in aliquo corpore simplici. Sunt autem quædam viuentia, scilicet plātæ, quæ sunt propinqua corporib⁹ simplicibus, propter earum terrestreitatem, & non recipiunt species sensibilium nisi per materialem immutationem. Non ergo omnia viuenria habent sensum.

42 Tertio asserit omnia animalia habere sensum: & quod sensus tactus est simpliciter necessarius omni animali; alij autem sensus non insunt omnib⁹ animalibus, sed qui busdā. Primum probat, quia si corpora processiua non haberent sensum, non possent consequi finem ad quem natura ordinauit; & ita essent frustra; quod est incōueniens. Id autem sequi probatur: quomodo enim alerentur, nisi quærerent alimentum per motum?

43 Secundam partē probat, quia nisi animal haberet sensum tactus, per quem discerneret conueniētia à corruptiuis, non posset hæc fugere, & illa accipere; & ita non posset saluari animal. Necessarium est igitur ad salutē animalis, quod habeat sensum tactus. Et idem est de gustu, qui est sicut tactus quidam.

Tertia pars constat, quia visus, auditus, & olfactus, conueniunt animali, non propter necessitatem, sed propter bene esse. Sed conueniunt animali, quod mouetur motu processiuo, quia debet sentire id quod à longe, quia ad aliquid remotum mouetur.

*Summa capitis tertij decimi.*

44 IN hoc vltimo capite tria præstat Phylosophus. Primo ostendit, quod impossibile sit corpus animalis esse simplex: quod probat tali ratione; omne animatū anima sensitiua debet esse tale vt per ipsū possit fieri sensus tactus. Sed illud per quod fit tactus, oportet esse medium inter qualitates rangibiles, ad hoc quod sit susceptiuum earum, vtpote in potentia existens ad eas. In corporibus autem simplicibus non inuenitur medium inter qualitates tangibiles, sed inueniuntur ipsæ qualitates secundum extremitatem contrarietatis. Ergo per nullū corp⁹ simplex; nec per aliquid corporibus simplicibus vicinum, potest fieri sensus tactus. Et ideò ossi-

bus, & capillis non sentim⁹: & plātæ nullum habent sensum.

45 Secundo asserit per priuationem sensus tactus necesse esse animal mori. Vnde sensibilia aliorum sensuum (si sint excellentia) corrūpunt quidem singulos sensus; sed non corrumpunt animal, nisi peraccidens: sed excellentię qualitatum tangibilium corrūpunt animal per se, & non peraccidens.

46 Denique docet, quod alios sensus habet animal, non propter necessitatem sui esse, quia sine eis potest esse, & viuere; sed propter bene esse: sicut visū vt videat, quæ procul sunt: gustum, vt sentiat delectationem in alimento, & sic cōcupiscat ipsum: quod pariter procedit de odoratu: & auditus vt ei aliquid significetur. Et hęc dicta de textu Philosophi de anima ad prę sens sufficiant.

## QVAESTIO. I.

### *Vtrùm sensus interni sint plures?*

### §. I.

### *Certum est dari sensum internum.*

1 PRæter quinq; sensus externos, dari alium internum, nemo est qui ambigat. Et constat primo ex Philosopho 3. de Anima tex. 147. & de Somno, & vigilia cap. 2. & communi omnium Philosophorum.

2 Secundo cōstat ex Patribus, apud quos passim est mētio de sēsu interno, vt videre est in S. Damasc. lib. 2. de fide c. 17. S. Nissen. de Viribus Animæ c. 6. S. Nemes. de nat. hom. cap. 6. S. Isidoro de differentijs dif. 19. S. Greg. li. 11. Moral. c. 3. S. Bernard. de gratia & lib. arb. c. 2. & S. Aug. de Quātitate animæ c. 18. & lib. 2. de libero arbitrio cap. 3. habet hæc notāda verba. *Hic nec visus, nec auditus, nec olfactus, nec gust⁹, nec tactus dici potest; sed nescio quid aliud, quod omnibus communiter præsidet. Quod cum ratione comprehendamus (vt dixi) hoc ipsum tamen rationem vocare non possum, quoniam, & bestijs inesse manifestum est. Agnosco istud, quicquid est, & eum sensum interiorem appellare non dubito.*

3 Experiētiaque manifesta comprobatur: experimur enim non solum homines, sed animalia bruta somniare. Vnde Philosophus 4. de Historia animalium c. 10. ait. *Somniare non solum homines, sed etiam equos, & canes, & boues, palam est, atque etiam oues, & capras, denique genus omne quadrupedum; idemque animalia fœcunda. Declaram id canes suo latratu, quem per quietem agunt.* Quod & sequitur Plinius lib. 10. capite 75. Sed somniū non est exercitium sensuum exterorum, quia somnio impediuntur: nec sunt operationes intellectus, qui non est in brutis, & in homine operatio intellectus somno impeditur: ergo præter intellectum, & sensus externos, datur sensus interior.

4 Idem demonstrat Sanctus Thomas prima parte quæstione 78 articu-

ticulo quarto, nam cum natura nō deficiat in necessarijs, oportet esse tot actiones animæ sensitiuæ, quot sufficiunt ad vitam animalis perfecti. Et quęcunque harum actionum non possunt reduci in vnum principium, requirunt diuersas potentias; cum potentia animæ nil aliud sit, quam proximum principium operationis animæ. Est autem considerandum, quod ad vitam animalis perfecti requiritur, quod non solum apprehendat rem apud præsētiam sensibilis; sed etiam apud eius absentiam: alioquin cum animalis motus, & actio sequantur apprehēsionem, non moueretur animal ad acquirendum aliquid absens. Cuius contrarium apparet maxime in animalibus perfectis, quæ mouentur motu processiuo: mouentur enim ad aliquid absens apprehensum. Oportet ergo quod animal per animam sensitiuam, non solum recipiat species sensibiles, cū præsentialiter immutatur ab eis, sed etiam eas retineat, & conseruet. Cum ergo hoc excedat vim sensuum externorum, oportet dari sensum internum ab externis distinctum.

5 Præterea idem ostendit ibi Sanctus Thomas, quia necessarium est animali, vt quærat aliqua, vel fugiat, non solum quia sunt conuenientia, vel non conuenientia ad sentiendum; sed etiam propter aliquas alias commoditates, vel vtilitates, siue nocumenta. Sicut ouis videns lupum venientem fugit, nō propter indecentiam coloris, vel figuræ, sed quasi inimicum naturæ. Et similiter auis colligit paleam, non quia delectet sensum, sed quia est vtilis ad nidificandum. Necessarium est ergo animali, quod percipiat huiusmodi intentiones, quas non percipit sensus exterior. Et huius perceptionis oportet esse aliquod aliud principium; cum perceptio formarum sensibilium sit ex immutatione sensibili, non autem perceptio intentionum prædictarum. Datur ergo aliquis sensus interior realiter distinctus ab intellectu, & à sensibus internis. Manet ergo dubium satis difficilè, & his temporibus controuersum, vtrum sensus internus sit realiter vnus? an verò plures? Et si sunt plures? Quot debeant constitui?

## §. II.

### *Opiniones Doctorum de numero sensuum internorum.*

6 MIrum est quantum varient Doctores in assignando numero sensuum internorum. Opinantur quidam tantum dari vnicum sensuum internum, qui à diuersis actibus, & muneribus, diuersimode denominatur. Tribuitur Alensi secunda parte quæstione 7. membro 2. Phylopono, Simplicio, & Themistio, & alijs antiquis, quos eam docuisse, non constat. Expresse tenet Suarez libro tertio de Anima capite. 30. Dandinus lib. tertio de Anima digressione 15.

Rubio 3.de Anim.de Sens.inter.q. 1.& 2. Hurtado disputat. 17.sect. 8. Arriaga disputatione 5. sect.4. Vazquez 1.p.disp. 118.c.4. n. 12. Et latius Geuara libro 1.de interioribus sensu tract. 7. Auersa to.3.q.55. sect.3.& alij Recentiores. Et aduertunt Suarez n.18.& Rubio tota q. 2.& alij istos sensus nō solum realiter; sed nec formaliter debere distingui.

7 Constituunt alij tantum duos sensus internos inter se,& ab externis distinctos, nempe sensum communem,& phantasiam. Ita Paulus Venetus 3.de Anima cap.3. & Forolibiēsis lib.2.artis paruæ cap. 16. Marcellus lib.4.c.20.Petrus Martinez 2.de Anima textu 162.Fonseca lib.5.Metaph.cap.28.q.7.sec.7. Conimbric.3. de Anima cap. 3. q. 1.art.3.Sebastianus Perez,& alij ibidem.

8 Tres tantum sensus internos esse distinguendos, putat Toletus tertio de Anima quæstione 6.conclusione.1. esse mentem Aristotelis,& Græcorum omnium. Et reuera docuit Galenus libro de differentia sympt.capit.3. & sequuntur Vallesi.lib.2.controu. Medic. cap. 22.& 23.Fernelius lib.5.Physiologiæ cap.4. Picolomineus de Sens. inter.cap.7.& alij.

9 Verumtamen sensus internos esse quatuor, nec plures, nec pauciores, expresse docet S.Tho. 1.p. q.78.art.4.& q.vnica de Anim. ar. 13.& Author Opuscul.43.apud D. Thomam,cap.4 & omnes Thomistæ,nullo,quem sciam,dempto. Ex alijs docuerunt Auerrois 3. de Anima textu 6.Iandunus 2. de Anima q.73.Thianēs.in fine 2. de Anima. Veracruz 2.de Anima specul.3.Valentia prima parte disputatione 6. quæstione 4. puncto 2. §. *Porro sensus*.Salas 1.2. tomo.1. tractat. 9. disp.5. sect.1. Immo esse communem,ipse Suarez fatetur num.8.& 17.admittens se nulli in hoc puncto in totum consentire. ¶ Hoc autem ordine eos constituit S. Thomas, primo sensum communem, deinde imaginationem, tertio estimatiuam, quarto memoratiuam: & quæ in alijs animalibus dicitur estimatiua naturalis, in homine dicitur cogitatiua,& memoria in homine est reminiscentia.

10 Vltra has quatuor vires interiores, Auicena lib.6. Naturalium p 4.capite.2.& Fen.1.doctrina 6.& B.Albertꝰ in summa de homine tract.4. de imaginatione,& 2.de Anima tract.4.cap.6.& alij addunt quintam potētiam,quam vocant imaginatiuam, à phantasia distinctam. Licet non eodem ordine collocent Auicena,& B. Albertus Magnus,vt late refert Toletus vbi supra.

11 Et denique,sine Authoris certo nomine,refertur sententia constituens sex sensus internos, nempe sensum communem, imaginatiuā, phantasiam,æstimatiuā, memoriā, & reminiscentiam.

12 Nec minus certant Doctores de re ipsa,quam de mente Aristotelis; quia vnusquisque in suam opinionem,quamuis inuitum,trahere conna-

conatur. Et quidem videtur indubitatũ, (quicquid authores primæ sententiæ reclament) Aristotelem agnouisse plures sensus internos: quod P. Thom. Hurtado disp. 2. de Sensibus internis controu. 10. mẽbro 6. §. 1. *dicit adeò manifestum, vt cæcutiant, qui contrarium sentiunt.*

13 Quot autem posuerit sensus internos? Non est vsque adeo manifestum: nam S. Thomas 3. de Anima lec. 6. lit. a. notat *quod motus phãtasiæ aliam potentiam requirat, quam sensitiuam; Aristoteles hoc non determinat.* Et Caietanus 2. de Anima cap. 15. §. *sciendũ secundo*, ait, quod licet vulgata sit distinctio virium sensitiuarum interiorum; & ad minꝰ præter sensum communem, acceptentur a Peripateticis tres virtutes, scilicet, phantasia, cogitatiua, vel estimatiua, & memoria. Non constat tamen quid de hoc senserit Aristotelis? Qui, & memoriã, & phantasiam actꝰ quidem distinctos posuit; sed non clare tanta distinctione vt distinctas poneret virtutes. Quam opinionem apud Peripateticos cõmuniter teneri, testatur, & sequitur Iauellus 2. de Anima q. 59. §. *tu tamen.*

At vero Bañez. 1. p. q. 78. art. 4. dub. 1. in fine cẽset opinionem D. Thomæ esse desumptã ex Phylosopho: quod, & affirmãt alij Thomistæ, & diligenter probat Thomas Hurtado illa cõtrou. 10. membro 10. per totum.

***

§. III.

*Sensus internis sunt plures.*

14 DIcendum tamen est, certum esse dari plures sensus internos. Propono cõclusionem his verbis cum Aegidio Lusitano to. 1. de beatitudine lib. 4. q. 12. ar. 1. n. 3. dicente, *certissimum esse fore constituẽdos plures sensus internos realiter diuersos.* Et Thomas Hurtado membro 6. §. 1. ait, quod prior opinio est *contra fere omnes Phylosophos Græcos, & Arabes: & quod Latinorũ nullus ausus est sequi opinionẽ Alexãdri vsque ad hæc tẽpora.*

15 Deinde videtur expresse contra S. Augustinum lib. 7. super Genesim ad litteram c. 17. & 18. vbi ex Medicorum doctrina, ait quod *tres tamquam ventriculi cerebri demonstrantur.* Quod, & docet Author de Spitu, & anima cap. 32. & S. Greg. Nisenus lib. 4. c. 6. & 7. & S. Damasc. lib. 2. fidei à cap. 17. vsque ad 20. & esse communem Phylosophorum, & Medicorũ, testatur Bañez 1. p. q. 78. ar. 4. dub. 1. & infra q. 6. n. 26. exponetur tractando de subiecto, & organo sensuum internorum.

16 Ex quo sic probatur conclusio: quia licet organa non sint distinctiua à priori potẽtiarũ, eo quod vt optime argumentatur S. Thom. 1. p. q. 78. art. 3. *potentia non sunt propter organa; sed organa propter potentias:* vnde non propter hoc sunt diuersæ potentiæ, quia sunt diuersa organa. Tamen à posteriori, & quoad nos, ex eo quod scimꝰ naturam nihil frustra facere; videndo in animali plura organa sẽsuũ, colligimꝰ habere plures potẽtias. *Et ideò* ( inquit

S.Thomas) *natura instituit diuersitatẽ in organis, vt congruerent diuersitati potentiarum.* Sicut ergo à posteriori in sensibus externis, ex quinque organis probantur quinque sensus; ita pariter pluralitas sensuum internorum probatur ex pluralitate interna organorum: quæ *certis indicijs probata esse dicunt* Medici, vt ait S. Augustinus. Quæ desunt, vt complete vrgeatur hæc ratio, supplenda sunt ex dicendis de organo, & subiecto singulorum sensuum: quia numerus sensuum non est vltra organorum numerum multiplicandus.

17 Secundum fundamentum indicatur à D.Augustino ibi dicente. *Hæc illi certis inditijs probata esse dicũt, quando, & iste partes aliquo affecta morbo, vel vitio, cum defecissent officia, vel sẽtiendi, vel mouendi mẽbra, vel motus corporis reminiscendi; satis quid valerent singulæ declararunt; eisque adhibita curatio, cui rei reparandæ profecerit, exploratum est.* Hinc formatur argumentũ, quia in vno eodemque animali experimur lædi vnum sensum internũ illæso alio. Quod probat Galenus libro de Symtop. differ. cap.3. referens quendam Theophilũ Medicum ægrotantem phræneſi laborantem, putasse se intueri in angulo domus tibicines per strepentes, iussisseque eos eijci: in quo erat læsa imaginatiua, sed non æstimatiua, qua recte iudicabat tibicines esse molestos si de prope sonẽt. De alio refert arripuisse vasa, & e fenestra eiecisse: in quo integra erat imaginatio, læsa vero æstimatiua, qua nõ discernebat vsum, & vtilitatem vasorum. Ergo organa, & potentię internæ sunt distinctæ.

18 Respondet Suarez cap.31.nu.7. quod eadem potẽtia varie lædi solet; licet læsionum causæ sint ignotæ. Ita Aristoteles de Insomnis c.3. vbi diuersarum specierũ phrenẽsis diuersas reddit causas; nullam tamen certam satis. Ita sensus internus, cum habeat organum apte tẽperatum, sicut diuersimode potest solui temperamẽtũ, ita in eo diuersæ possunt causari læsiones. Quod latius explanat Auersa ad 5. docẽs, quod in his euentibus non læditur vna potẽtia, illęsa alia: sed vna simplex potentia in vna, vel alia operatione, circa vnum, vel aliud obiectũ, pro varietate specierũ, quæ perturbantur, aut propter prauam dispositionem, quę est in vna parte organi, quæ non est in alia.

19 Hanc solutionem impugnat late Thomas Hurtado illo §.1.fa-- tendo vnam potentiam posse recte operari circa vnũ obiectũ, & praue circa aliud: sicut docet S. Thomas de Mem.& rem.lec.1. quod aliqui sunt bene memoratiui, & male reminiscũtur, quia isti actus requirũt diuersam dispositionẽ. Experimur etiã aliquos recte speculari, & male iudicare practice de agibilibus: quamuis intellectus speculatibus, & practicus non sint diuersæ potentiæ, vt probat S. Thomas 1.p.q.79. ar.11. Quare non facit ratio vim in impedimento vnius actus, non impedito alio. Sed nititur in eo, quod naturaliter est impossibile, quod vna potẽtia materialis affixa organo corporeo simul, & semel distorte operetur circa vnã operationẽ, & nõ circa aliam. Quod probatur primo

primo ab exemplo visus, qui si distorte videt album, distorte videt alios colores. Secundo, quia nulla assignatur potentia materialis, quæ circa rem vnam recte se gerat naturaliter, & malè circa aliam. Tertio, quia si organum, & species, & modus immutandi non vitiatur, rectè operatur semper; si verò aliquid deest, vel impeditur, durante impedimento, semper operatio est distorta: eo quod potentiæ istæ agunt naturaliter. Sed experientiæ in argumento relatæ, probant quod in sēsib⁹ internis potest simul, & semel esse distorta operatio vnius sensus, existēte altera recta in sua linea. Ergo probabile, & congruum signū est has operationes prouenire à diuersis potentijs.

20 Efficacius conclusionē à priori probat S. Tho. q. 78. ar. 4. qui supponit id quod latè explicuimus libro 2. q. 15. quod potentiæ specificātur per ordinem ad actus, & isti per obiecta; non quidem materialiter, & in esse rei; sed formaliter, & in esse obiecti. Cum igitur sensibile sit immutatiuum sensus, ex diuerso modo immutandi sensū, diuersificātur sensus externi, & interni, pro portione seruata. Sed immutari à sensibili in eius præsentia, & immutari ab illo in eius absentia, distinctum essentialiter importat modū immutandi, non reducibilē ad vnū principium proximum: & similiter immutari ab intētionibus sensatis, & insensatis, non potest in corporalibus conueniēter reduci ad vnum principium. Præcipuè cum potētiæ istæ corporeæ valdè limitatæ sint, & coarctatæ. Vnde S. Tho. q. 79. ar. 7. in cor. & ad 2. & art. 11. ad 3. ait, quod *multa differentia diuersificant sensitiuas potentias, quæ non diuersificant potentias intellectiuas*: quia isti respiciūt communiorem rationem obiecti; potētiæ verò sensitiuę rationes particulares, & coarctatas. Dantur ergo plures sensus interni.

21 Rationem hanc in sequentib⁹ prosequemur; nunc pro notitia terminorum, notat Ferrara 3. de Ani. q. 3. not. 3. quod eorum, quæ sensibus interioribus percipiuntur, quædam dicuntur formæ sensatæ; quædam formæ insensatæ: formæ sensatæ vocantur sensibilia propria, & cōmunia, quæ sensibus exteriorib⁹ cognoscūtur: formæ insensatæ sūt proprietates coniunctæ, quæ sensibus exterioribus nō apprehēduntur, vt sunt bonitas, malitia, odiū, & vtilitas; & conuenientiæ, & aliquorum signorum significatio, quæ à sensibus internis brutorum percipiuntur.

22 Sed arguit Auersa concl. 5. quatuor argumentis, quorū vis primo argumento exprimitur in hac forma. Bene potest vna, & eadē potētia plura munera exercere & obiecta attingere, quæ sint inter se sufficienter connexa, vel subordinata; vt patet in singulis quibusq; potētijs. Sed recipere, ac retinere species, cogitare res præsentes, vel præteritas, vel absentes; apprehendere affectiones quasdam non sensatas in obiectis sensatis: omnes hæ, & similes functiones sūt interse, ita colligatæ, & cōsequentes, vt non solū possint sub vnam cadere potentiā;

sed vt non possint distrahi in plures potentias. Ergo vnica est potentia sensitiua interna.

Facile tamen retorquetur argumentum, primo, quia si quid cõuinceret, probaret tantũ dari vnũ sensum externum, quia omnes sensus fundantur in tactu, & cum illo sunt colligati, & quodãmodo ad illũ se quãtur: quod tamẽ esse falsũ, omnes supponũt: & late dixmꝰ lib.2.

23 Deinde colligatio potentiarum arguit eas esse in vno subiecto, & ordinari ad operationes animalis, non tamen quod principia proxima omnium potentiarum diuersa non sint. Tertio, iuxta hunc modum discurrẽdi, fere tãta eminẽtia ponitur in modo operãdi se suũ in ternorum, ac in modo operandi intellectus: quod aperte est falsum, cũ intellectus sit spiritualis; & istæ potẽtiæ sint materiales affixæ organo corporeo.

24 Quarto omniũ ratio est, quia dum non recurritur ad vnam rationem formalem obiectiuam sensibilis inquantum sensibile, quę sit vna specifice, non vlterius formaliter diuisibilis, non potest deduci vnitas sensus interni. Quo autem efficaci argumento ostendant sensibile internum esse vnius rationis formalis, omnino nos latet. Immo ex diuersa abstractione, & diuerso modo operandi, & ex diuerso modo immutationis à sensibili, manifestè oppositũ ostẽdit S.Tho. falsũ ergo est nõ dari plures sẽsus internos.

25 Præterea obijciũt S. Greg. lib. 11. Moral. c.4. & S. Aug. li. 2. de lib. arb. c.3. & 4 qui sẽsũ internũ pro vna facultate, omnia interiora sẽtiẽdi numera exercẽte, accipiũt. Et libro 12. super Genes. ad litte. c.7. & à c.24. vsque 29. ponit tria genera visionũ, scilicet, corporalẽ, quæ fit per sẽsum; & spiritualẽ, quæ fit per imaginationẽ, siue phãtasiã, & intellectualẽ, quæ fit per intellectũ. Ergo vltra sẽsus externos, & intellectum, tãtum ponit S. Augustinus vnum sensum internum.

Iã tamẽ satisfecerat S. Tho. ad 6. dicẽs, quod *Augustinus spiritualẽ visionẽ dicit esse, quæ fit per similitudines corporũ in absentia corporũ. Vnde patet, quod cõmunis est omnibus interioribus apprehẽsionibus.* Sicut ergo sẽsus externꝰ est vnus genere, & multiplicatur in quinque species; ita sensus internus diuersificatur in quatuor species: de quibus siggillatim est dicẽdum.

## QVAESTIO. II.

*De sensu communi.*

2 NOtat S. Thom. 1.p. q.78. art. art.4. ad 1. quod sensus interior non dicitur communis per prędicationẽ, sicut genus; sed sicut cõmunis radix, & principium exteriorum sensuum. Et ideò vocatur à S. Dasmasceno lib.2. de Fide cap.18. princeps sensuum, cui sensus externi, vt ministri famulantur deferentes exteriorum notitiam: *Nuncian tes* (inquit) *sensuum principi eam sensationem, quæ facta est.* Istum sensum admittunt Patres, & Philosophi relati quæstione prima; licet differant in explicandis eius actibus, & distinctionem eius ab alijs potentijs.

§. 1.

## §. I.

### *Necessarius est sensus communis ad discernenda propria sensibilia.*

1 DIco primo, necesse est dari sē sū cōmunē ad discernēdū inter externa sensibilia, & sentiēdū illa. Ita Phyl. 3. de Ani. c. 2. & S. Tho. ibi tota lec. 3. & lib. 2. lec. 13. litt. d. & de Somno, & Vig. lec. 3. litt. d. & e. & q. vnica de Anima art. 13. & 1. p. q 57. art. 2. & q. 78. art. 4. ad 2. vbi ait. *Discernere album à dulci, non potest, neque visus, neque gustus: quia oportet, quod qui inter aliqua discernit, vtrumque cognoscat. Vnde oportet ad sensum cōmunem pertinere discretionis iudicium, ad quem referantur sicut ad communem terminum omnes apprehensiones sensuū.* Habetur etiam Opus. 43. apud D. Thomam cap. 4.

3 Sed contra rationem duo possunt obijci in fauorem Galeni lib. 4. de vsu partium cap. 6. Primū est, quod cognoscere differentiam inter sensibilia, pertinet ad intellectum, cuius est cognoscere conuenientiā, & distinctionē, & alias rationes metaphisicas: & videtur excedere capacitatem sensus, præcipue brutorum. Vnde S. Augustin⁹ 2. de libero arb. cap. 3. ait. *Non enim credendum est ea nosse, neque auribus sentire lucem, neque oculis vocem; quoniam ista non nisi rationali animaduersione, & cognitione discernimus.*

4 Euasionem hanc bene præcludit ex Philosopho Sanctus Thomas lectione 3. litt. b. Quia cognoscere sensibilia, in quantum sunt sensibilia, est sensus. Cognoscimus autem differentias albi, & dulcis, non solum quantum ad quodquid est vtriusque, quod pertinet ad intellectum: sed etiam quātum ad diuersam immutationem sensus. Et hoc non potest fieri nisi per sensum. Hæc ibi S. Thomas. Quod idem intendit S. Augustinus, videlicet, quod per modum quiditatis, in actu signato, & diffinitiuè, non percipiunt sensus brutorū differentiam inter sensibilia diuersorum sensuum; bene tamen cognoscunt in exercitio sub ratione sēsibilis, & immutatiui sensus: & ad hoc ponitur sensus communis.

5 Secundo obijcitur, rationem hanc solum probare, quod vnico sensu non cognoscamus differentiam duorum sensibilium; non tamen quod omnibus quinque sensibus simul sumptis radicatis in eadē anima non percipiat animal omniū sensibilium differentiam, quia potentiæ non operantur sibi, sed toti composito, iuxta ea, quæ in simili diximus lib. 2. quæst. 14. num. 10. vsque ad 20. Ergo ad hoc non op⁹ est sensu communi distincto à sensibus externis.

6 Occurrit Phylos. tex. 146. & S. Thomas lect. 3. litt. c. & d. dupliciter. Primo nam si diuersis potētijs sētiremus dulce, & album, esset ita sicut si diuersi homines sentirent vnus dulce, & alius album: sed in hoc casu non est cognita per sensum differētia inter dulce, & albū. Ergo oportet, quod vna potētia sit qua cognoscitur vtrumque. Maior pro-

probatur,quia quod potentiæ sint in vno, vel pluribus subiectis, est quoad hoc differentia peraccidēs: quia si nō datur vna ratio communis ab vtraque potentia cognita, non potest perfecte agnosci differē tia,quæ est inter vtrumque sensibile: quia vna ratio obiectiua petit vnum principium proximum quod versetur circa illam.

Secundo,qui cognoscit aliquorum differentiam,oportet quod si mul cognoscat vtrumque: sed sensus non possunt cognoscere plura per modum pluriū, sed solum per modum vnius,vt de intellectu docet S.Thom.1.p.q.85.art.4.ergo cognoscitur differētia sensibilium sub vna ratione sensibili: ergo vna potentia sensitiua distincta à sensibus externis: quia ex duobus sensibus non potest vna operatio cōponi. Et hoc modo intelligit S.Tho. Ferrara q.1.ar.2.& videaturCaiet. 2.de Anima cap.14.

7 Tertio obijcies,quia impossibile est idem,& indiuisibile, simul moueri secundum contrarios motus.Sensus autem mouetur à sensibili inquantum sentit.Et diuersa sē sibilia,& contraria,diuersis,& contrarijs motibus mouent. Ergo impossibile est,quod eodem sensu cō muni attingātur,quæ per diuersos sensus sentiuntur.

Etiam huic obiectioni late respō det Phylosophus à tex. 147. vsque 149.& S.Tho.lect.3. lit.e. & lit. h. post alia ait. *Habet igitur hoc principiū sensitiuum cōmune, quod simul cognoscat plura,inquantum accipitur bis,vt terminus duarum immutationum sensibilium; inquantum vero est vnum, iudicare potest differētiam vnius ad alterum.* Quod est dicere,sensus communis, licet sit vnus,quasi continuatur, cum multis particularibus sensibus; & ideò potest pati diuersa,& contraria mediantibus sensibus particularibus, quorum est radix. Quod latius prosequitur S.Thom.de Sensu,& Sensato lec.19.lit.g.

8 Vel potest secundo dici cum D.Thoma 1.p.q.57.art.2.quod *sensus communis, qui est superior quam sensus proprius; licet sit vnica potentia, omnia cognoscit, quæ quinque sensibus exterioribus cōgnoscuntur:& quædā alia, quæ nullus sensus exterior cognoscit; scilicet differentiam albi,& dulcis.* Quod pariter dicendum de contrarijs,quia contraria secundum esse naturale, quæ non possunt esse simul; si accipiātur secundum esse intentionale,sunt simul,non solum in intellectu, & in sensu,sed etiam in aere medio: *Alioquin* (vt arguit S.Thom. de Sensu, & Sensato lec.5.lit.a.) *nō posset secundum idem medium videri album,& nigrum.* Et rationem assignat: *Quia iste modus essendi,propter suam imperfectionē,appropinquat ad modum, quo aliquid est in aliquo in potentia. Sunt autem in potentia oppositæ simul in eodem.* Doctrinā eandē abūdantius explanat S.Thomas eadem lec.19.lit.h.vbi, & addit.Est etiam aliud considerādum, quod sensus,& intellectus,non solum recipiunt formas rerum: sed etiam habent iudicare de ipsis: iudicium autem,quod faciunt de contrarijs,non est contrarium,sed vnū, & idem: quia per vnum contrariorum sumitur iudicium de altero. Et

quan-

quantum ad hoc verum est, quod supra dictum est, quod magis simul possunt sentiri sensibilia vnius generis, de quorū vno iudicatur per alterum, quam sensibilia diuersorū sensuum.

9 Ex quibus colligit Iauellus 2. de Anima q.57. quod sensus cōmunis est vnus formaliter, quia habet vnū specificatiuum: est tamen multiplex virtualiter inquātum immutatur à diuersis sensibilibus, & se extēdit ad obiecta eorum. Et ideò dixit Caiet. cap.14.§. *Vtraque*, quod sensus communis est vnus formaliter, & multiplex ex parte viarū sensuum propriorum. Sed quia hoc facit sub eminentiori ratione; ideò S. Thom. 2. de Ani. lec. 3. lit. h. inquit. *Et sic sensus communis nobiliori modo recipit, quam sensus proprius, propter hoc, quod virtus sensitiua consideratur in sensu communi, vt in radice, & minus diuisa.*

## §. II.

## *Tria dubia examinantur.*

10 SEd circa hoc inquiritur primo, vtrum hęc discretio sensibilium propriorum fiat per vnam, vel per plures species?

Respondēt bene PP. Carmelit. disp.15, n.19. & M. Ioan. à S. Tho. q.8. ar.1. ad 1.§. *Ad 2. prob.* & M. Serra 1.p.q.77. ar.4. dub.1.§. *Si quaras.* Distinctionem istam fieri à sensu cōmuni per plures, & diuersas species partiales, & inadæquatas: & vt sic habēt rationem vnius, quia per eas attinguntur obiecta, vt habent ordinem conuenientiæ, & differētię. Nec hoc excedit perfectionem sensus communis: tum quia in visu solent partialiter adunari duæ species: tum quia sensus communis est eleuatior, quam sensus externi.

Secūdo inquires, vtrū species istæ sint eædem, ac species sensuum externorum?

11 Esse diuersas, videtur tenere M. Viguerius cap.1.§.8. vers.3. dicens. *Secundum officium sensus communis est, multiplicare species à sensibus exterioribus receptas, & eas transfundere ad phantasiam.* Sed expresse M. Bañez 1.p.q.78. art.4. dub.5. conc.4. docens, quod potentiæ specie distinctæ, habent species distinctas, & diuersi generis, vt patet inductiue in omnib⁹ potētijs. Et Rubio de sens. internis q.11. dicit istas species esse diuersæ rationis: quia diuersæ potētiæ secundum speciem, diuersum principium operādi postulāt, propter diuersum actū, & diuersum modum operandi: quod non possunt præstare per principium eiusdē rationis.

12 In contrarium tamē est quod asserit S. Thomas 3. de Anima lect. 3. circa finem. *Neque oportet, quod per aliquam actionem sensus communis, species recepta in organo, fiat in ipso; quia omnes potentiæ partis sensitiuæ sunt passiuæ: neque est possibile, quod vna potētia sit actiua, & passiua.*

13 In quibus verbis S. Thomę duplex indicatur ratio satis efficax. Prima est, quia vt ostēdimus lib.2. q.21. non datur sensus agens: ergo nō datur causa actiua speciei diuersæ rationis ab illa, quæ ab ipsis sensibilibus imprimitur: ergo tales species non dantur. ¶ Secundo, quia frustra

frustra fit per plura, quod potest fieri per pauciora: sed sensus communis, vt quodammodo continuatus cum sensibus proprijs, potest species illorum adunare, & eis vti ad suas operationes: ergo non indiget alijs speciebus, vt videntur supponere Authores relati nu.10. Et tenet Thomas Hurtado controu.2. membr.1.§.2. pag.211. Nec omnino dissentit Viguerius, quia etiam in medio multiplicãtur species: & non sunt diuersæ rationis ab immissis ab obiecto. Sed hoc melius determinabitur infra q.3.n.29

14 Tertio dubitatur, vtrum hæc discretio sensibilium propriorum fiat sensu communi, vno, vel pluribus actibus?

Communis, & vera sentẽtia Authorum, quos retulimus, est quod vnico actu fiat hæc discretio, quia species istæ ex natura sua habent, quod in sensu communi vniantur, quãtum satis est vt cum illo ad vnã operationem concurrant. Sicut, & ipsa obiecta sensuum externorum sunt partialia respectu sensus communis, vt docet S. Thomas 1.p. q. 1.art.3.ad 2.& q.15.de Verit.ar.1. ad.3. Neq; ad hoc requiritur quod sensus communis proprie, & in rigore comparet, aut iudicet: sed sufficit quod in exercitio discernat inter externa sensibilia: & hoc large vocatur iudiciũ sensus; multo melius quam sensatio sẽsus externi etiam suo modo dicitur iudiciũ: iuxta illud Iob.12.ver.11. *Non ne auris verba diiudicat, & fauces comedentis saporem?* Et & S. Thomas illa q.78.ar. 4.ad 2.ait quod *sẽsus proprius iudicat de sensibili proprio.* Vnde bene potest postea affirmare, quod *oportet ad sensum cõmunem pertinere discretionis iudicium*: non faciendo vim in vocabulis secundum quod iudicium contraponitur simplici apprehensioni.

15 Contrariam sententiam docuit Sũmus Pontifex noster Petr⁹ de Tarantasia in 1.dist.8. vt refert Aquarius 3.de Ani.q.1. & nouissime tenet Thomas Hurtado de Sẽsibus internis controu.2. mẽbr.2. §. 4.in fine docens, quod illa diuersa obiecta cognoscuntur vna cognitione composita ex duplici partiali, quarum vna in esse representatiuo ordinatur ad aliam: sicut de speciebus impræssis dicebamus, quod vtraque ex natura sua ordinatur ad partialiter concurrendum respectu eiusdem cognitionis: & per illam cognitionem cõpositam sensus cõmunis iudicat differentiam inter illa obiecta. Et concludit, quod vtraque solutio est probabilis; sed prior probabilior.

16 Sed prædictus M. Aquarius, vt fallam hanc secundam opinionem reiecerat, primo. quia ita se habet sẽsus ad sensibilia, vt intellectus ad intelligibilia, vt docet Phyl.3.de Anima textu.36. sed intellectus intelligit diuersa vnica actione: ergo & sẽsus. ¶ Secũdo, quia sequitur, quod vnum subiectũ simul habeat diuersa accidentia eiusdem speciei solo numero differẽtia. Quę rationes alibi sunt examinandæ.

17 Vlterius reijcitur, quia species plures possunt adunari vnica superueniente sensatione: at verò si sensationes

tiones sunt plures non est quo possint adunari, cum sint quasi vltimus terminus potentiæ. Deinde, cum ratio formalis obiectiua sit vna, non video cur operatio nõ sit vna, etiã si sit circa diuersa obiecta materialia partialia. Et hoc docent Philosophus, & S.Tho.relati.nu.7. & de Sensu, & sens.lec.19.lit.g.inter alia ait. *Et isto modo sensus communis secundum quod in se est vnum, est indiuisibilis, & est vnum sensitiuum actu dulcis, & albi.*

## §. III.

### *Sensus communis exigitur adpercipiendas sensationes sensuũ externorum.*

18 DIco secundo, necessarius est sensus communis vt percipiat sensationes sensuum externorum. Est S.Tho.locis relatis in hac q.n.2.& lib.2.q.23.n.22. Placetque transcribere verba S. Augustini, quia eis cõclusio probatur authoritate, experientia, & ratione. Igitur lib. 2.de libero cap.3.& 4.ita ait. Quoniam ergo cum colorem sentimus, non itidem sensu ipso nos sentire etiam sentimus; neque cum audimus sonum, nostrum etiam audimꝰ auditum; neque cum olfacimus rosam, olet nobis aliquid, & ipse olfactus; neque quidquam gustantibus sapit in ore ipse gustus; nec tangentes aliquid, ipsum etiam tangendi sensum possumus tangere: manifestum est quinque istos sensus nullo eorum sensu posse sentiri; quamuis eis corporalia quæque sentiantur. Arbitror etiam, illud esse manifestũ sensum illum interiorem, non ea tã tum sentire, quę acceperit à quinq; sensibus corporis; *sed etiam ipsos ab eo sentiri*: non enim aliter bestia moueret se appetendo aliquid, vel fugiẽdo, nisi se sentire sentiret, nõ ad sciẽdum, nam hoc rationis est; sed tantum ad mouendum, quod non vtique aliquo illorum quinque sentit. Hæc ibi. Quem sequuntur omnes Philosophi.

19 In forma scholastica sic proponitur ratio. Sensatio exteriorũ sensuum est sensibile directum alicuiꝰ potentiæ sensitiuæ; siquidem est aliquid corporeum capax immutandi sensum. Sed non percipitur aliquo ex quinque sensibus externis, vt probatum manet lib.2. q.23. §. 2. Ergo percipitur sensu communi. ¶ Et ad idem vrgetur experientia brutorum, in quibus non est intellectus; & tamen pertimescunt quædã loca in quibus percussa fuerunt, & redeunt ad alia, in quibus cibum, vel potum inuenerunt: recordantur ergo sensationum sensuum externorum. Sed recordatio non est nisi illorum quæ prius sentiuntur: ergo antea directè cognouerũt sẽsationes externas: ad hoc ergo necessarius est sensus communis.

20 Gratis hanc certam, & cõmunem doctrinam negant Simplicius 3.de Anima c.3.& Petrus Hurtado disp.17.sec.8.n 49 dicens bruta sẽsationes non percipere. Et ad experientiam respondet illud non contingere ex cognitione delectationis; sed ex memoria obiecti delectabilis: cuius species gustatui insedit alte.

Sed

21 *Sed manifestè* P.Hurtado in hoc *fuisse deceptum* asserit Thomas Hurtado cõtrou.2.membro 2.& probat primo,quia memoria est de obiecto prius cognito quatenus cognito, vt docet Philosophus de Memoria cap.2.& experientia ipsa cõstat, quod sẽsu memoramur ipsas sensationes. ¶ Secundo,quia licet brutum nõ cognoscat sensationẽ, vt separatam ab obiecto, vt cognoscit intellectus:tamen vere memoratur obiectũ sensatum, vt causauit delectationem,aut tristitiam: ergo directe nõ solum attingit obiectũ,sed etiam ipsam sensationnẽ.

22 Tertio, quia sensus externus proponit appetitui prosequẽdum, vel fugiendum obiectum; eo quod appetibile non mouet nisi cognitum:sed brutum non solum appetit cibum,& potum,& visibile;sed appetit videre,& manducare:ergo directe cognoscit sensationem:ergo ad hoc indigent sensu communi.Nam sicut in nobis,ita,& in brutis,ex immutatione sensibilis,sequitur sensatio,v.g.visio: *Ex qua immutatione sequitur alia immutatio in sensu cõmuni,qui visionem percipit*, vt ait S.Th.

23 Accedit quod cum in brutis sint somnia in absentia sensibilium, vt iam dixim⁹, multo melius, cum vigilant,possunt sensationes directe percipere : videatur S. Tho.de Somno & Vig.lec.3. Et tãdẽ hanc partẽ sustinet Scotus in 4. dist. 45. q.3.§.*Circa istã*,dicens esse ad mẽtẽ Philos.& cõcludit *ad vltimũ*, quod ea,quę videmus in actibus brutorũ facilius saluantur ponẽdo in eis memoriã,quæ est *cogitatio actus alicuius præteriti ipsius recordantis*, vt dixerat vers.*ex hac*. Et nota quod solutionẽ P.Hurtado iã diu tradiderat Scot⁹ ibi vers.*responsũ est*:licet postea nostræ, vt probabiliori adhæreat. Et Cardinalis Tol.3.de Ani. q.3. cõc. 3.ait. Miror etiam Simpliciũ, & alios, qui alia opera mirabiliora in brutis cernẽtes,ea se videre,aut gustare,sentire posse negarunt.

## §. IIII.

### *De modo quo percipit externas sensationes.*

24 SEd circa hoc emergit dubiũ, qua specie cognoscat sensus communis sensationes externas?

Scotus vbi supra vers.*ad aliud*,asserit posse dici,quod sẽsus interior recipit actum sentiendi,& speciem illam retinet transeũte actu, & per illam recordari actus præteriti. Et expresse Thomas Hurtado contr. 2.membro 2.§.3.affirmat sensationes producere sui speciem realiter distinctã à specie obiecti, & sũ vtraque sit connexa, & inseparabilis.

25 Ratio est,quia obiecta producunt speciem ratione primariæ rationis obiectiuæ,vt inductione patet:sed actus sensuum externorum attinguntur à sensu communi directe,& perse,& primario , vt patet ex dictis nu.18.ergo datur in sensu cõmuni species directa actuum. Et ita concedit ad primũ,sensũ cõmunẽ elicere sensationem habentem pro obiecto actus sensuũ externorũ distinctã à sensatione obiectorũ sensibiliũ.Et ad tertiũ admittit aliã sẽsationẽ sensibilis cõmunis distinctã à sensatione sensibilis proprij.

Oppo-

26 Oppositam sententiam docēt Caiet. 2. de Ani. c. 15. §. *Ad euidētiā.* Et lib. 3. c. 7. circa 5. cōc. §. *dicēdum est.* Et Viguer. c. 1. §. 8. dicens sensū cōmunem percipiendo speciē à potētia visiua in ipsum transfusā, percipere speciem illam, & obiectū eius, & actū videndi. Idē docēt Bañ. 1. p. q. 78. ar. 3. de potētijs sensitiuis in cōmuni dub. 10. ad 3. & Tol. 3. de Ani. q. 3. ad 4. & Rub. q. 3. n. 93. & Suar. lib. 3. de Anim. c. 11. n. 6. & Auersa. q. 55. sec. 2. cōc. 4. qui dicūt sensum internum cognoscere operationē sensus externi, non per propriam speciem operationis, sed per speciē externi sensibilis, quā veluti modificatam recipit ab ipsa operatione externi sensus: iuxta ea, quæ in simili diximus de specie, & cognitione sensibilis communis, lib. 2. q. 22. §. 4. & hanc sententiam indicari à D. Th. diximus q. 23. n. 38.

27 Et videtur hæc sententia præferenda. Primo, quia non multiplicat species sine necessitate. Secundo, quia pari ratione deberet dari species specierum sensuum externorum; & alia species ipsorum sensuum: quod repugnat experientiæ: & argumētū cōtrariū, si quid probat, hoc cōuincit. Tertio, huic parti suffragatur experientia, quia nullus expertus est se formasse idolū, speciemve, actuū sensuū externorū in sensu interno. Quarto, in hoc pūcto admissa distinctione actuū, & specierū, nō est quo firmo argumēto conuinci possit illorū inseparabilitas. Affert Caiet. aliud signū: nā quiescente sensu cōmuni per somnū, nullus sensus potest fieri in actu. Quod & docent Phyl. & S. Th. de Somno lect. 3. litt. h. & quotidiana patet experiētia. Nec sensus cōmunis operatur sine proprijs, vt postea dicetur.

28 Ratio contraria solū probat non in omnibus tenere, quoad præsens, paritatē de sēsibili cōmuni; nō tamen ostendit, quod obiecta cōnexa ad inuicē nō possint vna specie representari. Et vlterius sēsus interni semel actuati speciebus, multa possunt attingere in obiecto, quæ non exigunt singulas species, iuxta varios actus, qui circa obiectū possunt multiplicari.

29 Aliud circa idem occurrit dubium, vtrum sensus communis sentiat in absentia obiecti?

Negāt absolute Caiet. relatus nu. 26. Tol. q. 6. conc. 2. & videtur ad mētē D. Th. 1. 2. q. 17. ar. 7. ad 3. vbi docet, quod nō est in potestate nostra apprehendere aliquid nisi sensibili præsēte. Et clarius 1. p. q. 78. ar. 4. in cor. per hoc distinguit sensum cōmunē ab alijs sēsibus internis. Et hac ratione SS. Patres cū Phyl. verificant, quod sensus communis est quasi radix aliorum sensuum externorum, & quod ad eum perueniūt immutationes sensuū externorū.

30 Ex parte huic sententiæ adhæret Bañ. 1. p. q. 78. a 4. dub. 4. docēs quod quādo sensus cōmunis habet cognitionē distinctā, & perfectā, sēper cognoscit in præsētia rerū sēsibiliū: cognitione tamē imperfecta, & indistincta, potest cognoscere in absētia. Quod videtur docere S. Th. dicto ar. 4. ad 6. & q. 84. art. 8. & de Sōnijs lec. 5. litt. b. ait cōtingere in dor-

dormientibus. Et quia ad illam cognitionem imperfectam, sufficiens est aliqua species, nō desumpta ex sensibus exterioribus; sed deriuata ab ipsa phantasia in sensum commu nem, propter vicinitatem organi. Idem sequitur Ioan. à S. Tho. q. 8. ar tic. 1. ad confir. 1. & artic. 3. ad 1. §. *quod verò*. Et Thomas Hurtado mē bro 3 §. 2. latè prosequitur hac via concilians sententias, & afferens verba S. Aug. 12. de Genes. ad litt. cap. 20.

31 Non tamen approbo eius mo dum loquēdi, quod hoc fiat, ex eo quod ex coniunctione sensus com munis ad imaginationem, eleue- tur vltra id quod poterat operari. Iste enim modus operandi non cō uenit sensui communi ex eleuatio ne: nam sicut dicit Boetius 5. de Cons prosa 4. & affert S. Tho. q. 15. de Verit. art. 1. ad 2. *Superior vis amplectitur inferiorem: inferior vero ad superiorē nullo modo assurgit.* Sed id cōtingit, quia peraccidens mediantibus distortis spiritibus animalibus desc ēdunt species ad organa aliorum sensuum; & sic in somno, & in præ stigijs vigilātium sensus communis sentit res apparenter præsentes, & fallitur. Et vt ait S. Tho. 1. p. q. 111. art. 3. *Tanta potest esse commotio spiri- tuum, & humorum, quod huiusmodi apparitiones etiam vigilantibus fiunt; sicut patet in phreneticis, & in alijs huiusmodi.* Et in hoc differt sensus communis ab imaginatiua, & memoria, quib⁹ perse loquendo conuenit attingere absentia. Et in hoc sensu loquun tur Bañez, & Ioan. à S. Tho. nec ne gant relati pro prima opinione.

Fauetque S. Tho. in 3. de Anima lec. 3. lit. h. docens, quod sensus cō munis *immutatur à sensu proprio, quia ad sensum communem perueniunt immutationes omnium sensuum proprtorum, sicut ad communem terminum.* Et post multa concludit. Considerandum est etiam, quod sensus proprius habet discernere inter contraria sensi bilia, inquantum proprius partici- pat aliquid de virtute sensus cōmu nis, quia & ipse sensus proprius est vnus terminus diuersarum im- mutationum, quæ fiunt per me dium à contrarijs sensibilibus. *Sed vltimū iudicium, & vltima discretio pertinet ad sensum communem.*

32 Sed obijcies: nam si sensus cō munis pēdet à sensibus proprijs; & sēsus proprij pendēt à sensu cōmu ni, dabitur vitiosus circulus, & de primo ad vltimum, idem debet à se ipso dependere.

Respondetur hoc nō sequi, quia est dependentia in diuerso genere causæ. Quod bene declaratur O. pusc. 43. apud D. Thom. c. 4. dū di citur, *quod quantum ad distinctionē spiri tus animalis, sensus proprij deriuantur à communi; quantum vero ad apprehensio- nem, & renunciationem, sensus communis fit in actu per proprios, quia nil apprehen deret, nisi per hoc, quod sensus proprij re- deunt ad ipsum cūjuis lucris, vt dicit Auicena.*

## §. V.

### *Vtrum obiectum sensus communis sit sensibile commune?*

33 TErtium caput indigentiæ sen sus communis distincti à pro prijs assignatur ab aliquibus, vt sen sibile

sibile commune perse attingatur à sensu communi, quod solum secundario attingitur à sensibus proprijs. Tribuitur Auerroi 3. de Ani. textu 134. & tenent B. Albert⁹ in summa de homine de sensu communi q. 2. & Author Opusc. 43. apud D. Tho. cap. 4. vbi ita dicitur. Ista autem potentia est animali necessaria propter tria, quæ habet facere sensus cõmunis. Primum est, quod *habet apprehendere omnia sensata communia*, quæ sensus proprius non apprehendit: non enim sensus proprius, primo, & perse apprehendit figuram, vel morum, sed quasi peraccidens: *Sensus autem communis perse apprehendit sẽsibilia communia, quæ sunt quinque secundum Phylos.* 2. de Anima: de quibus egimus lib. 2. q. 22.

34 Hanc eandem opinionem sequuntur aliqui Perspectiui relati à Bañez, vt ibi diximus n. 10. & Alaze in 2. p. Perspectiuæ, & Vitelius lib. 4. Optices: & Apollinaris libro 2. de Anima q. 18. Et nouissime sequitur Thomas Hurtado controu. 2. mẽbro 1. Quia id quod perse est sensibile, cadit perse sub aliquo sẽsu; sicut id quod perse est intelligibile, cadit perse sub aliquo intellectu. Sed omnia sensibilia communia sunt perse sensibilia; licet respectu sensuum externorum solum secũdario sint sẽsibilia. Ergo perse cadũt subaliqua potẽtia sẽsitiua. Quę nõ est alia quam sẽsus cõmunis; quia sicut perse fertur in obiecta sensuũ externorum propria, quatenus sũt illorum propria, ita perse fertur in sensibilia communia, quæ perse respiciunt sensum communem, vt potentiam sibi adæquatam.

35 Dico tamen vltimo, sensus cõmunis non exigitur, vt perse primo versetur circa sensibilia communia. Ita expresse S. Thomas libro 2. de Anim. lec. 13. lit. d. vbi ita ait. *Falsum est, quod ista sensibilia communia sint propria obiecta sensus communis*: sensus enim communis est quędam potentia, ad quam terminantur immutationes omnium sensum, vt infra patebit lib. 3. lect. 3. *Vnde impossibile est, quod sensus communis habeat aliquod proprium obiectum, quod non sit obiectum sensus proprij.* Idem indicat S. Th. lib. 3. lect. 3. lit. h. & clarius 1. p. q. 1. art. 3. ad 2. dicens, quod *obiectũ sensus cõmunis est sensibile, quod cõprehendit sub se visibile, & audibile. Vnde sensus communis cum sit vna potentia, extendit se ad omnia obiecta quinque sensuum.* Loquitur manifestè de obiecto adæquato; & in illo non comprehendit sensibile commune, sed solum sensibilia propria, & actus sensuum. Vnde prosequitur illa lect. 13. sed circa immutationes ipsas sensuũ propriorum à suis obiectis, habet sẽsus communis aliquas operationes proprias, quas sensus proprij habere non possũt; sicut quod percipit ipsas immutationes sensuum; & discernit inter sensibilia diuersorum sensuum. *Sẽsu enim communi percipimus nos videre, & discernimus inter sensibilia diuersorum sẽsuum.* Quibus verbis cõplectitur S. Tho. omnes tres conclusiones huius quæstionis. Idcircò ita tenent Iauellus 2. de Ani. q. 24. & 25. & Bañez 1. p. q. 78. art. 4. dub. 3. Tolet⁹. 3. de Anima q. 5. conc. 2. Suarez lib. 3. c. 8. n. 3. & 30. n. 2. referens Auicenã 6. Nat. p. 3. cap. 8. & p. 4. cap. 1.

36 Rationē assignat Bañez, quia sensus communis est potentia ad quam perse terminantur immutationes sensuum exteriorum: ergo non potest habere aliquod obiectū propium, quod non sit etiam obiectum alicuius sensus exterioris.

37 Toletus vero, & Suarez arguunt: quia eo modo sensus cōmunis sentit communia illa sensibilia, quo sensus particularis: sed particularis primo respicit propria: ergo & cōmunis. Maior probatur, quia nō recipit sensus communis alias species, quam sensuum particularium. Sensus ergo communis pro obiecto habet sensatum exterius in communi, quod nomine vno caret.

38 Quia tamen Authores prioris opinionis ponunt tria partialia obiecta perse sensus communis, nempe, sensibilia propria, sensationes eorum, & sensibilia communia: & omnia ista dicunt perse primo partialiter adunari sub ratione eleuata sensus cōmunis: ideò eis non erit difficile has rationes euadere (nisi amplius vrgeantur) dicendo quod licet in actibus quibus sensus communis attingit sensibilia propria, non attingat sensibilia communia, nisi peraccidens, vel perse secūdo; tamen quod dantur in sensu cōmuni aliæ operationes perse primo terminatæ ad sensibilia communia: & contra istas operationes, & earum obiecta non videntur concludere rationes factæ.

39 Sed in primis euasio ista præcludi potest ratione indicata à D. Thoma 1.p.q.78.art.4.in cor. dicēte. *Sic ergo ad receptionem formarum sensibilium ordinantur sensus proprius, & cōmunis. Ad harum autem formarum retentionem, aut cōseruationem ordinatur phantasia, &c. Ad apprehendendum autem intentiones, quæ per sensum non accipiuntur, ordinatur vis æstimatiua. Ad conseruandum autem eas vis memoratiua.* Ex qua doctrina, in sequentibus stabiliēda, quam admittit B. Albertus, & ipse Thomas Hurtado, sic probatur cō cluſio. Sensus cōmunis est vna potentia secundum speciē: & est potentia materialis, & corporea; & non tantæ perfectionis, ac intellectus; & potentię spirituales. Sed vna potentia adeo limitata nequit perse primo respicere tot diuersa obiecta: ergo cum certum sit, quod sensus cōmunis attingit obiecta sēsuum propriorum, & eorum sensationes, affirmari nequit, quod perse primo versetur circa sensibilia communia. Probatur minor: quia sensus communis non est eminentior quam alij interni sensus: & ad minus est indubitatum, quod genere non differt ab illis. Sed in alijs sēsibus internis ad eandem potentiā non pertinet receptio specierum, & earū retentio: nec apprehensio, & cōseruatio. Ergo nec ad sensum communem pertinet perse primo cognoscere sensibilia cōmunia, & sensibilia propria. Patet consequentia, quia maior diuersitas est inter actus versantes perse primo circa sensibilia propria, & perse primo circa sensibilia cōmunia, quam sit inter recipere, & conseruare species, vt videtur perse notum.

40 Aliam rationē indicat S. Thomas

mas. 1.p.q.77.art.3.in cor.& q.78. art.3.ad 1.& 2, docens, quod solæ qualitates tertiæ speciei, quæ sũt sẽsibilia propria, perse primo immutant sensũ. Quod videtur intelligẽdũ, nõ solũ de sensu externo, sed etiam de sẽsu interno. Vnde reputo valde probabile sẽsibilia cõmunia, quæ omnia reducũtur ad quantitatẽ, nullo interiori sẽsu perse primo respici. Quod experientia videtur cõprobari, quia nõ formamus in sẽsib⁹ externis sensationes, nec verba exprimẽtia quantitatẽ prout distinctã à qualitatibus sensibilibus. Imo omnia experimur percipere solum perse secundo ratione sensibiliũ cõmunium. Sic ergo verificatur eiusdẽ speciebus percipi sensibilia cõmunia, & sensibilia propria, & quod nec sensus communis, nec vllus sensus interior perse primo respicit propria sensibilia.

41 Per quæ patet ad motiva prioris sentẽtiæ: nã de mẽte S. Th. certificamur ex indubitatis eius testimonijs; nõ ex illo Opusc. quod S. Th. nec fecit, nec vidit: & in editione Romana minoribus caracterib⁹ est notatum, vt minus certum.

42 Ad rationẽ negamus minorẽ, quia sensibilia cõmunia; nõ sũt perse primo sensibilia, sed tãtũ perse secundo: nec hoc reputamus incõueniens, sed necessariũ propter imperfectionẽ sensuũ materialiũ; quibus quantitas, quæ est propinqua substãtiæ, solũ attingi valet perse secũdo; sicut & substantia solũ peraccidẽs à sensibus externis, & internis valet attingi, iuxta dicta lib. 2. q. 22. §. 4. & 5.

43 Demũ notãdum, quod Opus. 43. apud D. Tho. c. 4. assignatur organum sensus cõmunis, dum dicitur. *Eius organum est prima concauitas cerebri, à quo nerui sensuũ particularium oriuntur.* Quod melius percipietur postea disputando de organis aliorum sentiuum internorũ. Et post singulos explicatos, inquiretur de omnibus, an percipiant suos actus?

## QVAESTIO III.

### *De phantasia, seu imaginatione.*

1 INcipiẽdo à nominis ethimologia; à visione, vel apparitione sumitur nomẽ *phãtasia*, vt ait S. Th. 3. de Ani. lec. 4. litt. h. & sumitur ex Phylos. text. 160. & declarat S. Th. lect. 6. litt. c. dicẽs, quod *phos* in Græco idem est quod lux, & inde venit *phanos*, quod est apparitio, vel illuminatio, & phãtasia. Visus enim est præcipu⁹ inter alios sẽsus, eo quod est spiritualior, & plurũ cognoscitiuus; ideò phãtasia, quæ *causatur à sensu secũdum actũ*, accepit nomẽ à lumine, sine quo non est videre.

2 Quia tamen ad inuestigationẽ potentiarum, recte procedimus ex actibus, & actus diffinimus per obiecta, iuxta dicta lib. 2. Ideò etiam nunc eodem ordine deberem⁹ procedere. Aduertit tamen M. Viguerius cap. 1. §. 8. ver. 3. quod cũ non habeamus obiectum nominatum ipsius phantasiæ, circumloquimur per hoc complexum: *Sensibile apprehensum per sensum communem cum depẽdentibus, & cõnexis.* Sed quia mærito desideratur vt clarius explicetur

phantasiæ obiectum, quoad nos à posteriori innotescet ex actib⁹ phãtasiæ, & ex ei⁹ diffinitione à Phylosopho tradita: quãuis si obiectum esset notius quoad nos, poti⁹ ex illo naturam potentiæ, & actuum eius deberemus inquirere.

## §. I.

### *Actus phantasiæ.*

3 DIco primo, phãtasia est anima li necessãria ad duos act⁹, seu officia, & vt apprehendat sensibilia in eorum absentia, & vt bene retineat species sensibiliũ. Probat hãc cõclusionem S. Thomas 1.p.q.78. art.4.dicens. Est autem considerandũ quod ad vitam animalis perfecti requiritur, quod non solum apprehendat rem apud præsentiam sẽsibilis, sed etiam apud eius absentiam: alioquin cum animalis motus, & actio sequantur apprehensionem, non moueretur animal ad inquirendum aliquid absens: cuius contrarium apparet maxime in animalibus perfectis, quæ mouentur motu processiuo: mouẽtur enim ad aliquid absens apprehẽsum. Oportet ergo quod animal per animam sensitiuam, non solum recipiat species sensibilium, cum præsentialiter immutatur ab eis, sed etiam eas retineat, & conseruet. Recipere autem, & retinere reducuntur in corporalibus ad diuersa principia: nam humida bene recipiunt, & male retinent: è contrario autẽ est de siccis. Vnde cum potentia sẽsitiua sit act⁹ organi corporalis, oportet esse aliam potentiam, quæ recipiat species sensibilium, & quæ conseruet. Quod & docet S. Thomas de Mem. & remin. lec.2. lit d. Idẽ habetur Opus.43. apud D. Thomam cap.4.

4 Ex quibus manet probata conclusio, quia sensus externi non percipiunt nisi in præsentia suorum obiectorum. Sensus etiam communis non perfecte immutatur nisi præsẽtibus sensibilibus: quod autem per accidẽs, & imperfecte immutetur absentibus sensibilibus, non sufficit vt vita animalis sit recte disposita. Ergo oportet esse phantasiã à sẽsu communi distinctam, quę versetur circa sensibilia etiam in eorum absentia. Rursus, in corporalib⁹ potentijs principium bene retentiuũ in absentia, essentialiter differt à principio bene receptiuo, & male retentiuo, vt patet experientia allata à D. Tho. & constat ex modo limitato diuerso operãdi. Ergo necessario dari debuit animali phantasia, quæ ad hos actus ordinetur.

5 Dico secundo, etiam phãtasia, seu imaginatio, valet ex speciebus in se receptis alias causare. Ita S. Thomas 1.p.q.12.ar.9 ad 2. dicẽs: *Sicut imaginatio ex præcõceptis specieb⁹ mõtis, & auri, format speciẽ mõtis aurei.* Et q.8. de Verit. art.5. ait. *Sic ex forma auri recepta, & forma montis format quoddam phantasma aurei montis.* Et Quod.8. art.3. & 1.p.q.85. art.2. ad 3. (non art.3. ad 4. vt incuria typographi refertur 1. Log. q.9. nu.8.) ait: *vis imaginatiua formet sibi aliquod idolum rei absentis, vel etiã nunquam visæ.* Et 3. de Anima lec.4 lit.i.

Et hæc conclusio ipsa experientia patet: nam vigilãdo, & dormiẽdo

do imaginamur res chimericas, quæ in rerum natura nō sunt: licet partes, ex quibus illa tertia species elicitur, in rerum natura inueniantur. Non est autem alia potentia interior, cui hæc tribuatur operatio; nec illam elicere excedit vim imaginationis: ergo hæc est eius operatio.

6 Circa hanc opinionem, illud ingerit dubium, vtrum hoc habeat phantasia ex propriis, & vt reperitur in brutis animalibus; an verò solū hoc cōperat phantasiæ hominis?

Affirmant Lorca in manuscriptis 3. de Ani. q. 2. & Thomas Hurtado de sensibus internis contr. 4. mēb. 1. §. 4. vers. *aduerte tamen*, quod compositio variarum specierū in somnis prouenies ex naturali transmutatione, potest cōtingere in animalibus perfectis: quia in illis est eadē causa somnij, quæ est in homine, quia vapores ascendentes conturbant, & confundunt species, etiam in esse representatiuo, iuxta S. Tho. de Insomnis lec. 2. litt. g. & clarius lec. 4. lit. b. Et si adest in hominib⁹, somniantibus, cum non est vsus rationis, non est cur non possit cōtingere in brutis. Licet in homine vigilante hæc compositio sit voluntaria, & libera orta ex imperio rationis. Et PP. Carmel. in Logica disput. 2. n. 17. ad 4. admittunt, quod phantasia secundum ea, quæ habet infra limites potentiæ sensitiuæ, potest tertiam speciem componere, vt indicat S. Tho. illa. q. 12.

7 Sed tamen contrariū planè docet S. Tho. 1. p. q. 78. a. 4. in fine corporis, ita dicens. Auicena vero ponit quintam potentiam mediam inter æstimatiuā, & imaginatiuā, quæ cōponit, & diuidit formas imaginatas: vt patet cū exforma imaginata auri, & forma imaginata mōtis, cōponimus vnam formā mōtis aurei, quē nūquam vidimus. *Sed ista operatio non appareret in aliis animalibus ab homine. In quo ad hoc sufficit virtus imaginatiua. Cui etiam hanc actionem attribuit Auerrois in libro quodam, quem fecit de sensu, & sensibilibus.* Quare ita tenent communiter Thomistæ, & ipsi PP. Carm. disp. 15. q. 5. n. 101. vbi cōnatur explicare, quæ aliter dixerūt in Log. & Thomas Hurtado pag. antecedenti idē expresse docet. Quare adhuc admisso quod bruta in sōnis illo modo componant plures species, non est ex duabus tertiam eliciendo, vt fit ab imaginatiua hominis; sed peraccidens per naturalē trānsmutationem plures adunādo. Quamuis non negē, quod illa transmutatio det vsum specierum etiā in esse intentionali: quod tamē PP. Carmel. non admittunt. Aduertit autem Iauellus q. 59. ad 3. quod in dormiente potest esse actus phantasiandi, quia etsi sensus exterior nō sit actu dum dormit, potuit tamen esse in vigilia; & quia species illę sē satæ remanent; ideo in somno potest homo phantasiari.

8 Quartum actum, seu officium phantasiæ assignat M. Viguerius c. 1. §. 8. ver. 4. nempe, præsentare immediate obiectum conueniens, vel disconueniens potentiæ appetitiuæ, & mouere illam ad prosequendū obiectū delectabile, & fugiendū tristabile secūdum sensum.

9 Hæc tamen doctrina nec vera est, nec consona Philosopho 3. de Anima textu 154. & expresse eã videtur excludere S.Thomas lect.4. lit.K. rationem assignans: *Quia appetitus non patitur, neque mouetur ad simplicem apprehensionem rei, qualem proponit phantasia.* Sed oportet quod apprehẽdantur sub ratione boni, vel mali conuenientis, vel nociui. Et hoc facit opinio in hominibus cõponendo, vel diuidendo, dum opinatur hoc esse terribile, vel malũ; illud autem esse sperabile, vel bonum. Phantasia autem non componit, neque diuidit. Patitur autẽ appetitus animalium ab æstimatione naturali, quæ hoc operatur in eis, quod opinio in hominib⁹. Hæc ibi S.Thomas. Cuius authoritate, & ratione constat, quod phantasię nõ est proxime mouere appetitũ; quia hoc pertinet ad alias potentias internas: remote tamen phantasia dicitur proponere, quia vt dixerat S. Thomas lit.h. *sine phantasia non fit opinio*, vel æstimatio mouens appetitũ. Et 1.p.q.81.ar.3.ad 2.ait S.Th. Natus est moueri appetitus sensitiuus, nõ solum ab æstimatiua in alijs animalibus, & cogitatiua in homine, quam dirigit vniuersalis ratio. *Sed etiam ab imaginatiua, & sensu.* Vnde experimur irascibilem, vel concupiscibilẽ rationi repugnare, per hoc quod sentimus, vel imaginamur aliquod delectãbile, quod ratio vetat; vel triste *quod ratio præcipit.* Propter hanc tamen motionem mediatam, non oportet specialem actum phantasiæ distinguere: sicut nec in sensibus externis distinguitur: quamuis etiam moueãt appetitum mediate.

## §. II.

### *De diffinitione phantasiæ.*

10 NOtat Iauellus 2. de Anima q.59.ad 2. quod phãtasia potest tripliciter diffiniri. Primo vt est potentia animæ: & hoc modo definit eam Auerrois in 2. de Anima comm.160. *Phantasia est animæ virtus, quæ innata est assimilare sensationibus, quæ sunt in sensu communi.* Quam & indicat S.Thom.lib 3. lec.6.lit. a.& b. in fine. Secundo accipitur phantasia, vt est operatio ipsius potentiæ phantasticæ. Et sic diffinit eam Philosophus cum dicit textu 160. *phantasia est motus à sensu secundum actum factus* Quam approbat S. Thomas illa lec.6.& phantasia sumitur pro phantasiari, sicut sumitur aliquando volũtas pro ipso velle. Tertio accipitur phantasia, vt est potẽtia stans sub actu. Et sic definit B.Albertus 3 de Anima tractatu 1. cap.8. *Phãtasia est potẽtia in qua est motus factus à sensu exteriori secundum actum*, eo quod apprehendit sensibile exterius. Si autem dicatur phantasia motus à sensu factus, & non potentia in qua fit huiusmodi motus, erit descriptio potẽtiæ per suũ proprium actum.

11 Sed obijcies: nam etiam actus sensus communis potest dici motus factus ab immutatione sensus exterioris: non enim sentit nisi ad eum terminetur immutatio exterior: ergo definitio cõuenit alijs à definito.

Res-

Respondent Iauell⁹ ad 1. Bañez dubio 4. ad 1. & Phylopon⁹, & Toletus q. 6. ad 3. & alij, quod immutationes sensuum exteriorum non complentur nisi per sensum communem: & ideò non censetur sensatio disparata à sensatione externa, sed potius, vt vna continuata, & perfecta: ac perconsequens illi non conuenit phantasiæ diffinitio, quia non immutatur à sensu exteriori, habente iam completam sensationem suam; imò per sensum cõmunem perficitur sensuum externorum immutatio.

12 Vnde patet sensus diffinitionis Philosophi, quam declarans S. Thomas lec. 6. litt. a. in fine ait. Ex omnibus autẽ his concludit, quod phantasia sit quidam motus causatus à sensu secundum actum, qui quidem motus non est sine sensu, neque potest inesse his, qui non sẽtiunt: quia si aliquis motus fit à sensu secundum actum, similis est motui sensus: & nihil aliud nisi phantasia inuenitur esse tale. Relinquitur ergo quod phantasia erit huiusmodi motus. Hæc ibi. Et clarius lib. de Memoria, & Remin. lect. 2. litt. d. ait. Dupliciter aliquid sensu percipitur: vno quidẽ modo per ipsam immutationem sẽsus à sensibili. Et sic cognoscũtur tam sensibilia propria, quam etiam communia à sensib⁹ proprijs, & à sensu communi. Alio modo cognoscitur aliquid *quodam secundario motu, qui relinquitur ex prima immutatione sens⁹ à sẽsibili*: qui quidem motus remanet etiam *quã doo*; post absentiam sensibilium; & pertinet ad phãtasiam, vt habitum est in libro de Anima. Phantasia autem, secundum quod apparet per huius immutationem secũdariam, est passio sensus communis: *Sequitur enim totam immutationem sensus, quæ incipit à sensibilibus proprijs, & terminatur ad sensum cõmunem.* Et 1. p. q. 111. artic. 3. ad 1. docet S. Thomas, *quod principium phantasiæ est à sensu secundũ actum: non enim possumus imaginari quæ nullo modo sentimus, vel secundum partem: vel secundum totum. Sicut cæc⁹ natus non potest imaginari colorem.*

13 Ad maiorem tamen diffinitionis intelligẽtiam, notãt Caietanus 2. de Anima c. 15. §. *intelligo*, Iauellus q. 59. §. *quantum ad primum*, Bañez 1. p. q. 78. art. 4. dub. 5. §. *pro decisione*, Ioan. à S. Thoma de Anima q. 8. art. 2. conc. 1. & alij, quod phãtasia accipitur dupliciter: vno modo generice, & cõmuniter pro omni virtute interna corporea condistincta contra sensum communem: alio modo specifice pro speciali potentia condistincta à sensu communi, & ab æstimatiua, & memoratiua. Quod hæc secunda acceptio sit admittenda, omnes fatentur, siue virt⁹ hæc distinguatur essentialiter, siue accidentaliter ab alijs. Primam vero negari non posse, cõstat primo ex nominis ethimologia explicata n. 1. quæ in rigore omnibus internis viribus adiptatur. Constat secũdo, quia cogitatiua est quæ ministrat intellectui: & tamen eius operationes solemus omnes cũ Philosopho, & D. Tho. appellare phantasmata: iuxta illud 3. de Anim. text 30. *nihil sine phantasmate intelligit anima.*

14 Asserunt ergo Authores relati quod Philosophus in libris de Anima non accipit phãtasiam, vt virtutem distinctam realiter ab imaginatiua, nec ab æstimatiua, & cogitatiua, & memoria. Sed sumit eã pro toto genere animæ phantastico, quod comprehendit omnes sensus interiores, præter sensum communem. Quod probatur ex textu 48. vbi docet, quod *multi præter scientiã sequuntur phantasiam*, & accipit pro cogitatiua, & æstimatiua. Et textu 49. dicit: *Et phantasia cum moueat, nõ mouet sine appetitu.* Quod nequit verificari, nisi accipiendo generice, vt phãtasia se extendit ad cogitatiuã, & æstimatiuam, vt patet ex D. Thoma lection. 15. lit. b. & lec. 4. lit. K. iuxta ea quæ diximus n. 9. Quare hanc partem manifeste videtur supponere S. Thomas 3. de Anim. lec. 6. lit. b. vbi post explicatam diffinitionem motus phantastici, subiungit. *Vlteriꝰ autem, quod iste motus aliam potentiam requirat, quam sensitiuam, Aristoteles non determinat*, videlicet, in libris de Anima, quamuis determinari possit ex his, quæ docuit in libro de Mem. & reminiscen. vt in sequentibus dicetur.

15 Hanc doctrinã negat Thomas Hurtado de Sens. internis cõtrou. 2. memb. 1. docens, quod attenta diffinitione, quam Aristoteles tradit, sola imaginatio phantasia dicitur: quia vt docet S. Thomas 1. p. q. 78. ar. 4. æstimatiua, & memoria ponuntur vt percipiant, & conferuent intentiones non sensatas: vnde ex sua ratione specificatiua non sunt motus facti à sensu secundum actum: siquidem primario mouentur à speciebus insensatis. Sola vero imaginatio à speciebus sensatis mouetur: & sic ipsa sola est motus factus à sensu secũdum actũ; prout etiam diffinitur Opusc. 43. apud D. Thomam cap. 4.

16 Cæterum facile respondetur, quod aliud est inquirere de re ipsa, & de mente S. Tho. aliud verò disputare de his, quæ determinauit Philos. in libris de Anima. Quoad primum, verissimum est quod hæc potentia, quæ dicitur imaginatio, specialiter est phantasia, & illi specialissime aptatur definitio, quia mouetur à sensatis, inquantum sensata sunt. Quoad secundum, cum nullus textus Philos. ex his libris adducatur, in quo distinctionem explicuerit: & nos plures referamus, in quibus indiscriminatim accepit: melius erit, ad æquiuocationem vitandam distinguere duas acceptiones vocis: & videatur S. Th. 2. 2. q. 174. art. 1. ad 3.

17 Præterquamquod, diffinitio non explicat, quod motio fiat per species sensatas, vel insensatas; sed solum intendit, quod sensus interni mouentur à sensatis sensu externo, & sensu interno cõmuni: quod cõmune est omni sẽsui interno cõ distincto à sensu cõmuni. Vnde melius intelligitur diffinitio de phantasia generice sumpta; quamuis nõ negemus, quod specialiter potest adaptari phantasiæ sumptæ specialiter pro sola imaginatiua, vt de illa nunc agimus.

## §. III.

### *De distinctione phantasiæ ab alijs sensibus.*

18 DIco primo, phãtasia, seu imaginatiua essentialiter, & realiter differt à sensibus externis, & à sensu communi, & ab æstimatiua, & memoratiua. Primam partẽ probat S. Thomas 3. de Anima lect. 6. lit. b. in fine dicens: *Cum secundum diuersitatem actuum distinguantur potẽtiæ; & diuersitas motus requirat diuersa mobilia: quia quod mouetur, non mouet seipsum, sed alterũ: necessariũ videtur, quod sit alia potentia phantastica, siue imaginatiua à sensu.* Cuius rationis efficacia manifesta est ex dictis: quia operatio phantasiæ incipit post terminatam motionẽ sensus à sẽsibili, quia est effectus illius. Sed idem respectu eiusdem non est agens, & patiẽs, mouens, & motũ. Ergo diuersa potentia est phantasia à sensu cõmuni, in quo terminantur immutationes sensibiliũ externorum. Et ideò operationes phantasiæ dicuntur secundariæ respectu externorum sensibilium.

19 Secunda pars sequitur ex dictis §. 1. quia diximꝰ lib. 2. quod potentiæ distinguuntur per actus: & ostendimus actus imaginatiuæ, vel phantasiæ ab alijs essentialiter differre. Quod adhuc probat S. Thomas libro de Memor. lec. 2. litt. d. asserens. Cum potentiæ sensitiuæ sint actus corporalium organorũ, necesse est ad diuersas potẽtias pertinere receptionem formarum sensibilium; quod pertinet ad sensum: & conseruationem earum; quod pertinet ad phantasiam, seu imaginationem. Sicut in corporalibus videmus, quod ad aliud principium pertinet receptio, & conseruatio: humida enim sunt bene receptiua; sicca autem, & dura bene conseruatiua. Similiter etiam ad aliud principium pertinet recipere formam; & conseruare receptam per sensũ: & intentionem aliquam per sensũ non apprehensam: quam vis æstimatiua percipit etiam in alijs animalibus: vis autẽ memoratiua retinet: cuius est memorari rem, non absolutè; sed prout est in præterito apprehẽsa à sensu, vel intellectu. Hæc ibi. Per actus ergo essentialiter diuersos phãtasia essentialiter differt ab alijs internis sensibus.

20 Sed obijcies: nam Phylos. de Mem. & rem. c. 1. ait, *quod phantasma communis sensus passio est.* Ergo solum est operatio secundaria sensus cõmunis, eo modo loquendi, quo sẽtire dicitur pati; non verò erit potentia ab illo distincta.

Hoc argumẽtũ sibi obijcit S. Th. ibi lec. 3. lit. d. his verbis. Posset autẽ alicui videri, ex his, quę hic dicũtur, quod phantasia, & memoria nõ sunt potẽtiæ distinctæ à sẽsu cõmuni, sed sint quædã passiones ipsius.

21 Et respondet, quod *Auicena rationabiliter ostendit esse diuersas potentias.* Et post propositam rationem iam relatam, argumentum diluit dicens. Contingit tamen, quod diuersarum potentiarum vna est quasi radix, & origo aliarum potentiarum; quarum actus actum ipsius primæ

mæ potentiæ præsupponunt. Sicut nutritiua est quasi radix augmentatiuæ, & generatiuæ potentiæ; quarum vtraque vtitur nutrimento. *Similiter autem sensus communis est radix phantasiæ, & memoriæ, quæ præsupponunt actum sensus communis.*

22 Præterea obijciunt Suar. lib. 3.c.30.n.13. & Auersa q.55.sec.3. conc.2.nam potentia, quæ immutari valet ab obiecto præsente, potest attente immutari: ergo præsente obiecto potest operari, & in actum prodire. Imò id videtur necessarium, cum sit potentia naturaliter agens non impedita. Ergo potẽtia in absentia obiecti cognoscens, potest cognoscere in præsentia: nõ ergo propter hos actus multiplicari debent potentiæ. Quod patet à simili cogitatiuæ, quæ operatur circa obiecta præsentia, & absentia; sicut æstimatiua brutorum, etiam in præsentia lupi, apprehendit eum agnus vt inimicum: ergo fundamentum S. Tho. non subsistit.

23 Dupliciter potest responderi, secundum quod dupliciter obiectum phantasiæ solet exponi. Quidam dicunt obiectum phantasiæ esse sensibile externũ *prout absens*. Ita PP.Carmel.disp.15.n.30. & deinceps, & præcipuè.n.39.vsque 41.dicentes esse non minus probabile, quam oppositum. Thomas Hurtado de Sens.internis controu.4.mẽbro 1.§.3.dicens *esse indubitatum in sententia S. Thomæ, quem communiter sequuntur eius discipuli* asserentes obiectum actus phantastici esse obiectũ sensibile, *quatenus absens*. ¶ Probaturque ex Philosopho, & S. Thoma lec.4.lit.1.docentibus, quod *passio phantasiæ est in nobis, cum volumus, quia in potestate nostra est formare aliquid quasi apparens ante oculos nostros, vt montes aureos, &c.* Secundo, quia ex discursu S. Tho. relato.n.3. constat, quod actus phãtasiæ nõ est necessarius circa præsẽs, solũ est necessarius ad cognoscẽdũ obiectũ absens. Iuxta hunc ergo dicendi modum, dicitur, quod obiectum sit præsens materialiter se habere ad actũ phantasiæ; & præsentia obiecti solum se habet præsuppositiue, & causaliter.

24 At verò Iauellus lib.2. q.59. ad 3. & Bañez dub.5. not. 1. & ad 2. & 3. & Ioann. à S. Tho. q.8. art.3. ad 2. & PP. Carm. n.35. & 36. dicũt obiectum phantasiæ esse sensibile externum prout abstrahit à præsenti & absenti. Quod indicat S. Thomas verbis relatis num.12. docens, quod *quandoque* motus phantasiæ manet in absentia sensibiliũ; & non dicit quod *semper*. Vnde falsum est primum dicendi modũ esse S. Thomæ, & Thomistarum communem: quia dicunt quidem phantasiã ferri posse in absens; non tamen negant nos phantasiari de præsentibus. Sicut q.5. dicemus memoriã esse præsentium, & præteritorum.

Nec est inconueniens, quod obiectum præsens sub altiori ratione simul cognoscatur à sensu communi, à phantasia, & ab æstimatiua; sicut, & simul attingitur à sensu, & ab intellectu. Sed ad vim rationis S. Thomæ hoc solum exigitur. quod potentia ex natura sua alligata, per se loquendo, ad obiectum præsens, qualis

qualis est sensus communis, est distincta à potentia materiali naturaliua abstrahente à præsentia, & absētia: nam ad perfectionem naturæ sensitiuæ expectat, vt habeat potētias sensitiuas vtroque modo, quia vtroque modo sentiri possunt, & expedit ad perfectionem actionū vitalium vitæ animalis.

25 Aduertit autem S. Thomas libro 2. de Anima lec. 4. litt. b. quod phantasia inuenitur indeterminata in animalibus imperfectis; in animalibus vero perfectis determinata. Quod magis declarat lib. 3. lec. 16. litt. b. dicens, quod huiusmodi animalia imperfecta non imaginantur aliquod distans, quia nihil imaginātur, nisi ad præsentia sensibilis. Sed cum læduntur, imaginantur illud vt nocium, & retrahūt se; & cum delectantur, extendunt se super illud, & applicant se illi. Et sic est in eis phantasia, vel cōcupiscentia indeterminata, inquantum imaginantur, & concupiscunt aliquid vt cōueniens, non autem vt hoc, aut illud, aut hic, aut ibi; sed habent cōfusam imaginationem, & cōcupiscentiam. Idem docet lib. de Mem. lec. 2. litt. f. & habetur Opusc. 43. apud D. Tho. c 4.

26 Dico secundo, phantasia etiā in ratione potentiæ cognoscitiuæ differt ab alijs sensibus internis. Ita dicunt esse probabilius PP. Carmelit. n. 51. & Ioan. à S. Tho. concl. 3. & assertiuè tuentur Serra 1. p. q. 78. art. 4. dub. 2. ad 2. & Thomas Hurtado controu. 4. memb. 1. §. 1. concl. 2. asserit, quod *contrarium non est probabile in via S. Thomæ, & Aristotelis.* Et addueit quinque rationes: quarum nuis ad duas, vel tres reducitur. Prima est, quia habet alti' obiectū. Secunda, quia sensus essentialiter est potētia passiua alligata organo corporeo: vnde si inquantum receptiua distinguitur specie ab alijs, etiam distinguetur in ratione potētiæ sensitiuæ. Et tertio, quia habent diuersum obiectum formale: & diuersum modum operandi, vt constat ex dictis. Aperte etiam hæc cōclusio colligitur ex D. Thoma. 1. p. q. 79. artic. 7. ad 2. ibi enim docet, quod *præteritum, & præsens possunt esse propriæ differentiæ potentiarum sensitiuarum secundum diuersitatem obiectorum* (quæ vtique est distinctio in esse potentiæ cognoscitiuæ) *non autem potētiarum intellectiuarum.*

27 Contra hanc conclusionem tenet Bañez. 1. p. q. 78. art. 4. dub. 5. concl. 4. nam potētiæ distinctæ speciei, necessario debent habere species diuersæ rationis: sed istæ potētiæ cognoscūt per easdem species, & eiusdem rationis: nam species, quas sensus communis recipit à sensibus exterioribus, conseruantur in imaginatiua, & per eas vtraque potentia cognoscit: ergo potentiæ erunt eiusdem speciei.

Cōfirmatur: potentiæ distinguūtur per obiecta: sed imaginatio nihil plus, minus ve cognoscit, quam sensus communis: siquidem vtraque potentia cognoscit omnia sensata, & non plus quam sensata: ergo sunt eiusdem speciei.

Nec valet, si dicatur imaginatiuā in absentia obiecti cognoscere. Quia hoc non variat rationem potentiæ,

tentiæ,magis,quã si oculus ex propinquo, aut remoto videret;aut si visus meꝰ videret in absentia,& alterius in præsentia.

28 Respondetur primo ipsũ M. Bañez 1.p.q.79.art. 3.dub.1. ad 2. & PP.Carmel.disp.15.q.2.n.53.& alios dixisse in prædictis potẽtijs esse species diuersæ rationis: quia licet repræsentent idem obiectũ materiale, habent tamen diuersum obiectum formale, quia repræsentant sub modo eleuatiori, quã repræsentetur à specie potentiæ inferioris: quia licet immitantur ab eisdem obiectis sensibilibus, quæ materialiter,& in esse rei sunt idem;tamẽ formaliter,& in esse motiui sũt diuersa: eo quod obiecta debẽt immutare per species in ratione immaterialitatis cõmesuratas potentijs: ac perconsequens medijs speciebus minus materialibus existentibus in potentia minus materiali producens species magis immateriales in potẽtia immaterialiori:nã ad hoc concurrunt instrumentaliter,sicut, & sensibilia ipsa species causant in quantum participant aliquid naturæ superioris, iuxta S. Thomam q.5.de Potentia art.8.vt late diximus libro 2.q.21.n.36.

29 Melius respondetur secundo cum Ioan.à S.Thoma q.8.art.2.cõclu.3.artic.3.ad.1.& ad 4.& Serra dub.2.ad.2. & Thoma Hurtado ad 4.admittẽdo species harum potentiarum esse eiusdẽ rationis:quia vero vsus illarum accommodatur potentiæ vtẽti illa specie;idcò actꝰ illarum,& potentiæ ipsæ specie distinguuntur. Sicut etiam fides, & prophetia vti possunt eisdem speciebus, quibus vtitur cognitio naturalis(vt docet S.Thomas 2.2. q. 173.arti.2. quam esse communem Thomistarum doctrinam testantur Bañez 1.p.q.88.art.3.dub.2. & Araujo 2.2.q.45.arti.6. dub. vnico. Immo esse communem Theologorum probat Ripalda libro 3.de ente sup.disp.54.sec.1. dicens solum dissentire Granados 2.2. contro.1. tract.13.dis.7.) & tamen cognitiones differunt specie, quia diuerso modo eas ordinant, & disponunt. Certissimum etiam est habitus specie distinctos vti eijsdem speciebꝰ. Imo ipse sensus communis, iuxta supra dicta q.2.n.12.recipit a sensibus externis species, quæ in ipsis sunt: & quia altiori modo illis vtitur,quam sensus externi;ideò cognitio eius specie differt à cognitione sensuum particulariũ. Et est optimũ simile quo id declarat S.Thomas illa q.173.dicens: *Sicut enim ex diuersa ordinatione earundem litterarum accipiuntur diuersi intellectus, ita etiam secundum diuersam dispositionem phantasmatum resultant in intellectũ diuersæ species intelligibiles.* Pariter ex diuersa ordinatione specierum sensibiliũ possunt accipi diuersę operationes diuersorum sensuum internorum specie differẽtes ex obiecto formali,ex modo operandi eleuatiori,& ex principio diuersimode vtente illa specie.

30 Hunc dicendi modum aperte insinuatum video à D.Tho. Quod lib.8.ar.3. dicente.Sed ad imaginationem res,quę sunt extra animam comparantur vt agentia sufficientia:

tia: *Actio enim rei sensibilis non sistit in sensu, sed vlterius pertingit vsque ad phantasiam, siue imaginationem.* Tamen imaginatio est patiens, quod cooperatur agenti: ipsa enim imaginatio formatibi aliquarum rerum similitudines, quas numquam sensu percepit: *Ex his tamen, quæ sensu recipiuntur, componendo ea, & diuidendo*: sicut imaginamur montes aureos, quos numquam vidimus, ex hoc quod vidimus aurum, & montes. Igitur, licet à phantasia formentur nouæ speciesexpressæ: non tamen ei imprimuntur species diuersæ rationis, sed sufficiunt, quæ imprimuntur à sensibilibus, diuersimodè eis vtendo, componendo, & diuidendo. Aduertit tamen S. Thom. in corp. & ad 2. quod non est eadem numero species in rebus, in sensu, & in intellectu. Nec videtur eadem numero in sensu externo, & interno, ne dicamus accidens migrare de subiecto in subiectum: quia in sensu nō est vialiter, sicut in medio, sed permanenter, & inhæsiuè.

31 Organum phantasiæ, seu imaginatiuæ, assignatur Opus. 43. apud D. Tho. c. 4. cum dicitur. *Huius organum est post organum sensus communis, in parte cerebri, quæ sic non abundat humido, sicut prima pars cerebri, in qua situm est organum sensus communis; & ideò melius potest retinere formas sensibiles re absente.*

## QVAESTIO. IIII.

### *De æstimatiua, & cogitatiua.*

1 QVæ de ista potentia dici possunt, summatim, & clarè proponuntur Opusc. 43. vbi supra c. 4. idcircò placet eius verba transcribere. Tertia vis sēsitiua (inquit) est æstimatiua: & huius necessitas sic patet. Animal enim non solum mouetur propter delectabile, & cō tristabile secūdum sensum; quia sic non esset necesse ponere in eo nisi apprehensionem, & retentionē formarum, in quib⁹ sensus delectatur, vel horret. Sed aliquando fugit, vel quærit aliqua propter diuersas alias cōmoditates, vel vtilitates, & nocumēta: sicut, & ouis fugit lupū, nō propter indecentiam coloris, vel figuræ; sed quasi inimicum suæ naturæ. Similiter auis colligit palleam, non quia delectat sensum sed quia vtilis est ad nidificandum. Oportet ergo ponere in animali aliquod principium perceptionis huiusmodi intentionum, aliud quam phantasiam: cui⁹ immutatio est à forma sensibili, non autē perceptio huiusmodi intentionum.

2 Et huiusmodi virtus est æstimatiua, quæ est apprehensiua intentionum, quæ per sensum non accipiuntur. Vnde Algazel dicit. Æstimatiua est virtus apprehendens de sensato, quod non est sensatum: sicut ouis inimicitias lupi: hoc enim nō facit per oculum, sed per aliam virtutē, quæ est in brutis, hoc quod est intellectus in hominibus. Sicut enim

enim aliquis cognoscit per intellectum, quod non cognoscit per sensum, licet non cognoscat, nisi accipiendo à sensu; ita æstimatiua, licet modo inferiori.

3 Organum autem huius potentiæ ponitur in brutis in posteriori parte mediæ partis cerebri. In hominibus autem eius organum ponitur media cellula cerebri, quæ syllogistica appellatur. Hæc ibi: & omnino consonat S. Thomas 1.p. q.78.ar.4. Quæ doctrina, vt vberiꝰ explicetur.

## §. I.

### *Qualiter percipiat insensata?*

4 INquiritur primo, vtrum æstimatiua percipiat obiecta insensata?

Hurtado de Mendoza disp.17. de Anima sec.8. §.47. asserit nullũ sensum materialem percipere obiecta insensata. Probat, quia nullus sẽsus materialis est discursiuus: sed discurreret, si perciperet obiecta insẽsata; quia actus circa obiectum insẽsatum inferretur ex actu circa obiectum sensatum: nam ex visione lupi inferretur cognitio inimicitiæ; ergo esset in sensu discursus.

5 Similiter Gueuara lib.1.de Iter. sensu tract.2.cap.4. negat sensu interno percipi rationem boni, & mali in obiecto, conuenientis, & disconuenientis, nec ratio amicitiæ, & inimicitiæ. Quod probat etiam Hurtado n.48. ex Aristotele de Mem.& remisc. negante brutis reminiscentiam; quia includit reflexionem supra proprios actus; quam denegat brutis. Secundo quia non percipiunt inimicitiam spiritualẽ, nec abstractam ab spirituali, & materiali: quia ille modus cognoscendi est nobilior bruti potentijs. Nec item cognoscunt inimicitiam materialem: quia cum lupum etiã virí timemus, nobis nullus actus vitalis lupi venit in mentem. Nec tale genus obiecti indicant pueri ante vsũ rationis.

6 Dicendum tamen est, quod actus propriæ æstimatiuæ est cognoscere intentiones non sensatas. Est S. Thomæ, & omnium Thomistarum. Item B. Alberti Magni tractatu 4.cap.7. S. Gregor. Nissen. lib.4.de vir. animæ cap.6.& 7. S. Nemes. de hom. cap.6. S. Ioann. Damascẽni libro 2.de Fide cap.17. & tenent cõmuniter Philosophi antiqui, & moderni, vt multis relatis probat Thomas Hurtado controu.7.membro primo.

7 Probaturque experientijs adductis à Diuo Thoma artic.4. vbi ait. Necessarium est animali vt quærat aliqua, vel fugiat, non solum, quia sunt conuenientia, vel non cõuenientia, ad sentiendum; *sed etiam propter aliquas alias commoditates, & vtilitates, siue nocumenta.* Sicut ouis videns lupum venientem fugit, non propter indecentiam coloris, vel figuræ, sed quasi inimicum naturæ. Et similiter auis colligit paleam, non quia delectet sensum, sed quia est vtilis ad nidificandum. *Necessariũ ergo est animali, quod percipiat huiusmodi intentiones, quas non percipit sensus exterior.*

Secundo

Secundo idem ostendit ratio his verbis indicata: quia natura non deficit in necessarijs ad vitam animalis. Sed ad hanc conseruandam, & in proprijs operibus exercendā, ne cessārium est percipere intēriones non sensatas, vltra delectabilia secundum sensum: ergo debet esse aliqua potentia interior sensitiua ad hoc ordinata.

8 Respondent, omnia, quę bruta efficiunt, posse efficere sine cognitione inimicitiæ: siquidem trahuntur physicis qualitatibus: sæpè enim excitantur odore, vt canes; & sequuntur feras auidi illarum sanguinis. Equus solo olfactu qualitatum lupi, sistit, neque pedem mouet: ergo omnia prętant sensibilīū apprehensione

Sed contra quia non apparet, qua physica qualitate trahatur auis vt colligat paleas, & formica in æstate cibum paret, & apis suas formet casas: & hyrundines doceant pullos posteriora vertere ad orificium nidi, vt stercus cadat in terram: & canis videns baculum eleuatum, fugit ne percutiatur, & alia miranda faciunt: de quibus B. Albertus to. 6. in 22. libris de Animalibus, & Plutharcus de Solertia animalium to. 3. Opusculorum.

9 Secundo, ideo appetitus animalis non prosequitur, nec fugit obiecta sine prævia cognitione, quia solum appetitus animalis sequitur formam apprehensam, & non formam mere naturalem ad differentiam naturalis inclinationis. Ergo naturaliter nequit ouis fugere lupum actione sensitiua vitali, quin aliquo sensu prę cipiat dissonenientiam ad eius naturam.

Præterquamquod, si bruta solū traherentur physicis qualitatibus; non video ad quid indigeant vllo interno sensu. Si autem præter trāsmutationem, & motionem physicam, concedatur, quod mouentur intentionaliter; cum in eis experiamur operationes non sensatas, non est cur negemus esse opus æstimatiuæ cognoscere intentiones non sensatas.

10 Ad primū distinguo maiorem, & concedo de sensu materiali brutorum; nego vero de cogitatiua hominum: de qua postea. Loquendo autem de æstimatiua brutorum negatur minor: quia *animalia percipiunt huiusmodi intentiones naturali quodam instinctu*: in quo nullus est discursus in æstimatiua, sicut nec in appetitu est electio, vt docet Sānctus Thomas 1. 2. quæst. 13. artic. 2. & ad 2. ait, quod statim quando per sensum, vel imaginationem repræsentatur sibi aliquid, ad quod naturaliter inclinatur eius appetitus, absque electione mouetur ad ipsum. Et ad 3. optime explicat, quod *ex hoc contingit, quod in operibus brutorum animalium apparent quadam sagacitates, inquantum habent inclinationem naturalem ad quosdam ordinatissimos processus, vtpote à summa arte ordinatos. Et propter hoc etiam quadam animalia dicuntur prudentia, vel sagacia; non quod in eis sit aliqua ratio, vel electio. Quod ex hoc apparet, quod omnia, quæ sunt vnius naturæ similiter operantur.* Quod & docet 2. dist. 25. q. 1. artic. 1. ad 7.

Ad

11 Ad authoritatem Aristotelis, nego consequentiam: quia ad cognitiones insensatas nō requiritur reflexio proprie dicta: de qua postea.

12 Ad secundum respondetur, quod vt habetur Opus.43.apud D. Tho.cap.4.in fine, *non potest virtus sē sitiua formam rei apprehendere, & abstrahere à conditionibus materialibus; ideò sē per forma apprehensa à sensu exteriori, sine interiori est particularis.* Vnde bene respondent PP.Carm.disp.15.q.3. ad 4.quod æstimatiua non percipit rationes insēsatas in communi, sed prout fundantur in natura particulari: quia licet rationes insensatæ sint abstractiores, & immaterialiores, quam rationes sensatæ; non tamen sunt purè spirituales, nec abstrahunt à materia singulari. Indeq; prouenit, quod in actu signato, & per modum quidditatis, & specula tiuè istæ intentiones solo percipiūtur intellectu: quamvis in exercitio æstimatiua brutorum insensatā conuenientiam, vel disconuenientiam percipiat vitaliter interiori sēsu.

13 Secundo dubitatur, qua specie æstimatiua percipiat intentiones non sensatas?

Suarez lib.3.c.9.n.13. & Auersa q.55.sec.2.conc.4.opinantur species insensatas non distingui à sensatis: quia nulla est necessitas distinguendi: nam statim ac sentit ouis lupum, sentit esse inimicum: potest ergo per eandem speciem vtrumq; iudicare. ¶ Confirmatur primo: nam auis nondum experta pluuiā (vtpotè fortè verno tēpore nata) ventum sentiens ad tutum locum se recipit: quis autem credat eā ex cognitione venti elicere speciem representantem pluuiam venturā. Per eādem ergo speciem, qua cognouit ventum, naturali instinctu iudicat illum esse fugiendum.

Confirmatur secundo, quia impossibile videtur rationem inimicitiæ representari à sēsibili specie abstracto modo: quia species sensibiles solum representant sub hac figura, hoc colore, hoc odore, &c. Ratio ergo illa insensata non est representabilis ab specie materiali, vt abstracta à ratione sensata; sed vt modus quidam in illa fundatus: atque adeò non oportet distinctas species distinguere.

14 Oppositam sententiam esse S. Thomæ, & communem, & veram, asserunt Rubio.q.10. & Thomas Hurtado cōtr.7.memb.3.PP.Carmel.disp.15.q.3.nu.7. vsque 75. & Serra.1.p.q 78.ar.4.dub.3. Probat Rubio, quia ratio formalis boni, & conuenientis est obiectum formale appetitus. sed non potest in hanc rationem tendere, nisi eam cognoscat. Sed constat, quod hæc ratio nō potest cognosci ab æstimatiua per species sensatas ei impressas ab ipsis sensibilibus: ergo dandæ sunt aliæ species non sensatæ.

15 Hanc tamen rationem facilè euadent alij, quia dicent, quod species sēsatæ, vt modificatæ, poterūt esse principium cognoscendi intentiones non sensatas: & ideò quærēdum est medium quo hoc impugnetur.

16 Thomas Hurtado dicit hac *ratione demonstratiua* hoc impugnari: quia

quia species nõ sensata est in distincto subiecto, ac species sensata: siquidem imaginatio, & æstimatiua realiter distinguũtur: ergo species insensata realiter differt à sensata.

17 Parum tamẽ vrget hæc ratio contra Suarez, & Auersa negantes imaginationem, & æstimatiuã realiter differre. Et in sententia S. Thomæ, & nostra docente quod realiter differant, solum probat distinctionem numericam, ex distinctione subiectorum; nõ verò quod species sint diuersę rationis: de quo est præcipua dubitatio. Et S. Thomas de Spiritualibus Cre. art. 10. ad 17. ait, *quod species, quæ est in imaginatione, est eiusdem generis cum specie, quæ est in sensu.* Idcirco M. Ioan à S. Thoma q. 8. art. 3. ad 3. & 4. & art. 4. in principio videtur admittere esse easdẽ species, sed diuerso modo ordinatas, & sic reddi perfectiores, & repræsentantes intentiones insensatas.

18 Distinctione tamẽ est opus: nã si loquamur de speciebꝰ impræssis, arbitror quod illæ, quæ imprimuntur à sensibus mediatè, vel immediate, sufficiũt ad operationes omnium sensuum internorum: quod patebit explicãdo quod non datur interior sensus agens infra q. 6. Si verò loquamur de speciebus exprę ssis, causatis ab ipsis potentijs internis, sic intentiones insensatæ sunt diuersę rationis à sensatis, vt patet ex obiecto, & modo, & ratione formali diuersa: & ad hoc nõ exigitur quod in speciebus impræsis à sensibus, rationes illæ contineantur formaliter, sed sufficit quod contineantur virtualiter. Vnde S. Thomas 1. p. q. 78. artic. 4. ad 4. ait, *quod in re apprehensa per sensum, intellectus multa cognoscit, quæ sensus percipere non potest. Et similiter æstimatiua, licet inferiori modo:* de quo latius S. Thom. Quodlib. 8. art. 3. vt retulimus q. 3. num. 30.

## §. II.

## *De instinctu æstimatiuæ brutorum.*

19 TErtio inquiritur, quid sit instinctus naturæ in animalibꝰ? M. Viguerius in Instit. cap. 1. §. 8. vers. 9. docet, quod instinctus naturæ, nihil aliud est, quam motio, siue actualis directio authoris naturæ in casu necessario. Hæc directio, siue instinctus non est potentia, neque habitus; quod patet ex hoc quod non durat animali quiescente, vel remoto obiecto: est ergo *actio fluès à Deo, passiue recepta in animali; quandoque per species acquisitas; & aliquando per species nouiter infusas: vt patet in oue, quæ numquam vidit lupum, quæ primum eum videt, imprimitur species inimicitiæ.* Ratio est, quia Author naturæ non deficit in necessarijs, iuxta illud Psalmi 146. *qui parat iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocãtibꝰ eum.* Idem sequitur Salas tomo primo 1. 2. tractatu primo disputatione 4. nu. 72.

20 Thomas Hurtado de sensibus internis cõtrouersia 1. membro 3. docet, quod bruta *ad naturalem æstimationem habendam, etiam in sui principio ex vi naturalis generationis, habent*

*species à Deo authore naturæ inditas.* Quod & repetit controu.7. membro 2.concl. 4. & membro 3.ad 2. Probat ex D. Thoma in 3. distinct. 26.q.1.art.1.ad.4. vbi docet, quod animalia instinctu naturali *agũtur ad aliquid agendum, vel ex impulsu naturæ interioris, vel exterioris.* Et quæst. 18. de Verit.art.7.ad 7.dicit, quod *hãc naturalem æstimationem accipiunt bruta in sui principio ad cognoscendum nociuũ, & conueniens; quia ad hoc ex propria inquisitione peruenire non possunt.* Et rursũ probat, quia hic modus ponendi species insensatas, multo facilior est, quam ille, quem alij cõstituũt, vel ab obiecto, vel à potẽtijs ponẽdo causari species: quia non datur sensus agens: & non est cur species inimicitiæ causetur in oue, & nõ in alijs lupis, & sic de alijs exemplis.

21 Dico tamen asserenda videntur. Primo falsum esse, quod Deus, vel à principio, vel occurrente occasione, infundat brutis species aliquas sensatas, vel insensatas. Conclusio est communis, & eam bene probat Rubio de sensibus internis q.11.n.206. Quia potentiæ sensitiuæ ex propria natura immutantur ab obiectis: ergo ex propria natura habent ab eisdem obiectis recipere species: sicut ergo nulli alteri potẽtiæ sensitiuæ infunduntur species à solo Deo, ita nec potentijs brutorum. Secundo, quia omnes potentiæ sensitiuæ subordinatæ sunt: sicut ergo sensus accipiunt species ab obiectis; ita potentiæ internæ accipiunt ab externis, & superiores internæ ab inferioribus.

22 Præterea ad intentũ applicari potest ratio, qua S.Th.probat.1.p.q.55.a.2. quod animæ accipiunt species à rebus: *alioquin frustra corporibus vnirentur.* Ergo bruta nata sunt suam perfectionẽ sensitiuã per potentias, & sensus interiores, & exteriores à rebus accipere: alioquin haberent, quod cõuenit Angelis, & negatur hominibus, nempe immediate à Deo recipere species.

23 Authoritates S. Thomæ *difficultate prorsus carent*, vt notauerat Rubio nu.219. quia ibi solum vult brutis cõuenire sentire instinctu naturali, quę homines conferendo, & discurrendo cognoscunt. Quod autem ad hoc eis infundantur species à Deo, vel ille instinctus sit actus secundus à solo Deo causatus; ibi S. Thomas, nec affirmat, nec negat.

24 Rationi verò facile dicitur, quod id quod Deus suauiter proui dere potest per causas secundas, nõ facit per seipsum: ne deneget creaturis excellentiam causalitatis, & ne frustra eis virtutes causatiuas cõtulerit. Facile autẽ posse sensus brutorum ex sensatis elicere intentiones insensatas, iam diximus n.18. Et addendum ex D. Thoma Quodlib. 8.art.3. *Quod actio rei sensibilis non sistit in sensu, sed vlterius pertingit vsq; ad phãtasiam, siue imaginationem. Imaginatio tamen est pãtiens, quod cooperatur agenti: ipsa enim imaginatio format sibi aliquarũ rerũ similitudines, quas numquã sensu percepit: ex his tamen, quæ sensu recipiuntur, componendo ea, & diuidendo.* Cum ergo æstimatiua sit altior potentia, quam imaginatio, ex imaginatis sẽ satis elicit intentiones nõ sensatas, in sensatis virtualiter contentas.

Dico

25 Dico secūdo, instinctus naturæ est operatio elicita ab æstimatiua; quæ dicitur esse ab Authore naturæ, inquantum est necessaria, & consequens naturalē inclinationē inditam ab Authore naturæ. Priorē partem docere videtur S. Tho. in 3. dist. 26. q. 1. art. 1. ad 4. illis verbis: *Per instinctum naturæ, qui dicitur æstimatio*: quod & docet ar. 2. In simili eam docet S. Tho. 1. 2. q. 9. ar. 4. dicens, quod in primum motum volūtas operatur *ex instinctu alicuius exterioris mouentis*: & tamen cōmunis Expositorum (vno, vel altero excepto) docet primum actum voluntatis esse ab illa vitaliter: quod colligitur ex D. Tho. ibi in corp. & ad 2. & 3. & docent ibi Caiet. Conradus, & alij, quos citat, & sequitur Baptista disp. 118. n. 31. Ergo pariter instinctus animalium est operatio vitalis æstimatiuæ.

26 Præterea, posita potentia, & obiecto speciem immittēte, est sufficiēs principiū sensationis in actu secundo, supposito generali influxu, & præmotione primæ causæ: ergo sine causa introducitur necessitas specialis alterius motionis, quā ponit Viguerius. Vel alicuius per modum actus primi, vt in simili volebat Capreolus in 2. dist. 24. ad 8. contra 5. & dist. 25. q. 2. ad arg. Hēr. contra 1. pag. 441.

Nec actus vitalis potest esse efficiēter ab alio, sed debet esse a principio intrinseco, iuxta dicta libro secundo: cum ergo æstimatiua sit potentia vitalis, eius operatio debet esse exercitium vitæ in actu secundo; & ideò nequit esse totaliter ab extrinseco.

27 Id quod supponitur in secūda parte conclusionis, constat ex ipsa proprietate vocis: nam apud peritos linguæ Latinæ *instinctus* significat impulsionem, & motionem diuinam. Vnde Cicero. 1. Tus. *sine cælestis mentis instinctu*. Quod autem affirmat conclusio, insinuatur apertè a D. Thoma illa distinctione 26. ad quartum, dum ait. *Sed ex instinctu naturali, secundum quod aguntur ad aliquid agendum, vel ex impulsu naturæ interioris*: ex ea enim parte qua actus est necessarius, in eo dicuntur animalia agi; ex parte verò qua actus est ex impulsu naturæ interioris, est actus à potentia interna ex inclinatione indita determinata ad vnum. Idem apertè indicat S. Thom. 1. 2. q. 13. artic. 2. ad 3. in fine, & q. 40. artic. 3. in corp. & q. 26. art. 1. initio. Et 1. p. quæst. 103. art. 1. Et videantur, quæ diximus secundo Physicorum. q. vltima.

28 Et ratione probatur sic: quī causat formā, dicitur causare actus, qui per modum sequelæ, vel necessario consequūtur ipsam formam: ergo Author naturæ causans æstimatiuam bruti, saltem mediate, dicetur causare actiones naturales, ad quas per modum naturæ est determinata ipsa naturalis inclinatio potentiæ.

Præterea, hic modus necessitatis operationis æstimatiuæ, sufficit, vt vere eius operatio attribuatur Authori naturæ, eo proportionali modo, quo motus grauis attribuitur generanti. Licet paritas nō in omnibus teneat, quia viuentia

operantur actione vitali, & ex naturali inclinatione se mouent: & rationalia se applicant libere ex naturali motione ad liberam se determinando: in operationibus autem naturalibus, & necessarijs, quia ex instinctu determinātur, dicūtur magis agi, quam agere.

29 Per quæ cessant difficultates, quę solēt obijci, quia Deus Author naturæ dedit potentias, ita determinatas ad operationes conuenientes naturæ in qua sūt, quod positis speciebus immissis ab obiecto, naturali inclinatione determinatur potentia ad eliciendas sensationes conuenientes naturæ animalis, ac si animal haberet discursū. Vnde S. Thomas 1.2.q.40.artic.3.ait. *Motus appetitus naturalis sequitur apprehensionem intellectus separati, qui naturam instituit.* Et similiter appetitus sensitiuus brutorum animalium, *quæ etiam quodam instinctu naturali agunt.* Vnde in operibus brutorum animalium, & aliarum rerum naturalium appareret similis processus, sicut & in artis operibus: *Et per hunc modum in animalibus brutis est spes, & desperatio.* De quo videantur ibi Caietanus, Corradus, & Medina.

30 Verum etiam est, sæpe instinctum determinari ab extrinseco variis influentijs cælorum: nam directe influunt in potentias corporeas: & ideò S. Thomas sæpe citata distin. 26. ad 4. ait animalia moueri ex impulsu naturæ *interiori, vel exteriori: sicut quando agunt ad aliquid ad præcauendum de futuris, quæ dependent ex motu cæli, quasi ex eo impulsa. Vnde ex eorum operib⁹ homines possunt aliquid scire de huiusmodi futuris: sicut nautæ præscium tempestatem futuram ex motu delphinorum ad superficiem aquæ descendentium; & formicæ veniente pluuia reponunt granum in cauernis.* Hæc S. Thomas. Cur autem instinctus naturæ, & influentia cælorum quoad hoc, magis reluceat in brutis, quam in homine, rationem assignat S. Thomas 1.p.q.86.art.4.ad 3. *quia animalia brutanon habent aliquid supra phantasiam, quod ordinet phantasmata, sicut habent homines rationem. Et ideò phantasia brutorum animalium totaliter sequitur impressionem cælestē.* Videatur S. Thomas. Quandoque etiam variantur ex meliori dispositione potentiarum, & accidentium subiecti.

## §. III.

### *Duo alia dubia de æstimatiua.*

31 DVbitatur quarto, vtrū quoad hoc sit aliquid peculiare in æstimatiua hominis?

Respondetur cum D. Thoma 1. p.q.78. art.4. quod quātum ad formas sensibiles, non est differētia inter hominem, & alia animalia: similiter enim immutantur à sensibilib⁹ exterioribus. Sed quantum ad intentiones prædictas (insensatas) differentia est: nam alia animalia percipiunt huiusmodi intentiones solum naturali quodam instinctu: homo autem per quandam collationem. Et ideò quæ in alijs animalibus dicitur *æstimatiua naturalis*, in homine dicitur *cogitatiua*, quæ per collationem quandam huiusmodi intentiones adinuenit. Vnde etiam dici-

dicitur *ratio particularis*, cui Medici assignāt determinatum organum, scilicet, mediam partem capitis. *Est enim collatiua intentionum indiuidualium; sicut ratio intellectiua intentionum vniuersalium.* Idem habetur Opusc. 43. apud D. Thomam cap. 4.

32 Contra hanc doctrinam posset obijci primo, quia sentire naturali instinctu, & sentire per quandā conferentiam, seu collationē, sunt actus specie distincti: ergo requirūt potentias specie distinctas: ergo in homine vltra æstimatiuā naturalē, quam communem habet cum brutis, erit alia potentia specie distincta, quæ dicatur cogitatiua, seu ratio particularis.

Respondetur distinguendo antecedens, distinguuntur specie ex modo operandi desumpto à subiecto, vel natura, concedo: distinguuntur specie ex ratione formali obiectiua specificante potentias in ratione sensitiua, nego antecedens. Et distinguo consequens, requirunt potentias specie distinctas in ratione proprietatum, concedo consequētiam. Distinctas in esse potentiæ sensitiuæ, nego consequentiam: iuxta ea quæ diximus lib. 2. q. 15. §. 5. Vnde non exigitur in homine alius sēsus interior specie distinctus; sed requiritur, quod æstimatiua hominis sit nobilior æstimatiua bruti, & sic operatur modo perfectiori conferēdo vnum alteri, & sic adinueniē do intentiones insensatas, quas bruta percipiunt naturali instinctu determinata ad vnum ab Authore naturæ.

33 Secundo obijcies: nā id quod est proprium potentiarum spiritualium, non debet conuenire potentijs materialibus corporeis: sed sentire conferēdo vnum alteri est proprium intellectus spiritualis, & in corporei: ergo hoc non debet concedi sensui interno hominis. Patet consequentia, quia etiam in homine sensus interni sunt corporei.

Respondetur primo concedendo maiorem, & distinguo minorē: sentire conferendo vnum alteri vniuersaliter, & abstracte, concedo, quod est proprium intellectus. Sentire concrete, & particulares intentiones solum adinueniendo, nego quod id sit proprium intellectus: quia id conuenit interiori cogitatiuę hominis: *Est enim collatiua intentionum indiuidualium, sicut ratio intentionum vniuersalium*, vt ait S. Thomas.

34 Secundo respōdetur cum D. Thoma ad 5. quod illam eminentiam habet cogitatiua, & memoratiua in homine non per id quod est proprium sensitiuę partis: *Sed per aliquam affinitatem, & propinquitatem secundum quandam refluētiam.* Et ideò non sunt aliæ vires; sed eædem perfectiores, quā sint in alijs animalibus. Hæc ibi.

35 Sed instabis: nam hæc propinquitas, & refluentia non extrahit vires sensitiuas a linea corporali, vt in simili dixim⁹ q. 2. n. 31. nec enim naturaliter potentia inferior coniuncta superiori ex coiunctione eleuari potest ad modum operandi potentię superioris, sicut nec extrahi potest à latitudine sui obiecti extensiui. Ergo si æstimatiua, per id quod est proprium partis sensitiuę,

non valet conferre, componere, & diuidere; nec cogitatiua hominis hanc eminẽtiam poterit habere ex propinquitate ad rationẽ, & ex eiꝰ refluentia.

Reſpondetur concedo antecedens, & nego conſequentiam: quia ſolum per hoc quod in genere ſenſitiuo cogitatiua, & memoratiua eminentiam habeant, & ex refluentia perficiantur, valent eminentiori modo operari in ipſa linea ſenſitiua; & circa intentiones particulares communes ſibi, & potentijs brutorum, aliter vim ſuam exercere; & ideò quod bruta faciunt naturali inſtinctu, cogitatiua facit conferendo, & adinueniendo: licet nequeat eleuari, vt adinueniat intentiones vniuerſales, ſicut nec pertingere valet ad obiectũ, & modũ intellectus.

36 Vltimo dubitatur, vtrum æſtimatiua realiter, & eſſẽtialiter differat à ſenſu communi, & ab imaginatione?

Reſpondetur affirmatiuè. Quod ſequitur ex dictis, quia plus differt æſtimatiua à ſenſu cõmuni; & imaginatione, quam inter ſe differant iſtæ potentiæ. ſiquidẽ plus differunt intentiones inſenſatæ à ſenſatis, quã intentiones ſenſatæ inter ſe; ſed imaginatio realiter differt à ſenſu communi, & ambę realiter, & eſſentialiter differunt à ſenſibus externis: ergo ab omnibus iſtis eſſẽtialiter, & realiter differt æſtimatiua, vt docet S. Thom. illa q.78. art. 4. & de Anima art.13. & inſinuat Phyloſophus 3.de Anima tex.154. iuxta S. Tho. lect.4. lit. K. in fine.

Secundo, quia ratio ſenſata, & in ſenſata plus differunt in modo immaterialitatis, & immutationis potentiæ, quam differant duo ſenſibilia ſenſuum externorum; vel quam differãt ratio viſibilis, & imaginabilis: ergo ſi illæ rationes diuerſificãt potentias internas, vel externas, etiam iſtæ. ¶ Præterea probatur cõcluſio ex B. Alberto tract.1.cap.2. & Ferrara 3.de Anima q.3. quia ad imaginationem rei ſolam, non ſequitur motus miſericordiæ, vel triſtitiæ, proſequutionis, aut fugæ: ad æſtimationem autem aliquid iſtorũ conſequitur. Secundo quia æſtimatiua eſt magis actiua, quam imaginatiua, quia intentiones elicere, eſt magis agere, quam ſpeculari imagines tantum. Tertio, quia æſtimatiua eſt motiua per hoc quod determinat ad quid moueri debeat animal, & quid fugere; non autem imaginatiua. Quæ bona ſunt diuerſarũ potentiarum.

37 Sed obijcit Suarez lib.3.c. 30.n.15. nam potentia cognoſcens rem ſub ratione inſenſata, cognoſcere illam debet neceſſario ſub ratione ſenſata: ergo potentiæ tales non diſtinguuntur. Antecedẽs probatur: nam hoc iudicium, *hic eſt inimicus*, includit intrinſecè cognitionem ipſius, qui inimicitias gerit: nõ ſunt ergo actus ſeparabiles, ad diuerſasque potentias pertinentes.

Cõfirmatur: nam ſenſus communis non poſſet iudicare inter diuerſa ſenſibilia, niſi cognoſceret vtrũque extremum, ſecundum Ariſtotelẽ, & omnes Phyloſophos: ergo neque æſtimatiua poſſet iudicare

hunc

hunc esse inimicum, nisi ipsum cognosceret.

Præterea; rationes conuenientis, vel disconuenientis sunt non sensatæ, sed phantasia cognoscit rē sub tali aliqua ratione: ergo vna, eadēque potentia ad vtrumque sufficit; atque adeò ab æstimatiua nō secernitur. Minor probatur: nam phantasia mouet appetitum sēsitiuum; ad quem comparatur sicut intellectus practicus ad voluntatem, teste Aristotele 3. de Anima. c. 6. text. 44. & c. 7. per totum: appetitus autē mouetur à ratione conuenientis, vel disconuenientis: ergo ipsa phantasia rationem huiusmodi cognouit.

38 Dupliciter potest responderi. Primo cum Conimb. cap. 3. q. 1. ar. 2 Carmel. disp. 15. q. 4. n. 84. admittendo, quod potentia, quæ attingit rationes insensatas, debet attingere etiam sensatas: quia tamen è cōtra non est necessarium, quod potētia attingens sensatas, attingat insēsatas; ideò pro istis debet poni specialis potentia: sicut eadem obiecta sensus externi attinguntur à sensu communi, & phantasia sub altiori ratione.

39 Sed instat Auersa sec. 3. concl. 3. nam eo solum in hac re plures potentiæ distinguendæ essent, inquantum ob diuersitatem operationū, & munerum non posset eadem potentia omnia perficere. Sed potest vna potentia interna plura munera obire, & operationes exercere, & omnes rationes obiectorum sensu perceptibiles sua virtute complecti: ergo nullatenus distinguēdæ sūt plures potentiæ internæ.

Facile tamen dicitur, quod sicut hæc ratio non probat vnitatē sensus externi; ita nec interni. Et in speciali ad argumenti probationes dicitur, quod ratio conuenientis in ordine ad sensum quemlibet est ratio sensata, & à quolibet percipitur sē su proprio, & communi: at verò ratio insensata est conuenientia in ordine ad naturam, & hanc percipere excedit vim phantasiæ; & propterea opus est imaginatiua.

40 Secundo respondent PP. Carmel. n. 85. quod potest dari species (saltem expressa) representans rationes insēsatas sine sensatis: nā licet non representet causam conuenientiæ; potest representare disconueniens formaliter tali subiecto. Sicut visus attingit hoc album, & substantiam solum attingit vt sensibile peraccidens.

41 Posset præterea admitti attingi secundario sensata per species insensatas: quod non tollit dari potētiam internam, quæ directè versetur circa intentiones insensatas, ad quas non se extendit inferior potentia.

42 Denique posset vltima probatio in arguentem retorqueri: quia ibi Philosophus loquitur de phantasia genericè sumpta: nam loquendo de illa specificè, non mouet immediatè; sed mediante æstimatiua: vnde S. Tho. 3. de Ani. lec. 4. lit. K. ait. *Appetitus non patitur, neque mouetur ad simplicem apprehensionem rei, quam proponit phantasia. Sed oportet, quod apprehendatur sub ratione boni, vel mali, conuenientis, vel nociui. Et hoc facit opinio in hominibus componendo, vel diuidē-*

*do*: iste est actus cogitatiuæ; & in brutis actus çstimatiuæ. Et ideò cõcludit S. Thomas. *Patitur tamen appetitus animalium ab æstimatione naturali, quæ hoc operatur in eis, quod opinio in hominibus.*

## QVAESTIO V.

### *De Memoria, & Reminiscẽtia.*

1 DE ista potentia sensitiua optimè instruimur Opusculo 43. apud D. Thomã cap. 4. & ideò placet transcribere, quæ ibi dicuntur. Quarta (inquit) vis sensitiua interior est memoratiua, vel memoria. Est autem memoria, secundum Algazelem, *vis conseruatiua harum intẽtionum, quas apprehendit æstimatiua*: & ideò est arca intẽtionum: sicut phãtasia, vel imaginatiua est conseruatrix formarum, & arca illarum. Et istæ intentiones non sunt sensatæ; sed à sensibus elicitæ.

2 Organum autem huius potentiæ est in posteriori concauitate cerebri. Vnde Auicena 6. de Nat. *Vis memorialis est, quæ est ordinata in posteriori concauitate cerebri, continens, quod apprehendit vis æstimationis de intentionibus non sensatis singularium, & sensibilium.*

3 Differenter est autem in hominib⁹, & in brutis; quia in brutis memoria sola propriè; reminiscentia autem minus propriè: quia secundum Auicennam, & Algazelem, in brutis instinctus naturæ est loco inquisitionis, vt per propriam illius formam sensibilem, & ex forma sensibili, & propria imaginatione, in rem à qua est accepta in præterito. Et sic bruta obseruant tempus vindictæ, & memorantur iniuriarum, & beneficiorum: & ista recordatio subita est.

4 In hominibus verò non solum est memoria, sed etiam reminiscentia, quæ fit per quamdam collationem intentionum indiuidualiũ præuiarum ad formas syllogisticè discurrendo vsque ad vltimo quæsitum. Istam autem excellentiam non habent in homine æstimatiua, & memoratiua per id quod est proprium parti sensitiuæ; sed per affinitatem, & propinquitatem ad rationem vniuersalem per quandam influentiam. Semper enim virtus inferior fortificatur ex coniunctione sui cum virtute superiori; eoquod supremum naturæ inferioris attingit infimum naturæ superioris, vt dicit Dionysius. Hæc ibi. Quæ omnia summatim habentur in D. Tho. 1.p.q.78.art.4.in cor. & ad 5. & q. de Ani.art.13.

5 Vt autem circa hoc insurgẽtes dubitationes possint determinari, primo debemus explicare obiectũ memoriæ: nam vt ex Philosopho ait S. Tho. lib. de Memoria, & rem. lec.1.lit.b. ad determinandum de memoria, primo oportet accipere qualia sunt memorabilia, quia obiecta sunt priora actibus, & actus potentijs, vt dictum est in 2. de Anima textu 31. & 33. & explicuimus. q.15.

§.1.

## §. I.

### *De obiectis, & actibus memoriæ.*

6 STatuit Phylosophus, quod memoria non est futurorū; sed eorum est opinio in parte cognoscitiua, & spes ex parte virtutis appetitiuæ. Neq; memoria est præsentis, sed hoc pertinet ad sensum. Memoria ergo est præteritorū: vnde Phylosophus ait: *Facti autem memoria est: vnde post tempus memoria omnis*: vbi S. Tho. lec. 1. lit. e. ait, ostendit Phylosophus, quod memoria est præteritorum: & hoc probat ex communi vsu loquendi: cum enim aliquid præsentialiter adest, puta cum aliquis præsentialiter videt albū, nullus diceret se memorari album.

7 Sed obijcies: nam aliquis recordatur viuentium, sicut & mortuorum: & recordatur, & oblibiscitur sui: ergo memoria non est tātū præteritorum.

Respondet S. Thomas ibidem, quod non est intentio Phylosophi dicere, quod memoria non possit esse ipsarum rerum, quæ in præsenti sūt, sed solum eorum, quæ in præterito fuerunt: potest enim aliquis memorari non solum hominū, qui mortui sunt; sed etiam qui nunc viuunt: sicut & sui ipsius aliquis dicitur remisci: secundum illud Virgilij: *Hæc talia passus Vllisses: Oblitusve sui est Itacus discrimine tanto*. Per quod intelligi voluit, quod meminit sui. Sed intentio Phylosophi est dicere, quod memoria est præteritorū quantum ad nostram apprehensionem, idest, quod prius sensimus, vel intelleximus aliqua indifferenter; siue illæ res secundum se consideratæ sint in præsenti, siue non.

8 Quod clarius explanat S. Thomas 1. p. quæst. 79. artic. 6. ad 2. dicēs, quod præteritio potest ad duo referri, scilicet, ad obiectum, quod cognoscitur, & ad cognitionis actum. Quæ quidem duo simul coniunguntur in parte sensitiua, quæ est apprehensiua alicuius, per hoc, quod immutatur à præsenti sensibili. Vnde simul animal memoratur se prius sensisse in præterito, & se sensisse quodam præteritum sensibile. Sed quantum ad partem intellectiuam pertinet, præteritio accidit, & non perse conuenit ex parte obiecti intellectus. Intelligit enim intellectus hominem inquantum est homo: homini autē inquantum est homo accidit, vel in præsenti; vel in præterito, vel in futuro esse. Ex parte vero actus, præteritio perse accipi potest etiam in intellectu, sicut in sensu: quia intelligere animæ nostræ est quidam particularis actus in hoc, vel illo tempore existens; secundum quod dicitur homo intelligere nūc, vel heri, vel crās. Hæc S. Thomas. Patet ergo quod ad memoriam non exigitur præteritio ipsius rei secundum esse physicum, sed sufficit secūdum actum cognitionis: quamuis obiectum intellectus abstrahat ab hic, & nunc, & sensus immutentur à præsenti sensibili. Et sic ratione actuum, etiam rerum præsentiū potest esse memoria: vt etiā docet S. Augustinus lib. 14. de Trinitate cap.

cap.11. afferẽs etiam relata verba Virgilij, & epist 72.ad Nebridium. Sufficit ergo præteritio cognitionis, & non exigitur absentia, nec transitio realis existentiæ obiecti. De quo videatur S. Thomas q. 10. de Verit.ar.2.ad 9.& in 3. dist. 26. q.1.art.5.ad 4.

9 Secundo obijcies: nam iuxta dicta, solum memoramur ea, quorum actum memoriæ habemꝰ: sed hoc videtur falsum, quia etiam memoramur obliuionis, quæ est memoriæ priuatio: ergo non bene explicamus memorabilia, & actum memoriæ ¶ Difficultatem hãc solita ingenij subtilitate proponit S. Augustinus libr. 10. Confessionum cap.16.ita scribens. Quid est obliuio, nisi priuatio memoriæ? Quomodo ergo adest, vt eam meminerim, quando cum adest, meminisse non possum? At si quod meminimus memoria retinemus, memoria retinetur obliuio. Adest ergo ne obliuiscamur, quę cum adest, obliuiscimur. An ex hoc intelligitur non perse ipsam inesse memoriæ, cum eam meminimus, sed per imaginem suam? Quia si perse ipsam præsto esset obliuio, nõ vt meminissemus, sed vt obliuisceremur efficeret. Et hoc quis tandem indagabit? Quis comprehendit quomodo sit? Ego certe Domine laboro hic, & laboro in meipso: factus sum mihi terra difficultatis, & sudoris nimij. Hæc, & alia plura ibi S. Augustinus.

10 Respondetur certissimũ esse, quod solum memoramur ea, quorũ species retinemus: Vnde S. Thomas illo art.6.in principio ait: *Cum de ratione memoriæ sit conseruare species rerũ, quæ actu non apprehenduntur.* Rursus etiam est indubitatum, & experientia manifestum, quod memoramur ipsam obliuionem. Et ideò S. Augustinus ibi concludit: *Et tamen quocumque modo, licet sit modus iste incõprehensibilis, & inexplicabilis, etiam ipsam obliuionem meminisse me certus sũ.* Quomodo autem obliuionis memoremur? Dubium restat.

11 Respondet Thomas Hurtado controu.8.mebr.2.§.5.dupliciter. Primo, quod obliuio non cognoscitur à memoria sensitiua, sed ab intellectu, qui cogitat priuationes, & negationes per similitudinem habituum oppositorum. Sed quia S. Augustinus videtur loqui, & reuera loquitur de memoria sensitiua; & de illa experimur nos memorari, quod aliquorũ obliuiscimur. Ideò secundo respondet quod nos non habemus memoriam positiue tendentem in obliuionem, quatenus est priuatio memoriæ (vt euidenter ostendit ratio S. Augustini) sed solum recordamur negatiue de ipsa obliuione, quia recordamur impedimẽti sensibilis (vage quidem) ratione cuius non potuimus alicuius rei recordari. Et ideò recordamur obliuionis actu negatiuo, per speciem illius à quo fuimus impediti.

12 Sed conformiter ad ea, quæ diximus lib.2.q.37. dicendum est, quod si obliuio sit perfecta, & totalis, tam obiecti, quam cognitionis, & sensationis, non possumus illius memorari nec sensu, neque intelle

ctu

ctu: quia obliuio est priuatio memoriæ; & ideò si fuerit perfecta, erit totalis priuatio. Si verò obliuiscamur ex parte, & ex parte memoremur, vel ex parte obiecti, vel ex parte actus; vel in eodem obiecto aliquid retineamus, & aliquid simꝰ obliti, non inconuenit quod illius, quod nullo modo manet, non recordemur; & memoremur illius, quod in se, vel in aliquo sui manet: aliquando quidem per speciem directè immissam ab obiecto; aliquādo verò per reflexionem, quia in anima est aliqua passio, vel intētio expressa, quæ manet in memoria. Et de his vestigijs manētibus in memoria mentionem facit S. Augustinus cap. 17. dicēs. *Sine perneſcio quas notiones, vel notationes, ſicut affectionum animi, &c.* Et cap. 19. ait. *Si autem penitus aboleatur ex animo, neque admoniti reminiſcimur. Neque enim omnino adhuc obliti ſumus, quod vel oblitos nos eſſe meminimus.*

13 Secundo dicendum est, quod memoria strictè sumpta solum est conseruatiua specierum, seu intentionum non sensatarum. Ita Phylosophus, & Auicena, vt refert, & sequitur S. Tho. de Mem. & reminis. lec. 3. lit. e. in fine. Et probant, quia imaginatio, seu phantasia solum cōseruat formas acceptas: memoria verò conseruat intēciones, seu imagines expressas ab ipsis potentijs. Et *quia eſſe imaginem ſignificat intentionem quandam circa formam* (seu significat verbum, vel speciem expressam) *ideo conuenienter Auicena dicit, quod memoria reſpicit intentionem; imaginatio vero formam per ſenſum apprehēſam.* Sicut ergo imaginatio solum conseruat, quæ sensus communis accipit, ita memoria retinet, quas æstimatiua elicuit intentiones non sensatas.

14 Præterea idem probat S. Tho. 1. p. q. 78. art. 4. ita dicens. Ad apprehendendum autē intentiones, quæ per sensum nō accipiuntur, ordinatur vis æstimatiua. *Ad conſeruandum autem eas vis memorativa, quæ eſt theſaurus quidam huiuſmodi intentionum.* Cuiꝰ signum est, quod principiū memorandi fit in animalibus ex aliqua huiusmodi intentione, puta, quod est nociuum, vel conueniens. Et ipsa ratio præteriti, quam attendit memoria, inter huiusmodi intētiones cōputatur. ¶ In quibus verbis duæ proponuntur probationes; altera desumpta ab experientia, quia memoramur ea, quæ nouimus esse nociua, vel conuenientia; & hic accipimus memoriam ipsius rei: ergo intentio insensata conuenientis ad naturam, est potissimum memoriæ obiectum. Alia ratio est, quia secundum communem strictam memoriæ acceptionem, illius obiectū est *præteritum, vt præteritum*: Sed præteritum, vt præteritum, est aliquid insēsatum circa singularia: eo quod vniuersalia abstrahūt ab hic, & nūc; ergo memoria strictè sumpta est cōseruatiua intentionum non sensatarum circa singularia.

15 Sed obijcies: nam vt docet S. Thomas de Memoria lec. 1. lit. a. in fine, *memorari nihil aliud eſt, quam bene conſeruare ſemel accepta.* Sed phantasia bene conseruat, quæ à sensu communi accipit: ergo etiam est memoria specierum sensatarum.

Præ-

Præterea S. Augustinus libro 10. de Trin.cap.11. & lib.12.cap.4.& 7. in parte intellectiua ponit memoriã. Et S. Thomas 1.p.q.79.a.6. probat, quod *intellectus immobiliter, & inamissibiliter recipit species intelligibiles, siue à sensibilibus acceptas, siue etiã ab aliquo superiori intellectu effluxas.* Ergo in intellectu est memoria. Et tamẽ in illo nõ retinẽtur intẽtiones insẽsatæ directè versantes circa singularia: ergo falsum est quod proprijssime memoria solum sit cõseruatiua intentionum non sensatarũ circa præterita.

16 Respondetur quod Phylosophus de Memoria, & Reminis. lec. 2. lit. d. probat, quod memoria per se est primi sensitiui sensus communis; & intellectiuæ partis peraccidens. Et S. Thomas q. 10. de Verit. art. 2. ait: *Constat quod memoria proprie loquendo, non est in parte intellectiua, sed sensitiua tantum, vt Phylosophus probat.* Quia memoria secundum communem vsum loquentium, accipitur pro notitia præteritorum. Cognoscere autem præteritum vt præteritum, est eius cuius est cognoscere præsens, vt præsens, vel nunc, vt nunc: hoc autem est sensus; quia intellectus non attingit singularia directè, vt infra dicetur.

17 Quia tamen argumenta obiecta videntur vrgere; ideo S. Thom. 1.p.q.79.art.6. & q.10. de Verit. a. 2. & multis alijs locis relatis in tabula aurea verbo *memoria* nu.1. distinguit duas acceptiones memoriæ: primo vt accipiatur *pro virtute conseruatiua specierum.* Et sic memoria est in parte intellectiua: & imaginatio quodammodo dicitur memoria: *Et omnis notitia non de nouo accepta potest dici memoria.* Secundo accipitur memoria magis rigurosè, secũdũ quod *eius obiectum est præteritum, vt præteritum.* Et sic memoria non est in phantasia, quia in illa nõ retinetur intentio, quæ elicitur in absentia, sed immutatio quæ causatur à præsenti sensibili. Nec memoria erit in parte intellectiua, sed sensitiua tantum, quæ est apprehensiua particularium: *Præteritum enim, vt præteritum, cum significet esse sub determinato tempore, ad conditionem particularis pertinet.*

18 Tertio obijcies: quia nõ opus est, quod memoria conseruet species non sensatas, sed sufficit, quod conseruet sensatas: nam si à principio ad præsentiam sensibilium valet æstimatiua, vel cogitatiua elicere intentiones insensatas, semper id valebit, dum species sensibilium retineat: ergo nulla est indigentia, quod intentiones insensatæ memoria retineantur.

Respondetur, quod vt arguit S. Thom. 1.p.q.79.ar.6. *quod recipitur in aliquo, recipitur in eo secundum modum recipientis:* si ergo in corporalibus formæ retinẽtur, & in sensu externo, & in imaginatione retinentur formę sensatę, multo melius in memoria retinebuntur formæ insẽsatæ, quæ immaterialiores quodãmodo sunt. Deinde, ad vitam animalis perfecti non tantum opus est recordari sensibilium, sed etiam ipsarum sensationum insensatarum: quia ipsarum memoria cõducit ad debite iterum operandum: ergo natura

tura deficeret in necessarijs, si animalibus perfectis non dedisset memoriam intentionum non sensatarum.

## §. II.

### *De bona & mala memoria.*

19 EX dictis deducit S. Thomas cum Philosopho de Memoria lec. 2. litt. g. quod illa sunt perse memorabilia, quorum est phãtasia, peraccidens autem memorabilia sunt intelligibilia, quæ sine phantasia non apprehenduntur ab homine. Et inde est, quod ea, quæ habẽt subtilem, & spiritualem consideration, minus possumus memorari. Magis autem sunt memorabilia, quæ sunt grossa, & sensibilia. Et oportet, si aliquas intelligibiles rationes volumus memorari facilè, quod eas alligemus quasi quibusdã alijs phantasmatibus, vt docet Tullius in sua Rhetorica.

20 Sed inquiri potest causa, cur aliqui sint bene memoratiui, & nõ alij?

Respondetur, hoc prouenire ex diuersa dispositione debita, vel ex indebita subiecti, vel organi: vnde S. Tho. lec. 3. lit. c. docet, quod quibusdam non fit memoria, quia sunt in multo motu: siue hoc sit propter passionem corporis, sicut infirmis, vel ebrijs: vel propter passionem animi, sicut in his, qui sunt cõmoti ad iram, vel concupiscentiã. Aut etiam hoc accidit propter ætatem deputatam augmento, siue decremẽto. Et ideò illi, qui sunt multum noui, sicut pueri; & etiam senes, sunt immemores, quia corpora puerorum sunt in fluxu propter augmentum; senum verò propter decrementum; & ideò in neutris bene retinetur impressio. Contingit autem, quod ea, quæ quis a pueritia accipit, firmiter in memoria tenet, propter vehementiam motus; ex quo contingit, vt ea, quæ admiramur, magis memoriæ imprimantur: admiramur autem noua præcipuè, & insolita. Pueris de nouo mũdum ingredientibus maior aduenit admiratio de aliquibus quasi insolitis. Et ex hac etiam causa firmiter memorantur. Secundum autem cõplexionem fluentis corporis, naturaliter competit illis vt sint labilis memoriæ. Sed propter primã causam, communiter dicitur: *quod noua testa capit, inueterata sapit*, vt notat Viguerius cap. 1. §. 8. vers. 13. iuxta illud Horatij. *Quo semel est imbuta recens, seruabit odorem Testa diu.* Et Prouer. 22. *Adolescens iuxta viam suam, etiam cum senerit, non recedet ab ea.* Sed hoc est peraccidens, propter vehementem applicationem, vel assuetudinem.

21 Subiungit autem cum Philosopho S. Tho. quod similiter propter prædicta, neutri videtur esse bene memores; neq; illi, qui sunt multum velocis apprehensionis; neque illi, qui sunt multum tardæ. Illi enim, qui sunt multum veloces, sũt magis humidi, quam oportet: humidi enim est facilè recipere impressiones. Illi autem, qui sunt magis tardi, sunt etiam magis duri: & ideo velocius non remanet impressio phantasmatis in anima. Duros autem

autem non tangit, ideſt, non recipiunt phantaſmatis impreſsionem.

22 Proponit deinde S. Thomas, aliam textus Phyloſophi expoſitionem, vt primo quidem intelligat aſſignaſe cauſam deffectus memoriæ propter motum ſuperueniẽtẽ; quã postea manifeſtauit per exemplum iuuenum, & ſenum. Secũdo autem aſsignauit cauſam ex naturali cõplexione: vel quia in aliquibus abũdat humor aqueus, qui eſt frigidus, & humidus: & ideò diſpergũtur de facili in eis impreſsiones phantaſmatum, ſicut faciliter dilabũtur antiqua ædificia. Vel quia in aliquib⁹ abundat humor terreſtris, qui propter duritiem non recipiunt impreſsionem: & hoc poſtea manifeſtauit per exemplum velocium, & tardorum.

23 Secũdo inquires, quid iuuet ad bene memorandum?

Reſpondent Phyloſophus, & S. Thomas lect.3.lit.g. Quod frequẽtes meditationes eorum, quæ ſenſimus, aut intelleximus, conſeruant memoriam, ad hoc quod aliquis bene reminiſcatur eorum, quæ vidit, aut intellexit. Nihil autem eſt aliud meditari, quam multoties cõſiderare aliqua, ſicut imaginẽ priorum apprehenſorum, & non ſolum ſecundum ſe: qui quidẽ motus conſeruandi pertinet ad rationem memoriæ. Manifeſtum eſt autẽ, quod ex frequẽtato actu memorandi habitus memorabilium cõfirmatur: ſicut & quilibet habitus per ſimiles actus: & multiplicata cauſa fortificatur effectus. De quo S. Thomas 1.2.q.51.art.3. & 2.2.q.49.ar. 1.ad 2.

24 Secundo S. Thomas tota lec. 5. & præcipue lit.e. docet, quod ad bene memorandum, vel reminiſcẽdum, ex præmiſsis quatuor documenta vtilia addiſcere poſſumus. Quorum primum eſt, vt ſtudeat, quæ vult retinere, in aliquem ordinem deducere. Secundo, vt profunde, & intente eis mentem apponat. Tertio, vt frequenter meditetur ſecundum ordinem. Quarto, vt incipiat remiſci à principio. Quod melius declarat S. Thomas 2.2.q. 49.art.1.ad 2. dicens. Vt Tullius dicit in ſua Rhetorica, *memoria non ſolum à natura perficitur; ſed etiam habet plurimum artis, & induſtriæ.* Et ſunt quatuor per quæ homo proficit in bene memorando. Quorum primũ eſt, vt eorum, quæ vult memorari quaſdam ſimilitudines aſſumat cõuenientes. Nec tamen omnino cõſuetas, quia ea quæ ſunt inconſueta magis miramur, &c. Secundo oportet, vt homo ea, quæ memoriter vult tenere, ſua conſideratione ordinate diſponat, vt ex vno memorato facile ad aliud procedatur. Tertio oportet, vt homo ſolicitudinẽ apponat, & affectum adhibeat ad ea, quæ vult memorari, &c. Quarto oportet, quod ea frequenter meditemur, quæ volumus memorari. Sed his latius B. Alb. Mag. & alter Albertus, & Mirandula in tract. de mem. locali, & Quintilianus lib.11.de Arte orat.c.2.

25 Aduertit etiam Phyloſophus cap.3. & S. Thom. 1.2.q.50.art.3. ad 3. quod *conſuetudo multum operatur*

ad

*ad bene memorandum.* Quod & docet 2.2.q.49.art.1.ad 2.& q.180. ar.3. ad 4.in fine. Ad succurrendum etiã memoriæ conscribitur in libris; & ideò quod firmiter in memoria tenetur, dicitur metaphoricè cõscriptũ in memoria alicuius, vt notat S. Thom.1.p.q.24.art.1. adducens illud Prou.3. *Describe illa in tabulis cordis tui.* Denique notat S.Tho. 1. 2. q.47.art.2.ad 3. *quod obliuio paruipensionis est euidẽs signum: ea enim, quæ magnæ æstimamus, magis memoriæ infigimus.* Et ideò memoria hominum circa facta particularia, labilis est, vt docet S. Thomas 1.ad Cor.cap.1.lec. 2.in fine.

## §. III.

## *De Reminiscentia.*

26 NOtat S.Tho.1.p.q 78. ar.4. quod homo non solum habet memoriam, sicut cætera animalia in subita recordatione præteritorum; sed etiã reminiscentiã, quasi syllogisticè inquirendo præteritorum memoriam secundum indiuiduales intẽtiones. Quod dicit sol. ad 5.prouenire propter propinquitatem ad rationẽ vniuersalẽ secundum quandam refluentiam. Quod & docet 1.2.q.74 art.3.ad 1. & alijs locis relatis.n.4.& q.9.de Potẽtia art.9.ad 2.

27 Reminiscẽtia, vt notat S.Th. lib.de Mem.& Rem.lec.5.lit.b. *nihil est aliud, quã inquisitio alicuius, quod à memoria excidit.* Et ideò reminiscẽdo venamur, idest, inquirimus id quod consequenter est ab aliquo priori, quod in memoria tenemus. Quod & docet Philosophꝰ ibi, & S.Augustin.10.Confes.c.19. sicut enim ille qui inquirit per deliberationem, procedit ex aliquo priori, quod est notum, ex quo venatur aliquid posteriꝰ, quod est ignotum: ita etiam reminiscens, ex aliquo priori, quod in memoria habetur, procedit ad reinueniendũ id quod ex memoria excidit. Quod latè ibi prosequitur S.Tho.

28 Differentiam primam inter memoriam, & reminiscentiam assignant Philosophus, & S.Thomas lect.1.lit.a. vbi S.Thomas ait. Et ne videretur idẽ esse reminisci, & memorari, subiungit quodam signum differentiæ ipsorum ex parte hominum, in quibus inuenitur vtrumque. Non enim ijdem homines inueniuntur ita bene memoratiui, & bene reminiscitiui. Sed sicut frequẽter accidit, illi sunt meliꝰ bene memorantes, qui sunt tardi ad inueniẽdum, & discendum. Illi autem melius reminiscuntur, qui sunt velocis ingenij ad inueniẽdum ex se, & bene discendum ab alijs. Cuius ratio est, quia diuersæ habitudines hominum ad opera animæ proueniũt ex diuersa corporis dispositione. Videmus autem in corporalibus, quod illa, quæ difficiliter, & tarde recipiunt impressionem, bene retinent eam; sicut lapis, quæ verò de facili recipiunt, non retinent bene, sicut aqua. Et quia memorari nihil aliud est, quam bene conseruare semel accepta; inde est, quod illi, qui sunt tardi ad accipiendum, retinent bene recepta, quod est bene memorari. Qui autem de facili recipiunt, plerumque de facili amittũt.

Sed

Sed reminiſci eſt *quædam reinuentio prius acceptorũ nõ conſeruatorũ*: & ideò illi, qui ſunt velocis ingenij ad inueniendum, & recipiendum diſciplinam, etiã ſunt bene reminiſcitiui.

29 Secunda differentia eſt ex parte temporis, quia ſcilicet reminiſcentia, cum ſit via ad memoriam, tempore ipſam præcedit: vt late declarant Philoſophus & S. Tho. tota lec.7. & lec.4. lit.g.

30 Tertiam differentiam aſſignant lect.8. in principio, deſumitur que ex parte ſubiecti in quo vtrum quæ horũ inueniri poteſt: quia hoc quod eſt memorari multa alia animalia participant præter hominẽ. Sed nullum animal, quod à nobis cognoſcatur, reminiſcitur, niſi homo. Cauſa autem, quare ſoli homini conueniat reminiſci, eſt, quia reminiſcentia habet ſimilitudinẽ cuiuſdam ſyllogiſmi: quare ſicut in ſyllogiſmo peruenitur ad concluſionem ex aliquibus principijs: ita etiam in reminiſcendo aliquis quo dãmodo ſillogizat ſe prius aliquid vidiſſe, aut audiuiſſe, aut aliquo alio modo percepiſſe, ex quodam principio in hoc deueniens. Et reminiſcentia eſt quaſi quædam inquiſitio, quia nõ à caſu reminiſcens ab vno in aliud; ſed cũ intentione deueniendi in memoriam alicui⁹, procedit. Hoc autem, ſcilicet, quod aliquis inquirat in aliud peruenire, ſolum illis accidit, quibus ineſt naturalis virtus ad deliberandum; quia etiam deliberatio fit per modum cuiuſdã ſyllogiſmi. Deliberatio autem ſolis hominibus competit: cætera vero animalia non ex deliberatione, ſed ex quodam naturali inſtinctu operantur. Hæc S. Thomas.

31 Aduertit etiam S. Tho. 2. Cõtrag. c. 81. in fine, quod reminiſci, cum ſit actus per corporeum organum exercitus vt in libro de Mem. & rem. c. 2. Ariſtoteles probat, non poterit poſt corpus in anima remanere, niſi reminiſci æquiuocè ſumatur pro intelligentia eorum, quæ quis primo nouit: quam oportet animæ ſeparatæ adeſſe, etiam eorũ, quæ nouit in vita: cum ſpecies intelligibiles in intellectu poſsibili in debiliter recipiantur, vt dictũ eſt ſupra cap. 74. & hic n. 18. Videatur S. Tho. 1. p. q. 89. ar. 4.

## §. IIII.

### *Diſtinguitur memoria ab alijs in ternis ſenſibus.*

32 EX dictis elicitur primo, quod reminiſcentia hominis nõ differt realiter ab eius memoria. Quod probatur primo, quia fruſtra fit per plures potẽtias, quod poteſt fieri per pauciores. Sed vna potentia ſufficit ad memorandum, & reminiſcendum, quia tẽdunt iſti actus ſub eadem ratione formali, & ſunt actus habentes ſe conſequenter: ergo neceſſe nõ eſt ad illos multiplicare potentias. Secundo, ita ſe habet cogitatiua ad æſtimatiuam, ſicut reminiſcentia ad memoriam: ſed oſtendimus. q. 4. §. 3. quod cogitatiua non eſt in homine potẽtia diſtincta ab æſtimatiua: ergo reminiſcentia non eſt potentia diſtincta

à me-

à memoria. Et de vtrisque ait S. Th. fol. ad 5. *Et ideò non sunt aliæ vires; sed eædem perfectiores, quam sint in alijs animalibus.* Et hoc docere S. Augustinum, S. Thomam, & B. Albertum, & sapientes omnes, testatur Bañez 1.p.q.78.ar.4.dub.vlt.

33 Elicitur secũdo, quod memoria, & reminiscentia realiter differt ab æstimatiua, & ab alijs sensibus internis, & externis. Quod probatur ex dictis q.3.§.3. quia hic differt memoria ab æstimatiua, sicut phantasia à sensu cõmuni: quia sicut phantasia conseruat species sensatas, ita memoria conseruat species, seu intentiones non sensatas: sed illæ sũt potentiæ realiter distinctæ: ergo & istæ.

Præterea conclusionem probat S. Tho. q. de Ani. art. 13. ita dicens. *Necesse autẽ fuit ad hoc potẽtiam ab alijs distinctam ordinari, quia actus aliarũ potentiarum sensitiuarum est secundum motus à rebus ad animam: actus autem memoratiuæ potentiæ est è contrario secundũ motum ab anima ad res. Diuersi autẽ motꝰ diuersa motiua principia requirũt: principia autem motiua potentiæ dicuntur.*

34 Sed obijcies: nam ad cognoscendas rationes sensatas absentes constituuntur duæ potentiæ sensitiuæ: nempe imaginatio sentiens illas, quatenus absentes: & memoria attingens illas quatenus prius fuerunt cognitæ: ergo etiã ad cognoscendas rationes insensatas absentes debet constitui duplex potentia, altera qua cognoscatur, vt absentes; altera vero quatenus prius cognitę sunt.

Respondetur negãdo cõsequẽtiam. Et rationem disparitatis bene assignant PP. Carmel. disp. 15. q.5. n.94. quia rationes sensatæ, si sumãtur præcise, & formaliter quatenus prius fuerunt cognitæ alio sensu, induunt conditiones insensatarum; & ideò pertinent ad potentias versantes circa intentiones insensatas. Rationes verò insensatæ vtroque modo sũt eodem modo sensibiles insensatæ: & ideò pertinent ad memoriam, quæ percipit præteritum obiectum, & præteritã sensationẽ.

35 Denique elicitur quo sensu accepta sit diffinitio memorię, quę traditur ab Authore libri de Spiritu, & anima cap.37. apud S. Augus. tom.3. *Memoria est vis animæ accepta retinens, præterita repetens, elapsa recolligens.* Hanc esse optimam memoriæ diffinitionem contendit Thomas Hurtado Cõtrou.8. memb.2. quia omnia communia memoriæ explicat, & comprehendit.

36 Sed in primis tota hæc diffinitio non conuenit memoriæ brutorũ; quia bruta non habent reminiscentiam, nec elapsa recolligũt Deinde, non explicatur id in quo memoria, quæ est specialis potẽtia, differt ab imaginatione. Nec declarantur, quæ intentiones conseruentur à memoria. Quare præferendæ sunt diffinitiones Auicenæ, & Algazelis relatæ nu.1. & 2. quæ approbantur à D. Tho. & Thomistis. Vel vt ait S. Nemesius tom. 9. Bibliot. de Natur. hom. c.13. *Memoria est, vt Origines ait, phãtasiamus relicta, ab aliquo sensu, qui actu sit. Vt Plato vero definiebat, sẽsus & intelligẽtiæ notionis cõseruatio.* Cuiꝰ explicatio tradita à S.

Nemesio, omnino consonat cum doctrina tradita S. Thomæ.

37 Sed cõtra priorem impugnationem instari potest: nam Scotus in 4.dist.45.q.3. probabile censet, quod in brutis non est memoria: quia omnes eorum operationes salutantur dicendo esse actus æstimatiuę: vel esse per instinctũ naturalẽ. Et præcipuè, quia videtur, excedere sensationes brutorum cognoscere præteritum, vt præteritũ: quod diximꝰ n.6. esse de ratione memoriæ. Nec valent intentiones insensatas in absentia conseruare.

38 Respondetur, certissimum esse, quod in animalibus perfectis est memoria. Id enim expresse docent Phylos. de Mem. c.1. & 1. Metaph. c.1. & lib.7. Eth. c.3. & S. August. 10. Confes. c.17. ait. *Habent memoriam, & pecora, & aues; alioquin numquam cubilia, nidosque repeterent, neque alia multa facerent, quibus assuescunt.* Et lib.1. Musicę c.4. affert Homerum, & Virgilium Georg.3. illis verbis.

*Atque ipsa memores redeant in tecta capellæ.* Vt adducit etiam Bañ dub. 6. & recolenda quę diximus n.3. & 26. & q.2.§.3.

39 Experientias etiã manifestas adducit Vigueriꝰ §.8. vers.12. Mulus enim in aliquo hospitio pastus, post multos dies illac transiens, recordatur, & stitit. Canis etiam domini sui antiqui recordatur, & gestit coram eo de nouo viso. Cati pariter in domibus religiosorum, audito cimbalo ad refectorium currunt: quia recordantur alias post similem sonum se ibi pastos. Ergo in brutis est memoria: nõ quidem per inquisitionem, sed per subitam recordationem præteritorum: quod excedit æstimatiuam. Similiter bruta saltem materialiter attingunt, & recordantur præteritum; sicut docet S. Th.1.2.q.1.art.2. agere propter finẽ, & quod in eis reperitur voluntarium, vt docet q.6.art.2.

## QVAESTIO. VI.

### *De omnibus internis sensibus.*

### §. 1.

### *Sunt tantum quatuor.*

1 HAbemus ex dictis toto hoc libro, quod sensus interni sunt quatuor; & quod non sint plures, nec pauciores: quia isti requirũtur, & sufficiũt ad omnes animalis perfecti operationes, vt probat discursꝰ iam explicatus S. Tho. Cuius sentẽtiã expresse docuit Author Theologiæ natur. lib.2.c.9. (circũfertur inter opera Arist. to.2.) & Carpẽtarius præfatione ad lectorẽ, cõtẽdit esse Aristot. Eius verba refert, & põderat Tho. Hurt. Cõtrou. 10. mẽb. 6.§.2. Et §.4. inter alias, hanc rationẽ pro eadẽ cõclusione proponit. Deus de facto producit, quod conueniẽtius est rerum naturis. Sed magis conueniens est animæ sensitiuæ potentiali, & imperfectæ, quod pluribus principijs proximis condecoretur interius, sicut condecoratur exterius: ergo tantum dantur quatuor potentiæ internæ, & istæ quatuor dãtur. Patet consequẽtia, quia nõ repugnat, quod Deus sic faciat, & cõsẽtaneũ est sic de facto facere.

2 Quod si instes: nam etiam Deus potest facere vnicum sensum internum, qui hos omnes actus eliciat:

ergo

ergo ex eo quod Deus potest facere, nō recte infertur, quod ita sit de facto. Respondet Tho. Hart. primo negando antecedens, quia ille sensus deberet attingere obiectū sub ratione sensibili abstrahente à ratione sensata: implicat autē, quod ratio ista sic abstracta adunetur in vno sensu. Secundo negat consequētiam, quia natura sensitiua, quæ est de facto, talem sensum non exigit.

3 Hæc tamē ratio, & mora est cō gruentia: & non assignat radicem, nec à priori, nec a posteriori, numeri sensuū. Et sine causa coartat Dei omnipotentiam: & quæstionē Physicam sine causa extēdit ad abysśū diuinæ potentiæ. Sicut ergo cōmuniter Philosophi, cum disputāt de numero quinque sēsuum externorum, non inquirunt quid Deus possit facere, sed quid congruat naturis rerum; vt diximus libro 2. q. 26. n. 10. Ita pariter dicendum quando inquiritur de numero sensuū internorum. Imo cum illi magis lateāt, non est ad eorum inuestigandā distinctionem, demonstratio physica exigenda: sed pro materiæ capacitate ratio S. Thom. vt aptissima est amplectenda.

Quod autem necessāria non sit illa potentia, quam Auicena superaddidit, satis probat Sanctus Thomas illo art. 4. in fine, quia operatio illius potentiæ *non apparet in aliis animalibus ab homine: in quo ad hoc sufficit virtus imaginatiua. Cui hāc actionem attribuit Auerrois in libro quodam, quem fecit de sensu, & sensibilibus.*

## §. II.

### *Non datur sensus internus agens.*

4 EX alia parte videtur augēdus numerus sensuum internorū: nam Suarez ex vna parte cōtra omnes Antiquos, vult vnū tantum esse sensum internū; & ex alia parte cōtra Antiquos, & Modernos, contēdit lib. 3. de Ani. c. 9. n. 14. quod respectu sēsuum internorū necessārio est ponendus aliquis sensus agēs intentionales species. Quia obiectū ad extra non sufficit ad eas causandas: & sensus externi non causant qualitates à se distinctas realiter: ergo oportet ad hoc dari sensū agentem.

Quod verò Aristotelis hoc numquā dixerit, non vrget (inquit Suarez) multa enim alia prætermisit, alia exactè nō tractauit. Fatemur quidē S. Tho. 1. p. q. 79. ar. 3. ad 1. hanc actiuitatem specierū videri denegare omnibus sensib⁹: sed fortasse de sensibus loquitur quantū ad primā receptionē specierū, quæ fit ab obiecto, ex qua originatur cuiuscūq; alterius speciei productio.

5 Pro resolutione bene notat Aegidius Columna Quodl. 3. q. 12. §. *postquam*, quod agēs sensus potest dici aliquid tripliciter: vel quod aliquid faciat ad actionem; vel quod ad eum sequatur aliqua actio: vel quod det sensibilibus, quod agant, vel ipse sēsus agat, & producat species intentionales. In duobus primis acceptionibus nō negamus dari sēsum agentem: *Ipsa enim visio gignitur ex visibili, & videnti*, vt ait S. Aug. &

vt idem asserit 9. de Trin.c.12. *Ab vtroque notitia paritur, à cognoscente, & cognito*: & lib.2.ostēdimus sensus eli cere proprias operationes vitales. In tertio ergo sensu est quæstio pro posita.

6 Cui respondetur, nec in sensib⁹ externis, nec in internis dari sensū agentē. Ita sumitur ex Phylos.2.de Ani.tex.60.& ex D.Th.ibi lec.12. lit.b.& ex alijs locis relatis q.21.n. 31 vbi retulimus B.Alb. & Ferr.2. de Ani.q.9.latè hoc probantem: & exprofesso Aegidius vbi supra, & Abulēsis super cap.23.Exod.q.70. & Niphus tractatu de Sensu agēte, & Thomas Hurtado disp.2.de sēs. internis contr.1.per totam: vbi mē bro 2. ait. *Quare sensus agens fictitius videtur, & omnino excludendus vt alien⁹ à Schola Peripatetica.*

7 Dices, hos Authores loqui de sensu externo agente: de quo fatetur Suarez.n.4. cum Arist. S. Aug. & S.Thoma, B.Alberto, & communi Expositorum, non dari, nec esse necessarium.

Sed contra: nam multi vniuersaliter loquuntur de omni sensu agē te: alij nominatim excludunt sensū internum agentem. Ratio Phylosophi, & eius verba, vel nil probant, vel etiam de sensu interno procedunt. Et ne in singulis immoremur, totum hoc erit perspicuum ex verbis S.Th.& rationibus adducendis.

8 Igitur S. Thomas 3. de Anima lec.3. in fine ait. Neque oportet, quod per aliquam actionem sensus communis, species recepta in organo, fiat in ipso, *quia omnes potentiæ partis sensitiuæ sunt passiuæ: nec est possibile, quod vna potentia sit actiua, & passiua.* Similiter quæst.de Spirit.creat. art. 10.ad 17.& quæst.de Ani. art.4. ad 5.ait, quod sensibile, cum sit quoddam particulare, nō imprimit, nec in sensum, nec in medium speciem alterius generis: cum species in medio, & in sensu non sit nisi particularis. Intellectus autem possibilis recipit species alterius generis, quam sint in imaginatione; cum intellectus possibilis recipiat species vniuersales; & imaginatio non contineat, nisi particulares. Et ideò in intelligibilibus indigemus intellectu agente; *non autem in sensibilibus alia potentia actiua: sed omnes potentiæ sensitiuæ sunt potentiæ passiuæ.* Et 1.p.q.79. art. 3.ad 1.non solum docet, quod *non oportuit ponere sensum agentē*: sed & ait, quod in parte sensitiua *omnes potētiæ sunt passiuæ: in parte verò intellectiua est aliquid actiuum, & aliquid passiuū*: quæ comparatio aduersatiua esset falsa, si daretur aliquis sensus agens, sicut datur intellectus agēs. Idem docet q.85.art.1.ad 3.& 2.Contrag. cap. 77.& alibi sæpè.

9 Fundamētum S. Thomæ, quo etiam vtitur AEgidius, est quia cessat totaliter ratio indigentiæ sensus interni agentis, quæ mouit Phylosophum ad ponendum intellectū agentē: nam differenter agit sensibile in sensum, & phantasma in intellectum: nam phantasma concurrit ad producendam speciem alterius generis ac sit phantasma corporeū; siquidē species intellectus sunt spirituales, & abstrahentes à conditionibus materiæ; at vero omnia sensibilia interna, & externa sunt corporea,

rea, & versantes circa singularia: ergo vim habent sensibilia imprimendi species, vt eis interni sensus valeant elicere sensationes sensatas, & insensatas: quia sunt potentiæ passiuę, quæ cooperantur intentiones elicieudo, & verba formando: ergo nulla est necessitas constituēdi sensum agentem.

10 Confirmatur: quia si essent vniuersalia separata a materia, non esset necessarius sensus agens, vt iterum ait S. Thomas 3. de Anim. lec. 10. lit. a. in fine. Sed in omnibus sensibus internis species sunt singulares, & habent eundem modum existendi ac ipsa sensibilia: ergo possūt ab ipsis sensibilibus causari immediate, vel immediate; & ideò nulla est necessitas interni sensus agentis.

11 Alia via, ex B. Alberto, arguit Ferrara illa q. 9. ex natura specierū intentionalium: nam quælibet forma nata est multiplicare se ipsam in quantum est immaterialis. Vnde cū producitur in aliquo forma secundum esse spirituale, producens est ipsa sola forma, quæ ex sua immaterialitate habet, vt possit multiplicare intentionem suam. Cum autē producitur forma secundum esse materiale, producens non est sola forma, sed agens materiale. Potest ergo sensibile perse causare suam similitudinem in sensu, quia ipsa forma sola, quæ est immaterialis, intētionem sui immaterialem causare potest. Prima tamē via est communior, & securior.

12 Duplex autem est modus explicandi qualiter species sensuum internorum educantur: & vtrumque videtur probare Bañez 1. p. q. 79. art. 3. dub. 1. ad 2. & PP. Carmelitan. disp. 15. n. 70. Sed secundū magis probat Ioan. à S. Thoma q. 8. ar. 4. Primus est, quod illa species insēsata fit ab ipso obiecto sensibili emittente ex se immediate species illas ad potentias interiores per sensus externos. Et causantur in diuersis diuersæ iuxta naturam recipientium, & eliciuntur diuersæ operationes iuxta diuersitatem potentiarū, & diuersam dispositionem subiectorum.

13 Secundus modus dicendi est, quod causantur species internæ ab ipsa interiori potentia: nam dicitur Opusc. 43. apud D. Thomam c. 4. *quod æstimativa est virtus apprehēdēs de sensato, quod non est sensatum, sicut ouis inimicitias lupi.* Vbi non dicit hoc fieri ex sēsibili; sed quod fit ex *sensato*. Itaque ab illa potentia, in qua obiectum redditur sensatū, fiunt virtute animæ species illæ eleuatiores: quia potentiæ internæ sunt productiuæ speciei, non sibi, sed superiori potentiæ deseruientis.

14 Hic tamen secūdus modus mihi non probatur, quia ponere videtur sensum agentem in re; licet intendat eum impugnare, & ponit eandem potentiam simpliciter actiuam, & passiuam simpliciter; quod reijcit S. Thomas relatus n. 8. quare primus modus est approbandus.

15 Clariusque dicitur ex prænotatis q. 4. n. 18. quod species omnes internæ imprimuntur ab obiectis mediatè, vel immediatè, quia omnes sunt eiusdem generis cum sensibilibus; nec illas causare excedit

vim actiuam sensibilium, vt agunt virtute cælorum, vt diximus libro 2.q.21. Cæterum species expressæ, seu intentiones sensatæ, & insensatæ eliciuntur ab ipsis internis potẽtijs; quia semel actuatæ speciebus, à quibus patiuntur; cooperantur, & agunt intentiones eliciendo, vel ex vna, vel ex pluribus speciebus; siue intentiones sensatas (si sint inferiores potentiæ) vel insensatas, vt in æstimatiua, & memoria cõtingit. Et de illis intentionibus est sermo dicto cap.4 & videndus S.Th. Quodlib.8.art.3.& 4. Cõtrag.cap. 11.col.2.ait. *Sẽsibile enim exterius formam suam exterioribus sensibus ingerit, à quibus proceditin imaginationem; & vlterius in memoriæ thesaurum*: vbi vidẽdus Ferrara fol.431.§.*potest secundo*. Et ipse S.Tho.ibi lib 2.c.76.in fine ait. *Sensus autem motus à sensibile exteriori, imprimit in phantasiam.*

## §. III.

### *Vtrum sensus interni sint reflexiui?*

16 SOlet autem hic inquiri, vtrũ sensus interni valeant supra suos actus reflecti?

Affirmat Auersa q.55.sec.2.cõc. 3.& probat primo, quia brutis conceditur memoria, & recordatio: sed memoria definitur, quædam repetita cogitatio rei antea cognitæ, quatenus cognitæ, vt patet ex dictis quæstione.5. & non sufficit, quod attingatur quatenus cognita sensu externo: alioquin omnis actus sensus interni esset memoria, cum semper attingat obiectum quatenus sensatum erat exterius. Ergo verè per sensum internum percipitur alius actus eius: quamuis concretè, & coniunctum cum obiectis sensatis.

Secũdo, quia sensus internus cognoscit actus internos appetitus sensitiui. Sed actus interni sensus, & appetitus, sunt adeò inter se connexi, vt possint, & debeant ab eadem potentia cognosci. Ergo sensus internus reflectitur supra suum actum.

17 Tertio: nam ipse appetitus sensitiuus versatur tam circa actus sensus, quã circa suosmet actus. Quod videtur experientia comprobari: quia appetitus concupiscit gaudere, & delectari; abhorret dolere, & tristari: & concupiscit cogitationẽ. Ergo & ipse sensus internus versatur circa hos omnes actus. Consequentia probatur primo à paritate rationis eiusdem. Secundo, quia appetitus non potest ferri in aliquod obiectum, quod non sit ei propositum per sensum. Ergo sensus internus cognoscit actus proprios, & actus appetitus sensitiui.

Denique ratio à priori est, quia nõ apparet id excedere virtutem, & limitationem sensus interni. Neque magnum quid est supra suos actus reflectere. Non transcendit cõditionem facultatis corporeæ; neque transit in partem potentiæ spiritualis: nõ requirit, aut secum fert discursum. Igitur non est cur id interno sensui denegetur.

18 Dicendum tamen est, nullum sensum internum posse supra suos actus reflecti. Ita S. Thomas 4. Contragẽtes cap.11.columna 2. dicẽs.

*No-*

*Non enim aliqua potentia sensitiua in seipsam reflectitur.* Et in 3. dist. 23. quæst. 1. art. 2. ad 3. ait. *Alio modo anima reflectitur supra suos actus cognoscendo illos actus esse. Hoc autem non potest esse, ita quod aliqua potentia vtens organo corporali reflectatur super proprium actum: quia oporteret, quod instrumentũ, quo cognoscit, caderet medium inter ipsam potentiam, & instrumentum, quo primo cognoscebat. Sed vna potentia vtens organo corporali potest cognoscere actum alterius potentiæ, inquantum impressio inferioris potentiæ redundat in superiorem; sicut sensu communi cognoscimus visum videre.* Aliæ authoritates S. Tho. solent adduci: sed in eis non loquitur expresse de sensibus omnibus, etiã internis, sed de externis: de quibus egimus lib. 2 q. 23. §. 2. Idem sequuntur communiter Thomistæ. Et Scotus in 4. dist. 43. q. 2. & Suarez lib. 3. de Anima cap. 11. n. 3. afferens Proculũ libro de elementis Theologicis propos. 7. dicentem. *Omne ad seipsum conuersiuum est incorporeũ, & spirituale, & per se subsistens.* Quod & habetur, licet cõfuse, in libro de Causis, vt ibi notat Sanctus Thomas lectione 7. dicens clarius haberi in Proculo propos. 15.

19 Ratione probat Suarez, quia nulla potẽtia ferri potest extra suu obiectum. Sed actus sensus cuiusuis non comprehenditur sub obiecto illius; quia altioris est ordinis, cum magis ad spiritualitatem accedat. Ergo nullus sensus cognoscit suum actum.

Quod cõfirmatur, quia nulla potentia sensitiua potest cognoscere seipsam, neque suam speciem impressam; nec suum organum: quia intus existẽs prohibet extraneum. Sed eadẽ, vel maior ratio est de actu: ergo nulla potẽtia sensitiua cognoscit suum actum.

20 Hæc ratio iuxta nostram doctrinam aliquam præsefert apparietiam, & indicatur à D. Thoma 1. p. q. 87. art. 3 ad 1. & 3. Sed iuxta ipsum Suarez ponentem vnum tantum internum sensum, non conueniẽter procedit: probat enim Thomas Hurtado controu. 3. memb. 3. §. 2. quod si sensus interior est tantum vnus, necessario est fatendum, quod possit supra se reflecti: quia docent Physosophus, & S. Thomas de Somno, & Vigilia lectione 3. & 4. vtrobiq; lit. h. quod in sõno videmus sensationes sẽsus cõmunis, existimado, quod est ipsa res. Quod & habetur de Memoria, & Reminiscentia lect. 3. litt. e. vbi, & dicitur, quod memoramur sensationis interiæ præteritæ. Rursus, in somno sæpè iudicamus nos dormire, vt docent Physosophus de Somnijs lect. 5. litt. f. & lect. 4. litt. i. & ibi S. Thomas, & S. Augustinus 12. de Genes. ad litteram cap. 2. Ergo sensibus internis attingimus actus aliarum potentiarum: quod expresse docet S. Thomas relata solutione ad tertium: & sicut sensus communis cognoscit actus sensuum internorum, sensationes sensus communis attingũtur ab imaginatione, & conseruantur in memoria. Sed tamen nec sensus communis attingit proprium actum, nec imaginatio, aut aliæ potentiæ sensitiuæ supra suos actus valent in rigore reflecti.

21 Quod & experientia ipsa cõprobatur: non enim nos, quamuis habeamus potẽtias sensitiuas excedentes potentias sensitiuas brutorũ, experimur ipsis actibus sensuum internorum directè cognoscere ipsos actus, & habere illos pro obiectis: ergo etsi in actu exercito sentiamus nos sentire, non tamen proprie est reflexio in sensibus internis.

22 Præterea probatur ratione indicata à D. Thoma verbis relatis, quia sensus immutatur à sensibili; sensatio autem non est immutatiua ipsius sentientis, eo genere immutationis, quo obiectum immutat potentiam: quia operatio est qua agimus, & operamur circa obiectum, non verò est quod agit in sensum: ergo sensus non valent in suos actus reflecti.

23 Rationem aliam à priori in simili indicat S. Tho. 1.p. quæst. 12. art. 4. ad 3. & in 1. dist. 3. q. 1. art. 1. ad 2. quia nullus sensus etiam internus potest in abstractione cognoscere, quod in cõcretione attingit: nullo enim modo potest percipere naturam nisi vt hanc: quia ferri nequit nisi in singularia sensibilia. Sed ad reflexionem propriè sumptã exigitur cognitio abstrahens: ergo reflexio propriè sumpta non valet esse in sensibus internis. Probatur minor, ideò cognitio sensitiua non potest abstrahere, quia non est immaterialis, nec ita actualis, quod supergrediatur conditionem materiæ, & individuationis materialis principia. Sed vt reflectatur super actum suum, debet etiam non esse concreta, & limitata ad obiectum actus, sed potens habere actum pro obiecto: ergo sola virtus immaterialis potest esse reflexiua.

24 Confirmatur: nam eiusdem virtutis est, in obiecto abstrahere vnã rationem, & aliam considerare; ac in actu ipso sẽtire, quod exercet munus operationis vitalis, & iterum sentire ipsam operationem vt obiectum. Sed primum arguit immaterialitatem, & spiritualitatem potentiæ cognoscitiuæ: ergo & reflexio propriè dicta est propria potentiæ cognoscitiuæ spiritualis.

25 Argumenta primæ sententiæ parum vrgent, quia solum probant, quod sensus interni cognoscant operationes internas: quod nos libenter concedimus: & inde a posteriori probamus esse plures potentias interiores, quarum superiores cognoscunt operationes inferiorum, sed nulla supra proprium actum valet reflecti: quia hoc est proprium intellectus.

## §. IIII.

### *Vtrum sensus interni sint in capite? an verò in corde?*

26 VLtimo circa internos sensus dubitatur, quia hucusque sæpè inculcatum est, quod residant in cerebro, in quo diximus esse tres cellulas, & quod media earum in alias duas quasi subsecatur, & sic quatuor interni sensus habent organa ad inuicem distincta. De quo videatur S. Thom. 1.p.q 74. in cor. & in 4. dist. 50. q. 1. art. 1. ad 3. & q. 10. de

Verit.

Verit. art. 5. in fine cor. & q. 15. art. 1. & 2. Contrag. cap. 59.

Quæ tamen doctrina videtur cõtra Phyloſophum, qui in libro de Iuuentute, & Senect. cap. 2. & lib. 2. de partib. anim. cap. 17. & libro 10. de Gener. anim. cap. 4. & alibi ſæpè, non in cerebro, ſed in corde ponit ſentiendi principium.

27 In hoc puncto videtur eſſe diſsidium inter Medicos, & Phyloſophos Peripateticos. Nam Hyppocrates libro de Natura oſsium, & libro de popular. morbis. Galenus libro 7. 8. & 16. de vſu partiũ, & lib. 1. & 7. de decretis Hyppocr. docet cerebrum, non cor, eſſe proprium ſubiectum, & organum ſenſuum internorum. Quam ſententiam vt Ariſtoteli contrariam, ſequuntur Toletus tertio de Anima quæſt. 5. concl. 3. Petrus Hurtado diſp. 17. de Anima ſect. 9. concludens num. 57. *Arbitror hæc ipſis pueris inſita cum intellectu: atque Galenum iure dixiſſe Ariſtotelem cæcutijſſe, & hæc de re ſcripſiſſe libros ſe indignos, ac dedecẽtes.* Diligentius, & modeſtius eãdem ſententiam probant Suarez libro tertio de Anima cap. 13. num. 4. & cap. 31. num. 5. & Auerſa quæſtione 55. ſectione 1. Gaeuara libro 2. de interiori ſenſu tractatu primo capite 2. qui & Ariſtotelem concordare nititur cum Galeno, dicens cor eſſe principium remotum ſentiendi, quia ex corde funduntur ſpiritus vitales, qui deinde fiunt animales, ac deſeruiunt ad opera ſenſuum.

28 Septem pro hac parte rationes breuiter propoſuit Suarez illo c. 13. ita ſcribens. Primo enim cõſtat ex anatome neruos illos, qui viæ ſunt, per quas miniſtrantur ſpiritus animales, à cerebro oriri. Secundo conſtat, læſo cerebro, priuari animal ſenſu, & motu, quia ſcilicet, tunc læditur animalis facultas: ergo ſignum eſt eam in cerebro reſidere. Tertio, cu infirmitas aliqua, ſeu vitium contingit in animali virtute, veluti ſi phantaſia lædatur, medicamenta capiti apponuntur, non cordi, vt ſcite notauit Galenus 3. de locis patient. c. 4. quod inditio eſt talem virtutem in cerebro morari. Quarto, ex vehementi attentione laſſatur, & dolet caput, non cor: illic ergo reſidet principium virtutis ſentiendi.

29 Quinto, sẽſus interior in cerebro reſidet: vt patet experiẽtia: cũ experiamur idola rerum in capite formari: ergo etiam ibi eſt prima radix huius virtutis. Sexto, ſomnus eſt priuatio operationis primi sẽſorij; ſomnus autem in capite cauſatur; cor enim à ſua operatione propter ſomnum minimè quieſcit, vt docet ipſe Ariſt. lib. de reſpir. c. vlt. Septimo, cerebrũ eſt in ſublimi loco poſitum, nimirum, vt influere poſsit in omnes ſenſus; in illo ergo ſublimis eſt virtus, & prima radix totius corporis. Hæc ibi.

30 Opinionem tamen Ariſtotelis tuentur Auerrois 2. de Partibus Nat. Auicena fen. 1. doctr. 5. c. 2. libri primi, Themiſtius, Alexãder, & Appollinaris, & multi alij, quos citat, & ſequitur Thomas Hurtado de ſenſibus internis contro. 10. membro 9. Et eam probat. Primo,

quia

quia idem est principium motus animalis, & principium motus sentiendi: vt docet Aristoteles de Somno, & vig. lec.4. & fatetur Galenus 1. de causis symptom. cap.5. Quia motus fit appetitu, & imaginatione. Sed cor est primum principium mouendi, vt docet S. Bernardus de inter. domo cap.25. dicens. *Mouet mollem totius corporis tantillus iste in cordis vitalis motus.* Quod & late probat S. Thomas Opusc. de motu cordis, & Physios. cõmuniter. Vnde S. Thom. 1.p.q.18.a.1.ad 1. ait, quod *motus cœli est in vniuerso corporalium naturarũ, sicut motus cordis in animali, quo conseruatur vita.* Ergo cor est primũ principium sentiendi.

Secundo, illud est primum motiuum secũdum locum, quod est primum appetitiuum; quia appetitus, & imaginatio sunt principia motus localis, iuxta dicta lib. 2. q.16 sed cor est primum appetitiuum in animali: ergo cor est primũ principiũ sentiẽdi Et sic cogitationes tribuũtur cordi in Sacra Scriptura Math. 9. & 15. *vt quid cogitatis mala in cordibꝰ vestris: & de corde exeũt cogitationes, &c.* Et videndus S. Thom. 3. Anima lect. 15. lit. h.

31 Tertio, illud, quod primo habet sensum, est primum sẽsitiuum, & motiuum; quia sensu, & motu distinguitur animatum ab inanimato. Sed cor primo habet sensum, & motum, quia vt fatetur Galenus libro de fœtus formatione, & Plinius libro 11. Hist. cap. 33. primum, quod in animali viuit, est cor, in quo est palpitatio, qui est actus vitę sensitiuæ; ergo in vitæ exercitio primo non pendet à cerebro: & tamen à corde omnes motus sensitiui pendent: ergo potius cordi, quam cerebro tribui debet, quod sit principium sentiendi.

32 Quarto: nã experimur, quod pulsatio à corde communicatur cerebro, & toti animali, vt probat Galenus de placitis cap. 9 quia ex calore cordis maiori, vel minori, est velocior, aut tardior arteriarũ pulsatio. Et passiones animales cor afficientes, idem satis ostendunt, & probant Valles libro 2. controu. Med. c.14. & alij Medici. Sed pulsatio, & emissio spirituum vitaliũ sũt actus animæ sensitiuæ: ergo cor, a quo primo pendent, est primum sẽtiendi principium. Nec vlla est ratio cur cor sit primum principium motuum inuoluntariorum pulsationis, & palpitationis, & non sit principium sensationum aliarũ sensitiuarum: sicut in parte intellectiua eadem voluntas operatur motꝰ voluntarios, & inuoluntarios, seu primo primos.

33 Deniq; id probat Iauellus tractatu de causis motus cap.3.§.3. vbi ait Videmus quod parua alteratione facta circa cor, impedimur à motu, & à sensu; vt patet in apoplectico, & epilectico: & parua perturbatione facta circa cor, fit magna alteratio in cæteris partibus, vt in capite, & in alijs extremitatibus; aut remotè, vt in constituto in periculo; aut calore æstuante, vt in febricitante. Ergo signum est, quod cor constitutum in medio animalis est primum principium organicum motus localis. Et vt, inquit

quit Aristotelis, se habet cor in animali, sicut gubernaculum in naui, quod si vel modicum trāsportetur ad dexteram, vel ad sinistram, magnam transmutationem causat in tota naui. Sic accidit in animali, facta aliqua passione circa cor, videmus totum corpus perturbari, & facie mutari modo in ruborem, modo in pallorem, modo in tremorem, & in horum contraria. Manifestum est igitur, quod primum principiū mouens organicum situm est immedio animalis. Hæc ibi.

34 Hæc sententia vera omnino videtur. & duos modos explicandi, qualiter cor sit primum principium sentiendi, latè proponit Thomas Hurtado §.3. vel producendo qualitatem intentionalem, quæ deribetur ad omnes sēsus: quod dicit insinuari à S. Ambrosio lib. de Noe & Arca c.6. Vel quia cor est, quod primo sētit, quia omnis sensatio vltimo terminatur, & perficitur in corde: nam dicit S. Thomas 5. Metapn. lect.1. lit.a. quod *secundum Philosophi sententiā 3. de part. Animal. cap. 3. prima pars est cor, quia à corde omnes virtutes animæ per corpus diffunduntur.* Quod & docet S. Bonauentura in 3. dist.13. ar.2.q 3. ad 1. & Caietan. 3.p.q.8. ar.1. §. *scito secūdo* ait, quod *ex corde mediāte capite omnis vis, & motus membrorum pendet.*

35 Igitur asserim⁹, quod cerebrū est *proximum subiectum, & principium* omnium sensuum internorum. Ita S. Thomas 1.p.q.78. art.4. & q.18. de Verit. art.8 dicens. *Vnde cum necessarium sit humiditatem præcipuè in cerebro abundare in pueris, in quibus imaginatiua, & æstimatiua, & memorativa, & sensus communis organa sua habent.* Et tertia parte quæst.8 articulo 6. docet *sensus in capite radicari.* Et q. 66. art.7. ad 3. ait, quod *in capite vigent omnes sensus, & interiores, & exteriores.* Et in 3. dist.13. q.2. ar.1. ad 5. dicit, quod *caput est principium virtū animalium, quæ pertinent ad sensum, & ad motum.* Et latius habetur Opusc. 43. cap.4. ex Auicena 6. Nat. p.4. c. 1 Et tenet S. Nemesius de Natura hominis cap.6. & cap.12. in fine. Et colligitur ex Philoso. 2. de Part. anim. cap.7. & 10. & lib.3. cap.7. & lib.4. cap.10. & de Somno, & Vig. c.2. & 4. & sec.3. prob.q.3. & 4. Et sequuntur omnes Thomistæ. Imo & communiter Authores. Et hoc solum probāt adducta in fauorem Galeni.

36 Secundo asserimus, quod cor est principium primum, & quasi radicale omnium sensuum internorum. Quod satis ostendūt adducta pro Philosopho. Vnde S. Thomas de Sēsu, & Sensato lec.5. in fine ait. *Sensitiuum enim principium primo quidē est in corde, vbi fons est caloris in corde animalis: nihil enim est sensitiuum sine calore, vt dicitur in libro 2. de Anima textu 130. Sed à corde derivatur virtus sensitiua ad cerebrum.* Videatur S. Thomas 3. de Anima. lec.1. litt.c. Deinde in tertio sententiarum dist.13. q.2. articul.1. ad 5. ait Sanctus Thomas, *quod cor est principium virium vitalium in toto corpore: & est primum principium membrorum quātum ad esse, vt dicit Philosophus* lib.16. de Animalibus. Et libro 8 Met. lect 4. & libro 5. lect.1. lit.a. & 1.p.q.20. art.1. ad 1. dicit

quod

quod *cor est primum principium motus in animali.* Quod & dicit 1.2.q.17. ar 9.ad 2.& q.vnica de Anima art. 9.ad 6.

37 In cuius signū docet S.Tho. in 2.dist.14 q 1.artic.1.ad 2.quod *illud, quod est principium vitæ in homine scilicet, cor, est in medio positum, vt ab omni læsione conseruetur: & vitā proportionaliter in omnes partes corporis diffundat.* Quod & habetur Quodlib.4.a. 3.ad 1.vbi ait. *Ponitur enim cor in medio, vt ex eo diffundantur operationes vitæ facili per totum corpus. Cerebrū autem ponitur in supremo, vt operationes animales, quæ ibi quodammodo perficiūtur, non impediantur per diuersas corporis transmutationes.*

38 Rationes propositæ, adiuncta experientia, intentum conuincūt. Et quæ in contrarium proponūtur, solum probant primam conclusionem: & contra hanc, nec apparenter militant. Et præcipuè, si primū argumentum vrgeret, destrueret id in quo omnes cōuenire, fatetur Suarez n.3.quod cerebrum habeat dependentiam à corde, & cor à cerebro vicissim: cor enim transmittit spiritus vitales, ac calidos ad cerebrum per arterias, vt etiam dicit Galenus lib.3.de Placitis in fine: cerebrum verò frigiditate sua moderatur calorem cordis, vt dicit Philosophus 2.de Part.c 7. Sicut ergò hæc mutua dependentia nulla experientia euertitur, nos, illa supposita, tribuimus primitatem cordi; quia primo viuit, quia primo mouet, quia primo transmittit spiritus vitales, & quia est in medio animalis. Fatemur tamen, quod proximè sensuum internorum operationes in capite perficiuntur, & quod ipsi sensus in cerebro subiectantur.

39 Quod si hoc tantum Authores primæ sententiæ intendunt (& quod certum est) si hoc tantum eorum argumenta cōuincunt; nō est cur tantum sibi plaudant de parta victoria contra Philosophiæ Principem. Imo S.Bonauentura Aristoteli palmam tribuit à Medicis eripiens: nam loco citato nu.34.ait. *Medici discordant à Naturalibus: dicūt enim Physici, quod principium motus, & sensus est in capite: licet Naturales, qui considerant res intimius, dicant, quod horum principium est cor.* Caput ergo solum eminet quoad exteriorem apparentiam, cor verò minet quoad intimam influentiam. Quod optime aduertit S.Thomas 3.p.q.8. ar. 1.ad 3 dicens, quod *caput habet maiestam eminentiam respectu caterorum exteriorum membrorum: sed cor habet quandam influentiam occultam.* Et Ferrara 3.de Anima q.17 ad 2.ait, quod ibi est primum principium motus, vbi est principium neruorum, & venarum, & nō vbi terminantur, sed incipiunt à corde; licet diuisio neruorum pl⁹ appareat in cerebro: *Et ideò Medici, qui sunt artifices sensibiles, dicunt, quod magis in cerebro incipiunt.*

## QVAESTIO. VII.

### *Vtrùm Sensus indigeant speciebus impressis?*

1 QVamuis specierum indigentiam sepè in præcedentib⁹ supposuerimus, earum exactam discussio-

cuſsionem hucuſque diſtulimus, vt de ſpeciebus diſputandâ, quæ valde neceſſaria ſunt, melius percipiãtur ſimul in vnum collecta doctrina.

## §. I.

### *Opinio negans ſpecies impreſſas in ſenſibus.*

2 SPecierum nomine intelligimus imagines, ſeu ſimulacra obiectorum ab ipſis obiectis prouenientia, medijs quib⁹ ſenſus obiecta percipiant, & in eorum abſentia illorũ recordentur. Refert S. Nemeſi⁹ de natura hom. c. 7. quod Porphyrius in libro de Senſu, *neque ſimulachrum, neque aliud quicquam, viſionis cauſam eſſe vult; ſed animam ipſam: eo quod anima contineat omnia, quæ ſunt.* Earundẽ ſpecierum neceſsitatẽ negauit Galenus lib. 7. de decretis, & Plotinus eneade 4. lib. 5. & hæretici Sebaſtianus Baſſonus de Viſu inten. 2. & Tobias Adami. & ex Medicis Thomas de Garuo in ſumma libro 1. q. 63. negauit ſpecies viſibiles: à fortiori idem dicturus de aljis ſenſib⁹. Ex Theologis eas negauit Ocham in 2. q. 17. & 18. vt refert, & ſequitur Gabriel diſt. 3. q. 2. cõc. 1. & 2. & Aureolus Quodlib. 8. Et Dandinus 2. de Anima digr. 31. & Prouẽzalis libro de ſenſibus 1. p. cap. 7. & alij.

3 Tribui ſolet eadẽ ſententia Durãdo, & Gregorio Ariminenſi. Sed Durandus in 2. diſt. 3. q. 6. n. 11. admittit ſpeciem coloris imprimi in medio, & in oculo: negat tamen quod ſpecies concurat ad viſionẽ, quia non repreſentat obiectũ, quia ab oculo videri non poteſt. Gregorius vero in 2. diſti. 7. q. 3. folio 53. col. 4. §. *ad ſecundum*, & in 1. diſt. 3. q. 1. art. 1. conc. 2. Admittit ſpecies ſenſibiles, non quidem præcedẽtes ipſam notitiam, ſed eam commitãtes, & poſt illa remanentes, vt ex mente Gregorij Ariminenſis, notat Aegidius Luſitan⁹ lib. 8. de Beatit. p. 1. q. 1. art. 3. §. 3. n. 23.

4 Alij concedunt ſpecies in viſu, & auditu, & negant in alijs ſenſib⁹. Ita Toletus 3. de Anima q. 2. & Petrus Hurtado diſp. 12. ſec. 1. & Arriaga diſp. 4. ſec. 1. ſublec. 5. dicens *communem*. Sed diligẽtius Authores legit Toletus, quia ſuam ſententiã fatetur eſſe contra communem. Et plane pauciſsimi ante, & poſt ipſos id docent. Sed more ſuo Arriaga, quod apud duos, vel tres domeſticos legit, iudicat eſſe communem, quia alios non legit, nec audit. Videãtur Bañez, & Iauellus, Suarez, & Auerſa, & Thomas Hurtado cõtrou. 1. membro 5. §. 3. concl. 3. & apud eos alij. ¶ Quoad ſingulos sẽſus externos, & internos, quid ſit dicẽdum iam patet ex dictis in particulari de eis; & ideò nunc ſolum in genere ſpecierum ſenſibilium in digẽtiam exponemus, præcipuè in ſenſu viſus, in quo clarius apparet neceſsitas ſpecierum.

5 Aduertendum tamen, quod diuerſis vijs ſpecierum indigentiam relati Authores negarunt. Phyloſophi antiqui, quia putabant animam ex omnibus phyſicè componi, vt poſſet omnium notitiam habere. Alij quia putarunt viſionem fieri

per

per extramissionem radiorum, & non per immissionem specierum. Alij quia existimant, quod sola lux videtur, & per ipsam sine specie colores attinguntur. ¶ Durandus vero nu.10.arguit: quia omne illud, per quod tãquam per repræsentatiuum, potentia cognitiua fertur in alterum, est primo cognitum. Sed species coloris in oculo non est primo cognita, seu visa ab ipso; imo nullo modo est visa ab eo: ergo per ipsam tamquam per representatiuam, visus non fertur in aliquid aliud. Maior probatur, quia omne quod repræsentat aliquid, se habet ad potentiam cognoscitiuã obiectiue: supplet enim vicem rei, quam repræsentat; quæ si secundũ se præsens esset, haberet se obiectiue ad potentiam.

6 Gabriel vero cum Ocham arguit: quia pluralitas non est ponenda sine necessitate. Sed nulla appareret necessitas ponendi tales species. Quod probatur, quia nulla ratio euidens adduci potest ad probandum huiusmodi species: quia vel illa procederet ex principijs per se notis: vel notis per experientiam. Non secundum, quia species (si darentur) non sunt sensibiles: ergo de eis non potest sumi experimentum: experimentum enim ex multis singularibus sensui notis accipitur 1.Metap. Neque potest dari primum, quia mouẽs, & motum non debent esse simul per indistantiam localem, cum Sol agat in hæc inferiora. Sed debent esse simul simultate virtutis. Ergo cum mouẽs est in tali approximatione, quod perse potest mouere, non oportet esse præsens media specie.

7 Denique possunt pro hac parte referri, qui arbitrãtur in notitia abstractiua requiri speciem; notitiam vero intuitiuam necessario fieri sine speciebus. Ita Scotus 2.de Anima q.17. & clarius in 2.dist.9. q.2. §.*ad quæstionẽ* ver.2. *principaliter* lit. d. & lit.n. ad 3. & dist.3.q.10.li.g.in fine, & ad vltimum principale, quẽ Scotistę sequũtur, & Durãd. & Greg. & tenent Ocham, & Gabriel vbi supra. Tribuiturque AEgidio Quodlib.3.q.15. Ita refert AEgidius Lusitanus illo art.3.n.3. Sed q.15. nil de hoc puncto: quęst. autem 14. loquitur de Angelo, & homine se ipsis cognoscẽtib⁹ sine specie, & subdit. *Ergo ponitur species ad supplendam omnem præsentiam obiecti: vt quia lapis non potest esse in anima per seipsum, est ibi per suam speciem.* Iuxta hoc ergo, AEgidius non negat in sensibus notitiam intuitiuam media specie: sed solum in Angelo se cognoscente: de quo alia est quæstio.

8 Ratio huius sententiæ est, quia notitia intuitiua terminatur ad rẽ physicè præsentem, & in hoc distinguitur ab abstractiua. Sed res repræsentata in specie nõ est præsens realiter, sed solũ intẽtionaliter, quod iterum docet Scotus in 2.dist.3.q.8.§.*ad quæstionem* lit.c. ergo cum in sensibus externis sola detur notitia intuitiua, in illis non erit necessaria species impressa intẽtionalis.

Confirmatur: nã experimur obiecta non sentiri nisi debite sint approximata: ergo antequam causẽt speciẽ, sunt præsentia, & debite ap

proxi

proxima potentię: ergo species nō exigitur ad hoc quod obiectum ap proximetur potentiæ: ergo in notitia intuitiua non interuenit species impressa.

## §. II.

## *Indigentia specierum sensibiliū.*

9 DIco primo, dantur species sēsibiles, vt per eas sēsus sua percipiant obiecta. Est communis Phylosophorum, & Theologorum omnium; & ideò necessarium non est aliquos in particulari referre. Traditur à Phylosopho, & D. Thoma 2. de Anima cap. 5. tota lec. 10. & lec. 12. in fine, & lectione. 15. litter a. d. & textu 121. ait Phylosophus *Sensus est susceptiuus specierum sine materia; vt cera annuli, sine ferro, & auro recipit signum.* Vbi S. Th. lec. 24. lit. a. dicit. *Et per hunc modum sensus recipit formam sine materia, quia alterius modi esse habet forma in sensu, & in re sensibili: nā in re sensibili habet esse naturale; in sensu autem habet esse intentionale, & spirituale. Et ponitur conueniens exemplū de sigillo, & cera: nō enim eadem est dispositio cerę ad imaginē, quæ erat in ferro, & auro.* Idem docent text. 138. nempe lib. 3. lect. 2. lit. f. & 7. Phylicorum textu 12. & libro de Memoria, & Reminiscentia lec. 3. lit. b. Et ipse Sanctus Thomas hoc libro 3. lec. 7. lit. b. & lec. 13. lit. b. ait. *Sensus est quædā potentia receptiua omnium formarum sensibilium.* Et lec. 10. lit. a. & 1. p. q. 12. art. 2. & q. 55. art. 1. & q. 78. ar 4. & q. 79. art. 2. & sæpissimè alibi.

10 Expresè idem docent Sancti Patres: nempe S. Basilius homil. 2. Exam. dicens. *Est enim aeris per rara, transparens, & pellucida natura, rerumque omnium visibilium acceptas formas ad intuentium oculos, aspectusque transmittit.* S. Augustinus libro vndecimo de Trinitate cap. 2. docet *tardioris esse ingenij eas negare*: quas, & docet lib. 2. Confes. cap. 18. & 19. & libro 10. cap. 15. & sequentibus, & de vera Relig. cap. 60. & in epistola ad Paulinum, & contra epist. fundamenti cap. 11. & alijs locis relatis a Capreolo in 2. dist. 3. q. 2. art. 3. ad argum. cōtra 4. & ab Aegidio Lusitano. n. 21. Idem tenent S. Damascenus libro 2. de fide cap. 20. S. Anselmus in Monologio cap. 36. S. Nemesius illo cap. 7. & alij frequenter.

11 Rationes plures solent proponi; sed efficatiores sufficiat insinuare. Primo ergo probatur ab experientia: quia vt notat Bañez 1. p. q. 78. art. 2. dub. 3. concluſ. 1. negare species impressas sensibus est negare vniuersam scientiam Perspectiuæ: nō enim potest assignari ratio propter quam homo constitutus atergo oculorum, videatur in speculo, nisi propter species sensibiles, quæ ab obiecto procedunt vsque ad speculum, & a speculo reflectuntur vsque ad oculum. Experimur etiam, quod in speculo conuexo apparet plures imagines eiusdem obiecti, vt notat S. Thomas 3. p. q. 76. artic. 3. & in 4. dist. 10. q. 1. ar. 3. q. 3. quod nō esset, si ibi non essent species obiecti.

Item experimur, quod debiles, vel infirmi in visu, iubantur inspicillis ad hoc aptatis ab arte, ita vt cla-

re,

rè,& distinctè videant, ea quæ vel nullo modo,aut confusè solum viderent. Sed hoc aliunde prouenire non potest,nisi quia ob dēsitatem, & certam figuram vitri,species visuales diuersimode aptantur visui: vnde perspicilla,quę vni sunt apta, alij sunt inepta. Non ergo valent negari species sensibiles: nisi experientiæ sensuum non acquiescam⁹.

12 Rursus,aqua perhibet testimonium earundem specierum,quia in illa arbores confractæ apparent, & se mouentes, cum re ipsa sint fixæ, & integræ. Et experimur, quod si vas impleatur aqua,& nūmus ponatur in fundo vasis,conspicietur nūmus ex certo loco,& distantia, ex qua nō videbatur in vase sine aqua impediente latere vasis: ergo per aquā species refrangitur, & ad oculum traijcitur. Denique in aqua videmus Solem,& ea quæ circa eam sunt; quod sine refractione specierum euenire nō posset: quia in aqua non esset diaphana, & clara, Sol, & Astra,& ea quæ supra,& circa eā sunt,non conspicerentur.

13 A priori probat Phylos.3. de Ani.tex.38.dicens. *Necesse est autem, aut ipsa, aut species esse. Ipsa quidem igitur non sunt; non enim lapis in anima est, sed species.* Et S.Tho.ibi lec.13.lit.b. ait. Ostendit, quod alio modo est omnia, quam antiqui ponerent: & dicit, quod *si anima est omnia*, necesse est, quod sit, vel ipsæ res scibiles, & sēsibiles, sicut Empedo les posuit, quod terra terram cognoscimus,& aqua aquam, & sic de alijs: aut sit species ipsorum. *Non autem anima est ipsa res (sicut illi posuerunt) quia lapis nō est in anima, sed species lapidis.* Et infra. Et similiter anima data est homini loco omnium formarum, *vt sit homo quodammodo totum ens, inquantum secūdum animā est quodammodo omnia*, pro ut eius anima est receptiua omniū formarū. Nā intellect⁹ est quædam potentia receptiua omnium formarum intelligibilium: *& sensus est quædam potentia receptiua omnium formarū sensibilium.* De quo Sanctus Thomas quæst.2. de Veritate art.2. & 1.p. quæst.14.ar.1.& quæst.84.ar.1.ait. *Hoc enim animis omnium communiter inditum fuit, quod simile simili cognoscitur.* Vbi Caietan.notat hoc tam sapientibus, quam insipientibus esse commune. Imò Lyra.1.Ioann.3.ad illa verba: *Similes ei erimus quoniam videbimus eum sicuti est*: ait: *Cognitio, secundū omnes philosophātes, fit per assimilationē.* Ita legendū esse constat ex antiquis editionibus: & quia si legeretur *secundū omnes prophetantes* (vt legit Aegidius Lusitanus art.1.n.9.) propositio esset falsa & incongrua, quia de his nil est prophetatū. Sed æquiuocatio accidit: quia in vetustioribus æditionibus per syncopem breuitatis causa scribitur: *phantes*: quod inaduertentèr transtulerunt *prophetantes*; cum constet legendum *philosophantes*. Sed quidquid sit de hoc axioma illud est commune,& indubitatum.

14 Sic ergo formatur ratio. Omnis cognitio,& sensatio fit per assimilationem; non solum ea generali ratione, quia omne agens intendit assimilare sibi passum, sed peculiariter, quia sentire, & intelligere est vitaliter fieri ipsam rem, quæ sē

titur;

titur: & hac de causa immaterialitas est ratio, & radix cognitionis, quia materia coarctat, & impedit ne vna res quodammodo fiat alia. Sed obiecta quæ cognoscimus nō sunt realiter in ipsa anima: quia bonum est cognoscere malum: & pauper cognoscit diuitias, quas non habet. Nec res materiales totius mundi secundum esse physicum sunt in anima: ergo necesse fuit vt daretur esse intētionale specierum, medijs quibus sensus esset quodammodo omnia sensibilia.

15 Alia ratio D. Thom. 1. p. q. 78. art. 3. quia sensus debent immutari spiritualiter, & intentionaliter immutatione superiore ad omnē immutationē pure physicam: ac per consequens debēt recipere species intentionales. Hæc, inquam, ratio ponderata est libro 2. agēdo de singulis sensibus, & ideò non expedit in ea immorari.

Rursus, ex memoria præteritorum, quam experimur, & ex sonijs in absentia sensibilium, etiam constat dari species. Et eas necessarias esse in omnibus sensibus externis, & internis, iam libro secundo ostēdimus: vnde non est cur iterum in hoc puncto detineamur. Videatur Bañez ratione vltima.

16 Duas alias rationes conclusionis, post alios, late ponderant PP. Carmelitani disp. 18. q. 1. §. 2. & 3. Quia sensus est pura potentia in ordine sensibili: ergo exire nequit in actū, nisi actuetur per formam intentionalem: sicut materia nequit operari non actuata forma, qua totum constituatur in specie.

17 Isto tamen argumento nō possunt aduersarij conuinci, quia assumit propositionem ab ipsis negatā, & tā difficilis probationis, ac ipsa intenta cōclusio: nam quamquam in re sit vera, & de mente Phylos. 3. de Ani. text. 3. & seq. & text. 19. & 38. tamen alij non præmuntur authoritate Phylosophi, quem impugnare intendunt.

18 Aliam rationem proponunt Conimb. 3. de Anima cap. 5. q. 3. ar. 2. Vazquez 1. p. disp. 200. c. 3. n. 8. & latius prosequuntur PP. Carmelitani §. 3. nam sensus est indifferēs ad percipiendum hoc obiectū, potius quā illud: ergo oportet vt determinetur ab aliquo, quia operatio determinata debet oriri à principio determinato. Sed hæc indifferentia non potest ab alio tolli nisi à specie: ergo dantur species sensibus impressæ.

19 Hanc rationem non vrgere (nisi ei aliquid addatur) notat Auersa q. 53. sec. 1. conc. 1. rat. 4. quia cōrēdet quis, satis determinari potentiam per præsentiam ac debitā applicationem obiecti. Quod explicari potest primo, in Angelo habente omniū rerum species: & obiectorum præsentia, vel Angeli voluntate applicātur absque additione nouæ speciei. Secundo, hæc determinatio posset prouenire; vel ab extrinseco excitante; vel ab humore, vel dispositione intrinseca subiecti: vt dici solet de diuerso vsu phantasmatum. Quare hęc ratio pro tanto est valida, inquantum reduci potest ad rationem adductam Phylosophi, & S. Thomæ. Et videtur

tur S. Augustini 11.de Trin. cap.5. dicentis. *Visionis, quæ fit in visu cernentis, quasi parēs est species corporis, ex qua fit: sed parens non proprie, & vere: vnde nec ista vera proles est, sed quasi proles.*

20 Dico secundo, in omnibus sē sibus; & in omni notitia tam intuitiua, quam abstractiua exigūtur species impressæ. Conclusio quoad priorem partem, quantum attinet ad sēsus internos, est cōmunis omnium, qui admittunt species, vt notat Auctor cōc.2. Quoad singulos sensus patet ex dictis de vnoquoque. Et generaliter eā probat Bañez dub.3.conc.2.quia anima sensitiua est altioris gradus, quam aliæ formæ materiales: ergo habet operationes magis eleuatas, & spirituales: ergo recipit immutationes intentionales, quę fiunt per receptionem specierum intentionalium.

21 Quoad secundam verò partē traditur expresse a Capreolo in 2. dist. 3.q.2.ar.3. ad 1. contra tertiā fol.95.& 99.Ferrara 2.Contrag.c. 96.§.*sed occurit*. Caiet.3.p.q.11. ar. 1.ad 3.§.*ad secundū*, & ar.4. circa finem. Medina, Suarez, & Vazquez, & alij ibidem, & esse fere communem omnium late ostēdit Aegidius Lusitanus lib.8.q.1.art.3.§.2. Nec video qualiter possit negari ab his qui admittunt species in sensu externo visus: quia omnis eius notitia, naturaliter loquendo (vt ab alia quæstione de potentia absoluta abstrahamus) est intuitiua, & rei præsentis. Et quoad hoc est par ratio de sēsu, & intellectu: nā vt dicit Philosophus 3. de Anima textu 3. & S. Tho.11.lec.7.lit.b. *Oportet quod sicut se habet sensitiuum ad sensibilia, similiter se habeat intellectiuum ad intelligibilia, quia vtrumque est in potētia ad suū obiectum; & est susceptiuū eius.* De quo videantur textu 29.lectione 12.littera b.

22 Estque conclusio expressa S. Thomæ q.10.de Verit.art.8.ad 2. secūdi ordinis, vbi ait. *Sicut enim in visione corporali aliquis intuetur corpus, non ita quod inspiciat aliquam corporis similitudinem, quamuis per aliquam corporis similitudinem inspiciat, ita in visione intellectuali, &c.* Rationes, & experientiæ pro prima conclusione istā etiam probant.

## §. III.

### *Argumenta soluuntur.*

23 Fundamenta antiquorum iam euersa sunt libro secūdo. Durandus verò in æquinoco laborat non distinguens duplex medium: aliud quod vocāt *obiectiuum*, aliud quod solum est *ratio videndi*: seu, vt ait S. Thom. Quodlib.7.ar.1. aliud est medium *quo*, aliud est medium *in quo*: species est medium *quo*: medium verò *in quo* est res aliqua, per quam in cognitionem alterius deuenimus: sicut causa respectu effectus, & speculum respectu reiviſæ in speculo. Iuxta hoc ergo, distinguēda est maior argumenti, & neganda de medio *quo*, & cōcedenda de medio *in quo*: in visione igitur corporea species est qua videmus, nō verò est id quod videmus. Vnde subdit Sanctus Thomas. *Immediate dicitur aliquis videre lapidem, quamuis eū*

per

*per speciem eius in oculo receptam, & per lumen videat; quia visus non fertur in hæc media tamquam in visibilia; sed per hæc media fertur in vnum visibile, quod est extra oculum.* Præterquamquod species impressas non ponimus vt sint obiecta, & termini sensationū; sed vt sint comprincipia efficientia illarum, modo postea exponendo; vnde non supplent vicem obiecti in terminando, sed in efficiendo. Videatur Sanctus Thomas 1.p. quæst.85.artic.2.& quæst.76.artic. 2.ad 4.& Capreolus in 1.distin.35. quæst.1.& in secūdo dist.3.q.2.

24 Ad argumentum Nominaliū concedenda est maior, & neganda minor. Ad probationem negatur antecedens quoad vtramque partem. Ad primæ probationem iam in simili respondimus libro 2.q.23. num.37, quod in exercitio ipso visu experimur species; non vt sunt res quædam, & per modum quidditatis; sed vt in exercitio per eas vt imagines ducimur in notitiam obiectorum, vt etiam diximus libro 2.q.30.n.53.

Ad secundam probationem respondetur, quod vt docent Sanctus Thomas in 4.dist.49.q.2.art.6.ad 4.in fine, & quæst.10.de Veritate artic.11.ad 11.& Scotus in primo distin.3.q.6. *ad secundum principale*, & §. *ad secundum de præsentia*, & §. *ad quartum dico*, & in 4.distinction.49. quæst.11.§. *præterea*, & alij Theologi communiter, duplex est præsentia: alia situalis, & in esse rei, quia vna res non distat in situ, nec absens est ab alia; alia est præsentia intentionalis, vel intelligibilis, quā do proximè res est ita vnita, vt possit sentiri, vel intelligi. Admisso ergo, quod prima præsentia possit esse sine specie, nō tamen sine illa potest esse secunda præsentia: sicut quamuis Deus sit in omnibus intimè præsens per essentiam; non tamen est præsens intelligibiliter, nisi quibus specialiter vnitur vt forma intelligibilis.

25 Ex dictis cessat vltimum argumentum, quia sine probatione assūmit minorē falsam, quia media specie, ipsa physica rei præsentia vt est in re attingitur, & hoc sufficit ad notitiam intuitiuam: quia terminatur ad physicam præsentialitatem prout exercitam in obiecto; quod quia vniri nequit physicè cum vidente, vt sit principium operationis immanentis, fit præsens media specie: nam vt ait S. Augustin⁹ 10. de Trin.capit.5.anima nostra ideò imagines rerum ad se trahit, *quia res ipsas in suam regionem introrsus inferre non potest.*

26 Ad confirmationem respondetur, quod præsentia situalis præcedit, vt conditio ad hoc vt obiectum imprimat sui speciem, iuxta dicta 2.p.Metaph.controu.13.art. 3. Indistantia tamen sola non dat præsentiam intentionalē, qualis exigitur ad actionem sensuum internorum, & externorum.

## §. IIII.

### *De subiecto specierum.*

27 DE causa efficiente specierũ egimus iam lib.2.q.21.ad 3. Et de causa specierum sensuum internorum, iam diximꝰ hoc libro 3.q.6.§ 2. Cum autem ipsæ species sint formæ; & à natura institutæ sint vt representent, vt docent Soncinas 7 Metaph.q.9. & Caiet.1.p.q. 55.art.3.& alij; ideò vt omnes specierum causæ maneant expositæ, solum dicendum restat de illarum subiecto, seu de causa materiali.

Certum est, quod species residẽt in potẽtia, quæ illis vtitur; quia sũt formæ ad eliciendas operationes immanentes: ac perconsequens residere debẽt in principio, quod per speciem operatur. Deindeimã Philosophus in principio de Somno, & vigilia, & S. Tho. ibi, & 1.p.q.77. art.5.& 8.dicunt, *oportere, quod eius sit potentia sicut subiecti, cuius est operatio:* cum autem hæc oriatur etiam à specie intentionali: quia ab obiecto, & potẽtia paritur notitia, iuxta S. Augustinum vbi supra; ideò species debet in potẽtia residere. Ita Capreolus in 3.dist.14.q.1.& in 2.dist.3.q. 2. Ferrara 2. Contrag.c.82. & Suar. lib.3.c.1.n.8. dicens esse Aristot. & D. Tho. & Discipulorum eius.

28 Sed huic communi doctrinæ opponi potest: nam Philosophus i. lib. de Somno, & vig. c.3. & Sanctus Thomas.1.p.q.111.art.3.docent *impressiones relictas ex sensibilium motibus in spiritibus sensualibus conservari.* Quod & docuerunt Auerrois de Sensu, & sens. & Auic. 6. Natur. p.3.c.8. & Hugo de S. Victore lib. sent.c. de vnione corporis, & spiritus. Capreol. Hispal. & Ricard. in 2. dist.8.& Aegidius Quodl.6.q.16. ergo pariter species residẽt in spiritibus, & non in potentijs.

29 Ad hoc latè respondet Auersa.q.53.sec.4.quod species non insunt principaliter, & perse in spiritibus animalibus, quia illi facillimè effluunt; species autem in sensibus internis diutissimè conseruantur. Aliquomodo autem dicuntur esse in spiritibus, ad hoc vt spiritus a sẽsibus externis deferant species ad internos. Et spiritus per suum concursum excitare possunt sensus existentes in cerebro cum suis speciebus ad operandum: & hoc volunt Philosophus, & S. Tho. & alij Authores relati. Nec oportet species esse adæquate diffusas per totũ cerebrum; sed potius contingit in diuersis partibus recipi, ad quas spiritus vitales confluxerint. Ideoque conueniens magnitudo cerebri adiubat ad rectè sentiendũ. Vnde Plato in Thæeteto ait. *Si animi simulacra inuicem congesta sint, ob sedis ipsius angustiam, siquidem exigua sit animula, obscuriora quoque illis simulacra fient.* Et Phyl.2.de part.ani.c.7.notat, quod homo habet caput, & cerebrũ maius proportione sui corporis, quã reliqua animalia: quia debebat habere organum magis capax multarum specierum. Hæc ille, & satis aptè, quod latè prosequitur.

30 Addimus cum D. Thoma 1. p.q.91 art.3.ad 1. quod *necessarium fuit,*

*fuit, quod homo inter omnia animalia respectu sui corporis haberet maximum cerebrum. Tum, vt liberius in eo perficerentur operationes interiorum virium sensitiuarum*, quæ sunt necessariæ ad intellectus operationes, vt supra dictũ est (q.84.art.7.) Tum etiam, vt frigiditas cerebri temperaret calorẽ cordis, quem necessè est in homine abundare, ad hoc quod homo sit rectę staturę. De quo videatur S. Thomas. 1.p.q.99.art.1.& in 2.sentent. dist.20.q.2.ar.1.ad 5.& q.vnica de Ani.art.8. & lib.2. de Ani. lec.19. in principio, & de Sensu, & Sensat. lec 9.& 13.

31 Vlterius aduertendum cũ eodem D. Thoma 3.de Anima lec.7. lit.d. quod non refert quantum ad actum potentiæ; vtrum ipsa potentia habeat aliquam qualitatem sensibilem determinatam; aut organum: *cum actus non potentiæ sit solum; sed compositi ex potentia, & organo corporeo*: & in isto cõposito residents species sensibiles.

32 Sed obijcies: contraria in gradibus intensis non possunt esse simul, vt docet Philosophus 2. de Gener.tex.16.& nos ibi q.4.n.16. Sed multa obiecta contraria simul immutare solent sensũ, vt simul videmus album, & nigrum: ergo nõ videntur per species residentes in potentia: alioquin duæ species cõtrariæ essent simul in eadem potentia, & in eadem parte eiusdem potentiæ.

Respondetur maiorem esse verã de contrarijs in esse physico, falsam vero de cõtrarijs in esse representatiuo, & intẽtionali. Quod docent Philosophus 7.Metaph. & S. Thomas ibi lec.6.lit.h.dicẽs. Hæc autem forma, quæ est in anima, differt a forma, quæ est in materia: nã contrariorum fomæ in materia sũt diuersæ, & contrariæ. *In anima autẽ est quodãmodo vna species cõtrariorũ*. Et hoc ideò quia formę in materia sũt propter esse rerum formatarũ. Formæ autẽ in anima sunt secũdũ modum cognoscibilẽ, & intelligibilẽ. Esse autem vnius contrarij tollitur per esse alterius. Sed cognitio vni oppositi non tollitur per cognitionẽ alterius, sed magis iuuatur. *Vnde formæ oppositorum in anima non sunt oppositæ*. Idem docet S. Thomas 1.2. q.35.art.5. in cor. & ad 2.ait, *quod ea, quæ sunt contraria in rerum natura, secundum quod sunt in mente non habent contrarietatem: non enim rationes contrariorum sunt contrariæ: sed magis vnum cõtrariorum est ratio cognoscẽdi aliud; propter quod est vna scientia contrariorum*. Quod & tenet q.54.arti.2. ad 1.& q.64.ar.3.ad 3.& in 3.sent. dist.26. q.1.ar.3.ad 4.& lib.1. Contr. cap. 55.rat.1.& cap.71.rat.2.ait. *Contrariorum rationes in anima non sunt contrariæ: alias non simul essent in anima, nec simul cognoscerentur*. Et lib.2. cap.50. rat.6.& cap.55.rat.6.

33 Quoad hoc autẽ par ratio est de speciebus sensuum, ac de speciebus, & cognitione intellectus, vt ex Philosopho, notat S. Thom. de Sensu, & Sensato lec.19 lit.h ratio nem assignans: *quia sensus, & intellectus recipiunt formas rerum spiritualiter, & immaterialiter, secundum esse quoddã intentionale, prout non habent contrarietatem. Vnde sensus, & intellectus simul po-*

*test recipere species sensibilium contrariorum. Cuius simile potest videri in diaphano, quod in vna, & eadem sui parte immutatur ab albo, & nigro: quia immutatio non est materialis secundum esse naturale, vt supra dictum est.* Et ibidem lec.5. litt.a.in fine, aliam rationem assignauerat: *quia iste modus essendi propter suam imperfectionem, appropinquat ad modum, quo aliquid est in aliquo in potentia. Sunt autem in potentia opposita simul in eodem.* Videatur etiam Iauellus 3. de Ani.de Speciebus.q.3. concl.2. & Bañez dub.3.ad 6. & latius Thomas Hurtado contr.1.membr.1.§. 3.in fine fol.14.

## QVAESTIO VIII.

### *Quid sint species sensibiles? & intelligibiles?*

1 HAbem' ex dictis dari species, & esse entia realia existentia ia rerum natura ante intellectus operationem. Quia tamen sunt medium, & quasi instrumētum omnis nostræ cognitionis; ideò omnino necessarium est, præcipuè ad Theologicas difficultates, specierū quiditatem exactè cognoscere. Et simul tractabitur de speciebus intelligibilibus; quia quædam prædicata sunt omnibus communia; & ipsarum indigentiam, & existentiam, quam nunc supponimus, suo loco ostendemus.

### §. I.

### *An in specie distinguatur esse accidentale ab esse intentionali?*

2 IDeò primo dubitatur, an species sint substantiæ, vel accidentia?

Phylosophi antiqui putauerunt species esse substantias, vel quia cū Empedocle ponebant animam esse physicè compositam ex omnibus, vt omnia posset percipere. Vel quia cum Democrito putabant species esse corpuscula quædam dissilientia ab obiecto, & peruenientia vsque ad sensum. Contra quæ videē di S.August.epist.56. & S.Thomas 1.p.q.84.art.6.

3 Per oppositum alij, nulla adhibita distinctione, pronunciant omnes species esse accidentia quædā. Ita Suarez lib.3.de Anima cap.2.n. 2.& 3.& Auersa q.53.sec.2.& alij, qui probāt inductione in speciebus sensum externorum, & internorū, & intellectus. Et quia realiter inhærent subiecto, vel potentiæ. Et quia sunt de genere qualitatis.

4 Addit Suarez n.26. quod distinctio illa communis, speciei intētionalis in esse qualitatis, & in esse representatiuo, nō est propria, quam vis putetur desumpta ex Aristotele, & D.Thoma. Imò idem Suarez to.1.in 3 p.disp.24.sect.2. conc.3. §.*hæc ratio* fol.493. & lib.2.de Attrib.cap.12.n.9.& 10. vocat distinctionem *gratis confictam, & vix intelligibilem.* Cuius ratio est: nam esse intelligibile, vel intentionale, vel re-

pre-

presentatiuum, vel dat aliquod esse reale, vel nullum? Si hoc posterius dicatur, vere nō erit forma realis, cum non habeat realem causalitatem formæ. Si vero illa forma est realis, non potest cōmunicari intellectui, niū sub esse substātiali, aut accidentali: quia inter substantiam, & accidens communissime accipiendo, non datur medium, ergo fictitiū est distinguere in specie esse reale, seu esse entitatiuū qualitatis, & esse intētionale representatiuū. Nisi admitatur ad exprimēdum cōceptum analogum, & genericum accidentis, & qualitatis, à cōceptu differentiali speciei.

5 Dico primo, certissimum est, quod in specie debet distingui esse reale entitatiuum, & naturale; ab esse intentionali, vel intelligibili, vel repræsētatiuo. Ita erudite ostēdit M. Aegidius Lusitanus lib. 8. de Beatitud. p. 1. q. 1. a. 1. §. 6. *nec gratis* (inquit) *conficta dixerim, quod est communi Philosophorum, & Theologorū doctrina traditum, & ex Aristotele, & D. Thoma expresse deductū.* Quod per singula late ostendit. Tenēt in primis multi, quos retulimus lib. 2. q. 27. §. 2. n. 28. asserentes lumen in aere solum habere esse intentionale, & non reale, seu naturale. Et illi quos ibi num. 31. retulimus, & sequuti sumus asserentes lumen simul habere esse reale naturale, & intētionale.

6 Est expressa Philosophi, & S. Thomæ 3. de Anima textu 38. verbis relatis q. 7. n. 13. quem sic intelligunt *omnes Interpretes, tam Graci, quā Latini, tam antiqui, quam moderni*, quorum plures refert Aegidius nu. 67. Item docet S. Thom. verbis relat. q. 7. n. 9. & n. 32. & 33. & 3. Contragent. cap. 49. & 51. & q. 8. de Verit. art. 1. ad 5. & in 4. dist. 49. q. 2. ar. 1. in cor. & ad 8. & 1. sent. dist. 36. q. 1. ar. 3. ad. 3. ait S. Thomas, *quod similitudo rei, quæ est in anima, dupliciter cōsideratur. Vel secundum quod est similitudo rei: & sic nihil attribuitur sibi, nisi quod in re inuenitur. Aut secūdū esse quod habet in anima: & sic attribuitur sibi intelligibilitas, vel vniuersalitas. Sicut etiā patet in imagine corporali, cui conuenit esse lapideum, ex parte eius in quo est; & nō ex parte eius, cuius est similitudo.* Rursus idem tenent Philosophus, & S. Thomas locis relatis 2. de Anima q. 30. n. 53. Et expresse de Mem. & remin. lec. 3. lit. a. & g. Caietanus 1. p. q. 12. art. 1. & 2. & q. 55. ar. 3. & omes interpretes S. Thomæ, tam Thomistæ, quam extranei: vel explicando, quod essentia Dei vnitur beatorum intellectibus, vt forma intelligibilis, & vt species, non vero vt forma naturalis. Vel docēdo quod quędam instituta sunt vt sint, alia verò facta sunt, vt alia represēt tent. Vel 3. p. q. 25. art. 3. explicando, quod adoratio non fertur in imaginem, vt res quædam est; sed in imaginem, vt est imago: & sæpissimè alibi.

7 Fundamentum S. Thomæ euidens videtur, supposito, quod dentur species, & quod earum indigētia à priori probatur, ex eo quod *simile simili cognoscitur*: nam hinc manifeste infertur, quod species non sūt institutæ, vt ipsæ sint, sed vt alia representent; quia dantur vt imagi-

nes vicem gerentes obiectorū. Sed in omni imagine alia est considera tio ipsius vt res quædam, & alia ipsius consideratio vt imago est: vt patet in imagine corporali, & ex di uersa denominatione, vt clare patet in exemplo adducto S. Thomę. Ergo in specie debet distingui esse illius naturale, ab esse illius intentionali. Vnde species in esse entis singularis, in esse represētatiuo est vniuersalis in intellectu. Et species in essendo spiritualis, quia residet in intellectu, in esse representatiuo est corporalis, quia representat naturam corporis: & sic in natura spirituali habentur corporalia incorporaliter: sicut creaturæ etiam representantur in essentia diuina. Ergo indubitatum, & omnino certū est, in speciebus debere distingui esse naturale, & physicum illarū ab esse intentionali: & sic species, quæ est accidens, potest representare substantiam.

8 Argumentum contrarium ex mera æquiuocatione procedit, vt expēdit Aegidius à n. 68. vsque ad 71. quia species dant esse reale, vt reale distinguitur ab ente rationis, quia vt ait Ferrara 3. Contrag. cap. 51. constituunt intellectum in actu primo intelligendi, & species sensibiles in actu primo sentiendi; qui effectus à forma realis debēt prouenire; quia est a parte rei. Non tamē est esse reale, vt distinguitur ab intētionali, seu representatiuo, quia ex natura sua sunt rerum imagines condistinctæ a rebus quas representant, sed earum vicem gerentes.

9 Dico secūdo, species abstrahūt in esse speciei à substantia, & accidē te; quamuis in re, omnes species intentionales creatæ, superadditę potentijs ab extrinseco, sint accidentia de genere qualitatis. Priorē partem, vt perse notam, docet Caietanus 1.p.q.12.arti.2.§. *ad euidentiam* & circa ad 3. & q.56.art.1.§. *in corpore* ver. *quarto*, vbi ait, *quod inhærere intelligenti, quemadmodum species sensibilis inhæret sentienti, accidit, ex eo quod est accidens, quia si esset subsistens, nihilominus ad eundem effectum concurreret.* Idem notant Soto in 4. dist. 49. q. 2. art. 3. conc. 3. §. *ad hoc autem*, & Fasolus 1.p.q.12.art.2.dub.9.ad 1. Et debēt tenere omnes Theologi, qui ponunt essentiam diuinam vniri intellectibus beatorum vt speciē intelligibilem: & substantiam Angeli gerere munus speciei in sui cognitione: quia iuxta hæc communissima asserta Theologorum, species, esti quid analogum ad substantiam, & accidēs. ¶ Nec hoc indiget alia probatione, nisi duplici exemplo iam allato, in quibus species est substantia. Et etiam, quia ad hoc quod vt forma intellectus pariat notitiā, peraccidens est, quod forma sit substitens, vel inhærens, dum obiecti vices gerit. Quod communiter tenent Thomistæ.

10 Secundā partē probant argumenta Suarez, quia species intentionales diffunduntur per medium, recipiuntur in sensu, in quo inhærent: quod soli accidenti conuenire potest. Cum autē sit accidēs intrinsecū, & nō sit relatio, nec; quātitas, erit absque dubio qualitas: & esse in genere habituum, diximus lib. 2. Log q.26.n.28.

§.2.

## §. II.

## *Vtrum sint eiusdem rationis cum obiectis.*

11 SEcundo dubitatur, vtrum species sint qualitates diuersæ rationis specificæ à qualitatibus representatis?

Esse eiusdem rationis, adhuc in esse entis, tenent Durand. in 2. dist. 3. q. 6. n. 17. & in 4. dist. 49. q. 2. Valles lib. 2. contr. c. 26. Refert Durãd. S. Thomã in 4. dist. 49. & addit nu. 19. *quod ipse intendit de identitate specifica in essendo, non in representando; aliquin* (inquit) *ratio eius non valeret vnã festucam.* Sequitur Biesc. 1. p. q. 12. ar. 2. dub. 2. in 2. opin.

12 Probat Durandus in 2. sent. n. 18. & 19. primo: sicut se habet lux in corpore luminoso ad lumen causatum in medio, sic se habet color in corpore terminato ad speciem causatam in medio. Sed lux in corpore denso, & lumen in medio sũt eiusdem rationis specificæ: ergo similiter color, & species eius.

Secũdo, actio omniũ aliorũ sẽsibiliũ in medio est vniuoca: vt calor causat calorẽ, & sapor saporẽ: ergo pariter actio coloris est vniuoca, quod non esset, nisi color, & sua species essent vnius rationis.

13 Tertio, quia species non ducit in cognitionem alterius, nisi ratione similitudinis. Similitudo autem non est differentium secũdum speciem. Ergo species nõ differt secundum speciem à re, quam immediate representat.

Quarto arguit in 4. sẽt. n. 18. quia representatio, cum sit habitudo rei representantis ad illud quod representatur, habet aliquod fundamentum, ratione cuius conuenit ei representare. Sed hoc aliud non potest esse, nisi conuenientia in natura speciei: alioquin quilibet effectus duceret in quidditatiuam cognitionem suæ causæ. Ergo species quidditatiua debet esse eiusdem speciei *in esse naturæ*, vt ait nu. 19. alioquin nullo modo posset esse ratio representandi perfectè.

14 Per oppositum Palarius in 4. dist. 49. disp. 1. ad 1. in 6. respos. Suarez lib. 3. de Anima cap. 2. n. 9. vsq; ad 15. & Fasolus 1. p. q. 12. a. 2. dub. 13. n. 45. & Auersa q. 53. sec. 2. cõc. 2. & alij absolute pronũciant, quod species sunt qualitates diuersæ rationis à qualitatibus, quas representant. Probant ex Philosopho 2. de Anima cap. 12. dicente, *sensus recipere species sine materia*: materiã vocans ipsam naturam realem qualitatis. Secundo, nam obiectum sæpè habet contrarium; non item species. Item, species intellectus sunt accidentia spiritualia: & representant substantiam corpoream. Denique, quia idcircò ponũtur species loco obiecti, quia non potest ipsummet obiectũ, perse cõiungi potẽtiæ: species ergo est qualitas alterius rationis a qualitate, quæ sentitur: vt supponit S. Augustin. 11. de Trin. c. 2.

15 Ex distinctione tamen præmissa, & stabilita, n. 5. facile respondetur duplici assertione cõmuni Thomistarum, & aliorum Theologorũ, & Philosophorum, quos in sequẽtibus afferemus.

Prima

Prima conclusio est, species sensibiles, & intelligibiles, in esse entis non sunt eiusdem speciei cum obiectis representatis. Hanc probant, quæ adducta sunt pro secunda sententia. Et est expressa Phylosophi, & S. Thomæ locis relatis.q.7.n.9. & nu 32. & 33.& Quodlib.8. articulo quarto ait. *Species intelligibilis est similitudo ipsius essentiæ rei, & est quodammodo ipsa quidditas, & natura rei secundum esse intelligibile, non secundum esse naturale.* Et quæst.4.de Verit.ar. 4.ad 2.& q.8.art.1.ait. *Et dico conuenientiam secundum representationem, sicut species in anima conuenit cum re, quæ est extra animam, non secundum esse naturale.*

16 Nec longa indiget probatione hæc conclusio, quia species ignis non comburit; nec species leonis rugit; nec species peccati est peccatum: ergo in esse entis non sunt eiusdem speciei. Et in corporalibus experimur, quod imago lignea representat hominem: ergo ad repræsentandum non exigitur conuenientia in esse naturali physico eiusdem speciei: sicut nec vox homo est eiusdē speciei cū vero homine. De qua ratione videdus S. Thomas 4. Contrag. cap.11. in medio pag.432.col.3. in editione Romana. Et q.8.de Verit.art.11.ad 3.

17 Ad primum Durandi negatur maior, quia illa paritas non in omnibus tenet. Et minorem esse falsā ostendimus lib.2.q.27.§.4.¶ Ad secundū negatur consequentia, quia vltra immutationem physicam, in qua sensibilia agunt vniuoce alterā do, & producendo qualitates physicas; est immutatio intentionalis, quæ eleuat ad altiorem ordinem sensitiuum, de qua lib. 2. quæst. 21. ad 3.

18 Ad tertium, & quartum dicitur, quod cum dissimilitudine physica in essendo, potest esse similitudo, & conuenientia vniuoca in representādo: vt apparet in vocibus, & in imaginibus externis, & de speciebus expræsis id est manifestum, quod species expræsa lapidis, quæ est in intellectu, non est eiusdē speciei cum lapide corporeo, qui est in rebus. Ergo pariter dici debet de specie impresa intellectus, & sens°.

19 Dico secundo, species sensibiles, & intelligibiles in esse intentionali, & representatiuo sunt eiusdē speciei cum suis obiectis. Ita S. Thomas in 4.dist.49 q.2. art. 1. dicens. *Ad hoc quod intellectus intelligat aliquā quidditatem, oportet quod in ea fiat similitudo eiusdem rationis secundum speciem.* Et 1.ad Corin.13.lec.4.ait S. Thomas: *Nulla similitudo ducit in cognitionē essentiæ alicuius rei, si differat à re illa secundum speciem.* Et q.8.de Verit. art. 1.& 3.Contrag.c.49. rat.4. & rat. 2. Et videndi Ferrara ibi, & Caiet. 1.p.q.12.art.2.& ibi alij Thomistę, quos citant, & sequuntur PP. Carmel.hic disp.18.q.3.

20 Imò ipse Suar.lib.2.de Angelis cap.3.n.24.huic conclusioni tandem videtur assentire, ait enim. *Nec refert, quod species sint principia aliquomodo similia suis obiectis, quia non sunt similia in esse naturali (vt sic dicam) sed in esse representatiuo. Vel non sunt similia realiter, sed intentionaliter.* Hæc ibi. Idemque fatetur Auersa seq.2.ad 3.& ro

ta

ta sec.3. & Hurtado de Mendoza disp.12.sec.4.n.54.in fine ait. *Dicitur autem species esse eiusdem speciei cum obiecto, nō physicè; sed in esse intentionali, & imaginis*: & passim alij; quare de buerunt id conclusione exprimere ad æquiuocationem vitandam. Solum videtur conclusio contra Arriagam disp.4.de Anim. sec.3. subsec.4.& 5.vbi licet sæpè iactet euidentiam, & affirmet suis argumētis conuincere: ego nec vnum reperi, quod possim recitare indigens solutione, suppositā doctrina tradita.

21 Ratio duplex insinuatur à Caietano satis efficax. Prima, quia tota indigētia specierum est vt gerāt vices obiectorū, quia simile simili cognoscitur. Sed non succurritur huic indigentiæ, si species non sint in esse representatiuo eiusdem rationis cum obiectis; quia sine assimilatione, saltem represētatiua, & intentionali, non possemus media specie venire in cognitionē rei representatæ: ego vel negandæ sunt species (contra experientiam, & euidentem Philosophiam) vel cōcedendum, quod in esse representatiuo sunt eiusdem rationis cum obiectis.

22 Secundo, experimur, quod diuersimode ducimur in cognitionem obiecti per aliquod signum ad placitum, & per aliquod medium obiectiuum, vt cum per effectum cognoscimus causam; ac ducamur per speciem, quæ non est medium *in quo*, sed medium *quo*. Sed in signis ad placitum, & in medijs obiectiuis est aliqualis conuenientia causæ, & effectus signi, & signati: ergo in speciebus impressis, quæ sunt naturales similitudines obiectorū, debet esse conuenientia vniuoca in esse intentionali, & representatiuo.

23 Denique, sic se habent species in esse intentionali ad rem representatam, sicut se habent externæ figuræ, & colores imaginis depictæ ad prototypum: sed si in imagine facta per artem nō esset *conuenientia in specie, vel signo speciei*, non haberet veram rationem imaginis, vt docet S. Thom. 1.p.q.35.art.1. Ergo à fortiori dicendum in speciebus, quæ sunt imagines perfectiores, & spiritualiores, quam quæ fiunt per artē.

## §. III.

### *Vtrum species representent formaliter; an verò solum virtualiter, & efficienter?*

24 COnsequenter, tertio inquiritur qualis sit hæc representatio speciei impressæ?

Nam Toletus 2.de Anima.q.34. cōc.3.& Suar. lib.3.cap.2.n.20. & disp.30.Metap.sec.11.n.30. & lib. 2.de Attrib.cap.12.nu.12. & c.13. n.10.& sequētibus. Rubio, & Hurtado, & Auersa q.53.sec.3. Canar. 1.p.q.27.disp.5.p.1.& alij docent speciem esse imaginem obiecti non formalē, qualis est imago depicta, vel sculpta; sed solum esse imaginē virtualem, vel effectiuam, quatenus adiuuat, & determinat potentiam ad cognitionem obiecti.

25 Probant primo, quia iste modus continentiæ sufficit, vt producatur

catur verbum, quod sit similitudo obiecti: sicut lemen solum est simile virtualiter effectui producendo. Secundo, quia alias species impressa esset tam formalis similitudo, ac est expressa. Et tertio, quia non esset ratio cur non semper essemus in actuali sensatione, vel cognitione, quamdiu retineremus apud nos similitudines formales obiectorũ.

26 Nihilomin°, species impressas esse formales similitudines obiectorum, expresse asserunt Caietan. 1.p. q.55.art.3. Ferrara 2. Contrag. cap. 98. & 3. de Ani. q.8. §. *hoc autẽ*, quos citat, & sequitur Bañez 1. p.q. 85. ar.2 conc.3. Nazarius 1.p.q. 12.ar. 2.cont.1. PP. Carmelitani disp.18. q.2. Latissimè Aegidius à Præsentatione lib.8.p.1.q.2.per totam, & q. 4.art.3.§.2. referens Democritum, Platonem, Auicenam, Aristotelẽ, S. Augustinum, & S. Thomam. Scotum. Quodlib.14.lit.gg. & 1.dis.3. q.7.§. *bene concedo*, & omnes Thomistas, & Scotistas, & Molinam, & Vazquez. Imò cõtẽdit omnes Scholasticos, & Philosophos vno ore vocare species impressas obiectorũ formales similitudines. Et nouissimè Thomas Hurtado controu. 1. memb.1.§.2.& 3. Et late Biescas 1. p.q.12.art.2.dub. 2.

27 Probatur primo ex Philosopho, & D. Thoma de mem. lect.3. vbi species vocant imagines, & picturas. Et S. Augustinus 8. de Trini. cap.6. *finxi in animo meo imaginem Alexandriæ: atque intuẽs in ipsam, ideſt, imaginem, & quasi picturam eius.* Et lib.10. cap.5. & 12. de Gen. ad litt. cap.23. & 15. de Trin. cap.12. & cap. 27. in fine. ¶ Secundo, quia intellectus non valet intelligere nisi fiat res intellecta, quia cognitio fit per assimilationem: quod esse non posset, si species non est formalis similitudo.

28 Tertio: nam intellectus intelligendo format verbum, & expressam obiecti similitudinem, vt omnes admittunt cum D. Thoma 1.p. q.27 artic.1. Sed eam formare non posset, si species, qua constituitur in actu, non est formalis similitudo obiecti; vt videntur docere S. Augustinus lib.15. de Trin. cap.12. ad finem, & cap.27. in fine, & S. Anselm. in Monologio c. 31. & S. Tho. 1. Contragent. c.53. quia quale est vnumquodque, talia operatur: & si intellectus non esset similis formaliter in representãdo, nõ valeret formare formalem representationem: ergo species sunt formales representationes, tam in intellectu, quam in sensu.

29 Non desunt tamen ex discipulis S. Thomæ, qui velint priorem sententiam esse probabilem. Ita Ledesma de esse Dei q.4.ar.4.fol.245. Nauarrete. 1.p.q.34. §.7. fol. 215. Ioan. à S. Thoma q.7. de Anima ar. 3. ad 1. addens non esse difficultatẽ tanti momenti: & vtrumque secundum diuersas cõsiderationes rectè dici. Quia certũ est, quod nec in esse entitatiuo, nec in esse representatiuo species impressa est ita perfecta & in actu secundo representatio sicut expressa: quia illa representat vitaliter, & vt imago viua in actu secundo; species vero impressa, vt cognoscibilis, & in actu primo. &

quoad

quoad hoc est virtualis repræsentatio magis determinanda; & exprimenda in conceptu. In alio vero sē su species impressa est vera, & propria, & formalis similitudo obiecti, quatenus vere, & formaliter habet esse intētionale, & repræsētati nū per modum imaginis. Vnde S. Thomas de Mem. lect. 3. & 1. Contrag. cap. 53. loquens de specie impressa, & expressa ait; *quod virumque est rei intellectæ similitudo.* Quod & docet 3. Contrag. c. 49. & alijs locis relatis.

30 Hæc quidem explicatio placet: displicet vero asserere, quod hæc sit concordia opinionum: nam hoc expresse negant Authores primæ; & solum hoc intendunt, qui tuentur secundam, vt eos legenti erit perspicuum. Vnde secunda, & communis sententia *verissima* mihi videtur, & omnino ad mentem S. Thomæ. Et fundamentum à priori est illud, quod cum communi Thomistarum ponderat Bañez: quia vbi est formalis conuenientia in specie, vel signo speciei, est formalis imago, & formalis similitudo, vt patet ex diffinitione imaginis. Sed vt ostensum est §. præcedenti, non saluatur essentia speciei, si non sit formalis conuenientia in representando, ita vt species sit ipsa quidditas obiecti in alio modo essedi. Vnde S. Thomas 3. Contrag. cap. 49. rat. 2. ait: *Similitudo intelligibilis, per quam intelligitur aliquid secundum substantiam, oportet quod sit eiusdem speciei; vel magis species eius.* Vbi videndus Ferrara. Ergo species impressa est formalis similitudo obiecti, eo ipso, quod formaliter est eius imago representatiua. Quare omnia adducta, §. præcedente pro secunda conclusione, hanc conuincunt.

31 Secundo, concedere, vt Suarez n. 26. admittit, ad speciem solū requiri similitudinem analogam, imò solam ponere interuenire tendentiam per modum instrumenti; est solū in voce admittere species, & in re eas negare: quia similitudo analoga, etiam sine specie superaddita, esse posset in essentia, vel potē tia cognoscentis. Et ramē ipse Suarez lib. 2. de Angelis cap. 3. n. 12. vsque ad 16. rationem, qua probat S. Thomas 1. p. q. 55. art. 1. requiri virtutem, & continentiam infinitam, ad hoc quod aliqua substantia intelligat omnia per suam essentiam, dicit Suarez esse rationem *optimam, & fere demonstratiuam.* Cuius tamen demonstrationis vis non apparet, imò nullam apparentiam habet, dicendo sufficere conuenientiam analogam, & virtualem tēdentiam; quia hæc similitudo, & virtualis tendentia de facto in Angelo reperitur.

Nec esset differentia inter similitudinem obiectiuam, & instrumentalem externam; & similitudinem internam: quod falsum esse ex dictis constat: nam illa est medium *in quo* instrumentale; & hęc est mediū *quo* formale, vt ex D. Thoma diximus q. 7. n. 23. Vnde S. Thomas Opusc. 14. col. 4. ait. *Est tamē ipsum verbum similitudo illi⁹ speciei tamquam ei⁹, quo factum est sibi simillimum.*

32 Per quæ cessant duæ primæ rationes: quia species non est in rigo-

re

re, sicut semen; sed sicut idea respectu artificiati; quæ quamuis sit forma, est per modum actus primi, vt in actu secundo artificiatum formetur: & sic verbum est simile in actu secundo procedēs à simili in esse representatiuo. Et bene notat Biescas solut. ad 1. quod in diuinis Verbum procedit ex intellectu Paterno, gerēte essentia diuina munus speciei: & tamen dicere, quod essentia diuina *sit semen, est in auditū, & verè absurdum*: quamuis explicetur de semine spirituali, & intētionali: ergo illa locutio est impropria, nec extē dēda, aut in rigore vsurpāda. Quia fœcunditas intellectus est spiritualis, & intentionalis per formalē representationem in actu primo, vt sentiat, & dicat in actu secundo.

33 Ad tertium iam responderat S.Tho. 1.p.q.79.art.6.ad 3. inquit. *Dicendum, quod species intelligibiles aliquando sunt in intellectu, in potentia tantum. Et tunc dicitur intellectus esse in potentia* (quia non habet species, & potest eas habere.) *Aliquando autem secundum vltimam completionem actus: & tunc intelligit actu* (quando elicit operationem.) *Aliquando medio modo se habet inter potentiam, & actū: & tunc dicitur esse intellectus in habitu. Et secundū hunc modum intellectus conseruat species etiam quando actu nō intelligit.* Species ergo impressa habitualiter residens in intellectu est formalis similitudo per modum actus primi, qui est actus medius inter puram potētiam, & actum secundum. Quod & docet S.Thomas Quodl.7.artic.2. dicens. *Potentia sensitiua per similitudines sensibilium reducitur in actum dupliciter. Vno modo incomplete per modum dispositionis, quando scilicet species sensibiles sunt in ea vt dispositiones, quod appellat Auicenna esse vt in thesauro. Alio modo perfectè, quando scilicet species sensibiles actu informant potentiam sensitiuam. Et hoc vocat Auicena apprehēsionē sēs⁹.* Idē dicit ad 3. & q.10.de Ver.a.2.ad 4.addens, quod *de hoc modo cognitionis reducitur in actum perfectum per voluntatem, qua secūdum Anselmum* de similitud. cap. 2. *est motor omnium virium.* De quo latius S.Thom.q.8.de Verit. art. 14. in cor. & ad 17.

## QVAESTIO. IX.

*Vtrum ratione speciei sensus idētificetur cum sensibili, & intellectus cum obiecto?*

### §. I.

*Opinio affirmatiua.*

1 AFfirmant Caiet. 1.p.q 79.art. 2.§. *quoad secundum* Et 1.p.q. 14.art.1.§. *radix autē.* Zumel, & Bañez ibidem, & Bañez iterum 1.p. q.78.art.3.dub.3.post 5.conc.& ibi la q.14. Nazarius cōtrou 1. notab. 2.& 3.& conc.2. Albelda disp. 34. sect.2.n.13. Cornejo disp.1.dub.4. per totum PP.Carmel.de Scientia Dei disp.2.dub.2.& de Anim.disp. 18.q.4. Ioan.à S.Thoma de Anima q.6.art.3.§. *ad secundam difficultatem.* Et 1.p.disp.16.ar.1.fol.514.col.1. Araujo 1.p.q.14.art.1.dub.1.ad 3. Serra ibidem, §. *in ratione.* AEgidius Lusitanus lib.8.de beatitud.p.1.q. 3.art.1.§.2.n.19.& ar.5.§.6.n.51. &

& q.4 art.1.& sæpè reperit, vel supponit toto lib.8. Et Rubio 2. de Anima cap.6.q.7. de speciebus, licet nō ita expresse loquatur, ac alij. Hi omnes docent, quod species secundum esse naturale; si sit accidēs, vnitur per inhærentiam, & informationem, & manet distincta à sensu, vel intellectu. At vero si considerentur formalissime in esse intelligibili, vel in esse intentionali, ita intimè vnitur cum sensu, vel intellectu, vt cum illo maneat idētificata in esse intelligibili, vel intētionali, formalissime loquendo.

2 Probant primo ex Philos. 3. de Ani. text. 37. dicente, quod *omnia ea quæ sunt, quodāmodo est anima.* Quia *sensus est quodammodo ipsa sensibilia, & intellectus intelligibilia*, vt etiam ait Sanctus Thomas ibi lect. 13. littera b.

Et ipse Sanctus Thomas prima p. quæstion. 14. articulo. 1. docet, quod cognoscentia à nō cognoscētibus in hoc distinguuntur: quia nō cognoscentia nil habent niū formā suam tantum: *Sed cognoscēs natum est habere formam etiam rei alterius: nā species cogniti est in cognoscente.* Vbi no dicit S. Tho. *Formam alteram, sed formā rei alterius*: quia licet aliud à se representet, in esse intentionali, & intelligibili formaliter identificantur. Quod & docet S. Tho q. 2. de Verit. art. 2. & 1. Contrag. capit. 44. & alibi sæpè.

3 Ratiunque confirmatur ex Auerroe 3. de Ani. cōc. 5. 9. *dicamus*, dicente, quod *ex intelligente, & intellecto fit magis vnum, quam ex materia, & forma.* Cuius rationem assignat ipse Auerrois 12. Metaph. Comm. 39. quia materia nō fit forma, neque forma fit materia, sed ex illis fit tertium. At vero intelligens, & intellectum, ita conueniunt, vt intelligens fiat intellectum, & intellectū fiat intelligens. Quod videtur desumptū ex Phylos. 12. Metaph. tex. 39. vt eum exponit S. Tho. ibi lect. 8. lit. c. dicēns. *Et ideò cum ipse intellectus fiat intelligibilis concipiendo aliquod intelligibile. sequetur quod idem sit intellectus, & intelligibile.*

4 Præterea probatur ex D. Tho. 3. Contrag. cap. 51. docēte, *quod species intelligibilis vnita intellectui, non constituit aliquam naturā, sed perficit ipsum ad intelligendum.* Quod & docet q. 8. de Verit. art. 1 & in 4. dist. 49. q. 2. art. 1. & in copendio Theologiæ cap. 105. ait, oportet quod *Deus fiat forma intellectus, & coniungatur ei, non ad vnam naturam constituendam; sed sicut species intelligibilis intelligenti.* Ergo species, vt representatiua est, non constituit aliquod tertium, nec substantiale, nec accidentale (quia de vtroque loquitur Sāctus Thomas) sed perficit transformando vnū in aliud intentionaliter.

5 Ratio Caiet. ab ipso formatur ex duabus propositionibus. Altera est, *vnumquodque operatur secundum quod est in actu*; vt dicitur 3. Physic. Altera est: *cognitum est principium specificationis cognitionis*: ex 12. Metap. & 2. Cæli tex. 17. dicitur, quod *vnū quodque est propter suā operationem.* Ex quibus sequitur, quod natura cognoscitiua est talis secundum se, vt sit actu, vel potentia ipsum cognitum.

Quod

6 Quod amplius explicatur ratione alia ab ipso indicata: quia cognitum, perse loquendo, debet vniri cognoscenti, vt cognatur notitia. Sed ostensum est, quod est peraccidens, quod species sit substãtia, vel accidens: ergo peraccidẽs est, quod species informet: ergo perse loquẽdo species altiori modo vnit transformando in obiectum. Et concludit Caiet. illa q.14. *Et discces eleuare ingenium, altumque rerum ordinem ingredi.*

7 Alijs verbis idem explicat M. Ioan. à S. Thoma, quia potentia nõ vtitur entitate speciei tamquã principio specificãte actus suos; sed obiecto in ea representato vtitur tam quam specificatiuo: sed potẽtia debet actuari, & perfici, & determinari à suo specificatiuo, inquantũ specificatiuum est: ergo alia vnio, seu actuatio debet intercedere inter obiectum, & potentiam; & hæc dicitur vnio intelligibilis, seu intẽtionalis; quæ est per identitatem in esse intelligibili: & de materiali se habet vnio accidentalis per inhærentiã. Et de prima vnione optime verificantur verba S. Tho. Opusc. 14. col. vlt. dicẽtis: *Anima enim quasi irãs formata est in rem per speciem, qua agit, quidquid agit.*

8 Ratio alia indicatur à D. Thoma 1.p.q.50. art.2 ad 2. asserente, quod *forma intelligibilis in intellectu est secundum ipsam rationem formæ.* Et latissime prosequuntur PP. Carmelit. illo dub.2. § 4. & eius vis in hoc cõsistit: quia cognoscentia, vt talia, sunt immaterialia, & eleuata supra conditiones materiæ: ergo debent vniri cum formis cognoscibilibus per vnionem immaterialem, & eleuatiorem supra vnionem materiæ, & subiecti: ergo vniuntur cum illis per identitatem in esse representatiuo, & intentionali. Hæc consequentia probatur, quia si maneret distinctio in esse representatiuo, nõ potest vt sic non esse inhærentia, & informatio: & ita nõ esset vnio eleuatior supra vnionem in esse entitatiuo.

## §. II.

### *Negatiua opinio, vt D. Thomæ præfertur.*

9 OPinionem hãc non admittũt, ex Thomistis, Ferrara 1. Contrag. cap.44.rat.4. & lib.3. cap.51. circa finem, § *ad tertium dubiũ.* Herue⁹ Quodl.7.q.18. quem refert, & sequitur Sylvester 1.p.q.14. arti.1. circa finem. Et Biescas ibidẽ dub. 4. & ar.2.dub.3. Thomas Hurtado de Anim. sensit. controu.1.memb. 1.§.5.6.& 7. Et ex alijs eam impugnant Suarez lib.3.de Anima cap.2. n.5.& 6. Valentia 1.p.q.14.puncto 1. Fasolus ibi ar.1.dub.1.n.5. vsque ad 7.& alij. Licet nõ vna via procedant. Nã Suarez, Biescas, & alij propositionem Auerrois relatam n.3. vt falsam, & chimericã, & inintelligibilem, reijciũt. Alij vero eam admittunt, cum reliquis propositionibus Philosophi, & S. Thom. relatis sed cõtendunt ex eis nõ inferri sententiam Caietani. Imo sunt qui putent mala fide pro ea Authores referri. Sed eos non legerunt: nam omnes

omnes, quos pro illa retuli, legi, & vidi; & eam tenere comperi. Quare authoritate Doctorũ, & sua subtilitate non potest non hæc opinio esse probabilis, & plausibilis valdè. Sed quia in Philosophia plus rationi, quam Doctorum authoritati est deferendum; ideò videamus quid, rationi standō, sit tenendũ? Simulque mentem Philosophi, & S. Thomæ exponemus.

10 Dico primo, vt verificentur omnes propositiones relatæ Philosophi, & S. Thomæ, & Auerrois, nõ est necessarium asserere, quod ratione speciei sensus identificetur cum sensibili, & intellectus cum intelligibili, adhuc in esse intelligibili, & intẽtionali. Hanc, præ cæteris, optimè explicuit Ferr. illo c. 44. & ideo ex eius doctrina dupliciter probatur. Primo, *quia vnũquodq; est, id quod est, per suam formam*: quia forma est, quæ dat speciem, & denominationem: & eo ipso, quod aliqua forma eiusdem rationis est in duobus, dat vtrisque similem denominationẽ: sicut habens animam rationalem, est homo: & habens sapientiam, est sapiens: & habens albedinem, est album. Sed ostensum est, quod species est forma in esse represẽtatiuo eiusdem rationis cum representato: ergo dat similem denominationem: ergo per hunc modum intelligens lapidem, est lapis in esse intẽtionali; sicut & habens in se formã lapidis, est lapis in esse naturali. Et concludit Ferrara. *Hic est ergo modꝰ, quo intellectus informatus specie alicuius intellecti, dicitur ipsum intellectum, quia videlicet habet formam eius per quam est tale.*

11 Secundo hoc magis explicatur, iuxta Herueum, & Sylueſtrum, quia esse intentionale in specie, est esse representatiuũ obiecti, ita vt sit eius imago, & vicem eius gerat. Sicut autem de imagine externa docet S. Augustinus lib. 2. ad Simplicianum. q. 3. lib. 12. in Genes. c. 4. & cõtra duas epist. Pelag. c. 6. quod accipitur pro re ipsa; sicut imago Cæsaris dicitur Cesar, & imago alicuius Sancti absolutè solet vocari talis Sãctus: multo melius similitudo formalis representans naturaliter, sufficit in specie, vt ducat in eandẽ numero naturam significatã: et si fuerit expressa in verbo, sufficit, vt dicatur intelligẽs quodammodo trãs formatus intentionaliter in rem intellectam. Et hoc, & non aliud mysteriũ latet in locutionibus pro prima sententia relatis.

12 Tertio, & vrgentius idem probatur, quia iste modus explicandi representationem speciei, sufficit vt explicetur intentum, propter quod sunt species datæ ab Authore naturæ, & vt ipsæ gerant munus obiecti tam perfectè ac si obiectũ per seipsum esset præsens: ergo opus non est alium modum non satis perceptibilẽ adinuenire. Probatur maior: nam imago perfecta representat eandem numero rem à qua est exemplata: & verbum in actu secũdo exprimit id quod in actu primo representabatur in specie: ergo ista continentia representatiua sufficiẽter intellectus certificatur de omnibus; & sufficit vt intelligat, & quodammodo fiat omnia. Et quia imago dicitur ipsa res, & materia non

est forma; ideò dicitur, quod fit magis vnum ex intellectu, & specie, & re intellecta, quã fiat vnum ex materia, & forma.

13 Quod totum innuit Philosophus non asserens, quod absolute anima est omnia, sed cum dictione diminuẽte *quodammodo*: quia est omnia intentionaliter omnia representando, & continendo in specie. Et ideò S. Thomas Quodlibeto.8. artic.4. hoc expressit dicẽs, quod *species intelligibilis est similitudo ipsius essentiæ rei, & est quodãmodo ipsa quidditas, & natura rei, secundum esse intelligibile, non secundum esse naturale, quod est in rebus.* Itaque, pro causali assignat rationem *similitudinis*, & ex illa probauit, quod nõ simpliciter, sed solum *quodammodo*, ideſt, in representando intelligibiliter cõtineat in se quod species proponit, & repræsentat. Et hoc est quod inquit Sãctus Thomas 4. Contragentes capit. 14. & latius prosequitur quæst. 2. de Veritate articulo secundo, & sæpissimè alibi.

14 Dico secundo, sensus nullo modo identificatur cum sensibili, nec intellectus cum intelligibili, ad huc in esse intelligibili: dicitur tamen esse ipsum sensibile, vel intelligibile, inquantum in actu primo perficitur forma representante ipsum, vt est in re, & inquantum medio verbo in actu secundo exprimit eãdem numero naturam intellectam. Sumitur ex D. Thoma prima parte quæstione 14. articulo secundo, dicente ex Philosopho, quod *sensibile in actu est sensus in actu, & intelligibile in actu est intellectus in actu. Ex hoc enim aliquid in actu sentimus, vel intelligimus, quod intellectus noster, vel sensus informatur in actu per speciem sensibilis, vel intelligibilis.* Nec loquitur de specie in esse entis, sed formalissimè quatenus ratione illius fit intellectus, vel sensus in actu.

15 Clarissime idem exprimit prima parte quæst. 55. art. 1. ad secũdũ dicens, quod *sicut sensus in actu, est sensibile in actu, vt dicitur in secundo de Anima, non ita quod ipsa vis sensitiua sit ipsa similitudo sensibilis, quæ est in sensu; sed quia ex vtroque fit vnum sicut ex actu, & potentia: ita intellectus in actu dicitur esse intellectum in actu; non quod substantia intellectus sit ipsa similitudo, per quam intelligit; sed quia illa similitudo est forma eius.* Quæ authoritas expressa videtur ad intentum, quia verba S. Thomæ debent accipi in sensu formali; quia sensus formalis verborum semper est præferẽdus; & quia in hoc sensu loquitur Philosophus; & tertio; quia loquitur de similitudine, vt constituit intellectum in actu: quod speciei conuenit, vt est in genere intentionali: & de illa vt sic, asserit, quod non identificatur cum intellectu, sed quod est eius forma actuans, & perficiens, inquantum est obiecti similitudo.

16 Idem repetit quæstione 85. articulo secundo ad primum, & quæstione 87. articulo primo ad tertium, ait. *Sicut enim sensus in actu est sensibile propter similitudinem sensibilis, quæ est forma sensus in actu, ita intellectus in actu, est intellectum in actu propter similitudinem rei intellectæ, quæ*

est

*est forma intellectus in actu.* Illa verba Sancti Thomæ, semel, & iterum repetita, *propter similitudinem*; satis declarant, loqui in sensu formali de specie in esse intentionali, vt est obiecti similitudo; & de illa, vt sic, ait Sanctus Thomas, quod est forma intellectus: ac per consequens quod non identificatur cum illo. Quæ consequentia est D. Tho. in primo distinctione 35. quæstione prima articulo primo ad tertium, dicentis, *oportet quod hæc species, quæ est intellecta in actu, perficiat intellectum in potentia; ex quorum coniunctione efficitur vnum perfectum, quod est intellectus in actu: sicut ex anima, & corpore efficitur vnum.* Et infra. *Non tamen ita, quod species illa fiat substantia intellectus, vel pars eius nisi formalis; sicut nec anima fit corpus.* Ergo de specie, vt est forma intellectus, & obiecti similitudo, nullo sensu verificatur, quod identificetur cum intellectu. Quod & docet Sanctus Thomas in secundo distinctione tertia quæstione secunda articulo primo in corpore, & quæstione octaua de Veritate articulo sexto, & de Spiritualibus creaturis articulo octauo ad 14.

17 Manifeste etiam idem exprimit Sanctus Thomas in quarto distinctione 49. quæstione secunda artic. 1. ad 10. ita dicens. *Intellectum in actu fit vnum cum intellectu in actu, in quantum forma intellecti, sit forma intellectus in quantum est intellellectus in actu. Non quod sit ipsamet essentia intellectus, vt Auicena probat in 6. de Natur. Quia essentia intellectus manet vna sub duabus formis secundum quod intelligit res duas successiue; ad modum quo materia prima manet vna sub diuersis formis. Vnde etiam Comment. in tertio de Anima comment. 5. comparat intellectum possibilem, quantum ad hoc, materiæ primæ. Et sic nullo modo sequitur, quod intellectus noster videns Deum fiat ipsa essentia diuina; sed quod ipsa essentia diuina comparatur ad ipsum quasi perfectio, & forma.* Quæ authoritas valdè videtur notanda, primo, quia in illa militant ponderationes factæ; secundo, quia exponit Auerroin in sensu nostræ primæ conclusionis; & tertio, quia adhuc in esse intelligibili negat Sanctus Thomas, quod intellectus beati fiat vllo modo Deus: cuius contrarium admittunt Patres Carmelitani toto §. 9.

18 Denique, vel nullo ponderante, conuincitur intentum ex Diuo Thoma Quodlibeto septimo articulo secundo in corpore, dicente. *Intellectus secundum actum est omnino, ideſt, perfectè res intellecta, vt dicitur in tertio de anima. Quod quidem intelligendum est, non quod essentia intellectus fiat res intellecta, vel species eius: sed quia completè informatur per speciem rei intellectæ, dum eam actu intelligit.* Ex quibus verbis, & firmatur nostra conclusio, & habetur expositio eorum, quæ in contrarium citantur: nam ad hoc, quod intellectus dicatur res intellecta, non exigitur identificatio cum illa, sed sufficit, quod apud se habeat formam, speciem, seu similitudinem illius repræsentatiuam.

19 Specialiter authoritates adductę n. 4. exponuntur à Ferrara 3. Cõtragent. cap. 51. in fine §. *ad tertium*

*dubium*, dicente, quod mens S. Thomæ in illis verbis est ex specie intelligibili, & intellectu non constitui aliquam vnam naturam ab vtroq; distinctam, sicut ex forma substantiali, & materia constituitur compositum ab vtroque aliquo modo distinctum: non autem, quod non constituatur aliquod vnum, quod est species intelligibilis, & intellectus, vt vnita sunt ad vnam operationem: quod vnum vocamus intellectum in actu. Hæc ibi.

## §. III.

### *Rationibus comprobatur.*

20 RAtiones plurimæ in verbis D. Thomæ indicãtur. Prima illis verbis: *Essentia intellectus manet vna sub duabus formis, &c.* Quæ realiter distinguũtur, dum in propria entitate manent, non possunt realiter idẽtificari. Quod videtur perse notum sola explicatione terminorũ: siquidem distinctio transcẽdens cõuenit rebus per proprias entitates, quarum vna non est alia. Et in hoc differt vnio ab idẽtificatione, quod vnita conueniunt, & distinguũtur, & separari possunt: at vero identificari aliqua non possunt nisi vnum in aliud conuertatur. Sed intellectus realiter differt ab intelligibili corporeo antecedenter ad speciẽ: siquidem ab illo separatur; & distinguitur ab ipsa specie: siquidem successiue potest hãc, vel illã suscipere: & ad huc recepta specie, potest nõ intelligere in actu secundo pro arbitrio voluntatis: ergo intellectus in esse intelligitur, perficitur, & formatur per speciem, non cum illa idẽtificatur.

21 Huic rationi respondent PP. Carmelitani dub.2.§.7. per totum, quod vltra distinctionẽ virtualem, & distinctionem realem actualem, debet admitti alia distinctio realis potẽtialis, eorũ quę licet actu realiter sint idẽ, tamẽ realiter potentialiter sunt distincta: quod explicant exemplo substantiæ materialis, quę intra lineã substantię non habet partes; & tamen per nutritionem crescit viuens: quod esse nõ posset sine identificatione, & distinctione potentiali.

22 Verumtamen distinctionẽ hãc reiecimus lib.2. Logicæ q.13. à nu. 16. & per totam quęstionem, & lib. 1. de Generat. q.19 n.21. exemplũ non admisimus. Deinde, distinctio hæc in alijs Doctoribus nõ legitur; & tamẽ res, de qua disputamus, ab omnibus controuertitur, & sine illa determinatur. Rursus, frustra tot expensæ consumuntur, quando sine illis quæstio facile, & vere disoluitur. Non enim facilè percipiũtur istæ quasi transubstantiationes. Et quod, quæ realiter in esse intelligibili sunt eadem vni tertio, non sint realiter intelligibiliter eadem inter se. Quod tamen ex oppositа opinione apertè sequitur. Et id admittere videtur absurdũ: siquidem species hominis, & leonis, nec in esse intelligibili identificantur inter se: & iuxta oppositam sententiam identificantur cum intellectu in esse intelligibili.

23 Alia ratio à priori indicatur à D.

D. Thoma, quia species, in esse speciei, exigitur vt similitudo obiecti: ergo perse loquendo nõ exigit idẽtitatem cum obiecto in esse intelligibili. Antecedens patet ex dictis, & admittitur ab omnibus, qui dari species fatentur. Consequentia verò probatur, primo, quia in creaturis imago omnis differt realiter ab illo cuius est imago: sicut in signo verificatur, quod nil est signum sui, iuxta dicta lib. 1. Dial. cap. 2. Secundo & vrgentius, quia officium speciei est conuenientia formalis sufficiens, vt ipsa gerat munus obiecti: sed ad hoc sufficit, & exigitur vnitas secundum rationem repræsentãtis, & representati, quæ stat optimè cum diuersitate materiali, & exclusione idẽtitatis inter se: ergo absq; fundamento identitas ista in esse intelligibili, non facilè intelligibilis, introducitur. Probatur minor, quia conuenientia formalis est vnitas similitudinis, quæ est minus quid quã idẽtitas, vt patet ex dictis lib. 1. Logicæ q. 12. n. 29. & 30. & hoc indicat S. Thomas 3. Contrag. cap. 49. rat. 2. vbi de *similitudine intelligibili*, ait, *oportet quod sit eiusdẽ speciei, vel magis species eius*: quasi arguens à specie logicè sumpta ad speciem intentionalem: sicut enim in illa est conuenientia formalis cum distinctione reali in essendo in individuis: ita in specie intentionali est conuenientia in representando cum distinctione representantis, & representati: quod tollit identitatem in esse intelligibili, & relinquit conuenientiam exactam ad intelligendum.

24 Tertio principaliter probatur conclusio, & rationes contrariæ retorquentur, quia vt natura cognoscitiua operetur perfectissimas operationes immanentes, nõ opus est, quod forma, qua operatur, identificetur cum operante: sed sufficit, quod sit in illo vt actu, & perfectio eius: vt patet ex D. Thoma 1. p. q. 14. art. 2. & 4. Et probatur primo, quia operatio est immanens, etiam si non identificetur cum operante: ergo, & principium eius formale, est immanens, etiam si non identificetur cum operante. Secundo, quia non minus debet esse immanens potentia vitalis, quam forma, qua actuatur ipsa potentia: sed intellectus, & voluntas non identificantur cum anima, nec in esse physico, vt diximus lib. 2. q. 13. Nec in esse intentionali, vt præcipuè patet cum intelligit aliquid corporale: ergo nec species debet idẽtificari, nec in esse physico, nec in esse intẽtionali, cum intelligente, & cũ obiecto. Tertio, forma, vt forma, non debet identificari cum eo cuius est forma: sed species, adhuc in esse repræsentatiuo, est forma intellectus: ergo vt sic non debet cum illo idẽtificari.

25 Quarto, illa vnio requiritur perse speciei cum intellectu, quæ sufficit vt ab vtroque quasi gignatur notitia: sed sine identificatione gignitur notitia ab intellectu, & specie: ergo sine causa identificatio introducitur. Quinto, magis assimilatur verbũ rei intellectæ, quam species impressa, vt patet ex dictis q. 8. Sed verbum non est identificatũ cum re intellecta: quia terminus in-

trinsecus operationis vitalis nō idē tificatur cum termino extrinseco ad extra: cum hoc quandoque sit corporale, & quandoque non existat in rerum natura, & quandoque sit ens rationis, vel priuatio, quod verbo exprimitur, & operatione attingitur: ergo nec species impressa identificatur cum obiecto.

26 Denique probatur ratione indicata à D.Tho.1.p.q 55. art.2. & q.79 art.2 & q.87.art.2. quia licet accidat speciei, vt sic, quod sit substantia, vel accidens: tamen perse cōuenit intellectui humano, quod sit pura potētia in esse intelligibili, quia est infima virtus intellectualis: & perse conuenire potest alicui speciei, quod accidit rationi generice, vel communi. Et perse conuenit sensui, quod est peraccidens intellectui. Et rursum speciei super additæ perse cōuenit, quod actuet, & perficiat, etsi peraccidens conueniat, & de materiali, quod inhæreat. Sed in istis conceptibus non exigitur perse identificatio, imò perse excluditur: quia id, quod de foris aduenit ad perficiendum, & auferendum potentialitatem, non est actus identificabilis; sed actus, & forma actuans, & perficiens. Nullatenus ergo est admittenda identificatio, adhuc in esse intelligibili.

27 Ad rationes Caietani omnes propositiones assumptæ conceduntur, & negantur vltimæ consequentiæ: quia sufficit vt intellectus sit in actu, quod actuetur forma, quæ representat ipsam rem, & in representando est quasi ipsa: quod fit actuatione intelligibili, sine identificatione non perceptibili.

28 Ad tertium dicitur, quod potentia in esse intelligibili non actuatur specie materialiter in esse entis; sed formaliter in esse imaginis. Et hoc sensu actuatur ipso obiecto, & transformatur in illud; non per idē tificationem, sed quia actuatur forma illud representāte. Et ideò ait Sanctus Thomas prima parte quæstione 14. artic. 2. *Ex hoc enim aliquid in actu sentimus, vel intelligimus, quod intellectus noster, vel sensus informatur in actu per speciem sensibilis, vel intelligibilis.* Informari autem non est identificari.

29 Ad vltimum concedo antecedens, & primam consequētiam, & nego secundam. Ad probationē nego antecedens, quia elevatior vnio intellectus cum re intellecta, non consistit in identificatione cū illa; sed in eo quod cum imagines externę solum signifícent figuram, & colorem, & similia accidentia: in intellectu est similitudo, & species ipsius quidditatis: secundo est eminentia in eo, quod intellectus abstrahit speciem à materialibus cōditionibus, cum quibus in re inuenitur: tertio relucet differentia in eo, quod apud nos est passio, & trās mutatio physica, & corruptiua: at verò in sensu, & intellectu est mutatio intentionalis perfectiua. Et cū D.Thomas, & Physiosophus numquam deduxerint radicem cognitionis ex identificatione cum altero; sed ex immaterialitate receptiua formæ intentionalis, alterius representatiua, non est cur ad illam iden-

identificationem recurramus. Vnde Philosophus 2. de Anima textu 124. & Sanctus Thomas 1. p. q. 14. art. 1. & q. 84. artic. 2. & alibi sæpè ait. *Quæ non recipiunt formas nisi materialiter, nullo modo sunt cognoscitiua, sicut plantæ.* Quanto autē aliquid immaterialius habet formam rei cognitæ, tāto perfectius cognoscit. Vnde & intellectus, qui abstrahit speciem, non solum à materia, sed etiā à materialibus conditionibus indiuiduantibus, perfectius cognoscit, quam sensus; qui accipit formā rei cognitæ sine materia quidem, sed cum materialibus conditionibus. Hæc, & alia plura ibi, & alibi Sanctus Thomas.

30 Addit Iauellus 2. de Anim. q. 51. §. *quantum ad tertium*, in fine, ex B. Alberto, & Auerroi, quod infimum gradum immaterialitatis, & abstractionis obtinet species sēsibilis in medio: secundum, in organo sensus exterioris: tertium, in sensu communi: quartum, in phantasia: quintum, in cogitatiua, & in memoria: supremum obtinet species intelligibilis in intellectu, abstracta à phantasmate illustratione intellectus agentis. Aduertit autem Ferrara primo Contragent. cap. 65. ratione 8. §. *ad primum*, quod forma sensibilis non producit similitudinem suam ad altiorem gradum simpliciter; sed ad aliquem gradum perfectiorem, intra tamen latitudinem sui ordinis. Videatur omnino.

## QVAESTIO X.

### *Vtrum species sensibiles sint indiuisibiles?*

1 DVplex diuisibilitas, vel indiuisibilitas in specie valet considerari: alia quæ appellatur *subiectiua*: & alia *obiectiua*: prima conuenit speciei, inquantum accidens est, inhærens subiecto, in quo extēditur, vel radicatur: secunda conuenit ei inquantum est obiecti similitudo.

2 Tribuitur Paulo Veneto 2. de Anima textu 127. & alijs, opinio asserens species intentionales omnes esse indiuisibiles, etiam subiectiuè; & ideo esse totas in toto, & totas in qualibet parte.

3 Per aliud extremum asserunt alij species sensuum esse diuisibiles extensiuè, & intensiuè: & etiam obiectiuè, tam in representando, quā etiam cum producuntur a partibus obiecti. Ita Suarez 3. de Anima cap. 2. n. 17. & 18. Rubio cap. 6. q. 8. & 9. Hurtado disp. 12. sec. 5. Arriaga disp. 4. sec. 7. per tres subsectiones, & alij Recentiores.

### §. I.

### *Sunt diuisibiles ex parte subiecti, & indiuisibiles in representando.*

4 DIco primo, species sensuum sunt corporales, & extensæ subiectiuè. Est communis, & certa, quam latè probant Bañez. 1. p. q.

78.art.3.dub.3.conc.3. tribus argumentis:& sex proponit Toletus 2. de Anima q.34.cõc.1. Sed tria priora sufficiẽt. Primum, omnis forma, quæ recipitur in subiecto diuisibili, est diuisibilis, saltem peraccidens: sed species istæ recipiuntur,& inhærent subiecto diuisibili,& corporeo: ergo simpliciter sunt corporeæ, & peraccidens diuisibiles.

5 Secundo, vt docet S. Thomas 1. Contrag.cap.65. ratione 8. *Forma, quæ est inferioris gradus, non potest agendo producere suam similitudinem in gradum altiorem*;quia agens honorabilius est patiente : & ideò corporeum non potest formam suam imprimere in spiritum:de quo ibi Ferrara.Sed species sensibiles producũtur ab obiecto corporeo,& extenso : & ideò probat S. Thomas 3.p. q.76.art.7.quod à nullo oculo corporali corpꝰ Christi,prout est in sacramento Eucharistiæ, potest videri:quia accidentia eius indiuisibiliter existentia non possunt immutare mediũ: ergo species sensuũ sunt diuisibiles ex parte subiecti, & per correspõdentiã ad causã proximã.

Tertio, suffragatur experiẽtia, quia si species essent indiuisibiles, & inextensæ, non possent reflecti, nec frangi, nec misceri: quod tamẽ videmus in speculo, & in aqua, & in nubibus.

6 Dico secundo,species sensibiles sunt indiuisibiles in representando,ita vt qualibet speciei parte totum videatur obiectum extensiuè, & intensiuè. Ita Bañez vbi supra, §.*aduerte*. & latius ad 2. obiter Viguerius.c.1.§.2.ver.8. & Ioan.à S. Tho.q.6.art.3.diffic.4.in fine, §.*ad confirmat*. pag.215. Tolet.q.34.cõc. 4.Conimbricẽses 2.de Anima cap. 6.q.2.art.2.ad 3.& cap.7.q.5.art.2. §.*aduertendum*. Auersa. q.53. sec. 3. concl.2.dicens *communem*, & sec.5. concl.2.Thomas Hurtado de Anima sens. contr.1.memb.6. quinque rationibns eam probans.

7 Colligitur ex D.Tho.2.de Ani. lec.24.lit.a.docẽte,quod res in sẽsu *habet esse intentionale,& spirituale*.Et de Sẽs.& Sẽs.lec.19.lit.h.ait,quod *sensus,& intellectus recipiunt formas rerum spiritualiter,& immaterialiter secundum esse quoddam intentionale*. Quod, & habetur locis relatis.q.7. n.9. & n.32.& desumpsit ex S.Aug.12. de Genes.ad litt.c.16.& Auerroi 2.de Ani.cõm.97 & 101.Sunt ergo istæ species spirituales in modo causandi,& immutandi: & ideò causant sine physica alteratione,perse requisita,& in instanti;& ideo habent affinitatem cum rebus spiritualibus; licet non in essendo; tamẽ in representando: quia ad hoc à natura factæ sunt,vt moueant sensum ad iudicandum de rebus,& ministrandũ intellectui spirituali. Et propter hoc experimur, quod in modicissima pupilla,& in quolibet puncto totiꝰ medij recipitur species cæli, vel magni montis,aut campi,vel magnæ multitudinis.

8 Facit ad idem communis doctrina Perspectiuorum quam approbant B.Albertus 2.de Anima tract. 3.cap.14.& S.Tho de Sensu, & Sẽsato lec.4.lit.e. & lib.2. de Anima lec.15.lit.d.ita asserens. *Causa autẽ, quare distantia impediat visum, est quia*

*eius*

*omne corpus videtur sub quodam angulo cuiusdam trianguli, vel magis pyramidis, cuius basis est in re visa, & angulus est in oculo videntis*, &c. *Quod ideò necesse est, quia cum res visa sit maior quantitate, quam pupilla, oportet, quod proportionaliter diminuendo, proueniat immutatio visibilis vsque ad visum. Manifestum est autem, quod quanto latera trianguli, vel pyramidis sunt longiora, dummodo sit eadem basis, tanto angulus est minor. Et ideò quanto à remotiori videtur, minus videtur: & tanta potest esse distantia, quod omnino non videtur.* Hæc ibi S. Thom. Si ergo species modicissimæ extensionis potest recipere mediam fere quantitatem cæli, non est correspõdentia totalis extensionis speciei cum extensione obiecti: ergo erit species extensa in existendo, & indiuisibilis in representando.

Huic autem doctrinæ Perspectiuorum fauent experientiæ perspicillorum: nam secundum quod vitrũ, vel cristallũ diuersimode aptatur ad recipiẽdũ angulũ pyramidis visualis, vel magna apparẽt parua, vel parua videtur magna. Similiter modicissimũ obstaculũ iuxta oculum impedit visionẽ totius obiecti quãtũuis extensi; quod obstaculũ si esset propè obiectum, modicissimã eius partẽ ocultabit: quia pyramis visualis quo magis accedit ad verticem, eo magis attenuatur. Videatur etiam S. Tho. 3. Meteor. lec. 6. q. 4. ad 2.

9 Experimur etiam, quod in speculo integro apparet vna imago, seu species hominis, qui est circa ipsum, fracto autem speculo, apparẽt singulæ in singulis partib⁹: quæ multiplicatio huiusmodi imaginum ac cidit in speculo fracto, propter diuersas reflexiones ad diuersas partes speculi, vt notat S. Th. 3. p. q. 76. a. 3. quæ sunt plures, fracto speculo, & vna, quando est integrum. Et generaliter ostendimus 6. Phys. c. q. 2. quod in continuo partes non sunt actu diuisæ, sed indiuisæ in vna totius existentia indiuisa, vt ait S. Thomas locis ibi citatis. nu. 21. Ergo in mouendo sensum, & causando speciem, vniuntur quasi indiuisibiliter ad vnam speciem causandam.

10 Quod exemplo physico declarat Bañez ad 2. nã cum aliquod agens agit per aliquod spatium, nõ est dare in illo spatio aliquam partem, in qua totum non agat: sicut totus aer illuminatur à toto Sole, & non hæc pars ab ista parte, & illa ab alia; & similiter quamlibet partem aeris propinqui tota lucerna illuminat: & totus ignis totũ spatiũ sibi proximũ calefacit. Ergo pariter, cũ species proportionaliter diffundãtur, ac diffunditur lumẽ, quælibet pars producitur à toto obiecto, & per quamlibet partẽ speciei etiã cognoscitur totum obiectũ, à quo talis species producitur. Producitur autẽ ab eo, cui per lineã rectã absq; impedimẽto opponitur.

11 Respondet Rubio q. 8. n. 88. & Arriaga nu. 229. negando consequentiam. Et ratio disparitatis est, quia species representant per modum imaginis, & vt vicariæ obiectorum: & ideò non representãt, nisi eam partem, à qua causantur. At verò agentia naturalia non agunt per distinctas actiones partiales: &

ideò

ideò nec tribuitur effectus eis quasi per partes, sed modo indiuisibili. Quod autem idem nō sit in speciebus, & imaginibus obiectorum, patet experientia in obiecto ætereogeneæ figuræ; cuius pars speciei representans figuram capitis, nequit representare figuram manus, cum sit longe diuersa, sicque de cæteris. Et eadē certe ratio (licet non adeò manifesta) est de specie figuræ homogeneæ; quia modus imprimēdi speciē, quem habet obiectum sigillo, aut imagini similis, ex sua propria ratione determinatā representationem, & determinatam rem representatam postulat.

12 Adhuc in partib⁹ homogeneis, occurrit Suar. n. 17. quia si species non multiplicarentur, sequitur speciē à duobus parietibus, verbi gratia, impressam oculis, non duplicē esse, sed vnam, quæ per quamlibet sui partem representat vtrūque parietem: nam par ratio est de duob⁹ parietibus, & duabus medietatibus eiusdem. Consequens tamen est falsum, quia tot multiplicātur species in oculo, quot sunt res visæ, vel representatæ: cum nō possit vna species esse similitudo tam multiplicium obiectorum, nisi sit eminentior, & altioris ordinis, qualis non est species sensibilis.

13 Incipiendo ab ista vltima replica, facile præcluditur experientia speculi: nam cum est integrum, est vna imago, & cum frangitur, apparent singulæ in singulis partibus: ergo pariter duo parietes diuisi causant duas species, & vniti, causant vnam. Similiter inspicilla vsualia non congeminant species: dantur tamen inspicilla quædā multis quadrulis, seu areolis distincta, per quas plures species eiusdem obiecti congeminantur in oculo; & ideò obiectum apparet multiplex, vt experientia est manifestum.

14 Quantum verò ad obiectum figuræ æthereogeneæ, bene respondet Auersa ad 3. quod quādo est vnum obiectū totale, constās ex partibus dissimilibus, vna est illius indiuisibiliter totum representās adequate, quæ determinatur, & causatu à toto. Quod patet à simili ipsius visionis: quamuis enim diuersa sit visio, qua intuemur albū perse, ab illa qua perse cernimus nigrum, tamen vnica visione videmus vnum obiectum partim album, & partim nigrum; sicut vna visione videmus litteras in papyro scriptas: cum ergo ad vnam visionem sufficiat vna species, etiam si obiectū sit ætereogeneum, species quasi indiuisibiliter totum representat.

15 Ratio verò, & exemplum nostrū à fortiori sic instaurantur. Nam ideò vnum agens in vno spatio sic agit in toto, quod totum correspōdet toti, & non pars parti, quia modus operandi sequitur modum essēdi, & quia agens est vnum, & nō diuisum, & susceptiuum est vnū; ideò effectus quasi indiuisibiliter à toto procedit, & in toto medio proportionato recipitur. Sed respectu immutationis intentionalis multo fortius hæc ratio militat, quia est operatio magis accedens ad spiritualia,

tualia, in quibus dispersa in inferioribus, vnita inueniuntur. Ergo multo melius totum obiectum quasi indiuisibiliter causat, & species quasi indiuisibiliter representat.

16 Deinde, experimur, quod species corporis ætereogenei recipitur in diaphano homogeneo : & species magni montis in paruissima pupilla: non ergo est quærenda proportio obiecti immittentis speciem ad organum potentię recipiẽtis qualis est in sigillo, & cera: licet quoad aliqua alia exemplum adducatur à Philosopho, & D. Thoma.

17 Præterea idem probatur, quia ostendimus lib. 2. q. 22. §. 4. cum cõmuni sententia, quod sensibilia cõmunia non sentiuntur perse primo; nec immittunt speciem distinctam à specie sensibilis propriæ: sed cognoscũtur per eãdẽ speciem diuersi mode modificatam. Et ideò nec intensio qualitatis speciali specie valet repræsentari: quia intensio perse nõ variat sensibile perse. Ergo quod obiectum sit huius, vel illius quãtitatis, extensionis, vel numeri, non perse diuersificat species sensuum internorum. Illarum tamen indiuiduatio ex subiecto, & alijs principijs est desumenda.

18 Denique, *maximum absurdum, & omnino ridiculũ* appellat Thomas Hurtado in quarta ratione (illud, quod concedunt Petrus Hurtado nu. 66. & Arriaga ad 3. & 4.) quod qualibet pars totius cæli producat speciẽ sui in qualibet parte medij, ita vt nulla sit signabilis pars medij in qua non reperiãtur species actu realiter distinctæ omnium partium cæli. Imò tenentur cõcedere, quod in paruissimo subiecto infinities replicatur species impręssa cęli totiꝰ. Quod qui percipit, credat.

19 Imò aliquid incredibilius admittit Rubio n. 84. quod eiusmodi partes obiectiuæ extensionis suis in diuisibilibus vniuntur, & continuãtur. ¶ Quod statim apparet esse falsum: quia est multiplicare entia, vel modos sine necessitate. Et secũdo, quia nec in qualitatibus, sed in sola quantitate hæc indiuisibilia admittenda diximus 1. de Gener. q. 17. §. 7. Tertio, & vrgentius, quia sensibꝰ externis, nec internis, nec sentiuntur, nec attinguntur hęc indiuisibilia: ergo nec per speciem sẽsibilem repræsentantur; nisi vt sensibilia per accidẽs. Quarto adhuc dato, quod repræsentarentur, non opus esset, quod in specie repræsentante intentionaliter, esset tanta distinctio, ac est in obiecto: solemus enim vna visione videre arenę montem, & vnico intuitu non formantur tot visiones, quot sunt in monte arenæ.

## §. II.

### *Argumenta soluuntur.*

20 ¶ Ed contra hanc secũdam cõclusionem obijcit Suarez nu. 18. quia experimur vnã partem separabilem esse ab alia: vt si occultetur, vel auferatur pars obiecti, auferatur sane species illius & non aliarũ partium: quod cum indiuisibilitate stare non potest.

Iam

Iam respondérat Bañez ad 2.in fine, quod per quamlibet partem speciei attingitur totum obiectum à quo talis species producitur: producitur autem ab eo, cui recte, & absque impedimento opponitur, ab eoque dependet. Quod si pars obiecti occultatur, tunc ab illa non pendet species, nec ab ea conseruatur; & ita nec eã representabit. Nec est inconueniens, quod facile variẽtur species, quas tam facile experimur immiti. Et potest impediri vna pars obiecti, alia non impedita: & tunc species manebit quoad representationem vnius partis, & non quoad aliam, propter defectum extrinseci: sicut dici solet de relatione terminata ad plures terminos materiales, & de specie Angeli variatis indiuiduis: de quo 1.p.q.57. art.2.& 3.p.q.35.art.3.

21 Secundo arguit Rubio, quia si in præsentia alicuius augeatur obiectum aliquod, nouamque extensionem albedinis acquirat; additur noua pars speciei; quia præexistens ad hoc non se extẽdebat: ergo species constat ex partibus obiectiuis. Patet consequentia, quia representatio speciei est naturalis: ergo impossibile est representare partem obiecti, quam à principio non represẽtabat: ergo addita parte obiecti, additur pars speciei.

Dices, in hoc euentu nouam speciem produci representantem ipsum cum superaddita parte, & cæteris omnibus modo indiuisibili.

Contra, nam ex hac solutione *sequitur euidẽter* species totales, & cõpletas actu infinitas, successiue producendas esse; atque etiam alias actu infinitas corrumpendas: quia extensio obiecti successiua fit per partes proportionales, quæ sunt actu infinitæ.

22 Hoc tamen argumentũ, in primis manifeste retorquetur, quia ipsi simile inconueniẽs deuorãt, imo & maiora, vt vidimus n.18. & 19. Deinde instantur. Nam præsentia Angeli ad locũ corporeum est ex parte Angeli, indiuisibilis, & spiritualis, iuxta dicta lib.2.q.2.n.34.& plures ipsorum admittunt: & tamẽ continuè variatur, si Angelus continuè moueatur.

23 Præterea facilè respõdetur, ad missã solutione in argumento relata. Ad replicam iam respondimus 6.Physicor.q.2.& 1.de Generat.q. 17.n.48. quod in continuo non sũt partes actu infinitæ quoad diuisionem, sed solum in potentia: dixim' autem, quod multitudo specierum non correspondet nisi obiectis, vel partibus actu diuisis à toto; & ideò potius pro nobis militat replica, quam contra nos. Præterquãquod, quæ diximus ad primum, possunt huic applicari: & sic cessat argumẽtum Petri Hurtado: & primum, & secundum argumentum Arriagæ, quæ in substantia sunt eadem cum solutis.

24 Tertio arguit Rubio latissimè q.9.& Arriaga.nu.127. his verbis. Tertio, & *efficacius, & euidentius* præcipuum intentum ostendo, quia si omnes partes albedinis per vnicam indiuisibilem speciem videntur: ergo æquè clarè omnes partes. Patet *euidenter* consequẽtia, quia claritas visus,

visus, vel auditus consistit in intensione harum specierum: ergo cum eadem sit indiuisibilis species respectu omnium partium, oportet vt eadem sit intensio speciei; & consequēter eadem claritas. Constat autem *euidenter* experientia, remissi⁹, & minus clare videri partes distantiores eiusdem albedinis, quā propinquiores.

25 Cæterum inter tot arguentis euidentias, nullam video argumēti apparientiam. Primo, quia etiam si per plures species videretur obiectum, restat inquirēda causa, cur melius videatur prope, quā de longe? Et à quibusdam remisius, ab alijs intensius? Secundo, siue vna, siue plures in vnoquoque vidente ab obiecto species immitantur, experimur quod obiectum in potentias æque approximatas æquali intensione agit; & tamen non omnes æqualiter vident, propter diuersas potentias, vel varias dispositiones, vel indispositiones videntium. Vnde in forma negatur sequela. Ad probationem negatur antecedens, quod nō probat: & est manifeste falsum, cū visio pendeat à potentia, & a dispositione medij; & stante æquali specie; ex parte medij, vel ex minori attētione, vel cōnatu potentiæ, visio possit esse minus intensa. Quod expræse docet S. Tho. in 4. dist. 49. q. 2. art. 1. ad 2. dicens. In cognoscēdo autem id quod cognoscitur, sequitur formam, qua cognoscimus, quia per formam lapidis videmus lapidem: *Sed efficacia in cognoscendo sequitur virtutem cognoscentis: sicut, qui habet visum fortem, acutius videt.* Idem docet Scotus in 1. dist. 3. q. 7. §. *similiter eadem species*, & alij communiter tradunt agendo de visione Dei.

26 Imò possumus argumentū pro nobis retorquere: quia S. Thomas B. Albertus, & omnes Perspectiui relati n. 8. potius assignant pro causa, quod distantia impedit visum, quia species immititur sub quodam angulo, & quasi in cuspide terminatur in visu. Quod melius verificatur tenēdo species esse extēsas subiectiuè, & terminatiuè habere quasi indiuisibilitatem. Præterea Philosophus 3. Meteororum ait, quod *visus protensus, debilior fit, & minor.* Vel iuxta translationem Vicomercati, dicit, & supponit, *aspectum longius extentum languescere, & imminui.* Et Sāctus Thomas ibi lec. 6. lit. a. ita asserit. Secundo supponendum est, quod visus de longe videns obiectum, debilius, & minus videt, quam videns de prope. Et huius ratio est, quia omne agens naturale debilius agit in multū distans, quam in propinquum: & ex consequenti visibile debilius alterat visum a remotis, quam de propinquo, conuenienti, scilicet, propinquitate. Et infra specialem causam assignat iam supra relatam: quia sicut supra dictū est, visibile emittit radios ad visū, quasi pyramidaliter, & basis pyramidis est in ipso visibili: conus autem, qui est ille angulus acutus pyramidis, terminatur ad visum. Quanto autē magis obiectum distat a visu, tanto magis pyramis protrahitur, & fit lōgior, & facit minorem angulum in oculo, & ex consequenti videtur minor. Hæc Sanctus Thomas. No

ergo

ergo quod distantia nimia impediat visionē, prouenit ex eo quod plures species immittantur de propinquo iuxta partium obiecti visi multitudinem.

27 Præterquamquod, si Petrus Hurtado n. 66. & Arriaga ad 3. admittunt illas species penetrari, nō est cur non per vnam solam æque bene representatio obiecti debeat fieri, & alias frustra poni. Imo nec illę in eodem subiecto numero possunt constitui, iuxta doctrinam Capreoli in 1. distin. 7. q. 2. ad 2. Scoti post impugnationem secundæ, docentis, quod duorum indiuiduorū etiam eiusdem speciei, numquam species in organis sensuum sunt eiꝰ dem rationis, quia in vno subiecto duo accidentia, etiam intentionalia, solo numero distincta esse non possunt. Quod late prosequuntur Caietanus 3. p. q. 35. art. 5. §. *ad secundam obiectionem.* Et Nazarius controu. 2. §. *secundo principaliter.* Quamuis id non admittant Medina ibi, & Sōcinas 7. Metap. q. 9. ad 2. de quo alibi.

## QVAESTIO XI.

### *Qualiter species concurrant ad sensationem, & intellectionem?*

1 QVoad hoc, idem esse dicēdū de speciebus sensibilibus, atque intelligibilibꝰ, notat Bañ. 1. p. q. 85. art. 2. in 2. conc. Nec vllus negat eorum, qui in sensibus, & in intellectu species admittunt; & ideò simul de omnibus est disserendum, ne oporteat doctrinā repetere, vel inculcare. Et loquimur de speciebꝰ accidentalibus: nam de essentia diuina, & substantia Angeli Theologi tractant, non Philosophi.

§. 1.

### *Opiniones Doctorum.*

2 QVidam absolute negant species actiue concurrere ad sensationem, vel intellectionē; ita vt obiectum concurrat tantum terminatiue, non causaliter. Ita Henricus Quodlib. 4. q. 7. Toletanus 3. de Anima q. 2. art. 3. concl. 3. Toletus q. 22. §. *nos tamen*, & lib. 2. q. 12. conc. 2. & Iauellus 3. de Anima, de actu intellectus q. 3. §. *tenendo igitur*, vbi ait, quod *species nullam actiuitatē habet respectu intellectionis.* Sed obiectiue concurrit vt determinans, & specificans: & subiectiue concurrit representando intellectui, & eum actuando.

3 Quidam Neotherici Societatis hic disp. 7. sec. 2. dicunt speciem concurrere vt conditionem tamquam præsentiam intentionalem obiecti, non vt causā physicā, etiā inadæquatam, sed vt causam moralem. Citant Aegidium à Præsentatione lib. 8. 1. p. q. 3. ar. 8. §. 2. n. 17. & 18. Sed falsò citant, quia Aegidius nec verbum in toto libro de causalitate morali: & sententiā negantē speciei physicam causalitatē exprofesso impugnat q. 3. ar. 4. sex decim authores contra eam referens, & concludens: *Vnde sententiam*

*Toleti*

*Toleti tamquam falsissimam specialiter reiecit Bañez.* Et q.4.art.7.§.2.n.5. ait Aegidius, præmittendum est primo opinonem, quæ speciei omnem actiuitatē denegat, esse *improbabilem*, vt ostendimus in præced.q.artic.4. Quare admittendum est inter munera speciei hoc tamquā præcipuū, quod actiuè influat in intellectionem: quæ est *indubitata* sententia: vide in dicto art.4.& quæ diximus in eadē q.art.6.&7. Hæc ille: vt perpēdas, quā bona fide referant pro opinione, quam vocat *falsissimam, improbabilem*, & oppositā appellat *indubitatam*: nam terminatio extrinseca moralis, à nullo negatur, nisi quod à nullo, præter Recētiores, istis vocibus appellatur.

4 Secunda principalis opinio, nō solū tribuit speciei actiuitatem; sed asserit, quod species est tota vis, seu facultas agendi. Quod nō vno modo declarant; nam quidam dicunt, quod intellectus, & sensus se habēt passiuè, & actiuitas tota est à specie: sicut tota actiuitas aquæ calidæ est à calore. Indicant Alexāder 1.de Ani.c.de vi rationali, & Aur. in 1.dist.35.a.1.prop.2.& ar.2.prop.5. quatenus docent intellectū esse puram potentiam, non solum in genere intelligibilium, sed etiā in genere entium: quia sic nullius erit actiuitatis sicut nec materia prima. Et expresse ita docuerunt alij, quos suppresso nomine refert Caietan.1.p.q.79.art.2.§.*quoad secundū*.

5 Alia via id defendere videtur Caiet.ibidem asserens intellectum ex se nullam habere intelligendi rationē; sed per speciem factum actu ipsum intelligibile, habere vim actiuam; *ex se tamen eam habere inchoatiuè*: quod à multis intelligitur de sola virtute radicali; licet alijs hæc expositio nō probetur, propter ea quæ postea referemus ex eodē Caietano. Sed expresse Tho.Hurt.de Ani.sens. contr.1. mēb.1.§.2.pag. 6.col.1.ait, quod *species est adæquata ratio agendi sensibiliter, vel intelligibiliter*. Quod promittit enucleare controu.4. In qua, nec in toto opere, ego declaratū non inuenio, nisi quod ait speciem, vt gerit munus obiecti, esse causam adæquatā specificationis actus.

6 Tertia & cōmunis sententia, tribuit immediatam actiuitatem intellectui, & sensui; & etiam speciei sensibili, vel intelligibili. Quam nō vna via defendunt. Quidam dicunt intellectum, & speciem se habere, vt duas causas partiales integrātes vnam totalem. Ita Scotus in 1.dist. 3.q.7.& Quodl.15.§.*de secūdo primi art.* & cōmuniter Scotistæ. Ex Thomistis Capreol.in 1.dist.35.q.1.art. 1.ad 5.Scoti contra 1. & in 4. dist. 49.q.4.art. 3.ad arg. Aureoli cōtra 2.vbi ait. *Dicitur secundo, quod omnis actualis intellectio est partialiter effectiuè ab intellectu possibili, & partialiter à specie, vel forma intelligibili.* Et Caietan° prima parte quæstio.12.articulo 2. ad tertium, §.*dicendum est ergo*, ait, *quod quamuis intellectus, & species intelligibilis, se habeant quasi duo partialia agentia; quorum alterum substantiam, alterum speciem præbet intellectioni: hæc tamen proportio non est prima; sed ante ipsam est, quod se habent sicut materia, & forma, & hoc per se loquendo.* Vbi non

retra-

retractat, sed sequitur opinionem de concursu partiali: sed solum aduertit, quod non sola hæc aduna-tio intercedit. Idem tenet Soncinas 12.Metaphisicæ quæstione 59. §. *sed iudicio meo*. Et ad secundum. Extra Scholam Sancti Thomæ est valde communis: nam eam tenent Conimbricenses, & Suarez, quos citat, & sequitur Aegidius à Præsentatione lib.8.p.1.quæstione 3.articulo 6.§.2. Vazquez prima parte disputatione 38.& 43. Rubio hic libro secundo cap.6.quæstione secũda. Auersa tomo secundo Phylosophiæ quæst.53.sec.8.& alij frequẽter.

7 Alij verò impugnat concursũ partialem, & docent speciem se habere vt rationem, & principiũ *quo* agendi. Ita Bañez 1.p.q.85.artic.2. conc.2.in fine. Et 1.p.q.12.artic.2. dub.2.conc.2.& q.56.ar.1.dub.1. & q.78.ar.3.dub.3.conc.5.& Ferrara 3.de Anima q.8.§.*pro quo sciendum*. PP.Carmelit. de Anima disp. 18.q.5.ad 2. Loquendo etiã de specie, vt se tenet ex parte intellectꝰ, non concurrere cũ illo partialiter, docent Caietanus 1.p.q.79. art.2. §. *quoad secundum*, & Iauellus 3.de Anima q.2.de actu intellectus §.*sed aduerte*. Et late Aegidius à Præsentatione libro.8.p.1.quæst.3.articulo 7.§.2. & §.3.probat, quod concurrit vt agens *quo* sicut calor cum igne.

8 Tangit istæ vltimus dicẽdi modus, aliud dubium omnino necessarium ad decisionẽ principalis quæstionis: vtrum species solum se habeat ex parte obiecti? An verò ex parte intellectus?

Solum tenere se ex parte obiecti videtur affirmare S.Thomas 1.p.q.12.art.2.& ibi cõmuniter Thomistæ. Item Scotus in 1.distin.3.q.7.§. *respondeo ad primam*. Et Suarez lib 2. de attrib.cap.12.num.11. alioquin nulla esset necesitas ponendi species.

9 Per oppositum, quod species se teneat ex parte intellectus perse, & non peraccidens, docent Caietanus 1.p.q.79.a.2.§.2.*opinio*, Bañez 1.p.q.12.art.2.dub.2.conc.2.& 3. & q.56.artic.1.dub.1.§. *ad argumentum*, & Aegidius illa q.3.art.1. quia intellectus, vt intelligat debet fieri ipsum obiectum, quod fieri nequit, nisi eius specie actuetur. Quod & docet S.Thomas prima parte quæstione 85. articulo 4. & quæstione 55.articulo 3.& quæstione 9.de Potentia articul.5.& in 4. distinct.49. q.1.art.2.Imò addit Aegidius articulo 2.probabilius esse, quod solũ se tenet ex parte potentiæ, & non ex parte obiecti.

10 Sed reuera Authores relati numero.8.& 9.pauci discordant, quia reuera dicunt se tenere ex parte vtriusque, vt patet in Caietano vbi supra, Ferrara 3.Cõtrag.c.51.§. *circa hanc*, & in alijs relatis tota quæstione nona, & vtroque modo speciei actiuitatem debemus declarare.

(.·.)

§.2.

## §. II.

## *Species se tenent ex parte obiecti, & ex parte potentiæ.*

11 Dico primo, species, per se loquendo, se tenent ex parte obiecti, & etiam ex parte potētiæ. Priorem partem docet S. Tho. 1. p. q. 12. art. 2. dum intellectum, & lumen vocat *similitudinem ex parte potētiæ*; & speciem appellat similitudinem *ex parte rei*, seu ex parte obiecti. Ratioque indicatur à D. Thom. quia ad visionem, tam sensibilem, quam intellectualē requiritur *vnio rei visæ cum visu: non enim fit visio in actu, nisi per hoc, quod res visa quodammodo est in vidente.* Et hæc est ratio à priori indigentiæ specierum, quæ ponderata est q. 7. Sed species non posset facere vnionem rei visæ cū visu, nisi se teneret ex parte obiecti: ergo per se loquendo, species gerit mun⁹ obiecti. Probatur minor, quia pro tanto media specie fit hęc vnio, inquantū species in esse imaginis est obiectum, & facit quod faceret obiectum, si adesset perse.

Secundo, ideò dātur species, nō vt sint, sed vt representēt, & vt sint similitudines obiectorū formales. Sed imago, vt imago, gerit munus rei representatæ, & pro illa substituitur: ergo species vt species se tenet ex parte obiecti.

12 Secunda pars potest dupliciter intelligi, secundum quod ly *per se*, vel potest significare solum perfectionem ratione prædicati cōmunis, ita vt speciei, inquantū est forma accidentalis, perse conueniat actuare sensum, vel intellectum, vt formam intrinsecam illius. Vel potest significare perfectionem ratione prædicati differentialis speciei; ita vt speciei, formalissimè inquantū est similitudo formalis obiecti, cōueniat etiam se tenere ex parte potentiæ. Igitur do vtraque perfectione intelligo conclusionem: cū hoc discrimine, quod cum species est substantia, tenet se ex parte potentiæ, non per inhærētiam, sed vt forma perficiens, & determinans, iuxta dicta. q. 6. nu. 26. At verò omnis species accidentalis est forma inhærens potentiæ, quæ illa vtitur. Et perse conuenit sensibus, & intellectui nostro, quod his formis indigeat, quia perse loquendo, sensus est potentia passiua in genere sensibilium, & intellectus in genere intelligibilium: & istæ potentiæ reducuntur ad actum per speciem, & per sensationem, & intellectionē. Et sic manet probata conclusio in primo sensu. Qui sensus sufficeret vt absolutè diceretur cōuenire perse speciei, vt se teneat ex parte potentiæ; quia prędicata analoga, vel generica, etiam conueniunt perse.

13 Adhuc autē loquendo de specie in esse speciei, quod se teneat ex parte intellectus, vel sensus, cōstat ex Philosopho, & D. Tho. locis adductis. q. 9. vbi docent sensū ratione speciei quodammodo fieri ipsum sensibile, & intellectū quodammodo fieri ipsum intelligibile: & loquuntur manifestè de specie in esse speciei. Sed hoc esse nequit, nisi species se tenēat ex parte potentiæ, cui hāc denominationē

tribuunt: ergo reuera ex parte illius se tenent. ¶ Deinde, vnio se tenet ex parte vtriusque extremi vniti: species autē est media qua, fit vnio in esse intelligibili, rei visę cum visa, iuxta dicta.n.11. ergo se tenet ex parte vtriusque, vt ab vtroque pariatur notitia.

14. Tertio, species non sunt obiectū vltimatū nostrę cognitionis, vt demōstrat S.Th.1.p.q.85.ar.2. alioquin scientiæ omnes nō essent de rebus, quæ sunt extra animam, sed solum de speciebus intelligibilibus, quæ sunt in anima. Secūdo, quia sequeretur error antiquorum dicentiū omne quod videtur esse verū. Solū ergo species se habet vt principium quo intelligendi, quia species rei gerit eius vicē: & sic habet rationē principij quo, vt etiā docet S.Th.1.Contrag.c.53.&q.4.de Potēt.ar.1.& q.9.art.5. & alibi sæpè. Sed principiū cognitionis non potest non se habere ex parte potentiæ, quia homo intelligit: ergo species, in esse speciei, se tenet ex parte potentiæ.

15 Quarto, actus, & forma se tenent ex parte illius, cuius est actus, & quē format, & perficit; vt patet inductione: & cōstat ex propria ratione actus, & formæ. Sed species in esse speciei est actus, & forma intellectus; & ideò verificatur illud Philos. quod ratione speciei *sensibile in actu est sensus in actu, & intelligibile in actu est intellectus in actu*, vt ait S. Tho.1.p.q.14.ar.2.& alijs locis relatis.q.9.cōcl.2. Ergo species se tenent ex parte potentiæ.

16 Obijcies primo: nam potētiæ & obiecta cognitionis directæ valdè diuersa sunt; nā res ad extra solet esse materialis, & intellectus est spiritualis: sed idem non potest se tenere ex parte diuersorum, præcipuè ſi ſitu, & loco distent; vel genere distinguantur: ergo species non potest simul se tenere ex parte obiecti, & ex parte intellectus.

Respondetur, quod in esse rei potentiæ, & obiecta sunt valdè diuersa: sed quia ad intelligendum, anima debet esse quodāmodo omnia; ideò vt docet S.Th.q.2.de Ver.ar.2. medijs speciebus immaterialiter omnia continentur, & representantur intelligenti: & ex vtroque fit quodammodo vnum perfectum; quia *completè informatur per speciem rei intellectæ*, vt ait S.Tho. Quodl.7.ar.2. Inquantum ergo ex potentia ex obiecto fit vnum, species se tenendo ex parte obiecti, se tenet ex parte potentiæ inquantum illi proponitur actus, & forma, quæ est obiecti similitudo, & quodammodo ipsum obiectum.

17 Secundo obijcies: duo nunera diuersa non possunt ab vna forma prouenire, nisi se habeant ordine quodam: alioquin essent ab illa peraccidēs: ergo si ponatur speciē se tenere ex parte rei, & ex parte potentiæ, explicandū restat an principalius se teneat ex parte obiecti; an verò principalius ex parte potētiæ? ¶ Respōdetur quod cōmunis sententia videtur tenere speciē principaliter se tenere ex parte obiecti: vt patet ex relatis.n.8.

18 Cæterum Aegidius à Præsentatione lib.8.p.1.q.3.art.2.non solū docet

docet esse probabilius speciem solum se tenere ex parte potentiæ, & non ex parte obiecti: sed & asserit art. 3. n. 15. quod adhuc si species se teneat ex parte vtriusque, asserēdū est principaliter se tenere ex parte potentiæ: quia principale officium speciei, & à natura primo intentū, est facere vt intellectus fiat res, quę debet intelligi. Hoc autem munus esse primum probat. q. 4. ar. 1. §. 3. quia intellectus est pura potentia: quæ constituitur in actu primo per speciem, quæ est forma, & agendi principium se tenens ex parte potētiæ; & ideò representat obiectum, quia facit præsens intellectui, & illud ei vnit, & eum determinat, & complet eius virtutem, vt latè discurrit per octo articulos hæc speciei munera inter se comparans. Ergo principalius se tenet species ex parte obiecti.

19 Facilè tamen hoc dubium expeditur: vel dicendo speciē ex parte vtriusque principaliter se tenere, quia est quasi vnio faciens vtraque vnum in esse intentionali. Vel si alterum est præferendum, asserendū potiꝰ se tenere ex parte obiecti, quia potētia ideò fit obiectū, quia actuatur specie, illi vnitur, hæc potentiā determinat, vt potentia percipiat obiectum, & fiat obiectum, cuius species est imago, & vicaria: iam ergo principalitas attribuitur obiecto. His præmissis, de causalitate speciei vt se tenet ex parte obiecti, & vt se tenet ex parte potentiæ, sequitur dicendum.

## §. III.

### *Species concurrunt actiuè ad operationem.*

20 DIco secundo, species actiuè concurrunt ad intellectionem, vel sensationem. Sumitur ex D. Augustino lib. 9. de Trinitate capite 12. dicente. Liquido tenendū est, quod omnis res quamcumque cognoscimus, congenerat in nobis notitiam sui: *Ab vtroque enim notitia paritur, à cognoscente, & cognito.* Quod & repetit libro. 11. capite 2. asserens *Gignitur exre visibili visio: sed non ex sola, nisi adsit, & videas: quo circa ex visibili, & vidente gignitur visio.* Visibile autem nō concurrit nisi media specie.

Idem docet Sanctus Thomas prīma parte quæstione 105. articulo tertio, vbi distinguit duplex principium intellectionis in intelligente, nempe intellectum, & speciem: & de ista ait. *Aliud autem est principium intelligendi in actu, scilicet similitudo rei intellectæ.* Sicut ergo intellectus non est conditio, sed principium efficiens, ita species. Et quæstione 56. articulo primo. *Sicut calor est principiū formale calefactionis in igne; ita species rei visæ est principium formale visionis in oculo:* constat autem, quod forma est principiū efficiens operationis. Quæst. 85. articulo. 2. ait: *Species intelligibilis se habet ad intellectum, vt quo intelligit intellectus.* Et in quarto distinctione 49. quæst. secunda

art.1.ad 2.& in corp. Clarius q. 2. de Verit.ar.6.dicit. *Qualibet actio sequitur conditionem formæ agentis, quæ est principium actionis: sicut calefactio mensuratur secundum modum caloris. Similitudo autem cogniti, qua informatur potentia cognoscitiua, est principium cognitionis secundum actum, sicut calor calefactionis. Et ideò oportet vt qualibet cognitio sit per modum formæ, quæ est in cognoscente.* Sequuntur idem communiter Thomistæ. Item Scotus in 1.dist.3.q.7. §.*ad quæstionem*, & communiter Scotistæ. Molina, Vazquez, & Suarez, & Conimbricenses, quos citat, & sequitur Aegidius à Præsentatione lib.8.de beat.p.1.q.3.artic.4. §.2. Alios Authores vsque ad viginti quatuor, refert, & sequitur Fasolus 1.p.q.12.art.2.dub.1.n.2. Tenētq; alij relati.n.6.& 7.

21 Ratio S.Tho. est facilis, quia forma est principium efficiens operationis illius cuius est forma: vt inductiuè patet in formis substantialibus, & accidentalibus operatiuis: & quia modus operandi sequitur modum essendi. Dictum est autem speciem esse formam, qua intellectus constituitur in actu primo: ergo species est principium, quo intellectus efficit intellectionem, & sensus sensationem.

22 Secundo solet probari, quia verbum est similitudo expressa illius, quod intellectus concipit media specie: *Id enim quod intellectus in concipiendo formar, est verbum*, vt ait S. Tho.1.p.q.34.art.1.ad 2.ac per cōsequens emanat ab intellectu media specie: ergo ista influit actiuè in cognitionem. Probatur consequētia, quia vnumquodque producit sibi simile: quod ad intentum applicat S.Tho.1.p.q.85.ar.2.dicens. Sicut forma, secundum quam prouenit actio tendens in rem exteriorē, est similitudo obiecti actionis: vt calor calefaciens: similiter forma, secundū quā prouenit actio manēs in agēte, est similitudo obiecti. Vnde similitudo rei visibilis, est secundū quam visus videt: & similitudo rei intellectæ, quę est species intelligibilis, est forma secundū quā intellectus intelligit. Ergo pariter est principium efficiens intellectionis.

23 Occurrit Arriaga dis.4.sec.3. subsec.5.dicens in hac ratione peti principium; quia probamus verbū esse imaginē obiecti, quia est representatio expressa ab obiecto: & deinde probamus exprimi ab obiecto, quia est imago illius. ¶ Sed nemo nō videat gratis hoc nobis imponi, vt alij Socij notarut, quia illa ratio à nullo Philosopho, aut Themista sic formatur: sed supponūt propositionē perse notā, à S.Aug. S.Ansel.& D.Tho.assumptā, quod species expressa est similitudo, & imago expressa obiecti (siue hæc distinguatur ab ipsa operatione, siue nō) Ergo exprimitur ab obiecto, quia imago exprimitur ab eo cuius est imago, vt ex D.Aug. docet S.Th.1. p.q.35.art.1. Ergo efficitur ab specie, quæ est forma, quā immediatè exprimit verbum, inquātū species est similitudo in actu primo, & verbū est similitudo in actu secundo.

24 Aliter euadere arbitrātur vim huius rationis quidam Recentiores dicentes rationem hanc non cō uincere,

uincere, quia ad rationem imaginis non requiritur quod physicè, & immediatè procedat ab eo, cuius est imago: vt patet in imagine artificiali, ad cuius expressionem cõcurrit obiectum media cognitione applicante: ergo licet cognitio nõ oriatur immediatè à specie tamquam à causa physicè influente, sed solum vt ab applicante obiectum, & determinante potẽtiam, habebit omnia requisita ad rationem imaginis.

Præterea, in communi sentẽtia, habitus acquisitus non alio modo concurrit ad actũ, nisi quatenus potentiam inclinat, & reddit facilem, ad illum eliciendum: & tamen in communi omnium sentẽtia, actus scientiæ tribuitur habitui tamquam efficienti proprio illius: ergo species se habet vt causa moralis cognitionis.

25 Retorquetur tamen manifestè vtraque instãtia. Primam quidẽ iam retorserant PP. Carm. n. 66. dicentes ex illa potius augeri, quam minui vires rationis factæ, quia apud omnes Philosophos, & Theologos certũ est speciem impressam non influere per modum ideæ, & exemplaris extrinseci, sed per modum formæ, qua actuatur intellectus: ergo quidquid teneatur de causalitate ideæ, non euaditur vis rationis factæ. Præterquamquod, licet peculiaris causalitas ideę sit formalis extrinseca; tamen ibi interuenit causalitas effectiua, vt diximus 2. p. Met. cõtr. 15. ar. 2. vnde ex hac parte potius exemplum esset pro nobis.

26 Euidentius secũda instantia retorquetur, quia falsum, & hucusq; inauditum est, quod habitus Physicæ cõcurrat solum moraliter ad actũ; sed verè est cõprincipium physicum, quo intellectus elicit actum Physicæ: ergo, si quoad hoc tenet paritas concursus speciei, & habitus; absque dubio species erit principium physicum operationis.

27 Sed obijcitur ex Toleto: id quod est vitale nequit produci à principio non vitali; alioquin non esset proportio inter causam, & effectum; siquidem ille superaret in perfectione suam causam. Sed species impressæ nõ sunt vitales, siquidem non procedunt à principio vitæ, vt in speciebus sensibilibus apparet. Ergo species non concurrũt actiuè ad cognitionem, vel sensationem.

Respondetur primo cum Auersa ad 2. & Aegidio ad 2. & 3. quod actus vitalis nõ potest totaliter elici ab aliquo principio non vitali; bene tamen iubari potest in efficiẽcia à cõprincipio non vitali; ita tamen vt realiter totus ipse actus efficiatur à principio vitali: alioquin neque habitus naturales, vel supernaturales possent cõcurrere ad eliciẽdos actus vitales, cum nõ sint natiui, & ab intrinseco principio.

28 Secundo melius respondetur ex dictis lib. 2. q. 5. n. 32. & 37. cum PP. Carmel. hic. nu. 71. D. Aluarez de Auxil. dis. 64. & M. Bañez. 1. p. q. 79. art. 2. dub. 2. ad 2. quod ratio vitalitatis, vt procedit à potentia naturali, & secundum formam naturalem, est naturalis: ratio verò vitalitaris procedens à potentia secũ

dum virtutem supernaturalem, est supernaturalis. Ita dicimus species habere aliquod vitalitatis genus, quatenus habent ex natura sua vt determinent potentias vitales. Et quia causa coalescens ex duobus principijs, non est necesse vt quodvis ex illis adæquatè contineat effectum ad quē concurrit: sicut operatio intellectus supernaturalis est à potentia naturali, & operatio fidei supernaturalis fit medijs speciebus naturalibus: & tamen absolutè actus dicitur supernaturalis à principio vno supernaturali.

## §. IIII.

## *Qualiter species efficiant?*

29 Dico tertio, species non sunt adæquata, & tota ratio agendi, ita vt sensus, & intellectus merè passiue se habeāt, aut ita vt solum concurrant radicaliter: quia verè influunt actiuè immediatè in operationem sensus, & intellectus. Est cōmunis. Et specialiter eam docēt relati.nu.6. & Bañez.1.p.q.78.art.3. dub.1.concl.1. & q.85.art.2. cōcl. 1.&3. Vazquez.1.p.disp.43.c.4 n. 10. Suarez lib.2.de Attrib.c.12.n. 20.& 1.to.3.p.disp.29.sec.2. in 2. sent. Conimb. Toletus, & Fonseca, quos refert, & sequitur Aegidius à Præsentatione lib.8.p.1.q.3. art.5. citans Scotum in 1.dist.3.q 7.

30 Tenerque S.Tho. 1.p.q.105. art.3.& q.87.art.1. & q.1. de Ver. art.9.& de Virtut.art.3.ad 5. Et loquendo de potentijs sensitiuis, id expressit locis relatis lib.2.q.21.§. 3.vbi id latè ostendimus. Sequitur ex axiomate S.Aug.relato pro prima conclusione; quia *ab obiecto, & potentia paritur notitia*, vtique potētia est causa efficiens notitiæ.

31 Secūdo probatur ex eo quod intelligere, & sentire sunt operationes vitales: quæ sunt radicaliter ab anima, & proximè à potentijs operatiuis actiuis: vt patet ex dictis libro secundo: ergo non ita est concedenda immediata actiuitas speciei, quod negetur potentijs vitalibus sensitiuis, vel intellectiuis.

32 Objcies: nam intellectus est pura potentia, vt docent Phylosophus 3.de Anim.text.5. & S.Tho. 1.p.q.85.art.1.& q.8.de Ver.art.6. Ergo intellectus in genere intelligibili nullam habet vim agendi. Probatur consequentia, primo à paritate materiæ primæ, quæ ideò caret actiuitate in genere entis, quia caret actualitate. Secūdo, quia omnis actiuitas consequitur actum, & formā: ergo si intellectus ex se omni caret actu in genere intelligibili, in hoc genere ex se omni caret actiuitate: ergo tota actiuitas proxima intellectus illi prouenit à specie.

Respondetur intellectum, & sēsum non esse puras potentias in genere rei, quia sunt actus, & qualitates, & virtutes actiuæ ipsius animę: de quo latè Ferrara 3.de Ani.q.4. per totam. Et Toletus.q.9. concl. 1. ait, quod intellectus est denudatus ab omni natura, cuiꝰ primo speciem recipit, & ab omni eo, à quo primo mouetur. Dicuntur autem puræ potentiæ in genere sensitiuo,

vel

vel in genere intelligibili, quia potentiæ in isto genere sunt imperfectæ, donec actuentur formis, & speciebus ad quas sunt in potētia: quæ tamen formæ nec dant primum esse, nec posse simpliciter; sed complent, & determinant virtutem actiuam vitalē. Vnde non tenet quo ad omnia paritas materiæ primæ, & intellectus, vt notant Capreolus in 1. dist. 3. q. 3. art. 2. ad 5. Aureoli contra 1. & Caiet. 1. p. q. 79. art. 2. & latissimè prosequitur Aegidius art. 5. §. 5. & 6. Quia intellectus de se est actᵘ, & forma; & ideò species inuenit in illo actiuitatem, quā cōpleat, & determinet. Nec exemplum de calore tenet in omnibus; sed solū quoad hoc, quod est principium formale, sicut species: sed est proprietas ignis, & qualitas extranea aquæ: quorum neutrum verificatur de specie respectu intellectus, & sensus.

33 Dico quarto, actiuitas conuenit speciebus, non solum vt se tenent ex parte potentiæ; sed etiam vt se tenent ex parte obiecti. Priorem partem manifestè probant authoritates, & rationes adductæ pro prima conclusione, quia illæ potissimè procedunt de specie actuante potentiam; vt sic enim est forma, & actus primus, & principium quo operandi.

34 Maior difficultas est de secunda parte, quam problematicè ad vtramque partem latè tractat Aegidius illa q. 6. toto art. 6. Et pro parte negatiua refert Bañez. 1. p. q. 86. art. 1. dub. 1. ad 2. quatenus speciei tribuit efficientiam; non tamen obiecto. Similiter Lychetus in 1. dist. 3. q. 6. & Herrera in 2. dist. 10. q. 3. not. 4. quatenus negant obiectum vt in specie representatur, efficere; licet species efficiat. Et probatur primo, quia sæpè obiectū non existit: sæpè est ens rationis, vel fictū: ergo obiectum nequit efficere. Secundo, quia multi Theologi obiecto voluntatis omnē denegant efficientiam in voluntatis actum: vt patet ex Henrico Quodlib. 9. q. 5. in fine. Scoto, Capreolo, Cistercien. Gregorio, Gabriele, & alijs in 2. dist. 25. Ferrara. 1. Contrag. c. 44. §. *Circa istam*. Suarez disp. 12. Metaphis. sec. 3. n. 17. Vazquez. 1. 2. disput. 36. c. 3. Ergo pariter idem erit dicendum de obiecto intellectus.

35 Pro parte tamen affirmatiua refert Aegidius Scotum, & eius discipulos in 1. dist. 3 q. 7. lit. u. & q. 6. §. *ad quorum dico*, & Quodlibet. 15. lit. f Suarez, & Molinam; & sex argumenta. Quarum potiissima sunt. Illud axioma S. Augustini, *ex potentia, & obiecto paritur notitia*. Et quia intelligibile, vt tale, mouet intellectū: ergo species vt se tenet ex parte obiecti effectiuè concurrit ad actū intelligendi; non solū quia obiectum effectiue causat speciem: sed quia prout in specie relucet causat intērionaliter.

36 Tertio à paritate, quia multi Theologi obiecto voluntatis efficiētiā tribuūt in eius actū: vt patet in Caiet. 1. p. q. 81. art. 2. §. *in hac dubitatione*. Et 1. p. q. 9. art. 2. & q. 22. a. 2. Soncinate 9. Metaph. q. 11. Durādo in 2. dist. 24. & alijs. ¶ Et deniq; quia vna efficientia alterā non excludit,

cludit, sed infert: quia vna efficientia alteri subordinatur. Et omnia obiecta potentiarum, vt talia sunt, effectiuè influunt in illarum actus. Imò quidquid teneatur de voluntate, cui conuenit motio finalis, id erit affirmandũ de intellecta, cuius obiectũ est verũ mouens vt intelligibile, ac perconsequens effectiuè.

37 Quidquid sit de his argumentis, nos facilius conclusionem explicamus, & probamus, ex prænotatis. n. 16. & 19. quod vnica indiuisibilis efficientia species efficit vt se tenet ex parte potentiæ, & vt se tenet ex parte obiecti: quia efficit vt vnit potentiam obiecto; & est forma potentiam actuans inquantum est obiecti similitudo. Et ideò adhuc illi, qui dixerunt speciem se habere ex parte vtriusque, vel se habere ex parte obiecti potissimè, nõ curarunt seorsum vtramque actiuitatem explicare, quasi supponentes vnam solam efficientiam conuenire speciei, quatenus species est, quia imago obiecti actuans potentiam est simul similitudo obiecti, & conprincipium potentiæ; licet termini habitudinis sint diuersi.

§. V. *Vtrũ species dicenda sint causæ partiales operationis?*

38 Ideo quinto, strictè, & in rigore loquendo, species nõ est causa partialis operationis; sed est principium quo determinans indifferentiam potentiæ, & faciens vnum intelligens perfectum. Late tamẽ, & minus rigorosè voces vsurpando, nil vetat speciẽ causam partialem, vel inadæquatam operationis nuncupare. Sic propono conclusionem, quia video in hoc puncto maiori ex parte posse misceri quæstionem de voce, quæ tota dependeat ex eo quod vnus dicet, his vocibus *causa partialis* hoc significari, & alij id negant: & cum vtroque modo à grauissimis Doctoribus voces vsurpentur: non est dare firmum argumentũ, quo vna, vel altera pars conuincatur.

39 Igitur priorẽ partem probat Bañez 1.p.q.85.art.2. post 2.cõcl. §. *sequitur secundo*, quia tunc aliqua causa dicitur concurrere partialiter ad aliquem effectum, quando vtraque concurrit secundum eãdẽ rationem ad illum effectũ, vt duo trahentes nauim: at quando causæ secundum diuersam rationem, nõ dicuntur concurrere partialiter: sicut ignis, & eius calor non dicũtur concurrere partialiter ad calefaciẽdum: ita pariter concurrunt potentiæ, & species.

40 Per oppositum Scotus in 1. dist. 3. q. 7. §. *qualiter*, & §. *concurrit*, & alij asserunt duas causas eiusdem generis, & ordinis posse verè, & propriè dici partiales, quamuis secundum virtutem specie diuersam cõcurrant; dummodo inter se habeãt aliquam subordinationẽ. Sicut in opinione probabili Medicorum pater, & mater concurrunt actiuè: & tamen Scotus, & Suarez disput. 26. Met. sec. 4. n. 1. & alij frequẽter docent patrem, & matrem esse duas causas partiales prolis genitæ.

41 Exemplum tamẽ hoc non admittunt PP. Carm. hic disp. 18. n. 72. dicentes, quod in generatione hominis masculus, & fœmina concurrunt

runt per modum causæ totalis, quatenus fœmina præstat omnem concursum, qui intra modum concurrendi per modum fœminæ desideratur: & similiter masculus exhibet omnem illum, qui exigitur præstari a masculo: & propterea vtraque causa est totalis. Vnde cum cognitio procedat ab obiecto, & potentia per modũ cuiusdam generationis intentionalis; ideò ab vtroque procedit totaliter in suo genere: & ex vtroq; quasi coalescit vnica ratio agẽdi omnib⁹ modis adæquata.

42 At verò Aegidius illa q.3. distinctione vtitur: nam art.6.n.30. ait, quod semel admissa obiectiua speciei causalitate, cõcurrit partialiter cũ intellectu: quia species ita cõcurrens nõ se habet vt principiũ *quo*; sed vt agens *quod* coassistẽs, & perse subsistens, cui propriũ est agere vt *quod*: vnde cũ se sola nõ agat, partialiter aget. Cæterũ art.7. §.2. ex professo probat, quod species vt se tenet ex parte intellectus, nõ concurrit partialiter vt *quod*, sed solum vt *quo*: quia vt duæ causæ verè, & proprie dicantur partiales, oportet vt neutra sit alteri formalis ratio agendi, vt etiam asserit Scot⁹ illa q.7. §. *vel aliter*, & quod vtraque in suo ordine concurrat vt *quod*: & neutra ab altera habeat intrinseci, seu actiuitatis cõplementũ. Hæc autẽ non reperiuntur in intellectu, & specie: quia species concurrit vt *quo*: & intellectus sine specie nõ habet virtutẽ cõpletam. Ergo, si proprie loquẽdũ est, species concurrit partialiter. Sed vt principiũ *quo* cõstituens cum intellectu vnum intellectiuum, quod supponit pro intellectu, vt actuato per speciem.

43 Aliter distinguit Rub.2 de Anim.c.6.q.2.n.31. dicẽs, quod principia partialia dupliciter se habere possunt: vel modo imperfectissimo, ita vt singula per singulas operationes partiales operẽtur, ex quibus cõponatur vnus influxus totalis: & hoc modo se habent plures portãtes põdus. Alio modo plura principia partialia se possũt habere modo minus perfecto, si perse sint subordinata, & vnũ se habeat vt actus, & aliud vt potẽtia, quæ per aliud determinetur, & perficiatur in ordine ad operationẽ. Et hoc modo se habent potentia, & species: quia nec soli potentiæ, nec soli speciei possunt correspondere omnia prædicata essentialia operationis: eo quod potẽtia est quasi causa vniuersalis; species verò quasi particularis. Et eo ipso quod singulis non potest correspõdere secũdũ omnia sua prædicata; nõ potest modo cõpleto, ac totali singulis attribui; sed incompleto, & partiali.

44 Tẽdẽ Auersa.q.53.sec 8.ad 3. distinguit causas partiales vnius ope operãtes, vt duo luminosa: & causas partiales æquiuoce operãtes, vt potẽtiã, & speciẽ. Et ideo nõ potest nec à sola potẽtia, nec à sola specie effici actus cognitionis secũdũ vltimum gradum, vel partẽ; quia potentia, & species sunt causæ partiales, non eodem modo operantes.

45 Ex tanta Doctorum diuersitate manifestum est, nõ esse hucusq; exploratum, vel diffinitum, nec inter omnes cõstare in significato, vel

vel diffinito causę partialis: quia Bañez exigit debere concurrere secūdum rationem eandē; quod & Rubio fatetur in imperfectissima causa partiali. Quod tamen alij multi negant. Scotus etiam, & AEgidius dicunt obstare partiali concursui, quod vnum se habeat, vt *quo*, & aliud vt *quod*: & tamē Rubio, & Auersa id nō admittunt: cum agnoscant partialitatē cū modo concurrēdi diuerso per modum principij *quo*, & *quod*.

46 Quia igitur voces istæ frequētissimæ sunt in Scholis, ad æquiuocationem vitandam, ex modo loquendi Thomistarum, quos retulimus n.6. & 7. vt eos in aliqualem concordiam redigeremus, placuit duas vocum acceptiones distinguere, vnam rigorosam, & strictam, secundum quod causa partialis significat causam insufficientē eiusdem ordinis, influxu partiali alteri non subordinato operātē. Quod est de mente S. Thomæ lib.4. Contragentes cap.7. vbi docet duos concurrere partialiter, *quando in vtroque est virtus imperfecta*. Et ideò negat Deū, & causas secundas concurrere partialiter, vt patet 3. Cōtrag. cap.70. de quo D. Aluarez lib. 9. de Auxilijs disp.89. immo addit S. Thomas illo cap.70. quod *idem effectus totus attribuitur instrumento, & principali agēti etiam totus*.

Et sic manifestum est speciē non esse causam partialem, quia non agit in eodem genere potētię, ac intellectus, vel sensus; nec habet per se influxum; nec est agens vt *quod*, quia obiectum prout in specie, non est *quod* terminat vltimate; sed est *quo* intellectus agit.

47 Alia acceptio est minus rigorosa, secundum quam causa partialis debet dici omne principium, quod se solo non est adæquatum, & totum, & seipso sufficiens ad effectum. Et in hoc sensu, etiam ipsi Thomistarum Principes, Capreolus, Caietanus, & Soncinas, non renuunt concedere speciem concurrere partialiter: quia non est se sola causa totalis. Et sic debemus loqui, vt quantum possibile est, cum alijs Theologis, & Philosophis in vocabulis conueniamus, quia *loquendum est vt plures*, vt ait Philosophus 1. Topicorum. Et per hanc distinctionem facile eneruantur argumenta, quæ vtrinque congeruntur.

## §. VI.

### *Noua sententia reijcitur.*

48 PRo coronide huius quæstionis excludenda est sententia P. Thomæ Hurtado, qui ex vna parte, vt retulimus n.5. docet, *speciem esse adæquatam rationem agendi*; & tamē minus cōsequenter Controu. 4. de Anima sensitiua membro 10. §.1. pagina 171. asserit intellectum esse causam adæquatam intellectionis, & quod species solum est conditio se tenens ex parte obiecti, determinans per modū intelligibilis in actu primo. Licet actiue concurrat ad speciem expressam, & verbum mentis. Refert Toletum, & Henricum; imo, & Bañez 1.p.q.85.art.2.dub. vnico concluſ.2.

Ratione

49 Ratione probat, quia intellectio nō est qualitas se tenens ex parte obiecti; sed solū se tenet ex parte ipsius potentiæ: ergo concursus in genere causæ efficientis non exigitur essentialiter ad intellectionē. Consequentia est euidēs, quia effectus, qui essētialiter se tenet ex parte potentiæ, solū ab illa essentialiter pendet in genere causæ efficientis.

Confirmatur primo, quia cōcursus obiecti tendit, vt assimilet sibi effectum, qui est partus quidā intētionalis, iuxta S. Thomā 1.p.q.27. art.2. Sed intellectio non est partus ipse; sed solum species expressa, & verbum: ergo species impressa non causat actiue intellectionē; sed solum expressam, quæ totaliter illi assimilatur.

50 Confirmatur secūdo, quia species impressa non est virtus potentiæ, alias implicaret, quod potētia intelligeret sine illa: sed est virtus obiecti. Ergo non concurrit actiuè ad id quod se tenet ex parte potentiæ: sicut nec semē maris concurrit actiue ad id quod se tenet ex parte fœminæ in genere fœtus: sed solū concurrit actiue ad fœtum producendum.

Tertio, quia species intelligibilis est imago formalis obiecti: ergo eius efficientia solum attenditur respectu effectus, quem intendit sibi assimilare in representatione ista. Sed hoc solum est species expressa, & non intellectio, quæ non est formalis similitudo obiecti, vt docet S. Thom. 1.p.q.12.ar.2.

Quarto, quia eundem concursū præstat species intelligibilis creata respectu intellectionis obiecti finiti; ac præstat essentia diuina respectu visionis beatæ. Sed visio beata adæquatè prouenit ab intellectu in formato lumine. Ergo intellectio adæquatè prouenit ab intellectu, & à specie creata solum vt à conditione.

51 Ad authoritates aliquas ex relatis pro nostra secunda conclusione, dicit, non loqui de intellectione, quæ se tenet ex parte intellectus; sed de specie expressa, quæ aliquando appellatur cognitio, vt ait S. Thom. q 4. de Verit. art. 1. ad 1. *Nam accipitur motus pro eo ad quod motus terminatur, ideſt, operatio pro operato, sicut intelligere pro intellecto.*

Ad rationes respondet ad 5. & 6. quod species impressa non est forma constituens in actu primo intellectū ad causamdā intellectionē, quia species nō est virtus potētiæ, & animæ inquantum vitalis; sed solum est virtus obiecti: & ideò concurrit solum ad causandam speciē, & similitudinem expressam.

52 Hæc tamen sententia, licet subtiliter videatur excogitata, vt pleraque alia eruditi Magistri, & fidelissimi Thomistæ, tamen videtur mihi singularis, & falsa. Primum patet, quia Henricus, & Toletus expressè negant species actiue cōcurrere ad sensationē, vel intellectionem; & ad verbum mentis. Bañez vero in ipso loco ab ipso pro se relato, contrarium expressit in ipsa concluſ. Et in 2. ratione concludit. *Ergo est principium actiuum intellectionis.* Ergo vtramque partem huius sententiæ nullus hucusque docuit.

Quod

53 Quod vero prima pars huius sententiæ sit falsa, cōstat ex nostra secunda conclusione, & omnes authoritates expressissime loquuntur de ipsa visione, & intellectione. Et prior ratio S. Thomæ manifeste procedit de ipsa operatione, vt ex ipsis terminis est per se notum.

Nunc solum est impugnandum complexū vtriusque partis; quod mihi videtur nō esse perceptibile: quia forma, quæ est principium *quo* aliquod agēs agit aliquem effectū, est principium *quo* efficiens actionē, qua effectus producitur. Quod patet primo, quia vt dictum est 2. Physicorum, actio est causalitas efficientis: & ideò nequit forma esse principium efficiens effectus, quin sit principium actionis, qua effectus producitur: nam causa effectus est causa causalitatis illius. Secundo id constat inductione in omni productione substantiali, & accidentali: nam intantum forma concurrit actiue ad effectum, inquantum actiue concurrit ad actionem, seu productionem qua fit. Si ergo species impressa est principium *quo* intellectus efficit speciem expressam; non potest non esse principium *quo* efficit intellectionem.

54 Præterea falsū supponit, quod species non se tenear etiam ex parte potētiæ, vt actus, & forma illius, vt patet ex dictis. Deinde verbum mentis essentialiter est vitale per modū termini intrinseci actionis, seu operationis vitalis; & tamē ipse admittit effici à specie nō vitali: ergo pariter posset dicere de operatione. Præterquāquod iam n.26. & 28. duplici solutione satisfecimus illi argumento.

55 Ad eius principale argumentum, posset in primis negari antecedens, quia de specie, de intellectione, & de verbo posset dici quod in suo ordine se tenent ex parte vtriusque, nempe, ex parte potētiæ, & ex parte obiecti: eo quod obiectum vnitur potentiæ media specie in actu primo, media operatione in actu secundo vialiter, & medio verbo, vt termino intrinseco cognitionis. ¶ Secundo respondetur negando consequentiam, quia operatio elicita à potentia, tendēs in obiectum, à quo specificatur, potest, & debet ab vtroque efficiri ab obiecto, & potentia paritur notitia, etiam in sensibus externis, in quibus ipse nobiscum fatetur non produci verbum.

56 Ad primam confirmationē dicitur, quod potentia est principium operationis, & effectus, vt docet S. Thomas 1.p.q.25.ar.1. ad 3. & ideò partus vialiter est ipsa operatio, & terminatiue est verbum: & ideò vtrumque causatur, sicut à potentia, ita à specie; quia potentia actuata per speciem, est principium intellectionis, & verbi. Et est hæc noua ratio contra relatam sententiam.

57 Ad secundam, vel nego antecedens; vel illo concesso, nego cōsequentiam, iuxta dicta ad primū. Et exemplum potius pro nobis vrgetur, quia semen patris actiue non currit, non solum ad filium, sed etiam ad eius formationē, & ad generationem. Ergo pariter species actiue

actiue cõcurrit ad intellectionem, & ad verbum.

58 Ad tertiam concedo antecedens, & nego consequentiam; quia efficientia non est respectu solius effectus; sed etiam respectu actionis qua fit. Et licet in esse imaginis, sola species expressa sit imago impressæ; tamẽ generaliter in ratione causalitatis, & quasi effectionis, in intellectione est assimilatio generaliter sumpta secundum quod modus operationis sequitur formam, qua agens agit.

59 Ad quartum, Bañez (cuius sententiam vt probabilem sustinet Serra 1.p.q.12.art.2. dub. 2. & assertiue multi quos refert. & sequitur AEgidius lib.8.2.p.q.4. art.9.) negat maiorem, & reddit disparitatem, quia essentia diuina est substantia nõ subordinata intellectui, sicut subordinatur species accidentalis inhærens intellectui. ¶ Alij verò Thomistæ communiter, negant minorem, quia visio beata effectiue prouenit ab intellectu, à lumine, & ab essentia diuina vnita per modũ speciei impressę. De quo Nazarius, Albelda, Carmelitani, Ioannes à S. Thoma, & alij. 1.p.q.12.art.2. Vnde potius argumentum posset contra obijcientem retorqueri, ex Ferrara 3. Contrag. c.54. rat.6. ad 1.

## QVAESTIO. XII.

*Vtrum sensus externi, & interni formẽt idolum, siue speciem expressam?*

1 SEnsus externos formare idolũ, seu expressam speciem, similẽ suo modo verbo mentis (de quo agemus infra q. 18.) opinantur Aureolus in Prologo sententiarum pag. 26. Conimb. 3. de Anima cap. 8. q. 3. art. 4. ad 5. Molina 1.p.q.27. ar. 1. disp. 8. mẽb. 3. §. *petes*. Et mẽbr. 4. ad 2. Fasolus ibi dub. 13. n. 264. & Suarez lib. 3. de Anima cap. 5. n. 4. & n. 23. docens sensus exteriores formare aliquid proportionale verbo: quod modaliter tãtum ab operatione distinguitur: quia omnis actio immanens debet habere terminum productum.

2 Conclusio tamen sit, quod sensus externi non formant sibi idolũ, seu speciem expressam; bene tamẽ interni sensus; præcipue imaginatiua, & æstimatiua. Ita Capreolus in 1. dist. 27. q. 2. Ferrara 1. Contrag. cap. 53. §. *Ad euidentiam*, & ad 1. Bañez, Zumel, Nazarius, & alij Thomistæ 1.p.q.27.art.1. Ioan. à S. Thoma de Anima q.6.art.4. & q. 8. articulo 4. dific. 2. Thomas Hurtado de Anima sensitiua contr. 1. memb. 3. §. 3. & alij.

3 Est expressa S. Thomæ Quodlib. 5. art. 9. ad 2. vbi ait, *quod cognitio sensus exterioris perficitur per solam immutationem sensus à sensibili: vnde per formam, quæ sibi a sensibili imprimitur, sentit. Non autem ipse sensus exterior format sibi aliquam formam sensibilem. Hoc autem facit vis imaginatiua: cuius formæ quo dammodo simile est verbum intellectus.* Et Quodl. 8. art. 3. & 1.p.q.27. artic. 5. & q. 85. art. 2. ad 3. In his locis non negat S. Thomas sensus externos vitaliter operari; cum id affirmet locis relatis libro. 2. q. 21. §. 3. Sed solum docet quod externi nõ formant

formant verbum, secus vero interni. Vnde in Quodlib.8.art.3.ait: *Sẽsus autem exteriores suscipiunt tantum à rebus per modum patiendi, sine hoc quod aliquid cooperentur ad sui formationem: quamuis iam formati, habeant propriam operationẽ, quæ est iudiciũ de proprijs obiectis.*

4 Quod autẽ imaginatio formet verbum probat S.Thomas 1.Contrag.cap.53.quia potentia quæ potest indifferẽter cognoscere absẽs, & præsens, format verbum, vt terminum intrinsecum suæ cognitionis, vt latius dicemus agẽdo de verbo mentis. Sed ostẽdimus supra q. 3.& 4.quod phantasia, & quædam aliæ internæ potentiæ indifferẽter attingũt res præsentes, & absentes: ergo istæ potentiæ formant speciẽ expressam. Quod & docet S.Augustinus lib.9.de Trin.cap.11.

5 Sensus vero externos non formare idolum, seu speciem expressam, cõstat primo experientia, quia null⁹ experitur in se huiusmodi idola externa; cum tamen ea experiamur in somnis internis sensibus. Secundo, nam sequeretur, quod ab eũdem sensibilibus, possemus naturaliter permanere in notitia externa illorum: cuius cõtrarium experimur, & docet Phylo.2.de Ani. tex.60.sequela patet, quia in absẽtia obiecti species expressa esset ratio proxima interna terminans sensationem.

6 Tertio, quia sẽsatio externa est omniũ infima, & ideò tẽdit ad obiectũ secũdũ esse reale. Rursus, quia cognitio experimẽtalis debet resolui in sensũ attingẽtem rẽ in se sine imagine à sensu formata. Denique, quia sensus ifti specificantur ab ipsis obiectis secundum esse reale; & ideò omnis illorum notitia pendet à physica existẽtia obiecti. Quas rationes alij latius ponderant: videãtur quæ diximus lib.2.q.23.& lib.3.q.6.§.3.

7 Ad argumẽtum in contrarium insinuatum, dicimus quod omnis operatio debet habere terminum, quem respiciat; nõ vero semper habet terminũ, quem faciat: *Sicut audire, & videre* (inquit S.Thomas lib.1.Cõtrag.cap.100.) *huiusmodi enim perfectiones sunt eorum, quorum sunt operationes: & possunt esse vltimum, quia non ordinantur ad aliquod factum, quod sit finis.* De quo redibit sermo tractãdo de operatione intellectus, & hic late exponitur à M.F.Ioan.a S.Thoma ad 1.

8 Præterea obijcies: quia *sensus in actu est sensibile in actu*, vt docet Phyl.2.de Ani. *quia ex vtroque fit vnum sicut ex actu, & potentia*, vt ait S.Tho.1.p.q.55.art.1.ad 2.quia immaterialiori modo vnitur illi, quam aliæ causæ vniantur cum suis terminis. Sed sensus non vniũtur obiectis, inquãtum sunt extra ipsam potentiam: quia appetitus fertur in rem prout est à parte rei, & intellectus, & sensus trahunt res ad se: ergo vniuntur illis prout in specie, sed in specie impressa sunt solum in actu primo: ergo debent formare speciem expressam, vt sint vnita cũ obiectis in actu secundo.

Respondetur, quod media specie impressa sensus fit in actu primo ipsum sensibile, & in actu secundo mediante

mediante operatione, qua vitaliter iudicat de sẽsibili representato per speciem: sed isti sensus, propter suã materialitatem, non pertingunt ad tam immaterialem, & intimã vnionem, quod in actu secundo habeãt ad intra suum obiectum secũdum esse intentionale per modum termini operationis: quia potius ista terminatur ad rẽ ad extra, quia infimum gradum tenet in sensatione, & affinitatem habet cum modo operandi non cognoscẽtium. Aliã solutionem tradit Thomas Hurtado solut. ad 5. & in illo aliorum argumẽtorum solutiones videri possunt.

## QVAESTIO XIII.

*Vtrum Phylosophus, & S. Thomas recte demonstrent animæ nostræ spiritualitatem? Ex eo quod cognoscit omnia corporea?*

1 OMnia hucusque de internis sẽsibus tradita, sunt quasi præambula tractatus potissimi huius tertij libri de Anima rationali, & eius potẽtijs, & actibus; & ideò absolutis quæstionibus de internis sensibus, tam sequitur differendum de ipsa anima. Sed quia de modo informandi corpus, & de nonnullis alijs quæstionibus, iã egimus libro secundo; ideò duæ tantum determinandæ restant, altera de spiritualitate, alia vero de immortalitate animæ. Cæterum cum ibi q. 9. n. 5. iam adductæ sint aliquæ, ex multis authoritatibus, ex quibus constat nostram rationalem animam esse in sua entitate spiritualem; nunc id supponẽdo, phylosophicam rationem examinare curamus.

### §. I.

### *Status quæstionis.*

2 EX doctrina S. Thomæ plures demonstrationes adduci possent: nam lib. 2. Cõtrag. cap. 49. demõstrat octo rationibus, quod substantia intellectualis nõ est corpus: quarum plures, etiam procedũt de anima nostra. Quinque etiam rationes S. Thomæ, quibus lib. 2. Cõtra gentes cap. 66. demonstrat intellectum differre à sensu, facilè ad intẽtum applicari possunt: & similiter illæ, quibus ibi capite 67. probat intellectum differre ab imaginatione. Quia intellectus est cognoscitiuus vniuersalium, & cognoscit in corporalia, & reflectitur supra suũ actum; & non corrumpitur ab excellẽtia intelligibilis: hęc enim omnia, & similia, manifeste conuincũt intellectum esse spiritualem; ac per consequens animam, cuius est potentia, non esse corporeã, sed spiritualem.

3 Quia tamen Phylosophus secundo de Anima text. 104. & Sanctus Thomas lectione. 21. litt. e. & lectione. 23. littera. e. & lectione 18. lit. a. & latius lib. 3. textu 4. lec. 7. lit. c. probant principium intellectiuum esse immixtum, seu animã esse

eſſe ſpiritualem, *vt cognoſcat: intus enim apparens, prohibet extraneum, & obſtruet.* Ideò hæc ratio eſt diligentius explananda: quia vt ait Caietanus 1.p.q.75.art.2.§. *Si autem. Princeps Philoſophorum ſuper hac propoſitione ſtabiliuit ſuam de anima doctrinam.* Et idē Caietanus lib. 3. de Anima cap. 1. textu 3.§. *Circa hunc vltimum*, propoſitionem eandem vocat *radicem totius doctrinæ peripatheticæ quoad naturā ſenſus, & intellectus, & organorum.*

4 Axioma tamen hoc non probāt Antonius Andreas 7. Metaph. & Suarez lib.1.de Anima cap.9.n. 24.tribus argumentis probans diſcurſum Ariſtotelis difficilem eſſe. Primo, quia intellectus intelligit ſpiritualia, & non eſt denudatus à ſpiritualitate. Reſpōdere vero, maximam intelligendam in ſolis potētijs corporeis: eſt petere principiū, & aſſumere, quod probandum eſt: vel ad aliud principium recurrere.

Secundo, quia de facto dari poteſt potētia materialis, quæ omnia corpora poſsit cognoſcere: quia nullum aliud obiectum adæquatū poteſt aſsignari cogitatiuę; vel ſenſui interiori (ſi eſt vnus tantum realiter) niſi corpus, ſeu materiale obiectum cognoſcibile: ergo poſſe cognoſcere omnia corpora, non tranſcendit capacitatem, & perfectionem poſsibilem corporali potētiæ cognoſcitiuæ. Nō ergo ex iſto principio infertur ſpiritualitas intellectus, & animæ.

5 Tertio deficit diſcurſus, quia maxima ſolum procedit in ſenſibꝰ externis, qui per medium externū immutātur, propter ſpecialem cōditionem eorum, vt late proſequitur lib.3.cap.2.n.30.vſque 33. vnde libro 1. illo cap.9.n.32. concludit, quod ratio Phyloſ. non eſt demōſtratio, nec caret difficultatibꝰ. Et vis eius nō conſiſtit in eo, quod cognoſcat omnia corpora: ſed cōſiſtit in modo cognoſcendi corpora intime penetrando. Itemque in modo cognoſcendi non tātum ſingula indiuidua, ſed etiam vniuerſales eorum rationes, præſcindendo, & ſpirituali modo illud cognoſcēdo, vt probat S. Thom. 2. Contrag. cap.66.

6 Hęc tamen explicatio, non eſt rationis Phyloſophi defenſio: ſed illa relicta, propter argumenta iā à D.Th. & Diſcipulis eiꝰ ſoluta; ad alias rationes S. Thom. fit recurſus: quas quidē efficaces eſſe fatemur; ſed de illarum efficacia modò non diſputamus, ſed inquirimus de veritate, & ſenſu prædicti axiomatis; & quantum valeat aſſumptum pro medio ad inferendam animæ ſpiritualitatem?

7 Igitur pro claritate rationis prę dictæ, primo exponēdus eſt ſenſus prædicti axiomatis. Secundo rationes illius ſunt aſsignandę. Tertio limitationes illius ſunt declarandæ, & argumēta diluenda. Quarto ſubſumendum eſt, iuxta ſubiectam materiam, quo ſenſu aliis propoſitionibus adiunctum, concluſionem intentam inferat.

§.2.

## §. II.

### *Exponitur, & probatur, quod intus existens prohibet extraneum.*

8 CIrca primum, notandū, quod trib⁹ modis potest aliquid intra potentiam esse: vel physicè, & naturaliter: sicut partes potentiæ, vel habitus ei inhærentes, vel ei cō naturales qualitates: vel intētionaliter in actu primo per speciem: vel denique intentionaliter in actu secundo per operationem. Et tribus modis prædictis exponitur axioma: nam Albertinus tom.1. q.14. Theologica ex 1. princ. nu.10. & 11. dicit, quod intus existens subiectiuè, prohibet extraneū. Auerrois verò 3. de Anima cō.4. interpretatur de receptione per speciem intētionalē. Et fauet textus Phylos. iuxta translationē Sophiani, in qua dicitur: *Nam species se offerens impedimēto est alieno.* Cæterum S. Tho. lec.7. lit.c. exponit de receptione per actualem cognitionem. Quæ expositio non est contraria secundæ, sed eam extendens, quia receptio intētionalis consumatur, & perficitur actu secundo cognitionis.

9 Et sic Philosophū intelligēdū, constat ex contextu, & ex Caietano vbi supra, & Ferrar. 2. Contrag. c.98. post 4. conc. §. *sed videtur*: quia fortasis nō repugnat, quod aliquid habeat aliquam vnius naturæ, aut vnius generis speciem, & tamen sit receptiuum aliarum specierū illius naturæ secundum esse intētionale: sicut per vitrum viride videntur alia colorata; licet non videantur distinctè, & perfectè. Et rursus, impossibile est, quod idē intellect⁹ simul perficiatur diuersis speciebus intelligibilibus ad intelligendum diuersa in actu, vt docet S. Th. 1. p. q. 85. ar. 4. & 1. Contrag. c. 55. licet in actu primo plures species sint in intellectu.

10 Præterea aduertēdum, quod M. Lorca in manuscriptis 3. de Anima q. 3. arbitratur prędictū axioma esse diuersum ab illo: *Recipens debet esse denudatū a natura recepti*: quia ista axiomata, quamuis similia, sunt diuersa, quia diuersis nituntur fundamentis: siquidem secundum axioma solum dicit, quod potentia receptiua act⁹ debet carere actu quē recipit: non verò asserit, quod careat omni actu eiusdem generis; quod asserit aliud axioma *intus existens prohibet extraneū*. Rursus secūdū axioma fundatur in eo quod act⁹, & potētia sunt oppositā: quod ad aliud axioma non assumitur. Vnde primū axioma nihil deseruit ad explicādū, aut fundandū secundum.

11 Merito tamē hoc impugnat P. Tho. Hurt. controu. 1. de ani. sens. mēb. 3. §. 1. quia axioma primū fundatur in secundo, & istō illiús veritas cōprobatur: vt patet ex D. Th. illa lec. 7. litt. c. hic arguente. *Omne quod est in potētia ad aliquid, & receptiuū eius, caret eo ad quod est in potentia, & cuius est receptiuū: sicut pupilla, quæ est in potentia ad colores, & est receptiua ipsorū, est carens omni colore.* Præterquam quod, nā quod receptiuū careat actu, quod potest recipere, prouenit ex natura actus, & potentiæ, vt sumitur ex Phyl. 2. de Ani. text. 118.

Vnde axiomata habeat fundamenta communia, & similes expositiones admittunt.

12 Circa secundum, causa, seu ratio, illius axiomatis, extendēdo ad receptionē physicā, assignatur ex determinatione vtriusq; quia determinatum ex se ad certam naturam in actu, non potest ad alias naturas determinari. Vnde Auerrois 1.Phyūc.cō.63.docet, quod si materia prima haberet ex natura sua aliquam formam, nō reciperet omnes formas: & similiter, si haberet aliquam priuationē, non reciperet omnes priuationes. Ac perconsequens fundatur explicatio axiomatis in natura, & oppositione actus, & potentiæ.

13 Specialiter propositionē exponendo de receptione intentionali per speciē, & cognitionē, docet Ferrara, quod fundatur super experientia: videmus enim in rebꝰ materialibus, quod si aliquid actu ab aliquo sensu cognoscatur, pro tunc non potest aliud sensibile à tali potentia distinctè, & cōplete cognosci: hoc enim patet per singulos sensus discurrendo.

14 Rationē autem radicalē propositionis vniuersaliter sumptæ, assignat Caiet.3.de Ani.c.1.§. *ad euidentiam*, ex natura actus, & potētię: potētiam enim oportet esse determinabilem per actum: vnde naturā potentiæ oportet esse talem, vt sit determinabilis per omnes suos actus: ac per hoc quidquid repugnat determinabilitati per omnes actus alicuius generis, vel simpliciter, repugnat naturæ potentiæ illius generis, vel simpliciter. Et quoniam actus est qui determinat; cōsequēs est, quod omnis actus indeterminabilis per aliū, repugnat naturæ potentiæ ad illum. Ex quo prouenit, quod non omnis actus repugnat naturæ cuilibet potētiæ; sed tantum ille, qui est intermi nabilis per formas receptibiles in tali potētia. Vnde naturæ receptiuæ colorum non repugnat actus diaphaneitatis, quia ista est determinabilis per colores: & similiter receptiuo formarum sēsitiuarum non repugnat actus vegetatiuus; quoniam vegetatiuum determinabile est per omnes differentias sensitiuè: & latitudo est in indeterminibilitate receptiuorum. Duas alias rationes applicationis huius axiomatis ad intentū, postea n.26. & 27. referemus ex eodē Caietano.

## §. III.

### *Expositio maximæ, & argumentorum solutio.*

15 QVoad tertium, S. Th.q.22. de Verit. art.1. ad 8. ait, quod in apprehensiuis potentijs nō semper hoc est verū, quod potētia denudetur totaliter à specie sui obiecti: hoc enim fallit in illis potentijs, quæ habēt obiectū vniuersale: sicut intellectus, cuiꝰ obiectum est quidditas, cum tamen habeat quid ditatē: oportet tamen quod sit denudatus à formis illis quas recipit. Fallit etiam in tactu, propter hoc, quod si habeat specialia obiecta; sunt tamē de necessitate animalis. Vnde organum eius nō potest esse omnino absque calido, & frigido.

Est

Est tamē quodammodo præter calidum, & frigidum, inquantum est medie complexionatum: medium autē neutrum extremorū est. Hæc S. Tho. Sed de sensu tactus recolantur quæ dixim⁹ lib.2.q.36.n.11. & 12. Vnde Caiet.cap.1.ad 2. docet, quod formaliter loquendo, regula tenet in sensu tactus; quia sicut non est in potentia ad discernendas qualitates tangibiles absolutè, sed ad discernendas eas vt recedentes à medio; ita non est denudatus à qualitatibus tangibilibus absolutè, sed ab eis vt recedunt à medio: & sicut quoad esse est in potētia ad vtrūq; extremum; ita in discernendo nō impeditur à discretione extremorum, ex hoc quod habet in suo organo naturam medij. De priori autem limitatione videndus Ferrara illo c.98. & 3.de Ani.q.4. ad 1.

16 Aliam limitationem, seu potius expositionē axiomatis formalē, tradunt Caiet. & Ferr. eisdē locis, quod intelligatur de primo, & perse receptiuo, quia de receptibili per accidens, & consecutiuè non oportet verificari. Et propterea nō oportet visum esse denudatū à quali, sed à colorato, quia non est perse primo receptiuus qualitatis, sed coloris: nō enim recipit qualitatē, nisi inquantum est in colore: natura enim non ideò fecit potentiam visiuā, vt posit qualificari, cum ipsa iam sit qualis; sed vt posit intētiones coloris recipere intentionaliter; & sic de alijs, tam in potētijs animatis, quam inanimatis.

17 Per quæ cessant argumēta Suarez. Primum sibi obiecerat S. Tho. 1.p.q.56.ar.2.ad 1. cuius solutionē subtiliter declarat Ferr.c.citato.§. *quantū ad secundū*, tandē concludēs, quod vult S.Tho. negare cōsequētiam, quia non est eadē ratio de naturis sensibilibus, & de naturis spiritualib⁹. In naturis enim dumtaxat materialibus, propter earum materialitatē, & distantiā, habet veritatē, quod intus apparēs prohibet extranei cognitionē; non autē in naturis spiritualibus, in quibus est distinctio solū secundū eiusdē perfectionis gradū. ¶ Potest præterea responderi, quod axioma fallit in potentijs, quarum adæquatū obiectū est cōmunissimum, & ad omnia se extendens: iuxta verba S.Tho. illa solut.ad 8.

18 Rursus respondet Caiet.1.p. q.56.art.2.§. *quoad primum*, & cū eo cōmuniter Thomistæ, quod est dispar ratio, quia Angel⁹, & anima sūt naturæ cognoscitiuæ; ac proinde determinabiles per aliarum naturarū species intētionales, propter suā immaterialitatem: vnde quod sint cognoscibilia, non tollit quod sint cognoscitiua. Si verò in corporalibus, vel in sensitiuis immersis materiæ, esset aliquid intus existens, etiā intētionaliter, impediret aliorum cognitionem. ¶ Alia solutio sumitur ex Capr.in 1.dist.3.q.3.quē refert, & sequitur Tol.3.de Ani.q.9. conc.1.in fine.§. *hoc dubiū*. Et sol.ad 2. loquendo de intellectu nostro, ait, quod non intelligit se directè, sed indirectè, & per speciē alterius. Vnde non oportet vt denudetur à seipso; sed ab illius natura, à qua speciē recipit propriā. Videatur S. Th. 1.p.q.87.a.1.

19 Ad secundum pariter respõdent Caiet.1.p.q.75.art.2. §.*ad hoc breuiter*, & Bañez ibi dub.2.ad 3. & Hurt.vbi sup.ad 2.quod si admitta tur cogitatiuã cognoscere omnia corpora,id non habet ex proprijs, sed ex affinitate ad intellectũ:sicut libro isto supra diximus ex D. Th. 1.p.q.78.a.4.ad 5.quod ex affinitate istã reminiscẽtia recogitat,& cogitatiua cõponit. Verius tamẽ est, quod cogitatiua nõ cognoscit vniuersaliter omnia corpora;nec cognoscit nisi sensibilia:& naturas corporum cognoscere solius est intellectus.

20 Ad tertiũ dicitur,quod rationes allatę proportionaliter militãt in omnibus potentijs receptiuis: quid autẽ speciale habeat intellectus? Iam pergimus explanare.

## §. IIII.

### *Deducitur spiritualitas animæ.*

21 QVoad quartũ,& vltimũ,bene aduertit Caiet. hoc 3. lib.c.1.text.4. §.*verum radix*, quod vt maxima vniuersalis applicetur intento,nõ debet manere in sua generalitate,sed debet accipi de receptione discretiua,& cognoscitiua: vnumquodque enim recipitur ad modũ recipientis, & illius sapit conditiones: oportet enim actus, & potentiæ, recepti, & recipientis in natura cognoscitiua,cõditiones secundũ naturã illam cognoscitiuã inueniri:sicut rationes genericę determinãtur secundũ rationes differentiales;sicut animal in homine inuenitur secundũ naturã hominis,& in equo secundũ naturã æqui.Quia ergo natura cognoscitiua est in potentia receptiua cognoscendi,& iudicandi;consequẽs est,quod potẽtia cognoscitiua sit talis, quod sit determinabilis per omnes à se cognoscibiles actus: & sic ille solus actus potentiæ cognoscitiuæ repugnat,qui indeterminabilis est per alios. Ac per hoc,si intellect⁹ est cognoscitiu⁹ in potentia omniũ corporeorũ;& nullũ corporeũ est determinabile cognoscibiliter per omnia corporea; oportet quod anima,& intellectus sint nullius naturæ corporeæ.

22 Pro quo vlterius notandũ, ex eodem Caiet.1.p.q.75.ar.2.& Bañez ibi dub.2. & PP.Carmelit. hic disput.16.q.1.§.5.& 6. quod licet quælibet res creata sit determinatæ naturæ quantum ad esse specificum, & indiuiduale; tamen cum cognoscentia nata sint recipere aliorum formas, & quodammodo fieri alia,vt iam supra dictum est q. 9. ideò non omnia habent eandem determinationem: nam color est naturæ ita determinatæ,vt nõ possit recipere species aliorum colorum; diaphanum verò est susceptiuum specierum.

23 Tertio animaduertere oportet ex eisdem,quod hæc indeterminatio,& receptibilitas,& capacitas essendi alia,habet latitudinẽ, secũdũ quod naturæ cognoscitiuæ sũt perfectiores,& immaterialiores,& maioris capacitatis: nam si sint corporeæ,indeterminatio est secundũ quid,quia potest recipere species si

nõ

nè materia, sed cum conditionibus materialibus individuātibus: at vero si sit incorporea, & immaterialis natura, recipit omnia simpliciter, quia recipit vniuersalia, & abstrahēdo à singularibus, & propter suam immaterialitatē omnia penetrat, & intimè cognoscit. Et quantū ad hoc nobiscum conuenit Suarez; nisi quod vt subsumptam propositionem defenderet, maiorem rationis negauit: quā tamē iam ostendimus.

24 Et minorem istam latè explicat S. Thom. q. 2. de Veritate ar. 2. dicens. Perfectio autem vnius rei in altera esse non potest secundum determinatum esse, quod habebat in re illa: & ideò ad hoc quod nata sit esse in re altera, oportet eam cōsiderare absque his, quæ nata sunt eam determinare. Et quia formæ, & perfectiones rerum per materiā determinantur; inde est, quod secūdum hoc est aliqua res cognoscibilis, secundum quod à materia separatur. Et infra. Et ideò videmus, quod secundum ordinem immaterialitatis in rebus, secūdum hoc in eis natura cognitionis inuenitur. Plantæ enim, & alia, quæ infra plantas sunt, nihil immaterialiter possunt recipere: & ideo omni cognitione priuantur, vt patet 2. de Anima. Sensus autem recipit species sine materia; sed tamen cum conditionibus materialibus. Intellectus autem etiam à conditionibus materialibus species depuratas recipit. Idem docet S. Tho. 1. p. q. 14. ar. 2. & sæpissimè alibi.

25 Ad intentumque applicat S. Tho. 1. p. q. 7[illegible] art. 2. dicens. Omne autem corpus habet aliquam naturam determinatam; impossibile est enim, quod principium intellectuale sit corpus. Eiusque expositionē ad mentem Phylosophi 3. de Anima, patet ex D. Tho. ibi lec. 7. lit. c. dicente. Concludit autem ex hoc, quod non contingit naturam intellectus esse, *neque vnam*, ideſt, nullam determinatam: sed hanc solam naturam habet, quod est possibilis respectu omnium. Et hoc quidem cōtingit intellectui, quia non est cognoscitiuus tantum vnius generis sēsibilium, sicut visus, vel auditus; vel omnium qualitatum, & accidentiū sensibilium, cōmuniū, vel propriorum; *sed vniuersaliter totius naturæ sensibilis*. Ergo iuxta S. Thomæ expositionem, habetur differentia inter sensus internos, & intellectū, quod solus intellectus immaterialis valet totam naturam corpoream intelligere vniuersaliter. Vnde concludit Caietanus, quod Aristotelis ex propriis physicam de anima tradens, non assumpsit actum, & potētiam in cōmuni; neque etiam recipiens, & receptum in cōmuni; sed vtraque contracta, & determinata ad cognoscitiuas naturas, dicens; *imus apparēs*: apparere enim in rigore solum est respectu cognoscētiū.

26 Rationes autem axiomatis sic expositi duas tradit Caietanus, ex D. Tho. & ex vtroque omnes cōiberunt, vt notat Thomas Hurtado dicto §. 1. in fine. Altera habetur. 1. p. q. 56. art. 2. §. *quoad primum*: nam cognoscens, in tantū est capax cognoscendi, in quantum est determinabilis per formas aliorum; non so-

lum in actu primo; sed etiam in actu secundo cognitionis; si intus haberet aliquam formã, quæ vltimatè determinet, ita vt non relinquat amplius determinabilem per alias formas, & operationes; absque dubio non poterit alia cognoscere. Et hoc est quod inquit S. Tho. illa lec.7. Sic etiam intellectus, si haberet aliquam naturam determinatã; illa natura connaturalis sibi, prohiberet eum à cognitione aliarum naturarum. Et hoc est quod dicit Philosophus: *Intus enim apparens prohibebit cognoscere extraneum, & obstruet*, id est, impediet intellectum, & quodã modo velabit, & concludet ab inspectione aliorum. Et appellat *intus apparens*, aliquid intrinsecum connaturale intellectui, quod dum ei appareret semper, impediretur intellectus ab intelligendo alia: sicut diceremus, quod humor amarus esset intus apparens linguæ febricitãtis. Hæc S. Thomas.

27 Rursus id declarat ipse S. Th. 1.p.q.75.art.2.vbi Caiet. 9. *si autem*, causam assignat dicens. Si in cognoscitiuo aliquo intus est solũ aliquod determinatum obiectum: ergo specificat aliquam illius cognoscitiui cognitionem, ita quod non omnem. Et quia intus est in natura cognoscitiui: ergo specificat omnem illius cognitionem. Et quia ab intrinseco essentiali nulla operatio potest subterfugere: & rursus, quia determinatum est: ergo non determinabile per alia obiecta. Et quia intus; ergo determinabile per alia; quia ipsa natura cognoscitiui per omnia sua obiecta est determinabilis. Vnde si Geometria sola, aut eius obiectum, esset de essentia animæ (vel eius cognitio esset intrinseca, & connaturalis intellectui, vt ex D. Tho. diximus) sequeretur, quod omnis cognitio animæ esset geometrica, & quod vna anima non esset aliorum discretiua: & vlterius, esset anima, & non esset anima, vt patet. Et ita est in alijs cognoscitiuis, tam intellectuali, quam sensitiua cognitione. Ergo ex cognitione naturarum omnium corporum bene deducunt Philosophus, & S. Thomas spiritualitatem animæ.

## QVAESTIO XIIII.

### *Vtrum anima rationalis sit immortalis?*

1 TRia sunt, quæ explicari debent, vt huic quæstioni satisfiat. Alterum, quid circa hoc proponat fides catholica? Aliud, quid ratio naturalis demonstret? Tertio videndum, quid circa hanc quæstionẽ senserit Aristotelis? Et licet omnia illa sint scitu dignissima; tamen breuiter præstringẽda, quia innumeri fere sunt, qui de his abundantissimè scripserunt.

2 Supponimus autem cum S. Anselmo de casu diaboli cap.12. & D. Thoma.1.p.q.9.art.2. quod mutabile potest aliquid dici dupliciter. Vno modo per potentiam, quæ in ipso est. Alio modo per potẽtiam, quæ in altero est. Vel alijs terminis, mutabile per potentiam intrinsecam, quæ est in creatura vt non sit; vel per solam potentiam extrinsecam,

secam, quæ est in Deo, vt substrahē do cōcursum omnia in nihilum redigat; vt docet S. Augustin. 4. de Genesi ad litt. cap. 12. Pariter distinguit S. Thom. 1 p. q. 75. art. 6. ad 2. quod incorruptibile dicitur dupliciter: *nam dicitur aliquid corruptibile per hoc quod inest ei potentia ad non esse.* Na n ab intrinseco dicūtur corruptibilia, quæ componuntur ex contrarijs; vt homines, & plantæ, & reliqua sublunaria; corruptibilia verò solum ab extrinseco sunt omnia creata, quia ex nihilo facta, in nihilum possunt redire per potentiam actiuam Dei: & hoc modo Cæli, & Angeli possunt annihilari; quamuis ab intrinseco sint incorruptibilia. Nulli dubium, quod animas rationales Deus valet annihilare, quia ex nihilo sunt creatæ; quare solum est quæstio, an à principijs intrinsecis habeant durare, etiam post mortē hominis, quæ consistit in separatione animæ à corpore?

## §. I.

## *Quid credendum sit fide Catholica?*

3 ANimam rationalem esse mortalem, & post mortem hominis non amplius perseuerare, tenuerunt Epicurus, & Plinius lib. 7. cap. 55. & Alexāder in libris de Anima, & Arato, & Zeno, vt refert S. Aug. de Spiritu, & lit. cap. 48. & Hermanus hæreticus Holandus, vt refert Castro verbo *anima* hæresi. 7. post Bernardum Lucemburgensem.

4 Dico primo, est certum secundum fidem catholicam animam rationalem in æternum duraturam. Probatur primo ex sacra Scriptura in veteri testamento Eccles. 12. *Et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* Sapientiæ 3. *Iustorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis.* Cap. 5. *Iusti autem in perpetuum viuent.* Lib. 2. Machab. 12. *Quia considerabat, quod hi qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam.*

Secundo constat ex nouo testamento Matth. 10. *Animam autem nō possunt occidere.* Luc. 23. *Hodie mecū eris in Paradiso.* Et 1. ad Corinth. 15. vt magnum absurdum infert Apostolus. *Ergo qui dormierunt in Christo, perierunt.* Matth. 16. *Qui odit animā suā in hoc mundo, in vitam æternam custodiet eam.* Cap. 25. *Ibunt iusti in vitam æternam.* Et alibi. Vnde S. Tho. 2. Contrag. cap. 79. in fine ait. *Infinitæ etiam sunt authoritates Sacræ Scripturæ quæ immortalitatem animæ protestantur.*

Tertio id definiunt Concilium Vienense sub Clemēte V. habetur de Summa Trin. §. *porrò.* Et Concilium Lateran. sub Leone X. sess. 8.

5 Quarto vt fidei veritatem tradunt Sancti Patres: nempe S. Augustinus epist. 3. ad Volusianum ait: *Quis nūc est extremus idiota, vel quæ abiecta muliercula, quæ non credat animæ immortalitatem?* Et tract. 23. & 47. in Ioan. S. Ambrosius lib. de bono mortis cap. 9. & 10. S. Chrisost. hom. 4. de Prou. Aliorum catalogus, & verba habentur apud diligentissimum Coccium in Thesauro 2. p. lib. 1. ar. 2. Videatur Soto in 4. dist. 43. q. 1. art. 1. & Bañez. 1. p. q. 75. ar. 6. dub. 1.

1.concl.1.in fine, dicēs viros sapiētissimos, & pios hanc conclusionē cōputare inter articulos fidei, quoniam secluſa animæ immortalitate, non possumus credere duos vltimos articulos, qui continentur in Symbolo, scilicet, *carnis resurrectionem, & vitam æternam.*

6 Sed obijcitur illud Ecclesiastes 3.ver.19. *Vnus interitus est hominis, & iumentorum,* &c. *Et nihil habet homo iumento amplius,* &c. *Quis nouit si spiritus filiorum Adam ascendit sursum; & si spiritus iumentorū descendat deorsum?* Sed animæ brutorum animalium sunt mortales: quia dicitur Genes.9. *Anima ipsorum in sanguine est.* Et Genes.1. dicitur, *producat terra animam viuentem*: & ita tam corruptibiles sunt ac animæ arborum: vt probat S. Thom.2.Contrag.c.82. Ergo & animæ rationales sunt mortales.

Respondent bene S.Gregorius 4. Dialogorum cap.4. & S.Tho.1.p. q.75.art.6.ad 1. & Expositores cōmuniter, quod Salomon inducit rationem illam ex persona insipientium; vt exprimitur Sapient.2. Et ideò *similis est interitus*, quantum ad corpus, sed non quantum ad animam.

7 Nec obstat, quod S.Hieronymus dicat Salomonem ibi loqui ex propria sententia, quia ipse S.Doctor declarat hoc nō obstare catholicæ veritati, vt notat Serra.1.p.q.75.art.6.ad 1. nam verba S.Hieronymi sunt. *Hoc autem dicit, non quod animam putet perire cum corpore* Et infra. *Non inter pecudes, & hominem secūdum animæ dignitatem nihil interesse contenait. sed adijcīdo,* quis, *difficultatem rei voluit demonstrare: pronomen enim,* quis, *in Scripturis Sanctis, non pro impossibili, sed pro difficili semper accipitur.* Et hanc expositionē tradit etiam Bañez in 3.solut.ad 1.quaū sensus sit. Deus probare nititur homines, dū eos bestiarū more pertractat in ortu, & interitu, & huius vitæ processu, vt vix credere valeant ad æternitatis possessionem esse creatos, quia paucis cōtingit ex lumine naturali animæ durationem intellige re: & ideò ibi conqueritur de stoliditate quorumdam, dicens. *Quis eū adducet, vt post se futura cognoscat?*

8 Dico secundo, animam esse immortalem ex natura sua, est ita certum, vt oppositum sit erroneum, ita Cano lib.12. de Locis cap.15. & Bañez illo dub.1.concl.2. & Rubio de Anima separata.q.5 Colligitur ex illo Sapient.2. *Deus fecit hominem inexterminabilem; ad imaginem suæ similitudinis fecit illum.* Cum ergo anima ex natura sua sit ad imaginem Dei, si hac de causa est incorruptibilis, & inexterminabilis, ex natura sua anima est incorruptibilis. Quo argumento vtitur S.Tho. q. vnica de Anima art.14.

9 Manifestè idē habetur in Cōcilio Lateranēsi illa sess 8.dum dicitur. *Sacro approbante Concilio, damnamus, ac reprobamus omnes asserentes animam intellectiuam mortalem.* Et loquitur contra eos qui dicebant ex natura sua esse mortalem. Quod magis declarat, cum ait. *Cum illa nō solum verè, & per se, & essentialiter humani corporis forma existat, verū etiam immortalis.* Sicut ergo anima ex natura sua est corporis forma, ita ex natu-

ra sua est immortalis.

10 Istequę est consensus totius Ecclesiæ, vt patet in Patribus adductis à Coccio, quorum verba, quæ clarius indicant animæ immortalitatem illi connaturalem esse, ponderat Suar. lib. 1. c. 10. n. 11. & 12. inde concludens, assertionem esse de fide. ¶ Sed cum nec in Scriptura, nec in Conciliis habeatur sub illis verbis, *ex natura sua*, satis est si dicamus, id esse mediatè de fide; quia satis apertè ex principijs deducitur reuelatis. Non tamen esse immediatè de fide, quia si duraret in æternum ex dono Dei, vtcumque verba relata possūt verificari, licet nō cum omni rigore, & sinceritate.

11 Contra hanc veritatem opponi potest, quod in sexta Synodo Generali actione 11. in epistola Sophronij, tam de Angelis, quam de animabus nostris, dicitur. *Intellectualia nullatenus quidem moriuntur: non tamen sunt immortalia per naturam: sed gratia meis Deus largius est, à corruptione ea, & à morte coercentem: sic hominū animæ immortales perseuerant.* Quæ epistola pprobata est in eodem Cōcilio actione 13. Sicut ergo in statu innocentiæ homo esset ex natura sua mortalis & ex diuino priuilegio immunis à morte, ita & de anima asserendum videtur. Et sic verificatur illud 1. ad Tim. 6. quod *solus* Deus *habet immortalitatem.*

Respondent Bañez ad 4. & Suarez num. 37. & lib 1. de Angelis capite 8. & 9 & Auersa quæst 75. sectione 4. ad secundum, & alij frequēter, quod ibi non est sermo de gratia supernaturali stricte sumpta, sed de gratia sumpta pro dono Dei, etiā collato titulo creationis: quia cum possit ipse omnia in nihilum redigere gratię eius debem⁹, quod non redigamur in nihilum: quod & cōstat ex Epist. S. Aug. ad Innocētium, quæ habetur 1. tom. Conc. ante acta Concilij Mileuitani. Et hoc modo hac voce, *gratia Dei*, etiam vsus videtur Sanctus Thomas 2 2. quæstione 136. artic. 3. ad secūdum.

12 Secundo respondetur, vt in simili respondet Sanctus Thomas. 1. parte quæst 50. artic. 5. ad primum, quod Damascenus accipit immortalitatem perfectam, quæ includit omnimodam immutabilitatē: quia omnis mutatio est quædam mors, vt Augustinus dicit 3. contra Max. cap. 12. & in epist. ad Dioscorum. Perfectam autem immutabilitatem Angeli non nisi per gratiam assequuntur. Loquendo de anima nostra eodem modo respondet S. Thom. q. de Anima art. 14. ad 3. ibique alia argumenta vsque ad 21. diluit.

## §. II.

### *Vtrum immortalitas animæ possit ratione naturali demonstrari?*

13 NEgāt Scotus in 4. dist. 43. q. 2. & Caiet. in Epist. ad Rom. c. 9. & in c. 3 Ecclesiastes, & Vatablus ibi. nu. 2 & Scaliger exercit. 307. & Arriaga de Anima disp. 10. sec. 1. subsec. 2. quod nō aliter probant, nisi conando respondere rationibus, quibus probari solet animæ immortalitas.

Dico

14 Dico tertio, animæ nostræ immortalitas vere demõstratur rationibus speculatiuis, & moralibus. Hæc est cõmunis Patrum, & Theologorum, & Phylosophorum etiã gentilium. Vnde S. Augustinus lib. 13 de Trinitat. cap. 9. & S. Chrisostom. hom. 4. de prouidẽtia dicũt. *Qui Phylosophi de animæ immortalitate dubitent, eos dubitare arbitramur, anim meridie sit dies?* Et Origenes libro 7. contra Celsum. *Persuasum habent non solum Christiani, & Iudæi; sed etiam multi, tam Græci, quam Barbari, quod super sit, & quod viuat post discessum à corpore humana anima.* Multa ex Gentilibus Phylosophis congesserunt Eugubinus lib. 9. de perenni Phylosophia per quindecim capita, & Nicolaus Fauentinus lib. 1. de immortal. ani. cap. 11.

15 Bene etiam in genere hãc cõclusionem probat Bañez illa q. 75. dub. 2. conc. 1. quia Author naturę non difficit in necessarijs ad vitam recte instituẽdam; iuxta illud Iob. *Qui docet nos super iumenta terræ.* Sed vita humana sine animæ immortalitate non differt à vita brutorum: nã sic dicere possemus *comedamus, & bibamus, crâs enim moriemur.* Sicut argumentabantur impij Sapientiæ 2. *non est qui agnitus sit reuersus ab inferis, quia ex nihilo facti sumus, & post hoc erimus tamquam non fuerimus.* Ex quo erroneo principio deducebant. *Venite ergo, & fruamur bonis, quæ sunt.* Et S. Augustinus 6. Confes. cap. vltim. ait. *Epicurum accepturum fuisse palmam in animo meo, nisi ego credidissem post mortem restare animæ vitam, & tractus meritorum, quod Epicurus credere noluit.* Ergo saltem in sapiẽtibus Author naturæ prouidit media ad hanc veritatem demonstrandam: sicut & alia scitu necessaria. *Deus illis manifestauit, ita vt sint inexcusabiles,* vt dicit Apost. ad Rom. 1. Vnde Cano lib. 12. de locis cap. 15. asserit periculosum esse, atque temerarium asserere non esse demonstratã animæ immortalitatẽ. Et similiter Toletus, & Bañez dicũt sine temeritate hãc conclusioni nẽgari non posse post Conciliũ Lateranense. Licet alij Theologi à censura absũneant.

16 In particulari demonstrationes nouem format S. Thomas 2. Contrag. cap. 79. quas ibi explanat Ferrara. Et tres proponit 1. p. q. 75. art. 6. de quibus ibi late Caietanus, & Bañez, Capreolus, & Soto in 4. dist. 33. & iterum Ferrara libro 2. Contragent. cap. 55. vbi S. Thomas tredecim rationibus probat omnem substantiam intellectualem esse incorruptibilẽ: anima autem hominis est quædam substantia intellectualis, vt ostensum est: oportet igitur animam humanam incorruptibilem esse. Et hæc est prima ratio S. Thomæ illo cap. 79. & 1. p. q. 61. art. 2. ad 3. ex D. August. 13. de Trinit. cap. 8. & iterum S. Thomas q. 76. art. 3. ad 1. *ex hoc quod est intellectiua, ei incorruptibilitas debetur.* De qua late Suarez illo cap. 10. a n. 16. vsque ad 19. Et Toletus lib. 3. de Anima q. 16. ex tredecim capitibus format fere centum rationes, quas cui vacauerit, legat.

17 Rationes morales sumuntur ex eo quod multi iusti in hac vita manent sine premio; vnde ad Dei prouí-

prouidentiam expectat, quod recipiant in alia vita immortali. Secundo, quia homo in hac vita repletur miserijs, & tamen naturaliter alicuius beatitudinis est capax. Tertio, quia naturaliter appetitus rationalis repugnat appetitui sensitiuo: quod nō esset si anima tota esset terrena, & corruptibilis.

18 Denique, quæ obijci in cōtrarium possunt, facilè diluuntur ex dictis lib. 2. & peculiariter S. Thomas IIIa q. 75 art. 6 ad 3. ait, quod intelligere cū phantasmate est propria operatio animæ secūdū quod corpori est vnita. Separata autem à corpore habebit alium modum intelligendi similem alijs substantijs à corpore separatis. Itaque essentialis conceptus formæ spiritualis, & intellectiuæ, non petit quod ministerio sensuum acquiratur notitia, & quod vtatur phantasmatibus, vt instrumētis, vel vt obiectis: & ideò etiam si forma spiritualis separetur à corpore, aliunde habeat species, & sine ministerio phātasmatum intelligat, nil fit cōtra essentialia prædicata animæ rationalis.

## §. III.

### *Vtrum Philosophus docuerit animæ rationalis immortalitatem?*

19 QVamuis veritas catholica à Deo inspirata, & reuelata, à totius mundi hominibus, non solum sapientibus, sed & vulgaribus agnita, vnius Aristotelis testimonio non indigeat; nec si ipse negauerit, obscuretur; nec si ipse confiteatur, illustretur; quia *omnis purus homo est mendax*: tamen reuerentia debita nostris Magistris, & Philosophiæ Principi; & ne in re tanta, satis pervia apud Platonem, & alios antiquos, dicamus turpiter hallucinatum, & pro alijs veritatibus naturalibus eius testimonium infirmetur, ideò opere pretium semper visum fuit magnis ingenijs de mente Aristotelis in hoc puncto disputare.

20 Immortalitatem animæ rationalis, vel ignorasse, vel negasse Aristotelem, affirmant S. Iustinus Mar. in orat. ad gentes. S. Theodor. lib. 5. de curand. S. Nazianz. in disp. cōtra Eun. S. Nem. de nat. hom. c. 2. Alexander 3. de Anima, & ibi latè Caiet. Fauentq; illi, qui dicunt Aristotelem in hoc puncto dubitasse, & nihil clarè affirmasse; vel propter dubium: vel quia ex iudustria noluit apertè suam sententiam proferre. Ita Scotus in 4. dist. 43. q. 2. Herueus in 2. dist. 1. q. 1. & Quodlib. 1. q. 11. & quidam alij.

21 Dico quarto, Aristotelis manifestè agnouit, & apertè docuit animæ rationalis immortalitatem. Ita tenent Theophrastus, Simplicius, Themistius, Auerrois, & omnes Peripatetici. Imò Philoponus 1. de Anima tex. 65. & 66. *dementes* vocat eos, qui suspicantur illum fecisse animam mortalem. Ex professo hoc probant Ferrara 2. Cōtrag. c. 78. & 79. & lib. 3. de Anim. q. 10. & ibi Aquarius, & 12. Metaphis. q. 10. Bartol. de Spina lib. de immortal. animæ. Iauellus 3. de Ani. q. 3.

Bañez

Bañez.1.p.q.75.art.6.dub.3.Toletus 3.de Anim.q.15.Conimb.de anima separata disp.1.art.2. Suarez lib.1.c.11.Lessius de Numinis prouidētia. Auersa to.2.Philosophiæ q.57.sec.5.referens Iulium Cæsarē Lagalla integro,& copioso opere de immortalitate animarum ex Aristotelis sententia. Recensetetiam plusquam viginti Authores, propriis expressis nominibus,qui integra opuscula de hoc argumēto ediderunt.

22 Docuit expressè S.Tho.3.de Anim.lec.10.&8.Physicorum lec. 12.& 12.Metaph.lec.3. & Quodl. 10.art.6.& lib.2.Contrag.c.79.Id probat ex Philos.1.de Anim. tex. 65.dicente, quod *intellectus videtur quædam substantia esse,& non corrumpi.* Et 12.Metaph.tex.16.& 17. *Si autem,& posterius aliquid manet,perscrutādum est: nam in quibusdā nihil prohibet; vt si est anima tale;non omnis,sed intellectus.* Euasiones,quæ his authoritatibus solent adhiberi, diligenter ibi præcludit Ferrara.

23 Qui & sequentia Philosophi pro nobis pōderat testimonia. Lib. 1.de Anim.text.15.Lib.1.de Partibus anim.c.1.Lib.2.de Anima tex. 21.Lib.3.de Anima text.3.& 6. & textu 20.de parte intellectiua loquens,ait. *Separatus autem est hoc solum,quod verè est,& hoc solum immortale,& perpetuum.* Et lib.2. de Gener. Anim.cap.3.docet,quod intellectus non educitur de potentia materiæ,*sed venit de foris.* Sed illæ solæ formæ sunt corruptibiles,quæ de potentia materiæ educuntur: ergo anima & eius intellectus incorruptibiles sunt.

24 Denique est argumentum ex Philos.1.de Anima dicente,*quod si est aliquid animæ operum̄,aut passionum proprium,continget ipsum separari.* Quod iuxta omnes intelligitur de separatione à corpore secūdum esse. Sed docet textu 13.quod anima intellectiua habet propriam operationem,cui corpus nō communicat, nempe intelligere,vt patet tex.11. Ergo anima,quæ non est affixa organo corporali est separabilis à corpore, & immortalis. Ponderationes videantur in Ferrara. Idem docet Philos.1.Ethic.cap.11. & lib. 9.& 10.vtrobique cap.8.& alibi sæpè.

25 Sed obijcit Caietanus: nam Philosophus.1.de Anima text.12. & 13.asserit animam esse separabilem,si est aliqua eius operatio sine corpore. Sed lib.3.text.39. determinat intellectione non fieri sine corpore, & sine imaginatione: ergo existimat animam non posse existere separatam à corpore.

Respondet S.Thom.1.de Anim. lec.2.lit.b.quod aliqua operatio animæ indiget corpore sicut instrumento,& sicut obiecto,sicut videre: & sic videre nō est animæ tātū, sed organi,& totius coniuncti. Aliqua autē operatio est,quæ indiget corpore,non tamen sicut instrumēto, sed sicut obiecto tantum: intellige re enim nō est per organum corporale,sed indiget obiecto corporali: & hæc operatio potest esse in anima separata.

26 Præterquāquod dato, quod Philosophus hanc quæstionem indeterminatam reliquerit lib.1.non

est

est quia dubitaret, sed vt reseruaret vt proprio loco lib. 2. tex. 21. & libro 3. textu 20. vt ibi notat S. Thomas lect. 10. lit. c. dicens. *Et sic patet, quod hic loquitur* Aristotelis *de tota parte intellectiua; quæ quidem dicitur separata, ex hoc quod habet operationem suam sine organo corporali; & quia in principio huius libri dixit, quod si aliqua operatio animæ sit propria, contingit animam separari. Cõcludit, quod hæc sola pars animæ, scilicet, intellectiua, est incorruptibilis, & perpetua. Et hoc est quod supra posuit in* 2. textu 21. *quod hoc genus animæ separatur ab alijs, sicut perpetuum à corruptibili. Dicitur autem perpetua, non quod sẽper fuerit; sed quod semper erit. Vnde Philosophus dicit in* 12. *Metaph. textu* 17. *quod forma numquam est ante materiam, sed posterius remanet anima; non omnis, sed intellectus.* Alia argumenta vsque ad 14. soluit Ferrara illa quæs. 10. & quædam alia Iauellus, & Bañez, & alij.

## QVAESTIO XV.

### *De intellectu possibili, an sit potẽtia passiua?*

1 POst considerationem animæ rationalis quoad substantiam, cõsiderandum sequitur de eius potentijs, & operationibus. Primam autem potentiam animæ esse intellectum, constat ex dictis. Et probat S. Thomas 1. p. q. 79. ar. 1. quia prima operatio substantiæ spiritualis est intelligere, realiter distinctum à substantia operantis: vbi autem operatio realiter differt ab essentia, etiã potentia, quæ est immediatum operationis principium est potentia realiter ab essẽtia distincta: vnde in omnibus creaturis intellectualibus intellectus est quædam potentia intelligentis.

### §. I.

### *Omnis substantia spiritualis est intellectiua.*

2 SOlet autem circa hoc inquiri, vtrum dari possit natura immaterialis, vel spiritualis, non intellectiua?

Certum est ex dictis lib. 2. q. 13. §. 6. quod virtute diuina potest dari substantia intellectualis sine intellectu, qui sit potentia superaddita, quia diuina virtute potẽtiæ possũt separari ab anima.

3 Certum est secundo, connaturaliter loquendo, naturam immaterialem, & spiritualem, sequi principium proximũ intelligẽdi. Quod sequitur ex dictis lib. 2. q. 2. §. 3. & hoc lib. 3. q. 9. & q. 13. §. 4. Docetque S. Thom. 1. p. q. 14. ar. 1. dicẽs. *Patet igitur, quod immaterialitas alicuius rei est ratio, quod sit cognoscitiua, & secũdum modum immaterialitatis, est modus cognitionis. Vnde in* 2. *de Anima* textu 124. *dicitur, quod plantæ non cognoscunt propter suam materialitatem.* Quod late ibi Theologi explicant, & confirmant. Dubium vero manet, vtrũ dari possit substantia immaterialis, & spiritualis incapax intelligendi?

4 Affirmant Ochã in 1. dist. 35. q. 1. Gabriel, & Basolis ibidem, & Arriaga disp. 1. de Anima sec. 4. sub sec. 8. n. 139. & sec. 5. n. 169. quia nõ apparet

apparet cur essentialiter ex carentia partium impenetrabilium inferatur viscognoscitiua. Et dis.2.sec. 3.cōc.4.quia spiritualitas nō pēdet ex virtute intellectiua, sed ex independentia à materia.

5 Quod confirmāt alij Neothe rici: nam prædicatū substantiæ per se sumptum nullam connexionem habet cū principio intellectionis; vt patet in substantia materiali non intellectiua. Neque prędicatum spiritualis perse sumptum connexionē habet cum tali principio; vt patet in pluribus accidētibus spiritualibus nullum ordinem habentibus ad intellectionem, neque ad illius principium. In coniunctione vtriusque nulla apparet specialis ratio, quæ fundet talem connexionem. Ergo vtrumque prædicatum simul sumptum, seu substantia spiritualis abstracte sumpta talem connexionem nō habet: ergo potest dari substantia spiritualis non intellectiua.

6 Præterea probatur, quia in cōtrarium nulla affertur implicationis ratio: nam quæ afferri solēt, supponunt vnam substantiam esse magis spiritualem, quam alia sit; quod falsum est, quia prædicatū spiritualis non recipit magis, aut minus. Deinde, sicut accidēs spirituale excedit substantiam corpoream in ratione spiritualitatis, & ab ea exceditur in ratione substantiæ: ita nullum sequitur absurdum, quod daretur substātia spiritualis non viuēs, quæ possit plures qualitates in se producere per operationes spirituales nō vitales: & excederet substantias corporeas viuentes in prædicato spiritualitatis, & ab eis excederetur in ratione viuentis: sicut de formis cælorum comparatis cū formis viuentium imperfectorum nonnulli dicunt.

7 Dicendum tamen est, contradictionem implicare substātiam spiritualem, quæ nō sit intellectiua radicaliter: sicut repugnat homo irrationalis. Est Thomistarum omnium 1.p.q.14 art.1.& adeò recepta inter alios Theologos, vt Ruiz de Montoia de scientia Dei disp. 34. sect.6.n.6.in fine, doceat à nemine negari, neque negari posse immaterialitatem esse rationem cognoscendi. Qui melius dixisset, à solis Nominalibus,& à paucis Recētioribus hoc negari.

8 Probatur primo ratione D. Augustin.lib.12. super Genes.ad lit.capit.10.nam physice loquēdo ex eadem radice oritur quod aliquid sit intelligibile, ideſt, capax vt intelligatur; & quod sit radicaliter intellectiuum; ideſt capax ad intelligendum. Vnde Philosophus 3.de Ani. text.15.& S.Thomas ibi lect.9.lit. d.dicunt.quod. *in his, quæ sunt sine materia, idem est intellectus, & quod intelligitur: ac si diceretur* (inquit S. Thom. 1.p.q.87.art.1.ad 3.) *quod in his, quæ sunt intellecta in actu, idem est intellect⁹, & quod intelligitur: per hoc enim aliquid est intellectum in actu, quod est sine materia.* Et ideò curamus abstrahere à materia, vt faciamus intelligibilia in actu. Sed implicat substantia spiritualis non intelligibilis. Ergo & repugnat substantia spiritualis, quæ non sit radicaliter intellectiua.

9 Secundo probatur ratione S. Thomæ.

Thomæ.1.p.q.14. art.1. & q.2. de Verit.art 1.& 2 & lib.1.Contrag. c.44.& ſæpiſsimè alibi: nam eſſe radicaliter intellectiuum, nihil aliud eſt, quam habere capacitatem vt quodammodo fiat omnia; & ideò dicit Phyloſ.3.de Anim. text. 37. quod *anima eſt quodammodo omnia*: nã ſpecies cogniti eſt in cognoſcente: & eo ipſo quod eſt immaterialis, non habet coartationem, nec impedimẽtum; ſed potius capacitatem, & actualitatem, vt ſit capax recipiẽdi vitaliter omnia; ita vt paſsiuè recipiendo ſpecies; & actiuè eliciendo operationes, quodãmodo fiat omnia: & hoc eſt intelligere. Nec de facto ex alio prædicato oritur hæc capacitas, niſi ex immaterialitate, & ſpiritualitate: vel potius, phyſicè loquẽdo, ipſa ſpiritualitas ſubſtantiæ, eſt ipſum intelligere radicaliter. Vel dicant nobis quo alio medio probare poſſunt animas rationales, & Angelos eſſe radicaliter intellectiuos, & id non competere alijs ſubſtãtijs creatis, niſi quia anima rationalis, & Angeli ſunt ſubſtantiæ ſpirituales: ſecus verò aliæ formæ creatæ? Sed eo ipſo, quod ſubſtãtia eſt ſpiritualis, eſt capax recipiendi ſpecies immaterialiter; & debentur ei principia proxima proportionata huic capacitati radicali: ergo debentur ei principia proxima intelligendi: ergo ſi daretur ſubſtantia ſpiritualis non intellectiua radicaliter, ſequentur duæ contradictoriæ ſimul veræ: & quod nõ eſſet intellectiua, vt ſupponitur: & quod eſſet intellectiua, quia eſſet ſpiritualis, nam ipſa ſpiritualitas eſt ipſa capacitas, vel eſt radix exigentiæ illius capacitatis.

10 Solet præterea probari cõcluſio ſatis frequenter: nam vt docet S. Auguſt. lib. de vera Relig. c.29. *Quælibet ſubſtantia viuens natura ordine præfertur non viuenti*. Quod intelligit S. Tho.1.p.q.70.art.3.ad 2. de exceſſu ſimpliciter. Sed ſubſtantia ſpiritualis facta, & factibilis, ſimpliciter excedit quamlibet ſubſtantiam corporalem viuentem: ergo quælibet ſubſtantia ſpiritualis factibilis debet eſſe viuens ſubſtantialiter in actu primo: ergo cum non viueret vita purè vegetatiua, aut ſenſitiua; viueret vita ſpirituali. Sed viuens vita ſpirituali eſt ſubſtantia, cui debetur intellectus: nam hucuſque in nullius mentem venerunt aliæ operationes vitæ intellectualis, niſi intelligere, & velle. Ergo ſubſtantia omnis ſpiritualis eſt intellectiua. Probatur maximè hæc ratio; ſed ſecunda præferenda, quia à priori declarat radicem implicationis.

11 Ex qua ceſſant argumenta cõtraria: tum, quia non bene declarant conceptum rei ſpiritualis, & corporeæ, vt diximus lib.2.q.2. Tũ quia nos non aſſerimus ſpiritualitatem pendere ex virtute intellectiua; ſed è contrario dicimus intellectum phyſicè oriri ab intellectualitate: ipſa verò intellectualitas eſt prædicatum eſſentiale, quod phyſicè nõ oritur ab alio; licet metaphyſicè nõ incõueniat vnã rationẽ quaſi inadæquatã probari per aliã: ſicut in Deo vna ratio probatur per aliã.

12 Ad confirmationem in primis dicitur, quod ille modus arguẽ-

di

di est fallax in simili forma. Non repugnat creata substantia; nō repugnat creatum aliquid supernaturale, vt patet in accidentibus supernaturalibus: ergo non repugnat substantia creata supernaturalis. Ergo pariter posset dici in præsenti, quod repugnantia non oritur ex titulo substantiæ præcisè, neque ex titulo spirituali præcisè; sed ex titulo substantiæ spiritualis.

Secundo dicitur omnia accidentia spiritualia pertinere ad ordinē intellectiuum, vel primario, vel secundario, antecedenter, vel consequenter; quia accidentibus conuenit immaterialitas, vt deseruiant naturæ spirituali, vt dicitur 1. p. q. 14. art. 1.

13 Tertio, si cum Ferrara 1. Contragent. cap. 44. ratio S. Tho. solū intelligatur in substantijs subsistentibus, quia operari est subsistentiū; facilè dicitur, quod substantiæ spirituali essentialiter competit capacitas, vt fiat omnia: & hoc est esse intellectiuam radicaliter: & ideò est contradictio substantia spiritualis, quæ nec radicaliter sit intellectiua.

14 Aliud argumentum penitus euaneſceret, si solū vim faceremus in prima, & secunda ratione S. Augustini, & S. Thomæ, quia contra eas vim non habet: & ipsæ solæ sufficiunt ad probandam conclusionem. Quia tamen tertiam rationē multi amplectuntur. Ideò dicitur primo in illa non assumi illam propositionem, vt quęstio proponitur de potentia absoluta; sed solum vt de facto contingit. Secūdo dicitur illam propositionē esse verisimā; quia spiritualitas non est quid realiter distinctum ab actualitate: vnde sicut res suscipit magis, & min⁹ in actualitate, ita & in spiritualitate, & in intelligibilitate, & in virtute intelligendi: de quo S. Thomas 1. p. q. 55. art. 3. & q. 87. art. 1.

15 Illud exēplum parum vrget, quia ibi fit transitus de genere substantiæ ad genus accidentis: hic autem sub eodem genere substantiæ creatę viuentis, ponitur quod substantia quædam ex parte eadem ponatur sub genere essentialiter nobiliori viuentis, & tamen quod non habeat principium radicale operādi nobilissimæ vitæ operationes: quæ contradictionem implicant.

## §. II.

### *Qualiter intellectus sit potentia passiua?*

16 SEcundo dubitatur. Vtrum intellectus sit potentia passiua?

Recolenda sunt, quæ in simili diximus lib. 2. q. 21. disputādo de potētijs sensitiuis. Vlteriusque notat S. Tho. 1. p. q. 79. ar. 2. quod pati tripliciter dicitur. Vno modo proprijssimè, scilicet, quando aliquid remouetur ab eo quod conuenit sibi secundum naturam, aut secundū propriam inclinationem, sicut cū aqua frigiditatem amittit per calefactionem, & cum homo ægrotat, aut tristatur. Secūdo mōdo minus propriè dicitur aliquis pati ex eo, quod aliquid ab ipso abijcitur, siue

sit

sit ei conueniens, siue non conueniēs. Et secundum hoc dicitur pati, non solum qui ægrotat, sed etiam qui sanatur; nō solum, qui tristatur, sed etiam qui lætatur, vel quocumque modo aliquis alteretur, vel moueatur. Tertio dicitur aliquis pati communiter ex hoc solo, quod id quod est in potentia ad aliquid, recipit illud ad quod erat in potentia absque hoc quod aliquid abijciatur: secundum quē modum omne quod exit de potentia in actum, potest dici pati: etiam cum perficitur. Certum est intellectum non esse potentiam passiuam primo, & secundo modo passionis, qui sunt proprij materiæ primæ, vt notat S. Thom. ad 1. quia intellectus est spiritualis, & incorruptibilis. Vnde solum est dubium de passione communiter sumpta.

17 Rursus supponunt omnes, quod intellectus, vel potest cōparari ad obiectū à quo specificatur; vel ad species, quæ ab obiecto immittūtur; vel ad operationem, quæ à potentia elicitur.

Dico ergo primo, si intellect⁹ humanus comparetur ad obiectum, & ad species intelligibiles, quas ab eo recipit, simpliciter est potentia passiua. Est communis Thomistarū; vt patet in Capreolo in 4. dist. 49. q. 4. ad arg. Aureoli contra 2. Ferrar. 2. Contrag. cap. 60. rat. 5. & cap. 82. & 98. Caiet. 3. de Anima cap. 1. & 1. p. q. 79. art. 2. vbi eos refert, & sequitur Bañez dub. 1. concl. 1. & 2. Iauellus 2. de Anima de actu intellectus q. 2. Vnde cum Philos. 3. de Anim. tex. 12. ait, quod *intelligere est pati quoddam*, intelligendus est in sensu causali, & antecedenter, quia antecedit receptio speciei, media qua patitur ab obiecto: quæ est cōmunis explicatio omniū Interpretum, vt testatur Aegidius à Præsentat. lib. 8. p. 1. q. 1. ar. 4. § 9.

18 Probat hanc cōclusionem S. Tho. 1. p. q. 79. art. 2. nam intellect⁹ humanus, qui est infimus in ordine intellectuum, & maximè remotus à perfectione diuini intellectus, est in potentia respectu intelligibiliū: & in principio est sicut tabula rasa, in qua nihil est scriptum, vt Philosophus dicit in 3. de Anim. tex. 14. Quod manifestè apparet ex hoc, quod in principio sumus intelligētes solum in potentia: post modum autem efficimur intelligentes in actu. Sic igitur patet, quod intelligere nostrum est quoddam pati cōmuniter: & per consequens intellectus est potentia passiua. Patet hæc consequentia, quia potentia specificatur ab obiecto, & ab eo potissimè denominatur; vnde eo ipso, quod ab obiecto patiatur, simpliciter dicitur potentia passiua à D. Tho. & à B. Alberto Magno in summa de homine de intellectu possibili. q. 1.

19 Explicatur hoc cum Caietano: nam. sæpe dictū est naturam esse cognoscitiuam ex eo quod potest quoddāmodo fieri alia media specie. At vnam rem fieri aliam contingit tripliciter: in actu puro, vt Deus: potentia pura, vt anima nostra à principio, quia nec habet congenitas species; nec eas sine extrinseco causat: & tertio modo quodāmodo in actu, & quodammodo in po-

tēria: & sic se habet intellectus Angelicus. Cum ergo intellectus noster sit omniū infimꝰ ex natura sua est in potentia essentiali, & tāquam tabula rasa: at verò intellectus Angeli ab initio accepit species, & solū est in potētia ad operandū; vnde non dicitur potētia passiua respectu speciei.

20 Loquendo autē de intellectu cōparatiuè ad intellectionē, intellectū esse potentiā passiuā, tenent Godofredus Quodl.4.q.18.existimans speciē intelligibilē realiter esse ipsā intellectionē; non absolute sumptā, sed vt est recepta in intellectu. Pariter Aureol.in 1.dist.35.q.1.ar.1 nāprop.5.pag.757.ait. *Intellectio formaliter, & in recto loquendo, nō est aliud, quā intellectus cum similitudine rei, inquātū id quod positū est subesse apparenti, sibi appareat.* Quia intellectꝰ nō agit actione reali, sed solū intentionali. Et Quodl.8.ar.2.pag.83.§. *similiter*, idē docet. Iandun. etiā 3.de Anim q.24 asserit intellectū posibilē se habere passiuè, quia intellectꝰ agens nō solū producit speciē, sed etiam actum intelligēdi. Idē tenet q.23.& lib.2.q.16.& tribuitur Veneto de Ani.c.10.& alijs.

21 Istorū fundamētū est: quia idē non potest esse agens, & patiens respectu eiusdē: quia omne quod mouetur ab alio mouetur: vt dicitur 8.Phys. Quod diximus 2.p.Met.c.trou.13.n.65.verificari in motibꝰ, qui sunt actus perfecti. Sed intellectus patitur intelligendo, vt ostensum est: ergo non potest esse agens intellectionis. Patet cōsequentia; alias intellectus distinguetur realiter à seipso: vel inter agens, & patiens non erit distinctio realis, nec realis relatio: & materia, & efficiēs coincident in idem numero: cōtra ea, quæ docet Philos.5.Metaph.

22 Dico secundo, intellectus vere est potentia actiua respectu intellectionis. Ita Capreolus in 1.distin.35.q.1.ad arg. Gotfredi contra.1. & in 2.dist.3.q.2.ar.3.Bañez.Iauellus, & alij relati pro 1.conc. & late alij multi, quos citāt, & sequūtur Suarez lib.3.de Anima c.4.n.9.& Thomas Hurtado de Anima tenūt. contr.4.memb.1.& 2.& AEgidius à Præsentat.lib.8.p.1.q.1.a.4.Baptista 1.2.disp.40.dub.1.conc.1.& est communis Philosophorum, & Theologorum.

23 Traditur à D. Thoma 1.p.q.56.art.1.& alijs locis relatis q.11.n.20.& quæst.8.de Verit.art.6.& q.9.art.5.& est ad mentem Philosophi 3.de Anima tex 8.& 37.Pariterque 9. Metaph.textu 16. inter actiones immanentes, quæ manent & recipiuntur in potētia, à qua efficiuntur, numerat intelligere, vt notat S.Thomas 1.2.q.3.a.2.ad 3. & 1.p.q.18.art.3.ad 1. & ibi art.2. affert Philosophū 9.Ethic.c.9. dicentem, quod *viuere principaliter est sentire, vel intelligere.*

24 In authoritatibus indicantur duo fundamenta, quibus redditur certa cōclusio, quia intelligere est operatio immanēs: ergo recipitur in potētia à qua efficitur: alioquin si esset in vna, & efficeretur ab alia, esset transiens ab vna in aliam. Ité, operatio vitalis manet in principio viuēte à quo elicitur; cū ergo viue

re

re intellectuale perfectissime exerceatur in actu secundo, intellectionis, hæc non potest effici à potētia intellectiua. Cū etiam intellectio efficiatur à specie, non potest non hæc à specie impressa realiter differre. Vnde & contingit apud nos habere species in intellectu; & tamē actu non intelligere: recolantur etiam, quæ diximus lib. 2. q. 5. n. 25. Vnde Caiet. 1. p. q. 79. ar. 2. §. *quoad* 2. ait, quod intelligere nō est formaliter pati: *Sed potius actiue, passiue que vitaliter operari.*

25 Ad argumentū cōtrariū respōdetur ex D. Th. 1. 2. q. 51. ar. 2. ad 2. & alijs locis relat. illa cōtr. 13. n. 66. quod quāuis idē, secūdū idē, nō possit esse mouens, & motū, bene tamē idē secūdū diuersa. Vnde multi, quos sequūtur Bañ. dub. 2. ad 1. & Baptista ad 1. n. 297. respondēt, quod loquēdo de motu, qui est actus perfecti, & pertinet ad prædicamētū qualitatis, solum datur distinctio formalis, inter agēs, & patiēs; non vero exigitur distinctio realis; quia de ratione operationis immanentis est, quod recipiatur in eodē operāte. Sufficit ergo distinctio formalis: nā intellectus, vt actuat⁹ per speciē, elicit actū; vt vero est actuabilis per actum secundum, recipit illum. Nec illa principia adducta ex Philosopho cum maiori rigore verificantur in huiusmodi operationibus immanentibus.

26 Aliter respondet Iauellus in fine illi⁹ q. 1. concedendo maiorē, & minorem, & negando consequētiam: quia nō est respectu eiusdem: siquidē intellectus actuatus specie est efficiens intellectionis, & vt nudus est receptiuus eiusdem: & ideò non est relatio eiusdem ad seipsum eodē modo sumptū: aliquid enim reale includit intellectus actuatus specie, quod non includit intellectus, precisè, & nude sumptus.

## §. III.

## *Vtrum intellectio humana possit esse effectiue à principio extrinseco?*

27 AD complete exponendā naturā potentiæ intellectiuæ, nō potuit omitti hoc dubiū, quod à Theologis latius disputatur. Affirmant quidam de potentia absoluta Dei posse intellectionem humanā causari à solo Deo; ita vt homo dicatur intelligens recipiendo talē intellectionē: pariterque intellectionem ab vno elicitā poterit in alio ponere, & alter per illā intelliget. Videtur de mēte Scoti in 3. dist. 13. §. *Ad tertiam quæstionē* Et tenent Gabriel in 1. dist. 42. q. 2. ar. 2. ad 1. contra 2. Soncinas lib. 9. Metaph. q. 20. ad 4. & q. 21. Vega, Valencia, & Salas, quos refert, & sequitur Aegidi⁹ lib. 10. de beatit. q. 1. ar. 4. & lib. 4. q. 1. art. 2. §. 3. n. 17.

28 Fundamētum est, quia quid quid Deus potest facere cū causa secunda, potest facere se solo: & hoc negare dicit S. Tho. 1. p. q. 105. *esse erroneū*: quia Deus à nullo dependet, & eminēter cōtinet omnē virtutē creatā: sed medio intellectu creato Deus efficit intellectionē: ergo & se solo valet eam producere.

Si dicatur maiorem esse veram in causis efficientibus; falsam verò

in causis formalibus: quia demonstrat S.Thom.1.p q 3.art.8. implicare Deum esse principium formale, aut materiale. Intellectio autē, & quælibet actio vitalis pendet à principio intrinseco in genere causæ formalis; & ideò nō potest esse à solo Deo, nec à principio extrinseco. ¶ Cōtra hoc est, quod intellectꝰ nō est forma intrinseca intellectionis, eam essentialiter constituēs, aut componens; sed ad summū est forma illius extrinseca; sicut exemplar est forma artefacti. Sed Deus potest esse forma extrinseca; vt docet S.Thom. illo artic.8.ad 2. quia forma exēplaris non est forma, quę est pars compositi: & ideò non dicit imperfectionem partis repugnātem actui puro: ergo non repugnat intellectionem causari à principio extrinseco.

29 Secundo: nulla est maior repugnantia, quod intellectio sit ab extrinseco principio, quam quod verbum mentis causetur ab extrinseco. Sed Deus in visione beata gerit munus verbi: & absque dubio potest verbum mentis se solo producere sine cōcursu intellectus actiuo: sicut Deus potest dare terminum augmenti, & nutrimenti sine actione vitali nutriti, & aucti; ita poterit producere verbū, quod est terminus actionis vitalis, sine ipsa actione vitali intelligendi: ergo pariter poterit facere se solo intellectionē humanam: quia eius fieri potest esse ab extrinseco; licet in facto esse illa qualitate, vel actione recepta afficiatur intellectus, & ab ista receptione intelligens denominetur.

30 Per oppositū alij negant Deū se solo posse producere intellectionē in intellectu creato merè passiuè se habente, nō solū in esse actionis vitalis, sed etiā in esse entis, & qualitatis. Ita indicat Medina 1.2.q.3. ar.2.dub.4.concl.3. & expressè tenent Greg.Martinez ibi dub.4.cōcl.2. Serra dub.2. ad vltimū. Lorca ibi disp.16. Montesinos disp.3 q.5. n.91. Latè Baptista disp.40.dub.2. & 3.& Vazq.1.2.disp.9.c.4.&5. referēs Capreolū, Ferrarā, & Soto: de quorum mente ex dicendis constabit. Tenetque Auersa hic.q.48. sec.1.concl.2 & alij.

31 Prior pars, in qua cōuenit hæc opinio cum nostra, postea ostendetur. Ex illa autē probant secundam partē: quia implicat contradictionē, quod aliqua ratio generica producatur à Deo sine ratione specifica: sicut repugnat, quod vniuersalia separata a singularibus producātur, vt ostendimus lib.1 Log.q.11. §.3.nu.14. Nec fieri potest, quod producatur ratio differentialis sine aliqua ratione generica, & specifica cū qua facit vnum. & à parte rei cū illis idētificatur. Sed in intellectione ratio generica, vel est ratio qualitatis, vel ratio actionis (iuxta diuersas sentētias infra examinandas.) Ergo si produci nequit intellectio in esse intellectionis, & in esse actionis vitalis à principio extrinseco; pariter repugnat, quod producatur à principio extrinseco intellectio in esse entis, vel in esse qualitatis, vel materialiter, ita subiectū qualificet, & nō reddat intelligēs: quia eadē forma in eodē subiecto

à qua-

quacumque causa producatur sem per tribuit eundem effectum formalem: nã effectus formalis est forma communicata.

32 Dico tamen primo, implicat contradictionem, quod intellectio in esse actionis vitalis, vel in esse formæ, qua quis denominatur intelligens, causetur ab extrinseco: vnde, & repugnat, quod per alterius intellectionem in alio receptam, iste intelligat. Ita authores secundæ sentẽtiæ. Et Capreolus in 2. dist. 3. q. 2. ad arg. Adami contra 1. & in 4. dist. 49. q. 4. art. 3. ad arg. Durandi. Soto ibi. q. 2. art. 4. §. *Caietanus autem*, & Caietanus 1. p. q. 26. ar. 3. in fine. Ferrara 3. Contrag. cap. 54. rat. 6. ad 4. Scoti. Bañez 1. p. q. 79. ar. 2. dub. 2. in 2. p. 2. concl. Aluarez 1. 2. disp. 19. in 3. prob. 2. conclusionis. Et alij frequenter.

Manifesteque indicatur à D. Thoma 1. p. q. 34. art. 1. & in simili eam tradit 2. 2. q. 24. art. 2. vbi docet implicare contradictionẽ actum amoris esse à principio extrinseco: eadẽ autem est ratio, quoad hoc, de operatione intellectus, ac de operatione voluntatis: quia ambæ sunt operationes immanentes & vitales.

33 Prior pars probatur, quia Deus nequit se solo supplere, vel præstare munus causæ formalis: eo quod est actus purus, qui nequit esse forma informans per modum partis: sed si se solo causaret intellectionẽ creatam, qua homo intelligeret, gereret mun⁹ causæ formalis: ergo De⁹ se solo nequit causare intellectionẽ qua homo intelligat. Minor probatur; nam intellectio est operatio vitalis, qua homo viuit in actu secundo immanenti: sed ratio essentialis constitutiua actionis vitalis immanentis est emanatio à principio intrinseco viuente, vt patuit lib. 2. q. 5. n. 33. Ergo si operatio illa esset à principio extrinseco, esset vitalis, vt supponitur, & nõ esset vitalis, quia deesset illi essẽtialis respectus, & forma qua cõstituitur in esse vitalis.

34 Secũda pars probatur à Ferrara, Soto, & alijs: quia licet De⁹ quãlibet entitatem creabilem se solo possit producere: non tamẽ potest facere, quod creatura operetur sine operatione: nam esset ponere effectum formalem sine forma: & sequerentur duæ cõtradictoriæ; nempe, quod operaretur, quia intelligeret, & intelligere est operari vitaliter: & quod non operaretur; quia mere passiue recipere intellectionẽ non est agere: eo quod cõceptus essentialis actionis est egressus a principio operante: & quod sit immanens, & intrinsecum mouens, quando est operatio vitalis. Et intelligere significat vitaliter tendere, vel attendere, & cognoscere: & sub istis vocibus eadem contradictoriæ possent deduci.

35 Dico secundo, verbum mẽtis, & quilibet terminus actionis vitalis, potest à solo Deo fieri, vel ab vna creatura factum, in alia constitui. Ita Bañez vbi supra in confirmatione rationis primæ partis secũdæ conclusionis. Baptista dubio secundo ad quintum, & dubio tertio conclusione secunda. Martinez dubio quarto post secũdã cõclusionẽ,

& omnes relati pro prima sententia. Suarez disp.48.Metaph. sec.2. n.12.Molina.1.p.q.12.ar.2.disp.1. Petrus Hurtado de Anima disp.6. sec.3.n.30.Licet eam neget Vazq. 1.2.disp.9.c.5.§.*cæterum*.

36 Ratio est facilis ex dictis,quia termini operationum vitalium nō pendent à potētia, vel ab operatione eius in genere causæ formalis, sed solum in genere causæ efficientis. Cum ergo Deus quamcumque efficientiam causæ creatæ præcōtineat eminenter,se solo poterit facere omne verbum,vel terminum operationis vitalis sine illa.Et quoad hoc est aptum exemplum termini augmentationis, & nutritionis: nam idem qui fit actione vitali,fieri valet à solo Deo.

37 Sed obijcit Vazquez cap.5.§. *deinde*: nam intellectio,& amor sūt attentio,& tentio obiecti: sed his vocibus significatur actio,quæ nequit fieri ab extrinseco: ergo pariter verbum nequit fieri ab extrinseco. ¶ Secūdo,quia sequitur,quod intellectus ab homine separat⁹ posset beatificari; si in eo ponatur visio: quod esse falsum,iam diximus lib.2.q.13.ad vlt.

38 Hæc tamen parum vrgent(vt notat Baptista in 3.& 4.rat.4. concluſ.) nam idem prorsus pollet dicere de significatione illarum vocum, *cognoscere*, *videre*, *amare*: nam, qui negat ipsas significare actionē, idem negabit,& illas voces, *tendere*,& *attendere* actionem significare:& omnes dicet esse actiones grāmaticaliter,& in modo significandi: & ideò qualitates istæ poterunt omnes ab extrinseco produci.Et sicut ipse tenetur respōdere de attētione,ita alij respondebunt de intellectione,& verbo mentis, quod intellectus separatus non est capax talis effectus,& denominationis: si cut neque lapis denominaretur intelligens,etiam si in eo ponatur intellectio.

39 Dico tertio, si intellectio ita sit qualitas,quod non sit operatio, & actio nisi ex modo significandi, nō repugnat quod fiat à principio extrinseco,& quod elicita ab vno ponatur in alio. Ita tenent Capreolus,Soto Ferrara,Soncinas, Albarez,& Bañez locis citatis. Caietanus 1.p.q.12.artic.5.ad 3. Scoti,& Thomas Hurtado de anima tract. contr.4.memor.9. §.2. & Albertinus.q.2.Theol.in 2.cor nu.20. Itē Scotus,Maior,Greg Vega,Valencia,& Salas apud Baptista vbi supra in 3.sententia.

Et probatur primo,quia vt docet S. Thomas Quodlib.7. art.10. potest diuina virtute qualitas corporalis poni in subiecto spirituali mutato modo cōnaturali essendi: ergo à fortiori qualitas spiritualis potest variari quoad modum essendi connaturale,& fieri ab extrinseco,& tolli ab vno,& poni in alio.

40 Secundo,non minus connaturaliter potentiæ pendent ab anima,quam à potentijs pēdeant qualitates in illa residentes: sed potest Deus potentias separare ab anima: vt diximus lib.2.q.13.§.6.ergo & potest qualitates potentiarum ab eis separare,vel sine ipsis producere.

Tertio,

Tertio,in ſententia,quod intelle ctio non eſt realiter operatio, ſed ſolum grammaticaliter,non facilè poteſt aſsignari,quoad hoc,diſparitas inter intellectionem, & verbum: ſed oſtenſum eſt verbum poſſe produci ſine intellectu, & ex vno intellectu poſſe transferri ad alium: ergo pariter dicendum de intellectione. Probatur maior, quia in illa ſententia,vtraque eſt qualitas,non conſiſtens in fieri ſicut actio,ſed quæ eſt diſpoſitio; connaturaliter quidem procedens à potentia in qua eſt;ſed ſupra naturam poteſt ab alia produci,vel in alia conſtitui.

41 Quarto probatur, & argumētum contrarium ſoluitur,quia vt iſto modo producatur hęc qualitas, non eſt opus ponere ſpeciem ſine genere, aut ſeparare intellectionē à ratione qualitatis : ſed ſufficit, quod licet producatur illa qualitas cum ratione generica,& ſpecifica;tamen propter diuerſam capacitatē ſubiecti extranei,in illo non vniatur vt det denominationem intellectionis,ſed ſolum denominet quale,vel alia denominatione:hoc autem non eſſe inconueniens, patet à ſimili: nam diximus lib.2.q.7. ad 1.quod anima inquantum rationalis eſt forma corporis ; & tamen corpus non dicitur animal, nec dicitur forma,nec corpus dicitur rationale: quia proportionatum ſuſceptibile harum denominationum non eſt ſolum corpus,ſed totus homo ſuis potentijs mediantibus. Pariter ergo,quamuis qualitas hæc eſſet in ſubiecto non connaturali, nō diceretur per illam intelligēs, quia ſola potentia à qua dimanat eſſet proportionatum ſuſceptibile.

42 Dico vltimo, abſolutè debet pronunciari, quod intellectio nequit produci à principio extrinſeco etiam in eſſe qualitatis,& materialiter ;& quod repugnat, quod tollatur ab vno ſubiecto, & ponatur in alio. Sic intelligo Authores relatos.nu.30.& 32. Et probatur, quia frequenter Doctores ſupponut repugnare,quod actio,quæ eſt fieri,tollatur ab vno,& ponatur in alio;quia ſeipſa pendet à principio, & ſi eſt actio vitalis, eſſentialiter pēdet à principio intrinſeco vitæ : & ita ſequitur eſſe vitalem, & non eſſe vitalem. Sed intellectio in rei veritate,quamuis non ſit de Prædicamento actionis,vt diximus lib. 2. Logicæ quæſtione.28. §.2. ſed de Prædicamento qualitatis : tamen eſt verè, & propriè operatio,qua intelligens viuit , & vitaliter fit omnia,tandiu durans quandiu homo intelligit : & quoad hoc parratio eſt de operationibus , ac de actionibus : ergo repugnat , quod intellectio quouis modo fiat ab extrinſeco,aut ex vno ſubiecto tranſferatur ad aliud. De opinione quā modo ſupponimus,poſtea latius q. 16.

43 Ex quo fundamento omnia argumenta ſoluuntur , reddendo diſparitatem inter hanc qualitatē vitalem operatiuam,& alias nō operatiuas vitaliter, nā illę poſſunt à principio , & a ſubiecto ſeparari: ſecus vero iſtæ,quia eſſentialiter à principio,& ſubiecto iſto depēdēt:

ſicut dicitur de relatione vnionis, & de alijs huiuſmodi. Et hoc non eſt ſupplere cauſam formalem extrinſecam, ſed intrinſecam: quia ordo, & dependentia eſt intrinſeca, & eſſentialis à principio intrinſeco à quo eſt, & in quo recipitur. Vnde S. Thomas 1.p.quæſt.34. art.1. ait. *Ipſe autem conceptus cordis de ratione ſua habet, quod ab alio procedat, ſcilicet à notitia concipientis.* Et ideò iuxta ſubiectam materiam redditur impoſsibilis communicatio in alieno ſubiecto in eſſe qualis, & non in eſſe intellectionis: vnde ſicut in eſſe intellectionis non poteſt non eſſe à principio intrinſeco; ita nec in eſſe qualitatis, aut materialiter: ſicut nec motus poteſt eſſe ſine principio, & termino per modum viæ: nec vnio, aut aliæ relationes poſſunt ad huc materialiter à fundamẽtis proximis ſeparari, vt diximꝰ lib.2. Logicæ quæſt.23.n.48.

## QVAESTIO XVI.

### *Quid ſit intellectio?*

1 DIfficultas huius quæſtionis in varia placita Authores diſtraxit: & quia illorum notitia iubar ad clarius decidendam quæſtionẽ ſcitu neceſſariam; ideò fideliter conabor ſententias referre, quia à nõ nullis confunduntur, quia Doctores ipſi non leguntur: ſed in fide parentum, vt aiunt, citantur apud alios.

2 Certum eſt operationem intellectus, ſeu intellectionem, ab ipſo differre ante operationem intellectus. Quod eſt adeò certum, vt Sanctus Thomas de Spiritualibus creaturis artic. 11. ad primum, dicat, quod *nullus vnquam opinatur, niſi inſanus, quod habitus, & actus animæ ſint ipſa eius eſſentia.* Et 1.p.q.54. art.1. demonſtrat S. Thom. quod *in ſolo Deo ſua ſubſtantia eſt ſuum eſſe, & ſuum agere.* Ratioque eſt manifeſta: nam manente intellectu, non manet intellectio; & ſuccedunt in eodem diuerſæ intellectiones: ergo iſtæ diſtinguuntur ab intellectu: & ſunt quid accidentaliter illi conueniẽs.

Oſtendimus etiam quæſt. 15. §. 2. contra Gotfredum, intellectionem realiter differre à ſpecie impreſſa: vnde non eſt cur iterum in hoc immoremur. His poſitis.

### §. I.

### *Opiniones Doctorum.*

3 AD tres claſes reduci poſſunt omnes opiniones: vel conſtituẽtiũ intellectionẽ adæquatè in actione: vel adęquatè in qualitate: vel ſimul in actione, & qualitate: quamuis quælibet ſubdiuidatur in varios modos dicendi, ita vt quaſi diuerſa ſententia videatur.

4 Multi ergo affirmant intellectionem conſiſtere in actione vitali, quæ directè pertinet ad Prædicamentum actionis. Ita Conimbr. Fõſeca, Auerſa, Monteſinos, & Albelda, quos retuli lib.2. Logicæ quæſtione 28. num.4. qui intellectionem in ſolo conſtituunt prædicamento actionis. Item Suarez, & Sãchez, quos retuli ibi num.5. Qui ſimul

mul constituunt in prædicamento actionis, & in prædicamento qualitatis. Tenentque Torres de Trinitate quæst. 27. artic. 1. disput. 4. ibi Molina disp. 8. membr. 2. Fasolus dub. 13. concl. 2. Zumel disp. 5. conclus. 3. Nauarrete tom. 1. controu. 38. Iterum Auersa in præsenti. q. 58. sec. 3. & alij.

5 Diuersimode tamen hæc sententia defenditur: nam Thomistæ tenent hanc actionem esse viâ, qua producitur verbum, quod est qualitas realiter ab actione distincta. Suarez vero disp. 48. Metaph. sect. 2. & lib. 3. de Anima cap. 5. nu. 4. & 7. docet, quod verbum distinguitur modaliter ab actione, qua producitur. Quod & tenet Molina: & ante docuit Soto in 4. dist. 49. quæst. 2. art. 3. Denique Auersa etiam distinctionem modalem inter intellectionem, & verbum, negat: sed potius ait, quod intellectio est, & dici debet imago, & similitudo expressa obiecti, atque verbum mentis; neque opus est alia actione, etiam modaliter distincta, vt verbum dicatur.

6 Altera principalis sententia cõstituit intellectionem in aggregato quoddam ex actione productiua verbi, & verbo ipso producto. Ita indicant Conimbricenses tertio de Anima cap. 8. quæst. 4. articulo 2. §. *rationes autem*, ad secundum, & fauet Suarez tomo 1. 3. part. disputat. 24. sec. 2. cõclus. 3. Et expresso defendit Petrus Hurtado disputatione 6. de Anima sectione 1. & 2. dicens intellectionem cõsistere in actione, & passione, & il termino.

7 Communis aliorum Doctorum sentẽtia tenet intellectionem consistere in qualitate. Ita tenẽt ex Thomistis Caietanus prima parte quæstione 34. artic. 1. circa ad secũdum, & quæstione 55. artic. primo notabili 4. quæst. 79. art. 2. § *quoad secundum*. Capreolus in primo distinctione 35. quæst. 1. ar. 3. & in 2. dist. 1. q. 2. artic. 3. ad secundum Aureoli. Herueus Quodl. 2. q. 8. Ferrara 2. Contragentes cap. 82. circa finem, §. *quod si obijciatur*. Soncinas 9. Metaphis. quæst. 21. ibi Iauellus quæst. 7. & 3. de Anima de conceptu mentis. q. 1. Nazarius. 1. p. quæst. 27. art. 1. ibi Serra ad 1. Martinez, & Araujo, quos citât, & sequuntur PP. Carmelit. de Anima disp. 21. & 2. Ioannes à S. Thoma quæst. 11. art. 1. conclus. 2. Baptista 1. 2. disput. 39. dub. 3. Thomas Hurtado de Anima sentit. controu. 4. membr. 6. & per totam contr. & alij.

8 Item extra Scholam Sancti Thomæ, tenent Henricus Quodl. 11. ar. 3. Scotus in 1. dist. 3. q. 6. §. *hic sunt*, & ad 1. & 3. & q. 7. §. *Ad argumenta*, quem communiter Scotistæ sequũtur. Docuitque Aegidius de mensura Ang. q. 10. Durand. in 1. distinc. 27. q. 4. Ochani, & Gabriel ibi q. 2. Aegidius à Presentat. lib. 4. de Beat. q. 2. art. 4. §. 2. Vazquez 1. p. disp. 38. c. 2. & disp. 112. capit. 4. & 1. 2. disp. 9. cap. 2. §. *vt autem*, & cap. 4. §. *caterum*. Valencia, & Zuñiga 1. p. q. 27. disp. 1. dub. 4. Rubio tertio de Anima de actu intellectus q. 3. Arriaga disp. 6. sec. 2. subsec. 4. & alij multi.

9 In explicando autem quæ qualitas sit ista? Est non modica difficultas, & non parua authorum dissensio: nam Thomistæ constituunt intellectionē in qualitate adeò distincta à verbo mētis, quod sine verbo arbitrantur eorum multi posse dari intellectionē. Scotus verò, & Vazquez, Rubio, & alij constituunt intellectionem in ipso verbo mentis. Omnes etiam isti arbitrātur verbū, in quo dicunt consistere intellectionem, pendere à potentia media actione. At verò Gueuara lib.1. de interſensu tract.4.c.2.& seq.& Hurtado membro 6. concl.3.cum alijs Recentioribus, docent qualitatem istam pendere à potentia vitali perse ipsam absque media actione.

10 Rursus, Soncinas, Caietanus, & Vazquez, & alij nolunt concedere intellectionem esse actionem in rei veritate, sed solum sic dici in voce, & quoad modum significādi grammaticalem. Alij verò, præsertim ex Thomistis, dicunt vere esse actionem, seu operationē metaphisicam, qua in actu secundo viuens vere, & proprie agit, & operatur. Pro quo dicendi modò multos authores refert, & sequitur Baptista cō cl.1.& PP.Carm.§.3.& Canariensis 1.p.q.27.art.1.disp.4.p.1.& 2. Licet M.Ioan à S.Thom. concl.3. dicat, quod ipsa intellectio est virtualiter actio productiua verbi.

11 De omnibus istis sententijs, & earum dicendi modis breuiter iudicium nostrum exprimemus, vt cōplete quæstioni propositæ satisfaciamus. Aduertendum tamen, in illis duas misceri quæstiones; alterā omnino de re; & aliam quę multum potest habere de nomine, & vsu vocū. Quæstio de re est, quid requiratur vt in actu secundo simus intelligentes, vltra intellectum, & speciē impressā; an vna sola entitas, an duæ? an sint ambæ de genere qualitatis; an vna de genere actionis; & alia de genere qualitatis? Alia quæstio, quæ potest esse de voce (vt in simili notat Caietanus 1.p.q.23. artic.1. in fine) est supposito, quod plura requirantur, cur potius in isto quam in illo dicatur cōsistere intellectio? Et an conuenienter appelletur actio, vel potius operatio? Et an debeat dici modus, vel potius res?

## §. II.

### *Intellectio cōsistit in operatione, quæ est qualitas, & actio; licet non prædicamentalis.*

12 Dico primo, intelligere essentialiter consistit in actu secūdo elicito ab intellectu; qui est eius operatio vitalis immanens. Sumitur ex D.Thoma, Auerroi, & Philosopho 12.Metaph.textu 39. vbi S.Thomas lect.8.ait: *Quia vnūquodque inquantum est actu, est agens, sequitur quod intellectus, inquantum attingit intelligibile, fiat agens, & operans, idest intelligens.*

13 Probaturque primo: intellectio est qua formaliter potentia intellectiua dicitur intelligens, & reducitur ad actum secundum: sed reducitur ad actum secundum operatione immanente vitali: ergo in

ista

ja consistit intellectio. Maior est per se nota, sola terminorū explicatione: nam sicut *intellectus* significat potētiā intellectiuam per modum virtutis in actu primo; ita *intellectio* significat actum, seu exercitium huius virtutis: sicut visio significat actum, & exercitium potentiæ visuæ: & sicut existentia significat actualitatem essentiæ. Vnde S. Thomas 1.p.q.54.art.1.ait. *Alio est proprie actualitas virtutis: sicut esse est actualitas substantiæ, vel essentiæ:* & loquitur de intelligere. Et 1.p.q.14. art.4. dicit. *Intelligere est perfectio, & actus intelligentis.*

14 Minor vero probatur primo: nam vt dicit Philosophus 11. Metaph. textu 39. *actio intellectus est vita:* quod exponit S. Thomas illa q.54. ar. 1. ad 2. de vita accidentali. Sed vita accidentalis est operatio, qua quis operatur, & agit, & se mouet in actu secundo: vt constat ex dictis libro 2. q.5. & docet S. Thomas 1.p.q.18.art.2. ergo intellectus reducitur ad actum operādo actione immanente vitali. Secundo probatur ex dictis q.15. §.2. quia intellectus comparatiue ad actum, vere est potētia actiua: ergo huius virtutis actualitas, vere & proprie est operatio. Probatur consequentia, actus secundus constituens actu agens non potest esse nisi actio, vel operatio: nam denominatio agentis, & operantis, non potest prouenire nisi ab actione, & operatione. Cum ergo actualitas intellectus sit intellectio, sequitur quod intellectio essentialiter sit operatio immanens.

15 Secundo probatur: nam beatitudo, tam naturalis, quam supernaturalis, consistit in operatione, iuxta communem Philosophorū, & Theologorum sententiam. Vnde Philosophus 1. AEthic. c.7. ait, quod *felicitas est operatio.* Quod probat S. Thomas 1. 2. q. 3. art. 2. quia beatitudo est vltima perfectio: & operatio est vltimus actus operantis: & ideò *actus secundus* à Philosopho nominatur in 2. de Anima: & in 2. de Cælo textu 17. ait, quod *vnaquæque res est propter suā operationē.* Sed vt probat S. Thomas ibi art.4. essentia beatitudinis in actu intellectus consistit: ergo essentia actus intellectus consistit in operatione vitali immanente. Quam rationē indicat ibi S Thom. art. 2. ad 1. dicēs. *Alio modo dicitur vita ipsa operatio viuētis, secundum quam principium vitæ in actum reducitur, &c. Et hoc modo vita æterna dicitur vltimus finis. Ioan. 17. hæc est vita æterna vt cognoscant te.*

16 Specialiter hoc probatur, quia intelligere est percipere, apprehendere, tangere, & in actu secundo fieri vitaliter obiectū intentionaliter: vt ex dictis constat; & ampliùs exponetur declarando indigentiā verbi. Sed apprehensio, perceptio, & tactus iste intentionalis fit in actu secundo ipsa vitali operatione intelligentis. Ergo in ista consistit intellectio. Hæc conclusio sic generaliter proposita, à paucis potest negari; & ideò debemus specialius exponere, quid his vocibus velimus denotare?

17 Dico secundo, operatio immanens pertinet ad prædicamentum qualita-

qualitatis;& comparata cum actio ne prædicamentali,non est in rigore actio; abstractius tamen sumendo actionem, vt comprehendit operationem, & actus perfecti, vere, & proprie est actio, seu operatio. Priorem partem ostendimus lib.2. Logicæ illa q.28. & vlterius probatur:quia operationes immanentes non sunt præcise via vt inferatur passio in alio; sed ordinantur, vt qualificetur, & perficiatur in se subiectum:sed iste est conceptus essentialis qualitatis,analogice distinctus ab actione transeunte physice fluente cum motu,& passione: ergo operatio immanens non est vni uoce actio,sed vere est qualitas.Sumitur hęc ratio ex D.Thoma 1.Cõtragent.cap.100.Sex alias rationes proponit Baptista illo dub.3. cõc. 3.

18 Secunda pars sumitur ex D. Thoma q.8.de Verit.art.6.vbi ait. *Alia vero actio est, quæ nõ procedit in rẽ exteriorem,sed stat in ipso agente, vt perfectio ipsius:& hæc proprie dicitur operatio. Actio autem appetitus,& sensus, & intellectus* (quoad hanc quæstionem par ratio est de his omnibus) *non est actio progrediens in materiam exteriorẽ; sed sistit actio consistens in ipso agente, vt perfectio eius.* Et in 4.distinct. 17. q. 1.art.5.q.3.ad 1. dicit. *Alius motus est actus perfecti,quia magis operatio dicitur,quia non expectat aliquid in futurũ ad complementum suæ speciei.* In quibus verbis rigorosam appellationẽ actionis,seruat S. Tho.pro transeunte, & vt immanentẽ ab illa distinguat,vocat operationẽ:sed postea, in vocibus vim non faciendo, etiã vocat operationem actionem: ac proinde ly *actio* est vox analoga significans omnem actualitatem, seu actum secundum, quo ad actum reducitur virtus actiua: cum ergo in isto conceptu proprie cõueniãt operationes transeuntes,& immanentes, non est cur actiones non dicantur verè,& proprie,licet non vniuocè.

19 Hæcque est fundamentalis ratio cõclusionis, quia virtutes operatiuæ immmanenter, cum sunt in actu secundo,vere agunt, & per illas agens viuit in actu secundo,& virtus actiua reducitur ad actum: iuxta ea,quę in prima conclusione ostensa sunt: ergo sunt vere,& proprie actiones,& operationes.

20 Præterea: vbicũque est motus,eo modo quo fuerit motus,ibi est actio,& passio,quia est via,& emanatio alicuius ab aliquo,& in aliquo: sed motus est quid commune analogum ad motum physicũ, qui est actus imperfecti,& ad motũ quasi metaphysicum, qui est actus perfecti: & hoc modo Plato posuit,quod *Deus mouet seipsum*; & sic explicat S.Thomas 1.p.q.18.ar.3. ad 1.quod Deus viuit,& se mouet, & agit:ergo & actio est quid commune analogum ad omnia ista genera actionum.Et sic Theologi ponũt in Deo actus notionales,& actus essentiales.Et sæpissime S. Thomas diuinas processiones vocat actiones:vt 1.p.q.28.art.4.ait, quod *vna accipitur secundum actionem intellectus.* Quæst.27.ar.1.& 3 *processio verbi attenditur secundum actionem intelligibilem.* Et art.5.in cor.& ad 2.& eadem

dem voce vtuntur reliqui omnes Doctores veteri, & Recentiores, vt probat Fasolus 1. p. q. 27. art. 1. dub. 3. & sicut diximus, quod intelligere est pati, passione communiter sumpta, ita intelligere est agere actione communiter accepta.

21 Tertio: omnis qualitas accidentaliter aduenies subiecto, vel potentiæ, si non sit operatio, vel actio, requirit actionem vt fiat, vt patet in habitibus, coloribus, & reliquis qualitatibus: nam earum fieri est actio prout ab agente: sed operatio immanens se ipsa emanat ab operante, & agente; alioquin esset processus in infinitum: & sine necessitate operationis daretur actio: ergo operatio immanens vere est actio; licet nō physica, & prædicamētalis: quia valde diuersa sunt esse vere, & propriè actionē; & esse actionem physicā cum motu, quod exigitur ad actionem prædicamentalē. Quod si notaueris, facilè argumenta dilues, & nonnullos Doctores in solis vocibus dissentire comperies.

22 Sed contra primam partem solet opponi authoritas Philosophi, qui 10. Ethicorum cap. 3. ait. *Neque enim virtutis operationes qualitates sunt, neque fœlicitas.* Ergo nec operatio intellectus est qualitas.

Respondetur primo cum Scoto Quodlibet. 13. q. 1. *Aliter potest dici*, quod fœlicitas non est qualitas per modum habitus, sicut intellectus, & scientia; est tamē qualitas eo modo quo dispositio dicitur qualitas. Quæ solutio in simili aptatur D. Tho. 1. 2. q. 110. art. 2. & ideò eam amplectuntur cōmuniter Thomistæ, & alij.

23 Secundo respondetur illam propositionem nō proferria Philosopho ex propria sententia, sed ex sententia Eudoxij, vt euidentius eius argumentum diluat permittēdo propositionem falsam, de qua non erat ibi locus disputandi. Ita colligi ex D. Tho. ibi lect. 3. late deducunt, & exponunt PP. Carmelit. n. 17.

## §. III.

### *Non opus est alia actione.*

24 Disco tertio intellectio nō pēdet ab intellectu alia actione mediante. Hæc est Thomistarū omnium: quia illi qui constituunt intellectionem in actione prædicamentali, absque dubio non agnoscunt præter hanc aliam actionem; quia actionis non datur actio. Qui vero nobiscum constituunt in qualitate, idem dicunt; quia non constituunt in qualitate, quæ est terminus; sed in qualitate, quæ est operatio sine motu, & passione physica. Ideò etiam non contrariantur nobis in hoc puncto Scotus, & Vazquez, & alij, qui intellectionem cōstituunt in qualitate, quæ est verbum: quia licet hoc dicāt pendere ab intellectu media actione (quod verum est loquendo de actione nō prædicamentali) tamē operationē ipsam, qua fit verbum, non dicunt pendere ab intellectu media alia actione.

25 Solum ergo procedit cōclusio contra Recētiores, qui ponunt speciem expressam pendere ab intellectu per actionem superadditam

tam

tam: & quod eius productio est realiter passio: & quod species expressa vnitur per vnionem superadditā: & quod hæc vnio fit per diuersam actionem. Quæ omnia vt manifesta supponunt (cum tamen sint manifestè falsa, vt constat ex dictis 1. Phyſic.q.14.&.1.de Gener. q.5.§. 1.) & inde deducunt, quod intellectio cōsistit formaliter in actione, & passione per quā intellectus producit in se vnionem speciei expressæ; non vero in actione, & passione per quam producit ipsam speciem expressam: quia solum per primam productionem intellectus facit sibi præsens formaliter obiectum.

26 Nostra tamen conclusio facile probatur. Primo, quia entia, aut modi multiplicari non debent sine vrgenti necessitate: nulla autem necessitas est vt intellectio pēdeat ab intellectu alia actione mediāte: ergo sine causa talis actio superaddita introducitur. ¶ Secundò, sequitur hæc conclusio ex rationibus secundæ conclusionis: quia ideò non admittimus intellectionem esse de prædicamento actionis, quia nō est cum motu physico, & quia non habet alias imperfectiones actionis prædicamentalis: sed rationes istæ æque probant nullam dari posse intra intellectum actionem prædicamentalem, etiam antecedentem ad aliam actionem non prædicamentalem: non ergo talis actio datur.

27 Tertio, ideò actionis prædicamentalis nō datur actio, quia quod est ratio aliorum, est ratio sui: ne detur processus in infinitum: sicut existentia non existit alia existētia: sed operatio immanēs est ratio productionis termini, se ipsa constituens operatiuam potentiā in actu secundo: ergo non indiget alia actione, nec prædicamentali, nec metaphisica, vt ipsa fiat. Ergo licèt verbū procedat ab intellectu media operatione immanente (quod esse verū, ex dicendis constabit) non tamen ipsa intellectio pēdet ab intellectu alia actione mediante. Nec in intellectu est passio prædicamentalis, sed solum late sūpta, vt diximus q. 15.§.2.

28 Denique Neotherici illi, non solum sine fundamento ponūt illas duas actiones: sed etiam in cōsequēter, cum excluderent speciē expressam à conceptu intellectionis, postea constituunt intellectionem in actione vnitiua speciei expressę, eo quod per hāc intellectus faciat sibi præsens formaliter obiectum. Quia si hæc ratio probat, vel ostendit speciem pertinere ad essentiam intellectionis, quia specie expressa in actu secundo representatur obiectum, & nō actione vnitiua. Vel ut species solū est terminus intellectionis, & non ipsa intellectio; etiā vnio speciei non erit intellectio, sed subsequens actionem intelligendi.

29 Sed obijcies: quia eadēmet intellectio, quæ fit ab intellectu medio habitu, & specie, potest saltem de potentia absoluta, fieri, vel conseruari, sine eoquod habit⁹ influat: in hoc enim nulla apparet repugnātia; & ideò admittitur à Theologis cōmuniter. Ergo intellectio seipsa non dependet essentialiter à principio à quo elicitur; sed media actione superaddita. Res-

Respondetur antecedens nō esse ita certū, vt supponitur, siquidē negatur à Gueuara vbi supra. Sed quia hoc habet contra se difficultates propositas. q. 15. §. 3. Ideò Thomas Hurt. mēbr. 7. ad 1. & 2. respōdet intellectionē essentialiter dependere ab intellectu, ita vt sine illa implicet dari: tamen depēdentia formalis, nō est de illius essentia; sed aut relatio quædā, aut modus superadditus, qui variari potest, si varietur agens, à quo causatur intellectio: sicut creaturæ dependent à Deo essētialiter, iuxta S. Th. 1. p. q. 45. art. 2. & tamē eædē possunt fieri diuersis productionibus. Intellectio tamen nō est actio prædicamētalis; nec est ipsa depēdētia; sed est operatio immanens, quę est actus perfecti: & isto actu actuatur intellectus etiā variatis dependentijs ab isto, vel illo principio.

30 Præterquāquod, argumentū hoc cōtra omnes militat, quia nullus negat ad intellectionē requiri actionem, siue prædicamentalem, siue non prædicamentalem, siue in illa cōsistat intellectio, siue non; & ideò ab omnibus debet solui. Rursus, species impressa, & habitus nō sunt principia ita natiua, & vitalia, sicut est ipse intellectus, imò ipsi arguentes speciebus, & habitibus nulla cōcedūt cōuenire vitalitatē. Vnde nō est tam essentialis dependētia ab illis, ac ab intellectu. Deniq; est cōmunis difficultas de omni actione & operatione, cuius causæ, & principia effectiua variātur: de qua 2. Phys. q. 23. & de vtraq; illa actione procedit, quia vtraque est vitalis.

§. IIII.

*Intellectio non consistit in verbo, seu specie expressa.*

31 Dlco quarto, quamuis in hac vita in omni cognitione producatur verbum; tamen nō est de essentia intellectionis; neque in illo consistit. Priorem partem, quā conclusio supponit infra. q. 19. latius explicandam, docet S. Tho. 1. p. q. 27. art. 1. illis verbis. *Quicumque intelligit, ex hoc ipso quod intelligit, procedit aliquid intra ipsum, quod est conceptio rei intellectæ, ex vi intellectiua proueniēs, & ex eius notitia procedens.* Et libro 1. Contrag. c. 53. duas rationes indigentiæ productionis verbi assignat dicens. *Et hoc quidem necessarium est, eo quod intellectus intelligit indifferenter rem absentem, & præsentem; in quo cum intellectu imaginatio conuenit. Sed intellectus hoc amplius habet, quod etiam intelligit rem vt separatam a cōditionibus materialibus, sine quibus in rerum natura nō existit: & hoc non potest esse, nisi intellectus intentionem sibi prædictam formaret.* Quas rationes egregiè declarat ibi Ferrara. §. *ad euidentiam.* Et ex eis infert, quod intellectus noster nihil potest intelligere naturaliter, non formando verbum: quia ni. sibi sufficiēter est præsens in ratione obiecti interni, nisi medio verbo fiat præsens in ratione termini. Infert rursus, quod speciali ratione in cognitione rerum materialium necesse est formare verbum; quia obiectum vt terminat cognitionem, non est in actu, nisi per intellectum fiat; cum non

non sit abstractum a materia extra intellectum; terminet autem secundum quod est abstractum à materia. De quo videatur S. Thomas lib. 4. Contrag. c. 11. & quæst. 8. de Poten. art. 1. & q. 9. art. 5. & de Spirit. cre. art. 9. ad 6. & Quodlib. 5. q. 2. & alijs locis infra referendis quęst. 18. & 19.

32 Secunda pars, de qua est præsens quæstio, est S. Thomæ eisdem locis, in quibus docet verbum procedere; *ex notitia intellectus*, & quod est *quasi terminus intelligibilis operationis*, vt dicit illo cap. 53. & cap. 11. & videatur illa q. 8. de Potentia, & Opusc. 13. & 14. de natura verbi. Est ad mentem S. Augustini. 8. de Trinit. cap. 6. circa medium, & lib. 9. c. 15. & 14 Et vt authoritates intelligantur, videndus S. Thomas 1. p. q. 34. ar. 1. ad 2. Et ab ista conclusione nullus Thomista dissentit.

33 Ratione probatur. Primo in sẽtentia Caietani, & multorum Thomistarum 1. p. q. 12 ar. 2 & q. 27. ar. 1. asserentium in visione beata dari intellectionem perfectissimam sine productione verbi. Ex illa enim aperte cõstat verbum non esse de essentia intellectionis: siquidẽ res esse nequit sine prędicatis essentialibus.

Sed hoc non potest esse vnicum nostræ cõclusionis fundamentum: quia in via D. Thomæ valde probabile est, quod beati formẽt verbũ, vt patet ex Capreolo, Ferrara, Syluestro, Ledesma, & alijs suo loco referendis q. 19. num. 7.

34 Posset præterea probari: nam Filius, & Spiritus Sanctus intelligunt; & tamẽ non dicunt verbum: vt docẽt Theologi cum D. Thoma 1. p. q. 34. art. 1. ad 3. non ergo dicere verbum est essentialis conceptus intellectionis vt sic. Quia tamen argumentum hoc Theologorum est. Videatur Ferrara 4. Contrag. c. 13. & quæ notamus infra q. 19. n. 11.

35 Vnicum fundamentum Physicum à priori hoc est, insinuatum à D. Thoma, desumptum ex propria ratione verbi: ponitur enim ex fæcunditate intellectionis, vt terminẽ eius intrinsecus, & vt obiectum immediatum cognitionis: si enim istæ causę cessarent, nulla esset necessitas verbi in intellectu. Sed omnes istæ causæ, & singulæ manifeste probãt verbum esse quasi filium, & prolem intellectionis, & complemẽtum eius physicũ; non vero quod constituãt conceptum eius quidditatiuum, quem modo inquirimus: ergo verbum non est de essentia intellectionis. Minor probatur, quia fructus non est de essentia arboris, nec genitum est de essentia generationis. Intellectio etiam licèt dicat essentialem ordinem ad terminum; tamen terminus in se nõ est intrinseca pars illius. Et similiter ordo ad obiectũ est de essentia actus, non tamen obiectum cognitionis directe est ipse actus. Cum ergo intellectio essentialiter sit operatio immanẽs intellectus, verbũ, seu species expressa nõ constituit in recto intellectionem; sed solum in obliquo, & completiue, & quasi extrinsicè. Physicè enim verbum est intrinsecum, & cõnexũ cum intellectione, cuius est complementum, & terminus: metaphisicè autem essentiam intellectionis considerando,

siderando verbum est illi extrinsecum. Quod mire explicuit S. Thomas q. 8. de Potentia art. 1. ex una parte asserens, quod verbum *differt ab actione intellectus, quia prædicta conceptio*, seu verbum, *consideratur vt terminus actionis, & quasi quoddam per ipsam constitutum. Hæc autem conceptio intellectus in nobis proprie verbum dicitur.* Vbi explicat esse metaphysice extrinsecum, & causatum ab intellectione. Et ex alia parte esse illi physice intrinsecum, ibi supponit, cum ait. *Verbum nostri intellectus non est extrinsecum ab ipso intelligere ; cum ipsum intelligere compleri non possit sine verbo prædicto.* Videatur Ferrara 1. Cõtragent. cap. 53. circa finem §. *Non obstat.*

36 Sed & rursus posset conclusio probari ex dictis q. 15. in qua ostendimus quod verbum mentis diuinitus potest esse à principio extrinseco; intellectioni autem, vt intellectio est, hoc repugnat, quia est vitalis operatio: non ergo in solo verbo saluatur essentia intellectionis.

37 Contra istam conclusionem obijciunt, primo authoritatem S. Thomæ 1. p. q. 34. art. 1. ad 3. dicentis. *Intelligere importat solam habitudinem intelligentis ad rem intellectam, in qua nulla ratio originis importatur, sed informatio quædam in intellectu nostro prout intellectus noster fit in actu per formam rei intellectæ.* Sed hoc aptissimè verificatur de verbo mentis, nõ autem de operatione, quæ ex propria ratione dicit emanationem, & originem: ergo ex mente D. Thomæ, intelligere causaliter consistit in operatione, & essentialiter consistit in verbo, seu specie expressa.

Respondetur, quod vt ex cõtextu constat, intẽdit S. Thomas assignare discrimen inter intelligere, & dicere: nam intelligere solam dicit perfectionem intelligentis, qua percipit rem intellectam; in quo nõ exprimitur fœcunditas alicuius emanantis realiter distincti ab intellectione. Dicere vero exprimit vim fecundatis, & modum intellectionis, ex qua procedit id quod dicitur. Vnde intellectus constitutus in actu per speciem impressã, intelligit eliciendo actionem qua perficitur: & in hoc nõ exprimitur origo verbi. Ex quo non infertur, quod verbum sit constitutiuum intellectionis, vt intellectio est ; sed potius, quod sit fœtus illius, vt dictio est. Vnde S. Thomas q. 4. de Verit. art. 2. ad 5. ait, *quod in nobis dicere, non solũ significat intelligere ; sed intelligere cum hoc quod est exprimere aliquã conceptionem.*

38 Obijciunt secundo, quia tũc intellectus formaliter intelligit obiectum, quando fit eo expresse, atque perfecte simile in esse intentionali: sed per informationem intellectus à verbo, vel specie expressa, fit intellectus expresse, atque perfectè similis obiecto in esse intentionali: ergo fit formaliter intelligens per talem verbi formationem: ergo in tali formatione, & nõ in actione aliqua consistit ratio formalis intellectionis. Ita post aliquos Rubio q. 3. conc. 2.

Respondent bene PP. Carmelit. q. 2. ad 3. quod duplex est actualis

manifestatio, & assimilatio cum re intellecta: alia per modum vitalis operationis: alia per modum obiecti. & termini actualiter exprimẽtis, quod est in specie impressa. Intellectio igitur est actualis manifestatio rei per modum vitalis operationis; quia est exercitium vitæ in actu secundo; non vero est manifestatio per modum termini operationis vitalis. Et iuxta hoc, maior, & minor debent distingui, & negari vtraque consequentia.

39 Tertio arguitur: nam species impressa cõstituit intellectiuũ principium in actu primo, tamquam aliquid intrinsice pertinens ad talem actum primum: ergo verbum constituit intellectum intelligẽtem, vt quid intrinsice spectans ad intellectionem. Consequẽtia patet, non solum à paritate; sed etiam, quia actus secũdus exprimit ea quæ sũt in actu primo, & intellectio est actus secundus potentis intelligere.

Respondẽt PP. Carmelitani vbi supra nu. 36. & 37. negando consequentiam. Et ratio disparitatis est, quia intellectio non est similitudo obiecti; sed est tendentia vitalis in illud: at vero species impressa est similitudo in actu primo; & ideò reducitur ad actũ similitudine expressa in actu secundo; quæ non est intellectio, sed est eius terminis.

40 Secundo possumus respondere, quod species non constituit potentiam in esse potentiæ, sed complet physicè in virtute, & determinat ad tale obiectum: ex quo infertur, quod ex parte actus secũdi species expressa correspondet impressæ, & intellectio correspondet intellectui metaphisicè præscindendo; licet physicè totus actus sit ab vtroque. Quo sensu possumus exponere Capreolũ, qui in 1. dist. 35. quæst. 1. ad 4. Scoti ait. Species intelligib lis non habet rationem potentiæ, sed ipse intellectus habet rationem potentiæ. Cuius causa est, quia licet tam intellectus, quã species concurrant in actu intelligendi; tamen intellectus principaliter respicit substantiam actus; species autẽ modum actus. Vnde quod ille actus sit intellectio, habet ab intellectu; quod autem sit huius, vel illius obiecti, habet à specie. Hæc ibi. Quod intelligendũ iuxta dicta q. 11. Cum ergo intellectio sit act? intellectus, vt potentia est, formalissimè reducitur ad actũ per operationem; & sicut species se habet vt complementum physicè ex parte actus primi, ita verbum, seu species expressa est complementũ physicè intrinsecum ex parte actus secundi; sed non constitutiuum quasi metaphisicum intellectionis.

## §. V.

### *Non consistit in aggregato ex actione, & verbo.*

41 DIco vltimo, intellectio non consistit in aggregato ex actione, & verbo. Hæc est contra sententiam Petri Hurtado; quam alter Hurtado memb. 3. appellat *omnino monstruosam, & ficticiam.* Et impugnat primo: alias etiã intellectus esset de essentia intellectionis, nõ obstante

stante, quod posset dari sine illa: sicut verbum ponitur à contrarijs esse de essẽtia intellectionis; & quod verbum potest dari sine intellectione. ¶ Secundo, quia in Spiritu Sancto, & Filio est intellectio sine productione verbi. Tertio, quia formalitas intellectionis debet esse impartibilis, & habere perse vnitatem: actio vero, & passio, & terminus secundum suas formalitates nõ sunt per se vnum. Quarto, quia viuens inquantum viuens, est vnum perse: ergo id quo completur in actu secũdo viuentis vt vltimo exercitio vitæ est vnum perse: ergo intellectio debet esse vnum perse.

42 Videtur tamen, & censura nimis rigida, & duo argumenta vltima parum vrgẽtia (quidquid sit de alijs.) Quod, in gratiam veritatis, sic expono: nam Authores contrarij dicunt verbum realiter non differre ab operatione: vt patet sectione 8. Per hoc ergo, quod intellectionem constituant in operatione, & verbo formaliter distinctis, nihil dicunt contra vnitatem intellectionis: sicut Sanctus Thomas 1. part. quæst. 22. artic. 1. ad tertium, ait. *Et tamen si prouidentia ex æquali respiceret voluntatem, & intellectum diuinum, hoc esset absque detrimento diuinæ simplicitatis; cum voluntas, & intellectus in Deo sint idem.*

43 Præterea: nullum est inconueniens, quod idem viuens in actu primo reducatur ad actum secundum per plures actus vitæ sensuum externorum, & internorum, intellectus, & voluntatis; & omnes sunt simul: & nos fatemur quod simul intelligit, & dicit verbum: ergo si hæc vox *intellectio* esset imposita ad significandum hoc complexum ex operatione, & verbo, nihil obstaret vnitati viuentis: quia cum vnitate substantiæ componitur pluralitas operationum.

44 Quare vnica via, qua excluditur illa sententia, & nostra firmatur conclusio, est probando, quod actio non producitur ab intellectu, si loquamur de actione prædicamentali; & quod intellectio non significat in recto verbum; sed solum in obliquo, vt hactenus est ostensum: vnde excludendo ambas partes, complexum manet exclusum. Et quia fruttra ponitur conflari ex duabus entitatibus, vel modis, id quod in vna sola saluare potest omnia essentialia prædicata.

45 Sed arguit Petrus Hurtado, primo authoritate Diui Thomæ in primo distinctione 27. quæstione secunda articulo secundo, vbi ait. *Conceptio intellectus est, vel operatio ipsa, quæ est intelligere; vel species intellecta. Vnde oportet, quod verbum, vel dicatur ipsa operatio intelligendi; vel ipsa species, quæ est similitudo rei intellectæ: & sine vtroque istorum non potest quis intelligere: vtrumque enim istorum est quo quis intelligit formaliter.* Ergo ex mente Diui Thomæ intellectio consistit in aggregato ex operatione, & verbo. Neque est quærendus, inquit Hurtado, nodus obscurarum interpretationum, in scirpo tam leui: siquidem hæc sententia accipit à Diuo Thoma, non modo sensum, sed & verba.

Respondetur primo, nec quoad apparientiam S. Thomam eius sententiæ fauere verbis istis: siquidem S. Thomas loquitur disiunctiuè, & iste intendit quod cópulatiuè in vtroque essentialiter consistat.

46 Secundo dicitur S. Thomam ita ibi loqui, quia ad impugnãdam sententiam, quam ibi retulerat, nec indigebat sententia, quod intellectio consistit in operatione, nec sententia quod intellectio consistit in verbo: & ideò, iuxta quamlibet, aduersarios impugnat. Ex quo, nec apparenter, inferri potest esse de mente S. Thomæ sententiam, quæ intellectionem constituit in aggregato ex vtroque: cum huius opinionis, nec meminerit S. Thomas, nec ibi, nec alibi.

47 Tertio facilè dicitur, quod intellectio consistit in operatione, & verbo; in illa in recto, & in isto in obliquo, vt in termino intellectionis. ¶ Alia etiam expositio traditur à Bergomensi dub. 75 1. quæ fundatur in cõmuni modo loquendi Theologorum dicentiũ, quod beati vident in verbo, ea quæ vident in essentia gerẽte munus speciei impressiæ. Vnamque ex his expositionibus necessario admittendam, cõstat, quia ibi affert Bergomẽsis septem S. Thomæ testimonia, in quib⁹ expresse distinguit intellectionem, quæ est operatio, à verbo mentis: quod isti negant.

48 Ratione arguit, quia viuẽs in actu secundo est exercitium actus primi actiui, & passiui: sed viuens creatum vt sic in actu dicit essentialiter actionem, & passionem, quia est potentia se ab intrinseco mouens: ergo viuens in actu secundo dicit actionem, & passionem, & terminum.

Retorquetur argumentum, quia viuens vt sic non se mouet actione prædicamentali cum motu; sed actione, quæ est operatio immanens, sine motu, & passione. Secundo respondetur iuxta duas solutiones traditas n. 39. & 40. Denique, non apparet ex vi huius argumẽti, quo modo deducatur quod terminus actionis ad essentiam intellectionis pertineat? Et ideò quoad hanc partem sola negatione consequentiæ satisfit.

49 Secũdo arguit Hurtado §. 10. quia intelligere creatũ est dicere: dictio autem includit formaliter, & verbum, & illius productionẽ, quæ est illius prolatio: ergo & intelligere creatum. Maior, inquit, est sine controuersia, quia prolatio externa vocatur dictio, quia per illam profertur verbum. Et Matth. 9. *dixerunt intra se, hic blasphemat*: quibus Christus obiecit: *vt quid cogitatis mala in cordibus vestris?* Itaque dicere, & intra se cogitare, sunt idẽ, vt hinc aperte colligitur, & recte ostẽdit Vazquez to. 2. 1. p. dis. 112. n. 7. Minor verò constat, quia loqui interne includit verbum, & illius prolationem.

Respondetur quod falsum est, maiorẽ esse sine cõtrouersia, cũ eã negent Scotus in 1. dist. 2 q. 7. §. *Obijcitur*. Et Molina 1. p. q. 27. arti. 1. disp. 8. mẽb. 2. §. *verumtamen*, & alij. Immo, in sensu formali, communiter negatur, quia dicere saltem modaliter

daliter differt ab intelligere, vt docet S. Th. 1.p.q.34.ar.1.ad 3. & ibi cõmuniter Thomistæ, & alij Authores frequenter, vt bene ibi Fasolus dub.2.& 3. Vnde illa propositio nõ debuit proponi vt certa sine controuersia. Nec Christus Dominus asseruit, quod dicere est intelligere: sed solum supponit, quod cum dicimus in corde, intelligimus, & cogitamus. Et adhuc si id assereret, restaret expositio, quod illa verba acciperet in vsu vulgari, & non in vsu riguroso scholæ: sicut S. Thom. illa solut. ad 3. ait, quod *Anselmus improprie accipit Dicere, pro Intelligere.*

50 Concessa etiam maiori, minor est distinguenda, & concedenda de inclusione extrinseci termini, & effectus dictionis; non vero concedi debet, sed negari, de inclusione intrinseca: quia dicere nõ est verbũ, sed productio verbi, vt constat ex D. Augustino 15. de Trinit. cap. 15. & ex D. Tho. illa solut. ad 3. & ex communi Doctorum, quos ibi refert, & sequitur Fasolus n.22. contra Vazquez, & alios. Reliqua argumenta Hurtadi ex dictis manẽt soluta; & ideò non oportet ea referre.

51 Videntes alij Neotherici argumentorum istorum inefficaciã, illis expræ:tis, sic arguunt. Si tota ratio cognitionis in actione consistit, terminus tantum est necessari⁹ vt subsistat actio: ergo terminus est propter actionẽ, & non actio propter terminum: quod esse absurdũ, adeò est certum, vt Zuñiga de Trin. dis. 1. dub. 7. dicat quod qui oppositũ asserunt, videntur conceptũ actionis non intellexisse. Antecedens vero probatur, quia si terminus nõ constituit intellectum intelligentẽ: ergo terminus tantum requiritur, vt fit actio. Et ideo si daretur actio sine termino, intelligeret intellectus.

Facillimè respondetur, in primis hoc non militare cõtra nostram sẽtentiam constituentẽ intellectionẽ in operatione de genere qualitatis.

52 Deinde contra nullam habet efficaciam, quia nec S. Thom. nec alij ex isto capite probant verbi necessitatem: & in diuinis id est manifestum, quia Verbum, & Spiritus Sanctus intelligunt, & non dicunt verbum. Sed probant vno ex trib⁹ capitibus assignatis conc. 4. Vnde in forma nego antecedens. Ad probationem nego consequentiã, quæ non probatur, & improbandam esse constat, primo, quia producitur verbum ex fæcunditate intellect⁹. Et secundo, vt terminus intrinsecus in absentia obiecti. Et tertio, vt res materialis terminet in actu secundo secũdũ quod est abstracta à materia. Ex eo ergo quod intellectio cõsistat in actione, vel operatione, non sequitur quod intelligere sit propter verbũ: sed verum est quod verbum est effectus dictionis.

53 Denique arguit Arriaga nu. 19. quia vita intentionalis, & physica formaliter non sunt idem interse: vnde bene potest reduci ad actum secundum vna sine alia: & consequenter poterit recte actu intelligere, & viuere intentionaliter, quin actu operetur, & viuat physice.

AEquiuocationem tamen huius Authoris iam abstulimus lib. 2. q. 5.§.3. Deinde sicut distinguũt in actu primo vitam intentionalem, & physicam, ita operationem possunt considerare physice, & intentionaliter. Immo, & verbum ipsum possunt cõsiderare in esse entis, & qualitatis, & in esse imagininis intẽtionalis obiecti: vt late S. Thom. in 1. dist. 27. q. 2. art. 3. Ergo distinctione ista præsens quęstio nõ soluitur, sed confunditur.

54 Denique, si posset vita intentionalis exerceri in actu secundo, sine operatione physica; possemus libere operari nihil agendo physice: quod non consonat Concilio Tridentin. sess. 6. can. 4. Et de operatione intentionali restat videndũ, cur non sit vera operatio, & in genere illo in quo constituimus operationes immanẽtes? Nec video quo efficaci argumento probẽt, quod operatio intentionalis identificetur cum verbo. Immo videntur viam sternere, & coincidere in sententiã Aureoli impugnatam q. 15. a n. 20. quod intellectus non agit realiter, sed solum patitur recipiẽdo speciẽ subesse apparenti.

55 Vltimo aduertendum, quod Gueuara vbi supra. & alij moderni docent, quod intellectio est modus intellectus. quia & si qualitates aliq habeant conceptum re:, & hic perfectior sit conceptu modi; intellectio habet alia prædicata, ratione quorum longe exuperat conceptũ rei: qui alijs imperfectioribus qualitatibus, & non intellectioni cõpetit: intellectio autẽ est modus, quia seipsa pendet ab intellectu, & perse ipsam intellectum informat.

56 Quam sententiã, vt *improbabilem*, reijcit Thom. Hurt. Contr. 4. mẽb. 6. cõc. 4. & arguit primo, quia intellectio ex sua ratione formali est perfectio simpliciter simplex in Deo reperta: ergo implicat quod contrahatur per modum, qui non dicit *aliquid, sed aliqualiter*. Secundo, quia modus ex sua ratione formali nõ fit perse: at intellectio fit perse, & non per resultantiã. Tertio, quia modus non producit rem perfectã; intellectiones autem, & volitiones producunt habitus, qui nõ sunt modi. Quarto, quia nostra beatitudo nõ est modus, sed res perfectissima: & tamen consistit in operatione. Denique, quia creaturæ se ipsis pendent à Deo, & nõ sunt modi. Et potentiæ resultant absque actione media; & tamen non sunt modi.

57 Quod si respondeatur, hanc quæstionem esse de modo loquendi, vt in simili diximꝰ lib. 2. Log. q. 23. n. 35. & lib. 4. Phy. q 4. nu. 2. & alibi sæpè; & ideò nõ est cur tã rigide impugnetur. ¶ Ex hoc ipso magis reijcieda est; quia in istis quęstionibꝰ cõmunis loquẽdi modꝰ debet prævalere: & omnes alij Philosophi, & Theologi antiqui, & moderni relati §. 1. pro omnibus sententijs, vel supponunt, vel affirmãt intellectionem esse rẽ perfectissimã; licet differant in quo genere sit collocanda? Neutiquam ergo intellectio est appellanda modus, sed res: vt indicat Philos. 9. Met. text. 15. dicens, quod *actio immanens non perficit aliquod operatum, sed ipsum operans*:

&

*& ita est in ipso sicut perfectio eius* : de quo latius S. Tho. 1. Contrag. cap. 100.

58 Et licet Authores relati n. 5. posuerint solam distinctionem modalem inter intellectionem, & verbum; tamen, & hoc communiter impugnant Thomistæ : & aliorum nullus posuit, quod hoc complexum intellectio, & verbum sint tãtum modi intellectus. Nec video cur species expressa debeat dici modus, cũ impressa dicatur res. Et cum videamus operationum dari modũ, quia aliæ sunt magis, & minus intensæ; aliæ maioris, vel minoris adhærentiæ, &c. manifeste infertur, iuxta ipsos, operationes non esse modos : licet nos nõ reputemus inconuenies, quod vnus modus alium fundet. Sed ne modum excedamus, huic quæstioni finem imponamus.

## QVAESTIO XVII.

### *Vtrum intellectus noster indigeat speciebus intelligibilibus impressis?*

1 QVia non valemus naturã verbi, seu speciei expressæ, declarare, nõ exposita necessitate speciei impressæ; & quia non plene innotescit virtus intelligendi, non agnito comprincipio intellectionis; ideò de specierum intelligibiliũ indigẽtia opportune hic disputam' antequam de verbo mentis tractemus. Huic autem quæstioni esse locum, adhuc post stabilitam q. 7. necessitatem specierum in sensibus, dicẽda monstrabunt.

2 Non solum, qui in sensibus species non agnoscunt, eas non admitũt in intellectu; sed adhuc, qui concedunt necessarias esse in sensibus, negant species intelligibiles in nostro intellectu. Henricus Quolib. 4. q. 7. & 21. & Quolib. 5. q. 14. & 15. & Durandus in 2. dist. 3. q. 6. nu. 10. & deinceps, & in 4. dist. 49. q. 2. nu. 19. & Ocham in 2. q. 17. & 18. & ibi Gabriel dist. 3. q. 2. a. 2. & 3. Ioannes Bachon in 2. dist. 3. q. 6. ar. 4. Negat eas dari de facto; licèt admittat eas dari posse.

3 Quorum fundamentum est : nã phantasmata, non causando species intelligibiles, quæ subiectentur in intellectu, possunt intellectui obiectiue vniri; & eum mouere, & determinare; & eius tollere potentialitatem; & illi præsentare obiecta ad intellectionem, & verbum; saltẽ in ordine ad primam cognitionem. Contra quod nullam naturalem rationem posse Philosophũ afferre, asserit Mairon 1. dist. 3. q. 10. quem refert, & sequitur latissimè Aegidius à Præsent. lib. 8. de Beat. p. 1. q. 1. ar. 1. à n. 19. vsque ad 43. vbi cõcludit fundamentum huius opinionis nõ posse sufficienter falsitatis conuinci rationibus naturalibus; sed solum est Philosophia Aristotelis probata: quod nobis satis esse debet vt illud tamquam falsum relinquamus.

4 Cæterum cum vult Aristotelis authoritatem cõmendare, eam videtur labefactare, quia authoritas Philosophi rationi non innitẽs, ba

culus arundineus est: & propter solam authoritatē, non bene ipse Aegidius n.4. dixisset (ab ipsa veritate coactus) quod sententia admittens necessarias esse species intelligibiles, est *verissima*, & quod inter Peripateticos: *Iam habetur tamquam axioma, adeò vt opposita sententia censeatur paradoxa.*

## §. I.

### *Indigentia specierum probatur duplici ratione S. Thomæ.*

5 SIt ergo certa conclusio, in intellectu nostro dantur, & necessariæ sunt species intelligibiles distinctæ à speciebus sensuum externorum, & à speciebus, & actibus phantasię. Ita Phylos.3.de Anim.tex.38. & S.Tho. ibi lec.13. lit.b. & 1.p.q. 84.per totam, vbi citat Platonem, & Auicenam, licèt differant in causa harum specierum. Refert etiam S.Thomas art.2. ad.1.S. Augustinū 10.de Trinit.c.5.6.& 8.vbi docet: *Mētem has imagines secū ferre* Et quod distinctæ sunt ab imaginibus, *eorum, quæ in parte quadam sunt animæ, quā habent, & bestiæ.* De quo etiā 9.de Trin. cap.11.& lib.11. cap.8.& lib.15.c. 21.& seq.& lib.12. de Genes.ad literam cap.23.& epist.100.& 101. Sequunturque communiter Theologi, & Phylosophi.

6 Sequiturque ex dictis quæst.7. nam vt dicit Phylos.3.de Ani. cap. 4.textu 2.& cap.7. text.28.sicut se habet sensus ad sensibile, ita intellectus ad intelligibile. Ratioque a priori ibi proposita.n.13.& 14.cōmunis est sensui, & intellectui. Et ad intentum sic formatur Bañez 1.p. q.84.art.2.concl.1. Quia cognitū debet esse in cognoscente vt fiat cognitio; quia fit per assimilationem, & trahendo res ad se; quia cū intellectus essentialiter sit potentia antecedenter passiua, debet à suo obiecto perfici, & transmutatione spirituali transmutari, vt auferatur eius potentialitas, & reducatur in actum: quia vnumquodque agit, in quantum est in actu. Sed res prout est à parte rei, & prout in phantasmate habent esse materiale. Ergo vt obiectum intellectui vniatur, necesse est in ipso intellectu ponere speciem spiritualem. Similiter aliæ rationes ibi formatæ ad præsens intentum, seruatis seruandis, possunt vrgeri. Videatur Capreol.in 1.dist. 35.q.1.ad argumenta Henrici contra 1.præcipuè ad 6.& 1.dist.3.q 2. ad 2.Durand.con.4.

7 Præterea euasio prioris sententiæ præcluditur à D.Tho.1.p.q.79. art.4.ad 4.& q.8.de Verit.art.9.nā *formæ quæ sunt in rebus materialib⁹, aut in seruibus, vel in phantasmate, cū non sint omnino à materia depuratæ, non sunt intelligibiles actu, sed in potentia tātum*; & ideò requiritur, quod per actionem intellectus efficiantur actu intelligibiles. Et hæc est necessitas ponendi intellectum agentē in nobis. Formis autē intelligibilibus factis, nondum per eas res intelligeretur, *nisi formæ illæ intellectui vnirentur*: vt sic intelligens, & intellectum sint vnum: & ita oportet, quod *intellect⁹ formas huiusmodi recipiat*: & sic à reb⁹ quodam-

quodammodo patitur, prout, scilicet, omne recipere, pati quodã est. Et infra. Res autem materiales, & intelligibiles sunt omnino diuersorum generum: ea enim, quę nõ cõmunicant in materia, non communicant in genere, vt patet per Philosophũ in 5. Metaph. & in 10. Vnde non potest esse, quod res materiales immediatè patiãtur ab intellectu, aut agant in ipsum. Hęc ibi S. Tho. Si ergo res in phantasmatib⁹ nõ sunt à materia omnino depuratæ, non possunt vniri intellectui immateriali, nisi media specie spirituali, facta virtute intellectus agentis, & recepta in intellectu possibili.

8 Occurrit tamẽ Durandus: nam sensus, & intellectus in nobis sunt potentiæ per se subordinatæ: hæc est autem naturalis subordinationis conditio, vt obiectum posterioris potentiæ præsentetur per actum prioris: sicut sensus externi proponunt obiecta sensibus internis, & internos, qui sunt inferiores, obiecta proponunt superioribus gradatim ascendendo: quia *supremum infimi attingit infimum supremi*, vt ait S. Dionys. Igitur cum phantasia sit supremum in ordine sensibilium, seipsa in cognoscendo continuari debet cum nostro intellectu, qui est infimus intelligibilium. Ergo licet res sensibiles extra phantasiam sint intelligibiles solum in potentia; attamen eo ipso, quod sunt in phantasia, fiunt intelligibiles in actu: ideò præcisè, quia sunt in supremo sensibilium.

9 Nec hoc mirum videri debet (ait AEgidius num. 27.) quia id ipsum docuit Ferrara secundo Contragẽtes cap. 77. §. *circa primum*, dũ ait, phantasma eo ipso, quod productum est à potẽtia radicata in eadem animæ essentia cum intellectu, ex sua natura esse illuminatum, & aptum ad mouendum intellectum. Quod satis etiam significat D. Thomas 1. p. q. 85. art. 1. ad 3.

10 Præterea arguit idem num. 28. nam phantasma illuminatum secluſa quacumque specie est actu intelligibile, & constitutum in supremo sensibilium, vt docent Henricus Quodlib. 1. quæst. 14. & alij pro ipso relati. Et Caietan. 1. parte quæst. 79. artic. 3. & 4. & Ferrara vbi supra, & cap. 59. §. *attendendum*, & Iauellus tertio de Anima quæst. 3. de intellectu agente, §. *quantum ad secundum*. Et colligitur ex D. Th. 2. Contragent. cap. 62. rat. 3. & cap. 76. & quæst. de Anima articul. 15. Cur ergo phantasma, ita elevatũ non poterit intellectui obiectiuè præsentari, tamquam obiectum immediate motiuum illius ad actum intelligendi? Et sic propositum satis determinabit indifferentiam intellectus, & vnietur cum illo obiectiuè, vt possit intelligere, & proferre verbum.

11 Euasionem tamen istam precludit S. Tho. Quodl. 8. ar. 3. dicens. Sed phantasmata vlterius mouent intellectum possibilem; nõ autem ad hoc, quod ex ipsis sufficiant, cum sint in potentia intelligibilia: intellectus autem nõ mouetur nisi ab intelligibili in actu. Vnde oportet, quod superueniat actio intellectus agentis, cuius illustratione phan-

phantasmata fiunt intelligibilia in actu; sicut illustratione lucis corporalis fiũt colores visibiles actu. Idẽ docet S. Thom. 2. Contrag. cap. 73. rat. 3. & latius cap. 77. & 1. p. q. 79. artic. 4. ad 4. & eisdem locis omnes Thomistæ docent intellectum non posse pati à phantasmate immediate, sed mediãte specie.

12 Vis ergo rationis S. Thom. vt notat Iauellus 3. de Ani. q. 1. de specie intelligibili, consistit in hoc: nã impossibile est aliquid quod est in potentia essentiali, fieri actu formaliter, nisi per aliquid in eo receptũ, & intrinsecum: nam intrinseca potentialitas non tollitur nisi per formam intrinsecam, vel inhærẽtem, vel perficiẽtem per intimam vnionem. Sed intellectus possibilis est in pura potẽtia ad intelligendum: ergo necesse est, quod constituatur in actu primo per aliquam formã, vel speciem immaterialem sibi proportionatam, & quæ recipiatur in intellectu. Phantasia autem, quantumuis illustratum, non potest recipi in intellectu: quia adhuc post illustrationem, materiale est, cum sit idem secundum rem illustratum, & non illustratum: sicut est idem color in luce, & in tenebris: nam per illustrationem immediatè nõ egreditur ordinem materialium. Ergo phantasma non potest actuare intellectum possibilem ad eliciendum intellectionem. Ergo vltra phantasma est necesse ponere speciem omnino immaterialẽ, qua formaliter actuetur intellect⁹ possibilis. Quia subordinatio non tollit, quod phãtasia sit diuersi generis; nec permittit transitum immediatum, sed solum mediatum: & hoc solum concedunt Authores nostræ sententię. Et per hoc patet ad argumenta cotrariæ: quia satis explicatur continuatio sensus cũ intellectu per productionem speciei intelligibilis, vt explicat ipse AEgidius n. 45.

13 Præterea arguitur ratione S. Tho. 1. p. q. 84. art. 6 & latius 2. Cõtrag. c. 77. nam phantasmata sunt similitudines rerum sensibilium, etiam secundum conditiones materiales, quæ sunt proprietates individuales, & sunt etiam in organis materialibus. Non igitur sunt intelligibilia in actu. Cum ergo intellectus sit immaterialis, & accipiat naturã vniuersalem denudatam ab omnibus conditionibus individuantib⁹, non potest immediatè actuari phantasmate: sed solum mediante specie ab intellectu agente causata: quia representatio adeò determinata, & materialis nequit pertingere ad modum representandi ita abstractum vt pertingat ad representãdum naturam vniuersalem.

14 Respondet AEgidius n. 35. & 36. argumentũ solũ probare phantasma, sumptum pro specie rei phãtasmatæ, aut pro actu, vel specie expressa ipsius phantasiæ nõ posse formaliter representare naturam sine cõditionib⁹ individuantib⁹. Quod expressè admittunt Hericus Quod lib. 15. q. 14. lit. o. & Bachonius in 2. q. Prologi fol. 5. col. 4. & verissimum est, quia cum species naturaliter representent, semper eodẽ modo representant. Sufficit autem cõtrariæ sententiæ, quod obiectum

phan-

phantaſiatum illuminetur, & ipſa luminis illuſtratione abſtrahatur, & denudetur, & fiat actu intelligibile, potens mouere intellectum.

15 Sed contra, data iſta ſolutione, reſtat in ſua vi argumentū: quia ad intelligendum, non tantum requiritur obiectum terminans cognitionem, ſed exigitur vnio illius cum potentia: ſicut in ſenſibus externis, & internis, nō tantum aſſignantur obiecta, ſed etiam ſpecies, quæ ſunt principia actuum: ergo ſi ex hac illuminatione tantum apparet obiectum extrinſecum intellectui, reſtat aſſignandum mediū quo vniatur illi intrinſecè? Iam enim diximus phantaſma materiale in inferiori potentia, & in organo materiali reſidens non poſſe actuare, nec eſſe principium operationis ſpiritualis: quia vt diximus. q. 7. §. 4. ſpecies debent reſidere in potētia, quę illis vtitur, & debent eſſe proportionatæ illi, & actibus eius.

16 Deinde illuminatio non tranſfert immediatè de genere in genꝰ: ergo relinquit ſpeciem, & obiectū in eſſe materiali: ergo ſolum relinquit vt intelligibilia in potentia.

Tertio, poſt illuſtrationem eſt actio intellectus agentis, & ante operationem intellectus poſsibilis non cognoſcitur natura abſtracta: ergo falſum eſt, quod in phantaſmate relucet natura abſtracta. Imò iuxta S. Thomam, abſtractio correſpondet intellectui, & determinatio phantaſmati.

***

## §. II.

### *Aliæ rationes, & ſolutiones argumentorum.*

17 ALia etiam ratione cōcluſionem probant Scotus in 1. diſtinct. 3. q. 6. Conimb. lib. 3. de Ani. q. 3. ar. 2. Suar. lib. 3. c. 1. n. 9. Auerſa q. 58. ſec. 3. & alij, quia intellectus eſt potentia alterius ordinis ab omni potentia ſenſitiua: ergo in proprio ordine habet omnia requiſita ad actum cognitionis: hæc autem ſunt potentia, & obiectum illi vnitum: ergo in proprio ordine ſpirituali hoc habet: illa autem vnio fit per ſpecies: ergo habet proprias ſpecies à ſenſibilibus diſtinctas.

Probat conſequentiam Scotus, quia imperfectio magna foret intellectiuæ potentiæ, ſi non poſſet habere ſuum obiectum præſens ſibi, niſi per potentiam cui contingē ter adiungitur. Et quia eſſet imperfectior ſenſu interno, cui obiectū eſt præſens in proprio organo. Et tertio, quia ſequeretur intellectū non poſſe habere operationem ſibi propriam independenter à corpore, vt in ſimili arguit Philoſophus 1. de Anima tex. 12.

18 Omnes tamē has probationes eneruat AEgidius à Præſent. à nu. 38. vſque ad 41. quia infimum ſupremi non peraccidens, ſed perſe coniungitur cum ſupremo infimi. Et ſenſus externos, & internos immutari ab externo ſenſibili, docet S. Tho. Quodl. 8. art. 3. Deinde Philoſ. 3. de Anim. tex. 30. docet, quod

nil

*nil sine phantasmate intelligit anima.* De quo S. Thomas 1.p.q.84.ar.7. & q-89.art.1. late probat, quod *propter melius animæ est vt corpori vniatur, & intelligat per conuersionem ad phãtasmata: & tamen esse potest separata, & aliũ modum intelligendi habere.* Quare præcipue innitimur rationib⁹ S. Thomæ; quãuis replicæ istæ non labefactent hanc tertiam rationem, vt eam proposuimus cum Suarez.

19 Denique conclusionem probat Suarez, quia in eodem subiecto sunt habitus, in quo species: sed habit⁹ intellectuales subiectiue insunt intellectui: ergo & species: cum habitus cognoscitiuus ponatur ad facilitandam potentiam in vsu specierum.

20 Sed obijcies primo argumentum iam insinuatum; quia species impressæ ideò necessariæ sunt in intellectu, vt obiectum, quod est ad extrà, fiat præsens intellectui. sed sine speciebus impressis intelligibilibus sola actione phantasiæ, sufficiẽter obiecta ad extra præsentãtur intellectui: ergo nulla est necessitas specierum intelligibilium distinctarũ à phantasmatibus. Probatur minor, quia in potentijs subordinatis prior aliquomodo ministrat obiectum subsequenti: sicut intellectus proponit obiectum voluntari.

Respondet Aegidius n.56. reddendo disparitatem inter potentias appetitiuas, & apprehẽsiuas, quod potentia appetẽs non expectat vt fiat obiectum actione cognoscẽtis; sed vt ab eo dirigatur, cum sit cæca: & dirigitur per propositionem boni, in quod fertur. At potentia cognoscens expectat vt ab inferiori effectiue fiat res ipsa, quam debet cognoscere, idque emissione formarum intelligibilium. Vnde nulla potentia cognoscens, ita superiori ministrat obiectum, vt superior in illud feratur prout existit in inferiori: quia quælibet percipit obiecta per proprias species.

21 Hæc solutio intelligenda est iuxta ea quæ diximus lib. 3. q. 2. & 4. Quare magis vniuersalis solutio, ad intentumque aptior, sumitur ex D. Thoma 1.p.q.84.art.6. dicente. Ex parte phantasmatum intellectualis operatio à sensu causatur. Sed quia phantasmata non sufficiunt immutare intellectũ possibilem (quia nõ sunt eiusdem ordinis cum illo) sed oportet, quod fiant intelligibilia actu per intellectum agentem; non potest dici; quod *sensibilis cognitio sit totalis, & perfecta causa intellectualis cognitionis, sed magis quodammodo est materia causæ.* Igitur phãtasia mouet obiectiuè, & proponens materiam, ex qua elicièda est species, nõ verò est ipsa species qua intellectus fit in actu. Et res ad extra sufficiẽter causant sui speciem materialem in sensu; nequeunt autem causare in intellectu immateriali: & ideò quoad hoc non est simile de sensu, & intellectu, vt notat S. Thomas ibi artic. 4. ad 2.

22 Secũdo obijciunt, quia quoad hoc, eadem videtur ratio omnium obiectorum: sed multa obiecta cognoscimus per intellectum, quorum non habemus species: vt cognoscimus Deum, & Angelos, quorũ species acquirere non valemus; cũ omnis

nis nostra cognitio oriatur à sensu. Et similiter cognoscimus priuationes, quarum non datur species: non ergo ad cognitionem intellectus necessariæ sunt species intelligibiles.

Respondetur ex D. Thoma illo ar. 6. ad 2. in fine, quod *est quædam operatio animæ in homine, quæ diuidendo, & componendo, format diuersas rerũ imagines, etiam quæ non sunt â sensibus acceptæ*: quia si simile quid concessimus imaginationi q. 3. n. 5. nõ possumus negare intellectui. Quod experientia ipsa confirmat. Imo bene aduertit S. Thomas illa q. 84. art. 7. ad 3. quod *incorporea, quorum non sunt phantasmata, cognoscuntur à nobis per comparationem ad corpora sensibilia, quorum sũt phantasmata*. Vnde Bañez 1. p. q. 85. ar. 2. post 2. conc. bene notat, quod omnium rerum, quas cognoscimus, habemus speciem intelligibilem, licèt aliquando non propriam, & immediatam: quia vna species sæpè deseruit ad duas res omnino distinctas cognoscendas; sũ tamen habeãt interse aliquem ordinem: vt ibi late exponit. Alia argumenta diluit Capreolus vbi supra.

## QVAESTIO XVIII.

### *De specie expressa, seu de verbo mentis.*

1 VErbum in mente nostra (vt inquit S. Thomas in 1. ad Ambal. dist. 27. q. 2. art. 1.) *Nihil aliud esse inuenitur, quam aliquid actualiter intellectum, siue conceptum intellectu; quod est vocis verbo prononciabile. Omne autem actualiter intellectum, siue conceptum, vel excogitatum à nobis, est expressum ab aliquo, siue exortum; sicut actualiter consideratum, oritur ex habituali cognitione.* Et ideò pro eodem accipitur verbum mentis, ac species expressa. De cuius necessitate, iam aliqua præmisimus q. 16. §. 4. Nunc, quæ ad eius naturam declarandam conducunt, breuiter sunt tradẽda tribus dubijs sequentibus.

### §. I.

### *Vtrùm verbum mentis sit quod immediate intelligitur?*

2 EX isto puncto pendet aliorum solutio. Negant verbum mentis esse obiectum immediatum intrinsecum cognitionis; Durandus in 1. dist. 27. q. 2. à n. 19. Molina 1. p. q. 27. art. 1. disp. 8. membro 3. Vazquez disp. 39. cap. 2. n. 13. Suarez libro 2. de attrib. cap. 11. n. 10. ad 2. & cap. 13. n. 5. & 6. & lib. 3. de Anima cap 5. nu. 11. & 17. Fonseca, & Salas, Becanus, & Arrubal, & Zuñiga, quos refert, & sequitur Fasolus 1. p. q. 12. a. 2. dub. 6. & q. 27. art. 1. dub. 13. concl. 3. Hurtado Mendoça disp. 6. de Anima sec. 7. n. 71. Arriaga dis. 6. sec. 2. subs. 5. Auersa q. 58. sec. 3. cõcl. 1. §. *tertia ratio*, & alij.

3 Probant primo, ex D. Thoma 4. Contra g. cap. 11. multo post principium, vbi asserit; *verbũ nõ esse ipsam rem, quæ intelligitur, sed quãdam similitudinem cõceptam intellectu de re intellecta*. Quod optime probat, quia *aliud est intelligere rem, & aliud est intelligere ipsam intentionem intellectam, quod intelli-*

gas

ctus facit, dum super suũ opus reflectitur. Loquendo ergo, vt nunc loquimur, de cognitione directa, verbũ non est obiectũ cognitum, vt *quod*, sed solum vt *quo*. Quod clare affirmat S. Thomas in 1.dist.27.q.2.art. 1.ad 4.vbi de essentia Dei ait: *Sed in quantum se habet vt quo intelligitur, sic est ibi ratio verbi.* Quas authoritates late põderat Fasolus n.251.& 252.

4 Ratione arguit Durãd.n.19.& 20.quia non experimur nos immediate verbum cognoscere: & tamẽ obiectum immediatum debet esse notius obiecto mediato: sicut notior est imago, quã id cuius est imago, vt patet in visu externo.

Rursus arguit n.22.in voluntate nõ est aliqua forma, quæ sit primo obiectiue dilecta, & ratio diligendi alterum: ergo in intellectu non est aliqua forma, quæ sit primo obiectiuè cognita, & ratio cognoscendi alterum.

5 Arguit etiam Suarez illo num. 17. nam S. Thomas prima parte quæst.85.artic.2.probat efficaciter speciem intelligibilem non esse, quod intelligitur; sed rem representatam. Rationes autem eius idem ostendunt de specie expressa: nam si in verbo res intelligeretur tamquam in supplente vicem obiecti, ipsum diceretur intelligi: sicut imago dicitur adorari, quia in illa res adoratur.

Occurrunt Caietanus, & alij per intellectionem cognosci verbum, vt similitudo est, non vt qualitas.

Sed hoc improbari potest: nam qualitas illa essentialiter est similitudo; & è contra, similitudo illa essentialiter est qualitas: impossibile ergo est intelligi verbum, vt similitudinem, & non vt qualitatem. Vnde quando per actum reflexum de verbo agimus, ipsum cognoscimus secundum vtramque rationem: sicut indiuisè solet attingi ratio entis, & ratio talis entis. Ergo cognitione directa verbum non est id *in quo*, sed id *quo* obiectum cognoscitur.

6 Multa etiam incõuenientia accumulat Fasolus n.255.quia verbũ deberet prius fieri. Et in aliquo priori naturæ daretur verbum productum, & informans, & non esset adhuc intellectus intelligens. Esset q; multiplicare entia sine necessitate, si verbum non est quo intelligimus. Nec verbum potest continere formaliter, aut eminenter obiectum nobilius verbo. Denique, sequitur, quod nulla cognitio esset immediata, si in omni cognitione verbũ est terminus, & obiectum immediatũ vt *quod*. Aliorum argumenta cum istis coincidunt, & eis solutis, nullã continent difficultatem: & idcò non opus est referre.

7 Dicendum tamen est, verbum mẽtis esse terminum intrinsecum, & obiectum internum intellectionis, non vt qualitas quędam est; sed vt exercet munus imaginis, & similitudinis, vel speciei expressæ obiecti. Ita Capreolus in 1.dist.27.q.2.artic.2.ad 3. Aureoli contra 1.Ferrara 1.Contrag.cap.53.conc.5.Caietanus 1.p.q.27.art.1.§. *Ad quartam dubitationẽ*. Et ibi Thomistæ omnes, & multi expositores, Zumel, Torres, & Valencia puncto 3. §. *restant*.

Et

Et Henricus Quodl.4.q.8.AEgidius Quodl.5.q.5. Thomas Hurtado de Anima sens. controu.4. memb.7. vbi decem diluit argumenta, & latissime de sensibus internis cõtro. 5.per quinque membra. Et esse S. Thomæ, ipse Vazquez fatetur. Et iudico quod si conclusionis sensus intelligatur, apparebit verissima, & facile suadebitur.

8 Notat ergo S. Thomas in 1. dist.27.q.2.art.3.quod in speciem, vel in imaginem, contingit fieri cõuersionem dupliciter. Vel secundũ quod est species talis rei. Et tunc est eadem conuersio in rem, & in speciem rei. Vel in speciem, secũdum quod est res quædam. Et sic non oportet, quod eadem conuersione conuertatur quis per intellectum in speciem rei, & rem. Sicut quando aliquis considerat imaginem, in quantum est corpus lapideũ, & in quantum est similitudo Sortis, vel Platonis. Hæc S. Thomas, loquens de verbo, vt patet ex titulo articuli. Quæ distinctio, loquendo de specie impressa, traditur à D. Thoma locis relatis q.8.§.1. vbi eam exposuimus. Et hæc distinctio, inquit Caietan. vbi supra §. *aduerte*, est *ruina omnium argumẽtorum*. Et rursus ait, quod non discernere inter obiectum, *vt rem*, & obiectum, *vt rei imaginem*, vt sic, causa erroris est. Hæc autem discernendo, & attendẽdo, quod verbum, & est qualitas, & est imago expressa obiecti: & quod ait Philosophus de Mem. & rem. lect. 3. quod *idem est motus in imaginem, & in rẽ, cuius est imago*: facile omnia solluntur, & interpretantur. Quod sequuntur Bañez, & Nazarius, & alij Thomistæ communiter ibidem.

9 Conclusio sic exposita, est S. Thomæ 1.Contrag.cap.53. & lib. 4.cap.11. & q.8.de Potentia art.1. & q.9.ar.1. & 3. & q.4.de Verit.a. 1.ait, *verbum esse ipsum interius intellectum, quod actu considerat per intellectum*. Et quod simul ab intellectu procedat, & eius sit obiectum interius, exprimit ibi art.2.dicens: *Verbum intellectus in nobis duo habere de sua ratione; scilicet, quod est intellectum, & quod est ab alio expressũ*. Et q.9.de Potentia art.5. manifestè idem expressit, dũ ait. *Id autem, quod est per se intellectum, non est res illa, cuius notitia per intellectum habetur; sed est primo, & per se intellectum, quod intellectus de se ipso concipit de re intellecta*. Hoc est verbum mentis; quod à D. Thoma 4. Cõtra. illo c.11. & sæpissime alibi hac de causa vocatur *intentio intellecta*, non quidẽ sola denominatione extrinseca à cognitione, quia sic obiectũ ad extra dicitur intellectũ: sed quia est aliquid ad intra formatum *vt terminus intelligibilis operationis*, vt dicit ipse S. Thomas illo cap. 53. Vnde ipse S. Thomas Ioann. 1. lect. 1. ait. *Istud ergo sic expressum, scilicet, formatũ in anima, dicitur verbum interius: & ideò comparatur ad intellectum, non sicut quo intellectus intelligit; sed sicut in quo intelligit; quia in ipso expresso, & formato, videt naturam rei intellectæ*. Ergo ex mẽte S. Thomæ, verbum, nec est species impressa, nec actus intelligẽdi, nec est obiectum ad extra, aut signum instrumentale, aut obiectum in quo externum: sed est obiectum in quo internum.

Quod

Quod habetur etiam expresse Opusc.13. quod est D. Thom. sine dubio, ibi sic dicitur. *Iste ergo sic formatum, & expressum in anima, dicitur verbum interius: & ideò comparatur ad intellectum, non sicut quo intellectus intelligit, sed sicut in quo intelligit: quia in isto sic expresso, & formato videt naturam rei intellectæ.*

10 Ratio S. Thomæ sic formatur à Caietano illo dub.4.§. *ad cuius euidentiam.* Obiectum intellectus dupliciter potest esse præsens intellectui. Primo vt comprincipium actus intelligendi: & hoc fit per speciem intelligibilem. Secundo, vt obiectū: obiectum enim, vt obiectum, non significat causam, vel principiū actus: sed terminum. Sed hoc fit per verbum, quod & species expressa solet dici: ergo verbum est terminus, & obiectum intellectionis. Probatur minor primo: alioquin obiectum intellectus non esset intra intellectum actualiter actualitate actus secundi. Secundo, quia ad hoc non sufficit species intelligibilis: quia hoc est officium termini: illi autē cōpetit ratio principij. Quod etiam non sufficiat ipse actus intelligendi, ex eo probatur, quod officium obiecti non est officium ipsius actus secundi, nisi in intellectione reflexa. Vnde conceptus, seu verbum, apud nos, est res intellecta actu in esse intentionali: & ea necessitate ponitur, qua ponitur obiectum intellectus in actu intus.

Quod confirmatur ex Ferrara illo cap.53.§. *Ad euidentiam.* Nam obiectum intellectus tria debet habere: operationem terminare: esse intelligenti præsens: illique intime vnitum; terminatione, præsentia, & vnione immateriali, & intentionali ipsi intellectui proportionata. Sed hoc non conuenit rei prout ad extra; nec prout in specie, nec prout in operatione; quia vt sic nō terminat: ergo ad hoc exigitur verbū. Quia intellectus trahit res ad se etiā in ratione terminatiui. De quo late PP. Carmelit. disp.21.q.3.§.3. & Nazar.1.p.q.12.art.2.cōtro.2. & q.27.art.1.controu.1.

11 Præterea vis rationis exponitur, & vrgetur sic. Non minoris capacitatis sunt naturæ cognoscitiuæ in patiendo intentionaliter in receptione specierum; quam sint virtutis actiuæ, & expressiuæ in actu secundo: tum, quia vtrumque prouenit ex eadem radice immaterialitatis, ex qua spiritualia nata sūt fieri quodammodo omnia: tum, quia cum actus primus ordinetur ad secundum; & cum ratione speciei habitualiter conseruatæ, intellect⁹ solū fiat omnia secūdū quid, & imperfecte, & in actu primo imperfecto; nō sufficienter ei natura prouidisset, si non posset in actu secundo vitaliter fieri omnia. Sed ratione virtutis passiuę, intellectus posibilis nat⁹ est recipere omnium species, vt comprincipia actus primi: ergo ratione capacitatis actiuę natus est intellectus in actu secundo formare imagines in actu secūdo expressiuas omniū rerum. Sed qui videt imaginem, vt representatiuam, vnico intuitu videt ipsam, & quod in ea exprimitur: sicut diximus lib.2.q.30.§.5. vnica visione

visione speculi videri speciem, & rem in ipsa represẽtatam. Ergo qui format verbũ, vnico actu format, & videt imaginem expressam, & rem in ipsa representatam.

Dices, ad hoc sufficere ipsam operationem, & nõ requiri verbum vt terminum illius.

12 Cõtra primo, quia alia est quæstio de distinctione intellectionis à verbo (de qua §. sequenti) alia verò dubitatio, de qua modo. Secundo, quia operatio, vt operatio, tantum dicit actualitatem virtutis, & quasi fieri; non dicit factum esse: ratio autem nostra probat, quod debet dari aliquid factũ intra, in quo intellect⁹ fiat in actu res intellecta: quod soli verbo competit, & non operationi. Tertio, ratio nostra probat de imagine expressa, & procedente ab operatione: operatio autem non est ipsa imago, sed fieri imaginis: sicut in diuinis actus notionalis non est formaliter verbũ; & in humanis generatio non est genitum, quod est patris imago. Et in intellectu operatio correspondet potentiæ; & verbum est expressiuũ illius, quod representatur in specie, & ideò dicitur species expressa. Ergo vltra operationem exigitur verbum vt obiectum, & imago.

13 Alia etiam via, à fortiori, vel à simili, possumus conclusione probare: quia, in sententia aduersariorum, magis est necessarium, quod qui intelligit, dicat verbum, quam quod ad phantasmata cõuertatur. Et apud D. Tho. vtrumque est necessariũ viatori. Vnde 4. Contrag. c. 11. ait. *Omne intellectũ, inquantum intellectum, oportet esse in intelligente. Intellectum autem in intelligente, est intentio intellecta, & verbum.* Et q. 8. de Pot. ar. 1. ait. *Propter hoc intellectus conceptionem rei in se format, vt rem intellectam cognoscat.* Et similia sæpè docet de cõuersione ad phantasmata. Tunc vrget experientia notata à D. Tho. 1. p. q. 84. ar. 7. dicente. Hoc quilibet in seipso experiri potest, quod quando aliquis conatur aliquid intelligere, format sibi aliqua phãtasmata per modum exẽplorũ; *in quibus quasi inspiciat, quod intelligere studet.* Hæc autẽ phantasmata sunt verba formata à sẽsu interno, & habẽt se vt exemplar internum in quo intellectus contemplatur: ergo pariter, cum studet intelligere, format verbũ in quo videat naturã vniuersalem: quæ medijs phantasmatibus determinatur ad singularia: & hoc verbum est imago intentionalis in qua, & qua intellect⁹ cognoscit obiectum ad extra. Et ideò S. Th. illo cap. 11. col. 6. ait. Vnde oportet, quod in homine intelligente se ipsum, *verbum interius conceptum non sit homo verus, naturale hominis esse habẽs: sed sit homo intellectus tantũ, quasi quædã similitudo hominis veri ab intellectu apprehensa.* Et ipse S. Th. Opus. 14. col. 2. ait: *Et hoc totum expressum est verbũ; & est totum rei dictæ expressiuum, & totum in quo res exprimitur: & hoc intellectum principale, quia res non intelligitur nisi in eo: est enim tãquam speculum, in quo res cernitur.*

14 Ad authoritates S. Th. patet ex dictis n. 8. quod verbũ in cognitione directa non cognoscitur vt qualitas, vel vt res quædã est; bene

tamen vt imago obiecti, & sic vnico actu attingitur verbum, & res in ipso representata. Et quia non est medium *in quo* instrumentale, & externum; sed medium formale, & internum; ideò simul vocatur mediū *quo*, & medium *in quo*, vt patet authoritates conferendo. Vnde in q. 4. de Verit. art. 2. ad 3. ait S. Thom. *Et ideò conceptio intellectus, non solum est id quod intellectum est; sed etiam id quo res intelligitur: vt sic id quod intelligitur, possit dici, & res ipsa, & conceptio intellectus.* Quæ vt melius percipiantur, sunt notatione digna verba S. Thomæ in 3. dist. 14. q. 1. art. 1. q. 4. dicētis, quod *illud in quo aliquid videtur, est ratio cognoscendi illud, quod in eo videtur.* Ratio autem cognoscendi est forma rei, inquantum est cognita; quia per eā fit cognitio in actu. Vnde sicut ex materia, & forma est vnum esse, *ita ratio cognoscendi, & res cognita sunt vnum cognitum: & propter hoc vtriusque, inquantum huiusmodi, est vna cognitio.*

15 Per quæ patet ad primum Durandi: nam in actu exercito experimur nos formare imaginem, & in illa contemplare hominem: sicut experimur formare phātasmata Petri, & in illo contemplari Petrum in eius absentia. Faremur tamen nos non experiri cognoscere verbū in esse rei, & qualitatis, quia hoc non fit niū in cognitione reflexa.

Deinde asserimus, quod verbum nō est medium in quo obiectiuum externum: sicut externum speculum, vel causa est medium in quo, iuxta S. Thomam. 1. p. q. 12. art. 9. & q. 14. art. 5. & q. 2. de Verit. art. 3. ad 5. Est tamen medium in quo internum, quod est ratio cognoscēdi non faciens cognitionem mediatam: vt notat Ferrara conc. 5. & ita experiētia potius est pro nobis, quā contra nos.

16 Ad secundum respondetur S. Augustinum lib. 9 de Trinit. cap. 12. & S. Thomam 4. Contrag. cap. 11. & in compendio Theologiæ c. 52. & 1. p. q. 37. art. 1. & ibi Theologos communiter (contra Valencia ibi puncto 3.) etiam in voluntate agnoscere terminum, seu *impressionem quandā rei amatæ in affectu amātis, secundum quam amatum dicitur esse in amante, sicut & intellectum in intelligente.* Est tamen discrimē, quod verbum est imago, & similitudo expressa; per amorē verò solum producitur impulsus, seu pondus.

17 Ad argumentum ergo duplici via responderi solet: nam Bañez, & Nazarius. 1. p. q. 27. art. 3. & alij, quos citant, & sequuntur PP. Carmel. hic dis. 21. q. 5. n. 91. in fine cōcedunt voluntatem non egere aliquo vt obiecto volito interno, quia in voluntate non producitur terminus per modum obiecti, sed per modum impulsus quo voluntas impellatur in rem amatam, & amatum sit in ipsa: & sic est dispari tas inter ipsam, & intellectum, qui trahit res ad se. Et insinuat S. Tho. q 4. de Verit. art. 2. ad 7.

18 Secundo respondent Ferrara 4. Contrag. cap. 19. & ipsi PP. Carmel. n. 92. & Thomas Hurt mēb. 7. ad 6. & latius controu. 5. mēb. 5. ad 3. quod in etiam in voluntate terminus suo modo habet rationem obiec-

obiecti, vt ratione illius complete, & in facto esse cum amate vniatur. Et sic negatur antecedens.

19 Ad argumentum Suarez respondetur, quod non est eadem ratio de specie impressa tenẽte se ex parte principij, & actus primi; ac de specie expressa tenente se ex parte termini: siquidẽ illa est causa; hæc verò est effectus intellectionis. ¶ Secundo dicitur, quod illo argumento probatur verbũ nõ esse id quod vltimate intelligitur; cum quo cõpatitur esse obiectum immediatè intellectum.

20 Tertio respondetur illam solutionem Caietani esse expressam D. Tho. vt vidimus num. 8. cõmunemque, & certissimam esse, ostendimus. q. 8. Replicaque illa manifestè instatur in imagine externa, in qua, quoad hoc, ponit exemplum S. Thomas: nã in esse entis est quid lapideum, & in esse imaginis, est Petrus, vel Paulus. Pariter species impressa, & expressa in esse entis sunt qualitates spirituales; & in esse imaginis representant corporalia. Nec verum est eodem modo cognosci verbum in cognitione directa, ac in cognitione reflexa: nam in ista cognitio sistit in verbo; & in cognitione directa cognitio vltimate terminatur ad rem.

21 Ad vltimum dicitur, quod, vt notat Caiet. ad 2 Durandi, verbũ, seu conceptio intellecta, nõ est forma præuia actui, sed terminans actum, modò prædicto, propter rationes factas: per quas cessant tria priora inconuenientia. Et de primo latius. q. 20. n. 15. & 17.

22 Quartum verò cõtra arguentem militat, quia ipse nõ negat verbum esse imaginem expressam obiecti: & si argumentum expendatur, magis contra hoc videtur militare, quam contra nostram conclusionem. Facile ergo dicitur, quod cum differentia in modo essendi naturali potest esse conuenientia in representatione intentionali, vt diximus de specie impressa. Nam vt dicit Caiet. ad 3. species impressa, operatio, & verbum non sunt formę eiusdẽ speciei in essendo: quia species est comprincipium per modũ completiui actus primi; operatio est actus secundus; verbũ vero est terminus, & obiectum. In representando tamen, & attingendo obiectum, *omnia sunt eiusdem rationis tamquam partialia concurrentia ad vnum completũ esse in actu tale*: species in actu primo, operatio per modũ viæ, & verbum, vt similitudo actualis expressa terminãs intus actum cognoscendi. Quã doctrinã reperio in D. Th. Opus. 14. col 4. vbi explicat quod per hoc quod intellectus habeat simul speciem impressam, & verbum, non sequitur, quod *informetur subiectum simul diuersis accidentibus eiusdem speciei*: quia species concurrit vt principium *quo*: *verbum autem est in quo aliquid intelligitur*.

23 Ad vltimum inconueniens patet ex dictis n. 15. quia nec medium *quo*, nec medium *in quo* internum facit cognitionem mediatam; sed solum medium in quo externum instrumentale: iuxta S. Tho. Quodl. 7. art. 1.

## §. II.

### *Vtrum verbũ realiter differat ab operatione?*

24 Respondetur differre realiter entitatiue. Est cõmunis Thomistarum 1.p.q.27.art.1.& in præsenti. Et Conimb.3.de Anima cap. 8.q.3. Salas 1.2.tract.2.disp.5. sect. 3.n.24. §. *ego in ea opinione*, & tenent alij. Videtur expressa S. Thomæ locis relatis n.9. Sed præcipue q.8.de Potentia art.1. vbi ait. Intelligens in intelligendo ad quatuor potest habere ordinem, scilicet, ad rem, quæ intelligitur; ad speciem intelligibilem, qua fit intellectus in actu; ad suum intelligere; & ad conceptionem intellellectus. *Quæ quidẽ conceptio à tribus prædictis differt.* Et infra postquam probauit differre ab obiecto, & à specie impressa; subdit. *Differt autem ab actione intellectus, quia prædicta conceptio consideratur vt terminus actionis, & quasi quoddam per ipsam constitutum.* Et post pauca. *Huiusmodi ergo conceptio, siue verbum, qua intellectus noster intelligit rem aliam à se, ab alio exoritur, & aliud representat. Oritur quidem ab intellectu per suum actum; est vero similitudo rei intellectæ.* Idem docet q.9.art.5.& 4.Contrag.cap.11.& lib.1.cap.53.& q.4.de Verit.art.2. in corp.& ad 2.& 3.& ad 7. & art. 1.in corp. & ad 1. & Opusc. 13.& 14.

25 Probaturque primo ratione ipsa S. Thomæ, quę est manifesta ex dictis; quia terminus intellectionis, & obiectum illius in cognitione directa, realiter differt ab ipsa operatione. Sed intelligere est operatio intellectus; & verbum est terminus, & obiectum illius: ergo realiter distinguuntur.

26 Secundo probatur ratione S. Thomæ q.4 de Verit.art.2.ad 7 dicentis, quod *dupliciter potest aliquid procedere ab altero: vno modo sicut actio ab agente; vel operatio ab operante: alio modo sicut operatum ab operante.* Quæ distinctio est perse nota, & experientia ipsa manifesta: siquidem à nobis, & ab alijs agentibus, & procedunt actiones, & operationes; & procedunt effectus, & operata actionum; quæ differunt realiter ab operationibus: quia *operatio est perfectio operantis: sed processus operati distinguit vnam rem ab alia.* Sed intelligere procedit vt operatio, *& verbum procedit per modum rei operatæ.* Ergo verbum realiter differt ab intellectione. Minor etiam est S. Thomæ 1.p. q.27.ar.1.& Opusc.14.& S.Ansel. in Monol.cap.31.ait. *Nulla ratione negari potest, cum mens rationalis se ipsã cogitando intelligit, imaginem ipsius nasci in sua cogitatione.* Et S. Augustin⁹. lib. 15.de Trinit.cap.10.circa finem dicit. *Necesse est cum scimus; ex ipsa scientia nascatur verbum.* Et hoc esse perse notum, docet S.Irenæus libro secũdo aduersus hæres. capite 28. fine asserens. *Ex cogitatione verbum emittitur. Hoc vtique omnes sciunt homines.* Patetque à simili: nam imago exterior non est ipsa operatio, qua fit, sed opus ab ipsa operatum. Et in naturalibus filius genitus est similis generãti, nõ vero ipsa generatio: ergo verbum, quod est simili-

militudo rei, non est ipsa operatio, sed effectus eius. Et vt supra dicebamus, verbum non exprimit ipsã potentiam, sed est imago expressa illius, quod representatur in specie: ergo est imago distincta ab ipsa operatione potentiæ.

27 Sed retorquet argumentum. Primo, nam S. August. lib. 9. de Trinit. c. 11. ait. *Cum Deum nouimus, illa notitia verbum est, & fit aliqua Dei similitudo.* Et S. Ansel. illo cap. 31. subdit. *Imò ipsam cogitationem sui esse imaginem, ad suam similitudinem, tamquam ex eius impressione formatam.* Et S. Damasc. lib. 1. c. 1. ait, quod *sermo, id est, verbum est naturalis mentis cogitatio.* Ergo Sancti Patres non agnoscunt aliam similitudinem expressam præter ipsam intellectionẽ, cogitationem, & operationem intellectus.

Secundo, species impressa est similitudo in actu primo, quia nata est causare operationem in actu secundo: ergo ipsa operatio est imago expressa obiecti. ¶ Tertio infiat Auersa. q. 58. sect. 3. post antiquos, qui eodem vtuntur argumento: nã si cogitemus dari operationem sine verbo (sicut de facto in sẽtentia Caietani, & multorum Thomistarum in visione beata non formatur verbum) in ipsa operatione inuenietur perfecta similitudo, & representatio obiecti: nam in omni sententia verificatur illud 1. Ioãnis 3. *Cum apparuerit, similes ei erimus, & videbimus eum sicuti est.* Ipsa ergo visio est assimilatio.

28 Facilè tamẽ instantiæ istæ præoccupantur, & quantum attinet ad authoritates: aliquando Sancti clarè exprimunt distinctionem operationis à suo termino; quandoque sumunt per modum vnius, quia in concreto, & in re est illius complementum, & aliquid ab ipsa formatum. Quæ solutio est Diui Thomæ quæst. 4. de Veritate artic. 1. ad primum, vbi inter alia dicit. *Et ideò Damascenus dicit, verbum interius esse motum mentis; vt accipiatur motus pro eo ad quod motus terminatur, id est, operatio pro operato, sicut intelligere pro intellecto.* Et ideò ibi Sanctus Damascenus ait, quod verbũ *est naturalis mentis fœtus.* Fœtus autem non est operatio, sed operatum.

29 Authoritatem etiam Sancti Augustini declarat Sanctus Thomas prima parte quæst. 34. articulo primo ad secundum. Cum ergo dicitur (inquit) quod *verbum est notitia*, non accipitur *notitia* pro actu intellectus cognoscentis, vel pro aliquo eius habitu: sed *pro eo quod intellectus concipit cognoscendo.* Vnde, & Augustinus dicit, quod *verbum est sapientia genita*, quod nihil aliud est, quam ipsa conceptio sapientis; quę etiam pari modo notitia genita dici potest. Hæc S. Thom. cuius verbis omnes similes authoritates exponuntur.

30 Secũda replica pro nobis est; quia species impressa se ipsa est formalis similitudo in actu primo, quia in esse intẽtionali continet obiectum, & non præcisè. quia est causa actus; quia principalius operatio causatur à potentia, quæ nõ est formalis similitudo obiecti. Ergo operatio non est similitudo, nisi causaliter, & minus propriè.

31 Ad tertiam negamus antecedens, quod ipsi non probāt: & nos contrarium suademus, quia nō quę libet operatio habet assimilare intentionaliter: sed sola operatio potentiæ, quæ trahit obiectum ad se media similitudine impressa, & quę abstrahit a phisica pręsentia obiecti terminatiui interni.

32 Authoritatem illa Scripturæ sacræ, quam adduxit S. Thomas 1. p.q.12.art.5. explicuit ipse de similitudine in lumine. Et Capreolus, & Nazarius declarant de similitudine antecedente visionem, quia essentia Dei vnitur per modum speciei intelligibilis. Quæ est etiam expositio Ferrariēsis 3. Contrag. cap. 49 rat.3. in fine. Ipse etiam Nazarius, & PP. Carmelitani hic nu. 32. exponunt de similitudine entitatiua in operando, quia assimilamur Deo in eo quod facimus similes operationes, ac ipse facit, se vidēdo: non tamen intelligitur de similitudine intentionali in representādo: quia hæc solum reperitur in formātibus verbum.

33 Quod, si cum Ferrara, & alijs, teneatur beatos verbum formare; visio ratione sui termini erit formalis similitudo Dei, non secundum suam immensam capacitatem; sed secūdum quod à visione finita percipitur: eo quod verbum non exprimit totam speciem impressam; sed solum secundum quod operās illa specie vtitur. Quod explicari potest ex Doctrina S. Thomæ 1. p. q.55.art 3.& q.106.ar. 1.& q.111. a.1. De tertio dubio dicetur sequēti quæstione.

## QVAESTIO XIX.

### *Vtrùm per omnem intellectionem creatam procedat verbum?*

### §. I.

### *Rationes dubitandi pro vtraque parte.*

1 HAEC quæstio difficilis videtur in doctrina S. Thomæ: nā ex vna parte videtur ipsum expresse docuisse partem affirmatiuam, absque vlla limitatione, dum generaliter ait. 1.p.q.27.art.1. *Quicumq; intelligit, ex hoc ipso, quod intelligit, procedit aliquid intra ipsum, quod est conceptio rei intellectæ ex vi intellectiua proueniens; & ex eius notitia procedens. Quam quidem conceptionem vox significat: & dicitur verbum cordis significatū verbo vocis.* Quam propositionem vniuersalissime accipiendam, cōstat primo ex illa voce, *quicumque.* Constat secundo ex illa causali reduplicatiua, *ex hoc ipso quod intelligit.* Quæ est vniuersalissima, & formalissima loqutio. Qua etiam vtitur S. Thom. 4. Contrag. cap. 11. dicens. *Omne intellectum, in quantum intellectum, oportet esse in intelligente, &c.* Constat tertio ex intento S. Thomæ ibidē: nā vt ait Syluester 1.p. Collati q.27.a. 1.§.4. dubio 2. in fine. *S. Thomas argueret ridiculosè, sic. Omnis viator intelligendo elicit verbum; ergo & Deus.*

2 Præterea idem docet S. Thomas q.4. de Verit. art. 2. illis verbis.

Et

*Et vniuersaliter est de omni, quod à nobis intelligitur, siue per essentiam intelligatur, siue per similitudinem: ipsa enim conceptio est effectus actus intelligēdi.* Et adhuc expresius ad 5. ait. *Non aliter possumus intelligere, nisi huiusmodi conceptionem exprimendo: & ideò omne intelligere in nobis, proprie loquendo, est dicere.* Et q. 8. de Potetia art. 1. illis verbis. *Cum intelligere compleri nō possit sine verbo prædicto.* Quod & docet q. 9. a. 5. & in 1. dist. 27. q. 2. art. 2. ait. *Et ideò impossibile est, quod aliquis intelligat, nisi verbo intellectus sui.* Omnibus istis locis sincere perlectis, videtur indubitatum ex mente S. Thomæ in omni nostra intellectione viæ, & patriæ formari verbum.

3 Arguunt præterea Suarez disp. 48. Metaph. sec. 2. & lib. 3. de Ani. c. 5. à n. 4. & multi alij, quos sequitur Fasolus 1. p. q. 12. art. 2. dub. 3. vsque ad 5. & q. 27. arti. 1. dub. 13. cōc. 1. quia intelligere est vitaliter operari, & agere: actio autem essentialiter via quædam est ad terminū actum: ergo implicat dari actionē intelligendi sine termino intrinseco, quod est verbum.

4 In contrarium tamen tres vidētur vrgere difficultates. Prima: nā visio beata est perfectissima inter omnes intellectiones creatas: & tamen in ea nō producitur verbū: ergo non erit necessarium, quod in omni intellectione creata formetur verbum. Cætera patent. Et minor est Caietani, Nazarij, Bañez, Gonçalez, Zumel, Nauarrete, & aliorum Thomistarum 1. p. q. 12. art. 2. & q. 27. art. 1. & in præsenti multos referunt, & sequuntur PP. Carmelit. Ioan à S. Thoma, Thomas Hurtado, & passim alij. Immo idem docuisse Scotum Quodl. 14. & 15. refert, & sequitur Rada. 1. p. contro. 10. con. 2. p. 142. & tenuit AEgidius Quodl. 5. q. 9. & Henric. Quodl. 3. q. 1. Et cōstat primo, quia ideò à S. Thoma negatur species impressa Dei, ne aliquid creatū sit formalis similitudo Dei. Sed formalius, & expresius representat species expressa, quam impressa: cum hæc sit similitudo in actu secundo, & illa sit solum representatio in actu primo. Quod expresse docet S. Thomas Opusc. 14. colūn. 4. in fine dicēs. *Vnde verbum, quod est vltimum, quod potest fieri intra speciem, magis accedit ad ipsam rem representandam, quam nuda species rei.* Ergo non minus repugnat species expressa Dei, quam impressa.

Secundo species expressa, & impressa sūt eiusdem ordinis cum obiecto in esse representatiuo, vt diximus n. 22. Sed ideò non potest dari species impressa Dei, ne aliquid creatum sit eiusdem immaterialitatis, cum Deo: ergo, cū sit expressa sententia D. Thomę 1 p. q. 12. ar. 2. implicare contradictionē, quod aliquid creatum sit species impressa ad claram visionem Dei; in eius doctrina affirmari nequit, quod in omni intellectione, etiā beata, formetur verbum.

5 Secunda difficultas est: nam, quoad hoc, par ratio est de intellectione Angelica, ac de intellectione humana: quia maioris immaterialitatis sunt Angeli, quam homines. Sed Angeli in sui cognitione

non formatverbum: nam vt inquit Caietanus 1.p.q 27.ar.1.ad 3.dub. *Angelus se ipsum vere se ipsum, etiam obiectiue, præsentialiter habens, vane verbū formaret de se sibi.* Et tenent Ripa ioi cap.2 & alij. Quorum sententiam esse valde probabilem, defendant Bañez ibi dub.1.conc.5. & Zumel disp.3. & latius Thomas Hurtado de sensibus internis cont.5. mēbro 6.§.1.& Nazarius cōtrou.2 addēs esse cōsonam D. Thomæ 1.p. q.56. ar.1.in fine cor. & melius posset referre.1.p.q 87.art.3. Non ergo est vniuersaliter verum, quod quicumque intelligit formatverbum.

6 Tertia difficultas est, quia non videtur specialis ratio, quoad productionem verbi, in cognitione directa, quæ non militet in cognitione reflexa. Sed in cognitione reflexa non producitur verbum: ergo nec in cognitione directa semper per se requiritur. Minor probatur, quia ita expresse docent Ferrara 1. Contrag. cap. 53. circa finem §. *cum autem obijcitur*, vbi ait. *Nec intellectus, cum terminatur ad ipsum conceptum secūdum se, format conceptum de ipso conceptu.* Et expressius id docet Iauellus 1.p.q.27. art.1. Et probat, quia *aliter dum intelligo verbum, intelligerem, & producerem aliud verbum à prima, & sic in infinitum.* Immo Arriaga disp.6.de Anima sect.3.docet *cognitionē posse esse reflexam supra se ipsam.* Et subdit, quod *hæc est valde communis sententia.* Non ergo in omni cognitione creata exigitur perse verbū. Præterquamquod huius indigentiæ non assignatur conuincens ratio.

§. II.

*De visione beata vtrūque est probabile.*

7 Dico primo, in doctrina Sancti Thomæ, & in rei veritate, problematice potest sustineri, & quod beati formāt verbum, in quo diuinam essentiā intuētur; & quod non formant verbum, nec formare possunt, adhuc de potentia absoluta. Ita tenent Capreolus in 1.distin. 27 q.1.art.2.ad 8. contra 1.& in 4. dist.49.q.5.art. 3.ad arg.contra 1. dicit vtramque partem problematis esse probabilem: *Tamē S. Thomas videtur tenere quod sic.* Ipsum refert, & sequitur Ferrara 1. Contrag. c. 53. §. *Quinta est.* Sylvester 1. p. conflati q.12.art.2.§.3.rat.4.vbi & ait. *Sed verius videtur quod verbum producunt.* Et q.27.art.1.§.4. idem asserit. Et Iauellus ibidē. Late, & optime Petrus Ledesma de esse Dei q.8.ar. 6. concl.1. Nec potest negare M.Soto, qui in 4. dist.49.q.2.artic.3.post 2.concl. §. *potissimum*, contendit de facto visionem beatam esse actualem similitudinē, & representationem Dei. Quod & docuisse M.Victoria, refert Zumel.1.p.q.27.art. 1.disp.2. post argumenta: de quo iam dixim⁹.q.18.n.17.& 18. Et ex parte fauent M.Albelda, & M.Serra, qui 1.p.q.12.art.2. de facto admittunt per visionem beatam produci modū quēdam vnionis, quo mediante intimè, & intelligibiliter vnitur intellectus cū essentia diuina in esse obiecti. Quia isti in voce negant verbum; & in re admittūt: vel multiplicant modos non necessarios.

Secun-

8 Secunda conclusionis pars cõuincitur argumẽto proposito n. 4. Quod quia erudite, & subtiliter vrget Thomistæ relati, non opus est nunc in illo stabiliendo immorari. Solum aduertatur, quod nulla authoritas, ex multis, quæ pro parte contraria cõgeruntur, loquitur explicitè de intelligere supernaturali patriæ: vnde si in doctrina, quæ euidenter est S. Thomæ, euidenter, vel probabiliter colligitur, exceptionem esse admittendam; iuxta illam, authoritates, & loquutiones vniuersales sunt glosandæ.

9 Nec argumentum Syluestri cõuincit: quia vanum esset ratione naturali velle probare in Deo esse processionem, vel generationem ad intra: nam bene aduertit S. Thom. in 1. dist. 4. art. 1. quod *generationem esse in diuinis, ratione efficaciter confirmari non potest; sed authoritate, & fide tenetur.* Et ideò ipse S. Thomas 1. part. quæstione 32. ar. 1. ad 2. cõcludit, quod *similitudo intellectus nostri non sufficienter probat aliquid de Deo; propter hoc quod intellectus non vniuocè inuenitur in Deo, & in nobis.* Non ergo illa propositio assumitur à D. Tho. ad probandum in Deo esse processionem realem verbi. Sed supposito ex fide, quod sit; affertur processio verbi creati in intellectione nostra naturali nobis nota, vt illo exemplo manducamur per enigma, vt in hac vita vtcumque explicemus Verbi diuini processionẽ. Vnde S. Augustin. lib. 15. de Trin. c. 10. cõcludit. *Iam potest videre per hoc speculum, atq; in hoc enigmate aliquando verbi illius similitudinem de quo dictum est: In principio erat Verbum.* Et cap. 11. ait. *Ad illud perueniat hominis verbum, per cuius qualemcumque similitudinem, sicut in enigmate, videatur vtcumque Dei Verbũ.* Pro exemplo autem, & speculo ænigmatico sufficiebat S. Tho. processio verbi formati ab homine in hac vita, in qua *videmus per speculum, & in enigmate*: quæ condistinguitur contra visionem facialẽ patriæ, vt colligitur ex Apostolo, & notat S. Th. 1. p. q. 12. ar. 2. in arg. *Sed contra.*

10 Rationem etiam illam Suarez, Molinæ, & aliorum, non vrgere, patet primo: quia diximus intellectionem non esse de Prædicamẽto actionis, sed de genere qualitatis: & in illis non verificatur illa doctrina. Secundo quia omnis operatio debet habere terminum, quem respiciat; non vero terminum, quẽ faciat, vt diximus hoc libro q. 12. n. 7. & loquẽdo de actione transeũte lib. 1. Phys. q. 14. & lib. 4. q. 4. n. 20. & propositionem illam in alio sensu esse contra Philosophum, notat Auersa q. 58. sect. 4. pro nobis referens Aristot. 9. Metaph. tex. 16.

11 Prior pars conclusionis, quæ placet omnibus Thomistis relatis in ipsa; probatur primo, quia iuxta illam, incerissime verificantur vniuersalissimæ loquutiones S. Thomæ relatæ n. 1. & 2. & cum contrarium nulla afferatur authoritas S. Thomæ, quæ in terminis excipiat visionẽ beatam; videtur cõformius ad eius mẽtem esse, quod nec intellectio beata sit excipienda. Immo in intellectione essẽtiali Dei est verbũ non proprie sũptum, sed cõmuniter sumptũ, vt docet S. Tho. in 1.

in 1.dist.27.q.2.art.2.& q 4.de Veritate art.2.quod numquam retractasse S.Thomam, cõstat ex Capreolo in 1.dist.27.q.2.artic.1.concl.4. Sylvestro.1.p.q.34.art.1.post §.3. & Nazario ibi controu.2.not.2.& concl.2. & alijs. Et ideò in cognitione sui essentiali Deũ habere verbum ab essentia sola ratione distinctum notat Ferrara 1.Cõtrag.c.53. §.*sexta est*.

12 Secundo probatur, quia potissima causa necessitatis verbi in via, est vt sit terminus intrinsecus intellectionis: quia propter modum elevatum operandi, conuenientem intellectui supra sensus externos, obiectum debet esse illi vnitum, non tantum in esse motiui, sed etiam in esse terminatiui: quod fit mediante verbo, vt q.18.dictũ est, ex S.Thoma, & cõmuni Thomistarum. Sed beati vitaliter efficiunt intellectionem, qua Deum vident: ergo necesse est, quod terminum intellectionis producant: quia non est res sine suo termino.

13 Dices, esse disparem rationem inter visionem beatam, & alias intellectiones: quia illa habet pro specie ipsam Dei essentiam intimè vnitam. Implicat autem contradictionem (vt, post alios, arguit M. Serra.1.p.q.12.art.2.) vt Dei essentia, quæ est vltimus actus, & purus in genere intelligibili, constituatur in ratione intellectĩ in actu, quę est ratio realis (vt explicat Caiet.1.p. q.27.ar.2.§.*vnde ad primum*) per formam aliquam extrinsecam, qualis est species impressa creata, seu verbum à creato intellectu productũ. Sicut implicat eandem constituì in ratione intelligẽtis in actu per formam extrinsecam, quale est intelligere creatum; & in ratione actu intelligibilis per speciem impressam creatam.

14 Contra primo, & retorquetur argumentum: quia Deus est realiter sua intellectio; & tamen no obstante vnione per modum speciei impressæ respectu intellectus beati; vt ipse beatus reddatur intelligens, & Deus dicatur intellectus à beato, opus est vt ipse beatus eliciat intellectionem creatã: & hoc non est contra rationem actꝰ puri: ergo nec est contra rationem actꝰ puri; quod producatur à beato verbum creatum. ¶ Secundo, ipse concedit quod productio modi vnionis inter essentiam Dei, & intellectum beati, causatur effectiue ab operatione creata beati, absque detrimento actualitatis Dei: ergo pariter poterunt dicere de verbo.

15 Tertio, & vrgentius (& præcluditur solutio assignata à PP. Carmelitanis.n. 84) nam hæc est differentia inter vnionem hypostaticam, & vnionem essentiæ diuinæ ex vna parte; & vnionem essentiæ Dei per modũ operationis, & verbi intellectus creati, ex alia: quod illæ vniones dantur ad esse hypostaticũ, vel ad intelligibile in actu primo; at verbo istæ vniones darentur ad operari vitaliter, vel ad terminũ vitalis operationis: & ideò illæ sũt per formam, vel terminum extrinsecum; at vero operatio vitalis, & eius terminus intrinsecus connaturaliter prouenire non possũt à principio

cipio extrinseco. Ergo essentia divina, quæ vnitur vt species impressa intellectibus beatorum, non vnitur eis vt verbum; sicut nec valet vniri vt eorum vitalis operatio.

16 Confirmatur: nam 2.2. q. 24. art. 2. non solum negatur cum D. Tho. quod Deus non vnitur voluntati vt operatio amoris; sed nō admittitur, quod vniatur vt termin⁹ amoris creati: ergo Deus non vnitur intellectui vt visio, nec vt verbum. Ergo, sicut beati Deum amātes, producunt amorem, & amoris terminum; ita Deum videntes producunt intellectionem, & verbum creatum: quia, quoad hoc, eadem videtur ratio vtriusque vnionis.

17 Denique, quod valde commendat maximam huius opinionis probabilitatem est manifesta disparitas, quæ est inter speciem impressam, & expressam: quia impressa gerit vices obiecti, & illi commensuratur, & eum adæquat; ita vt si illi corresponderet lumen æquale, qui habet speciem quidditatiuam, posset habere notitiam cōprehensiuā: nam vt inquit S. Tho. 3. Cōtrag. c. 49. rat. 4. *Omnis intelligibilis species, per quam intelligitur quidditas, vel essentia alicuius rei, comprehendit in representādo rem illam.* At vero species expressa, seu verbum, non commensuratur immediatè obiecto, secundum se sumpto, sed prout attingitur à cognitione; quia verbum exprimit id quod dicit, vel loquitur intellect⁹: & tamē intellectualiter solum possumus loqui, ea quæ cogitam⁹. Vnde Angeli habentes species vniuersales, cum loquuntur inferioribus, formant verba partialia, & inadæquata speciei impressæ, & adæquata cognitioni: quod patet ex D. Th. locis relatis in fine q. 18. & ibi acceptant communiter Doctores. Et de facto quamuis beati habeant vnitam essentiam infinitam, eliciunt visionem finitam, maiorem, vel minorem, iuxta diuersitatem luminis beatifici, quia visio lumini proportionatur. Ergo verbū, quod est expressiuum cognitionis, seu dictionis, proportionatur dictioni, & intellectioni: & ideò de obiecto eodē possunt diuersa verba formari, inæqualia pro inæqualitate loquutionum, & visionum. Ergo de essentia Dei infinita possunt beati formare verbum simpliciter finitum, & infinitum secūdū quid, & terminatiue; sicut de visione dicitur. Et de lumine gloriæ finito, docet S. Tho. 1. p. q. 12. artic. 5. esse dispositionem ad vnionem essentiæ diuinæ infinitæ, quia vnitur iuxta mensuram luminis: ergo & dari potest verbum commensuratum visioni creatæ: acproinde verbū creatum in beatis.

18 Per quæ potest probabiliter solui argumentum contrariorum, negando minorem. Ad primā probationem concedo maiorem, & dīstinguo minorem; species expressa formalius, & expressius representat, per modum termini operationis vitalis, à qua procedit, & cuius est terminus; concedo. Per modū obiecti, eius vices gerendo, & eū intentionaliter adæquando, & cōprehendendo; nego minorem, & consequentiam: quia hoc est proprium

prium speciei impressæ;& nō requiritur ad expressam, nisi in cognitione cōprehensiua,& adæquata: quæ creaturæ repugnat respectu diuinę. Vnde beati non dicunt verbum totaliter adæquatū Deo;sed adæquatum cognitioni, quam ipsi habent de Deo. Et hoc in vnoquoque est vnum;sicut est vna visio.Sed extra verbum,nō repugnat,quod loquātur plura verba partialia intellectualia de diuinis attributis,vel de his,quæ in Deo vident: vt docet S. Tho.1.p.q.12.art.9.ad 2.& 2.2.q. 175.art.4.ad 3.& latius q.8.de Verit.art.5.

19 Ad secundam probationem distinguo maiorem, sunt eiusdem ordinis proportionaliter, ita vt vna intrinsice,& adęquatè,& ex parte obiecti se teneat; alia vero solū mediate,& quasi extrinsice per intrinsecam commensurationem cū operatione vitali;cōcedo hoc modo vtramque speciem esse eiusdē ordinis.Nego vero simpliciter, entitatiue, semper esse eiusdem ordinis;licet quandoque id contingat. Et est instātia: nā apud nos species, lumen,operatio, & obiectum sunt simpliciter eiusdem ordinis: & tamen in visione beata,nō obstante, quod species est infinita,& obiectū est infinitum;lumen gloriæ est creatum,& finitū; & pariter visio beata est finita simpliciter,& infinita secundum quid,vt docet S. Thomas 1.p.q.25.ar.6.ad 4.Ergo pariter dici potest de verbo,quod est terminꝰ,& fœtus ipsiꝰ visionis beatę.Ad hæc Theologica Philosophum diuertere,aliorū hic id disputantium instantia nos coegit, & inuitos cōpulit.

## §. III.

### *Pariter de Angelo cognoscēte se ipsum.*

20 DIco secūdo probabile est,adhuc in doctrina S. Th.quod Angelꝰ in cognitione propriæ substātiæ nō formet verbum. Ita Thomistæ relati n.5. Indicat S.Thomas 1.p.q.56.art.1.dicens. *Angelus cum sit immaterialis,est quædam forma subsistens:& per hoc intelligibilis actu. Vnde sequitur,quod per suam formam, quæ est sua substantia,seipsum intelligat.* Magis fauet 1.p.q.87.artic.3.cuius verba oportunius referemus §.4.n.36.

21 Apparetque hoc esse consonum S.Thomæ;quia authoritates, quæ in contrarium citantur; vel loquūtur de homine pro statu viæ; de quo est alia ratio, postea exponenda. Vel solum probant operationem, qua Angelus se ipsum cognoscit, realiter differre à propria substantia:quod nullus negat:cum tota quæstio sit, non de distinctione operationis, & verbi à substātia Angeli:sed de necessitate verbi realiter distincti ab operatione qua Angelus se cognoscit.

22 Duas rationes late vrget Nazarius illa controu. 2. quarum vis sic proponitur ex eodem. Non requiritur minor immaterialitas, actualitas,& intelligibilitas,vt tres aliqua subsistens sit actu principiū intellectionis, quam vt sit terminus eiusdem intrinsecus; non quidem

per

perse ipsam, sed ratione operationis, per quam ex actu primo fit operans in actu secundo. Nam species impressa non est minus immaterialis, & actualis, cum actu causat intellectionem, quam sit verbum ipsum; qui est eius effectus ex hoc quod est forma immaterialis, & intelligibilis intima Angelo. Sed substantia Angeli per se ipsam principium est intellectionis; vt supponim⁹ ex D. Thoma, & cōmuni Theologorum. Ergo eadem substantia per se ipsam erit terminus intellectionis realiter ab ea distinctę: sicut accidit in visione beata propter maximam actualitatem, & vnionē obiecti; & in sensib⁹ externis propter eorum materialitatem.

23 Secūdo, vt res aliqua sine specie impressa, & expressa cognoscatur ab intellectu, sufficit quod vniatur cum illo in esse intelligibili, vel per informationem perfectam, vel per identitatem: quia sic intellect⁹ fit omnia. Sed substātia Angeli per identitatem in esse intelligibili vnitur cum illo per modum speciei antecedenter ad operationem; & ipsa operatione vnitur in actu secūdo: quia Angelus est omnino immaterialis, & præsens: & ex immaterialitate prouenit intelligibilitas, & actu intelligi: Ergo Angelus se ipso terminat in actu secundo operationem, qua se cognoscit. Solutiones Bañez, & Zumel, refert, & confutat Nazarius: sed ipsius replicæ in ipsis rationibus sunt propositæ.

24 Dico tertio, probabilius est secundum mētem S. Thomæ, & simpliciter, Angelum in sui ipsius cognitione formare verbum. Ita Ferrara illo cap. 53. concl. 3. Syluester, Iauellus, Bañez, Zumel, & Torres, Molina, & Suarez, quos citat, & sequitur Nazarius controu. 2. con. 2. PP. Carmelitani dis. 21. q. 5. concl. 2. & Thomas Hurtado de sensibus internis cōtrou. 5. memb. 6. § 2. Et est communis in schola S. Thomæ, & extra eam.

25 Solet probari ex D. Thoma 4. Contrag. cap. 11. vbi de Angelis se cognoscentibus, ait S. Thomas. *Licèt intentio intellecta sit eis omnino intrinseca; non tamen ipsa intentio intellecta est eorum substantia, quia non est in eis idem intelligere, & esse*: cum autem in phrasi S. Thomæ ibi lib. 1. cap. 53. *intentio intellecta*, solis vocibus differat à verbo intellectus; fit consequens, quod ex mente S. Thomæ, Angeli formēt verbum, cum se intelligunt. Ad idem pertinent vniuersales loquutiones S. Thomæ adductæ n. 1. & 2.

26 Ratione arguit Ferrara, quia licèt in Angelo se cognoscēte, cesset vna ex duab⁹ causis cur nos formamus verbum; quia est immaterialis, suoque intellectui prę sens vt principium intellectionis, oportet tamen aliam rationem in ipsis locum habere, vt fiat præsens in esse obiectiuo terminante intellectionem; cuius ipsa essentia Angeli est principium; cum idem non sit principium, & terminus operationis secundum idem esse. Alias rationes proponit Bañez 1. p. q. 56. artic. 1. dub. 2.

27 Vis huius rationis sic explica-

tur: nam necesitas verbi potissima est, vt obiectum vniatur intime potētiæ in ratione termini intrinseci intellectionis. Sed substantia Angeli, nec per se ipsam, nec ratione intellectionis, est terminus intrinsec⁹ intellectionis: ergo ad hoc indiget verbo producto ab operatione Angeli, quo intime substantia Angeli vniatur suo intellectui in ratione termini actualis intrinseci intellectionis. Minor quoad primam partem patet, quia conseruata substantia Angeli, posset Deus suspendere concursum, ne se intelligeret Angelus: & tunc manente substantia, nō exerceret munus termini intrinseci intellectionis: ergo hoc munus aliquid distinctum est ab ipsa substātia. Quoad secundam vero probatur, quia operatio Angeli respicit substāriam propriam vt terminum intrinsecum in esse entis, & extrinsecum in esse intentionali: nam si non format de illo verbum intentionale intrinsecū operationi, quo in facto esse vniatur cum illo intentionaliter; hæc operatio in esse intentionali non est magis intima obiecto reali, quam sint sensus externi intimi suis obiectis quādo videt proprium corpus non formando verbum: quæ vnio est nimis physica, & non intentionalis: cum ergo nobiliori modo operatio Angeli debeat sibi vnire suum obiectum, indiget verbo formato in sui cognitione.

28 Quæ ratio probat in omni intellectione creata formari verbū. Quod expresse docet S.Thom. Opusc.14.col.3.dicēs. *Semper, cū actus intelligitur aliquid, verbum formatur.* Et Opusc.13. col.1. Quod & docet Caietanus 1.p.q.14.ar.2.§.*& ad dubium.* Et euidentissimum est in sententia M.Soto, asserentis quod verbum solum formaliter, vel modaliter differt ab intellectionē. Quam esse probabilem dicūt Torres 1.p. q.27.art.1.disp.4. Bañez ibi dubio 3.& absolute sequuntur ibi Molina, Vazquez,& Suarez & alij. Contra quos iam diximus q.18. §.2.& ex suppositione distinctionis realis inter intellectionem, & verbū procedunt omnia dubia huius quæstionis: quod semel aunotasse sufficiet.

29 Ad authoritates S.Thom. respondetur, quod prima expresse loquitur de specie impressa; & non de expressa. Secunda tantum loquitur de operatione intellect⁹: vt ex cōtextu facile comprobari potest. Et ideò neutra cōuincit intentum.

30 Ad primā rationem nego maiorem, quia species impressa est forma per modum actus primi, quod formæ immateriali potest conuenire se ipsa: at vero species expressa est terminus actus secundi vitalis: & ideo nulli substantię creatę potest conuenire: & operatio ipsa non potest ad se ipsam terminare; quia tendentia vitalis non est ipsa imago expressa; sed via ad eam. Nec substantia Angeli est ita imperfecta sicut obiecta sensuum externorum; nec ita perfecta sicut diuina essentia. Et ideo nec pertingit vt se ipsa vniatur vt verbum, sicut multi tenent de essentia diuina; nec se ipsa extrinsece solum terminat sicut in visione

sione sẽsitiua: quę fit media specie, & sine verbo, sed vnitur vt species, & non vt verbum.

31 Ad secundam nego minorem quoad secundam partem, quia operatio non est ipsa vnio in esse intelligibili; sed est via ad vnionem; & ita vnit, quasi extrinsice: & ideò exigitur verbum vt vniat intrinsice. Præterquamquod, verbum est complementum intellectionis, sicut impulsus est complementum amoris: vnde sicut in Angelo se amãte, est vnio, seu nexus, qui est effectus amoris, ita in Angelo se intelligẽte formatur verbum: quia vt ait S. Thomas illo cap. 11. *omne intellectum, inquantum intellectum, oportet esse in intelligente*: ratione verbi, seu intẽtionis intellectæ.

## §. IIII.

### *De cognitione reflexa an distinguatur à directa?*

32 IN hac tertia difficultate a multis confunduntur duo dubia, valde interse diuersa, suppositadirectione verbi ab intellectione, seu operatione intellect⁹. Alterum est de operatione ipsa, vtrum ad cognoscendum reflexe operationem directam, & verbum eius, opus sit alia operatione realiter distincta à prima? Aliud dubium est, supposito quod cognitio reflexa sit realiter distincta à directa, vtrum in cognitione reflexa formetur verbum, sicut formatur in cognitione directa; vel possit formari? Et primum dubium seorsum est tractãdum de cognitione patrię, & vię; & de cognitione Angelorum, & de reflexione hominum, quia specialem de singulis continet dubitãdi rationem.

33 Dico primo, visio beata simul est directa, & reflexa: vnde nõ indigẽt beati alia operatione vt videant suam visionem. Ita expresse docet M. Baptista 1.2. disp. 73. dub. 3. conc. 3. nu. 143. vbi ait. *Cum visio Dei ob suam perfectionem simul sit directa, & reflexa, impossibile est, quod videẽs Deum, non videat suam visionem: & ex consequenti videt quod de ratione eius est perpetuitas: atque adeò, cum non sit actus distinctus à visione, neque potest non aduertere, neque actum suspendere, &c.* Immo hanc esse communem sententiam Theologorum, dicit Ripalda lib. 3. de Ente supern. disp. 59. sect. 1. n. 10. Quod non facilè affirmarim, cũ pro sententia ex parte contraria videantur esse Gabriel, Ochan, Vazquez, & Suarez, quos ibi refert Baptista n. 131. & dubitet Petrus Hurtado dis. 19. de fide sec. 3. Verius dicemus in his terminis multos antiquorum de hoc puncto non disputasse.

34 Probatur primo: nam vt docet S. Thomas 1.2. q. 5. art. 4. ad veram beatitudinẽ requiritur, quod homo sit certus de inamissibilitate: quia sine certo indico durationis, non potest homo quietus esse, & securus, securitate, quæ est de ratione beatitudinis: iuxta illud Zachariæ 14. vers. 11. *Sedebit Hierusalem secura.* Sed hoc melius verificatur, si ipsa visione beata videatur ipsa visio: ergo visio beata se ipsam videt.

Secundo

35 Secundo: vt docet S.Tho.1. p.q.12.art.8.& 9.beati in Deo vidēt aliquas creaturas. Et 3.p.q.10. ar.2. asserit, quod *nulli intellectui beato deest, quin cognoscat in verbo omnia, quæ ad ipsum spectant.* Ergo à fortiori cognoscent propriam visionem.

Tertio id erit manifestum ex dicendis, quia visio beata eminētior est, & perfectior, quam sit cognitio Angelica naturalis. Et in his nō immoramur, quia solum propter connexionem doctrinæ, hæc Theologica hic annectimus.

36 Dico secundo, Angeli de facto in cognitione naturali sui nō indigent alia operatione reflexa ad cognoscendam operationem directam. Videtur expressa S.Tho.1. p.q.87.art.3.vbi ait. *Etsi aliud sit in Angelo secundum rationem, quod intelligat se intelligere, & quod intelligat suam essentiam; tamen simul & vno actu vtrūque intelligit: quia hoc quod est intelligere suam essentiā, est propria perfectio suæ essentiæ: simul autem, & vno actu intelligitur res cum sua perfectione.* Idem expressè docet Caietanus ibi notab. 3.aduertens S.Thom. loqui de cognitione, non solum quoad quæstionem an est, sed etiam quoad quæstionē quid est. Quod patet ex cōtrapositione quam facit S.Thomas inter intellectum angelicū, humanum, & diuinum: & ex contextu est per se notum. Videatur S.Tho. 2.Contrag.c.97. & conclusionem esse communem, dicit, & sequitur Suarez lib.2.de Angelis cap.4.nu. 20.& 22.& cap.35.n.26.

37 Ratio S.Tho. omnino est efficax; quia qui habet sufficientē virtutem ad cognoscendam quiddita tiuè aliquam essentiam, & passiones, & perfectiones eius connaturales, vnico actu potest vtrūque cognoscere: sicut si nos simul intueremur subiectum, & passionem, & quoad an est, & quoad quid est: eo quod vnico actu attinguntur, quæ per modum vnius cognoscuntur, vt docet S.Thomas 1.p.q.85.ar.4. Sed Angeli habent virtutem, nō solum ad se cognoscendum, sed ad se comprehendendum, & suas perfectiones: ergo vnico actu cognoscunt se, & suum intelligere. Probatur consequentia, quia intellectio sui est vna ex perfectionibus naturalibus Angeli.

38 Explicatur vis huius rationis: quia obiectum primum, & maximè proportionatū Angelo est propria essentia: prima autem eius perfectio est intelligere. Constat autē, quod quando vnus Angelus alium cognoscit, vnico actu cognoscit eum, & eius perfectiones naturales inseparabiles: præcipuè cum cognoscant sine discursu. Ergo vnico actu cognoscit se, & suum cognoscere: ergo eminenter est actus directus, & reflexus: *quia simul, & vno actu intelligitur res cum sua perfectione:* à perfecte intelligēte suum primū, & connaturale obiectum.

39 Præterea; ideò quæ vnica specie representantur, possunt vno actu cognosci, quia stāte vnitate formæ, qua agens hic, & nunc agit, nihil est quod impediat vnitatem operationis. Sed Angelus ad cognoscendam propriam substantiam, & accidētia illi naturalia, vtitur vnica

ca specie, quæ est essentia sua: ergo vnico actu valet attingere essentiã suam, & omnia eius accidentia naturalia. Probat autem S. Thomas illo c. 97. quatuor rationibus, quod *operatio propria* Angeli, *quæ est intelligere, est in eis continua, & non intercisa.* Ergo cognoscitur ipsa operatio, qua se cognoscit, eodem actu quo cognoscit propriam substantiã, vt eius connaturalem, & propriam perfectionem.

40 Vltimo probatur: quia Angeli sunt substantiæ supremæ inter intellectuales creatas: ergo eis debetur supremus modus intelligendi connaturaliter possibilis creaturis. Constat autem quod & si vno actu Angeli intelligant suam substantiã, & intelligant se intelligere, tamẽ ipsum intelligere nõ est eorum substãtia, sicut est in Deo: ergo iam infinitè distabũt ab actu puro. Ergo operatio eminens reflectens supra se ipsam, est connaturaliter possibilis creaturis; & de facto conuenit Angelis, saltem in cognitione sui.

41 Sed obijcies primo, quia operatio intellectus debet habere obiectum realiter ab ipsa distinctũ: ergo eadem operatio nequit esse directa, & reflexa. Consequentia patet: quia vt diximus lib. 1. Dialec. c. 3. n. 13. conceptus directus est conceptus rei; & cõceptus reflexus est conceptus alterius cõceptus in eodem cognoscente. Antecedẽs verò probatur, quia operationes dicunt habitudinem transcendentalem, & fundant relationem prædicamentalem ad obiectum: relatio autem realis non est eiusdem ad se ipsum.

Respõderur cum D. Thoma illo ar. 3. ad 1. *Quod obiectum intellectus est commune quodam, scilicet, ens & verum, sub quo comprehenditur etiam ipse actus intelligendi. Vnde intellectus potest suum actum cognoscere.* Cum hoc discrimine, quod intellectus humanus non potest primo habere pro obiecto suum actum, quia eius obiectũ est concretum quidditati sensibili; vnde alio actu cognoscit obiectum, alio verò actu cognoscit suum actum. At vero angelicus intellectus habet pro obiecto primo, & proportionato suam essentiam, cũ sua vltima perfectione naturali, & propria, quę est intelligere: & ideò eodem actu cognoscit suã essentiam, & suum intelligere. Vnde antecedens vniuersaliter sumptum est falsum, non solum in Deo, sed etiam in creaturis, si loquatur de quocũque obiecto. Solũ admittimus distingui formaliter. Et solum hæc distinctio formalis cõceptus directi est talis, quod oriri potest ex alia distinctione reali, vt ibi notat Caietanus ad aliud intentum.

42 Et in præsenti est realis distinctio operationis Angeli ab essẽtia cognita, licèt non sit realis distinctio ab operatione ibi coointellecta: vnde respectu essentiæ, operatio fundabit relationem realem; & respectu operationis solam fundabit relationẽ rationis eiusdem ad se ipsum. Videantur quæ in simili, quoad hoc, docet S. Thomas 1. p. q. 28. ar. 4. ad 1. Aduertit etiam 1. p. q. 14. a. 5. ad. 3. *Quod ipsũ intelligere nõ specificatur per id quod in alio intelligitur; sed per principale intellectũ, in quo a-*

*lia intelliguntur*. Et ideò operatio Angeli à sua substantia specificatur; & non ab operatione, quæ in essentia cointelligitur.

43 Secūdo arguitur: *Scibile est priꝰ scientia, & mēsura eius*: vt docet Phyl. 10. Met. tex. 5. Et S. Tho. Opus. 14. col. 4. in fine, ait. *Obiectū naturaliter priꝰ est actione circa obiectum*. Quia est causa cognitionis, vel per se, vel per suā speciē. Sed nihil potest esse causa sui, neque prius se: ergo neq; cognitio potest esse obiectum sui.

Respondetur, quod vt docet S. Tho. 1. p. q. 12. art. 9. intellectus dupliciter potest assimilari obiecto. Vno modo secūdū se, quādo directe eiꝰ similitudine informatur. Alio modo secundū quod informatur specie alicuiꝰ, quod est ei simile, vel illud continet. *Et tunc non dicitur res cognosci in se ipsa, sed in suo simili*: vel in sua causa, vel in subiecto, cuius est actus, & perfectio. In forma ergo admisso, quod scibile principale debet prius esse quam scientia (quod tamen non semper est verū, vt patet in sciētia artificis, quæ dat esse obiecto: de quo S. Tho. 1. p. q. 14. ar. 8. ad 3.) tamen scibile secūdarium, cognitum vt perfectio obiecti primarij, potest esse simul cum cognitione, & idē cū ipsa, quia ista à scibili principali specificatur, & mensuratur. Et aduertēdum, quod hæc, & similia argumenta instantur in visione Dei, in quo videtur ipsa visio videntis, &c. Et si argumēta aliquam vim habent; impugnant illud quod est certissimum.

44 Præterea notandum, quod Arriaga disp. 6. sec. 3. n. 72. vsq; 75. contendit conclusionē nostrā probarē ex cognitione diuina reflexa supra seipsam: ergo etiā poterit esse cognitio creata reflexa supra se.

Hæc tamen ratio parū vrget: alioquin etiam probaret, quod Angeli, vel nostra intellectio esset substantia, sicut est in Deo: & tamē notat S. Th. 1. p. q. 14. ar. 4. ad 2. *quod nō est simile de ipso intelligere diuino, quod est subsistens*. In Deo etiā, verbū est substantia; & in nobis est accidens. Ergo præcisè ex eo quod intelligere Dei sit realiter cognitio, suæ cognitionis, inefficaciter probatur creatam cognitionem reflecti supra se. Sicut nō bene valet, intellectus noster aliquo actu reflexo cognoscit se cognoscere: ergo & sensus. Negat enim S. Th. 1. p. q. 87. ar. 3. ad 3. illam consequentiā, quia sensus externi sentiunt secundū immutationem materialis organi à sēsibili exteriori: secus verò intellectus. *Et ideò non est simile*. Magis autē distat intellectus creatus à diuino, quam distet sensus ab intellectu nostro. Et ideò, nisi aliquid addatur, illa ratio parum apparientiæ continet.

45 Dico tertio, in hominib⁹ omnes operationes directæ non agnoscuntur quoad quid eō eadem operatione; sed alia operatione reflexa realiter distincta à directa. Hæc est cōmunis omnium (solo excepto Arriaga illa sec. 3. n. 76.) & est expressa S. Th. 1. p. q. 87. ar. 3. ad 2. vbi ait. *Alius est actus, quo intellectus intelligit lapidē, & alius est actus quo intelligit se intelligere lapidē, & sic deinde. Nec est inconueniens intellectū esse infinitū in potētia, vt supra dictū est*. q. 66. art. 2. & q. 28.

28.ar.4.ad 2. inquit, *quod in nobis relationes intelligibiles in infinitũ multiplicantur, quia alio actu intelligit homo lapidem, & alio actu intelligit se intelligere lapidem, & alio etiam intelligit hoc intelligere: & sic in infinitum multiplicantur actus intelligendi, & per consequens relationes intellectæ.* Idem docet S. Thomas in 3.dist.23.q.1.art.2. ad 3. & lib.2.de Ani.lec.6.in fine, & lib.3. lec.9.per totam. ¶ Sed obijcies: nam S.Tho.in 1.dist.1.q.2.ar.1. ad 2.ait. *Eadem operatione intelligo intelligibile, & intelligo me intelligere.* Et dist. 10.art.5.ad 2.dicit, *in inferioribus nõ alio actu potentia fertur in obiectum, & in actum suum: eodem enim actu intellectus intelligit se, & intelligit se intelligere.*

Respondetur, quod ipse S.Tho. se explicat ibi dist.17.q.1. art.5. ad 4. quod ipse actus dupliciter accipitur: vno modo vt *quo*, & vt ratio intelligendi: & sic in actu exercito eodem actu intelligitur ac obiectum: alio modo accipitur vt *quod*, & per modum obiecti: & sic diuerso actu attingitur, & sic accipitur in cognitione reflexa.

46 Probaturque primo experientia, quia non solum experimur nos multiplicare actus, cũ intelligimus lapidẽ, & intelligimus nos intelligere lapidẽ; sed etiã videmus nos non posse eisdẽ actibus, quibus cognoscimus obiecta alia, cognoscere quidditatẽ ipsorũ actuũ: cũ experiamur multa nos cognoscere, & nescire quidditatẽ actuũ intellectus: vt patet in opinionib⁹ relatis in antecedẽtib⁹ quæstionib⁹ circa quod quid est intellectionis nostrę; quam in exercitio experimur cũ alia intelligimus: ergo operatio intellectus propriè reflexa realiter est alia ab operatione directa.

47 Secũdo probatur ex illo Phyl. 3.de Ani.tex.15. *Intellectus intelligit seipsum, sicut & alia.* Et text.33. *Obiecta præcognoscuntur actibus, & actus potentijs.* Ex quibus rationẽ format S. Tho.illo art.3. Obiectũ proportionatum nostri intellectus est natura rei materialis: ergo hoc primo intelligitur: ergo actus non cognoscitur nisi secundario ex cogitatione obiecti. Ergo si actus est directe obiectum (vt est in cognitione reflexa) debet formari nou⁹ actus, cuius directũ obiectũ est actus prim⁹.

48 Tertio probatur argumentis, quæ proponebantur contra secundam conclusionem: nam sunt rationes efficaces ad hanc probandam: siquidem intelligere nostrum non est operatio, quæ est perfectio naturalis primi, & proportionati obiecti connaturalis nostri intellectus. Et ideo solutiones, quæ in Angelo militant, non habẽt locum in homine: quia homo in exercitio solum quoad an est, cognitionem suã cognoscit recta operatione; & ideo vt cognoscat quoad quid est, & per modũ quidditatis, indiget alia cognitione. At verò Angelus cognoscit etiã quoad quid est, quia vno actu cõprehẽdit substãtiã cũ sua naturali perfectione, quæ est intelligere: & respectu Angeli hæc duo accipiuntur vt vnũ obiectum; respectu verò hominis sunt formaliter obiecta ad inuicem formaliter inconnexa, & quandoque vnum est corporale, & actus est spiritualis. Ergo in

homine cognitio reflexa est operatio realiter distincta à cognitione reflexa. Et hæc est ratio S.Thomæ illa dist.17.ad 4. *Cum actus distinguãtur per obiecta, oportet dicere diuersos actus, qui terminantur ad obiecta diuersa. Vnde sicut sunt diuersi actus, quibus intellectus intelligit equum, & hominem: ita sunt diuersi actus in numero, quo intelligit equum, & quo intelligit actum illius sub ratione actus.*

49 Obijcies: nam vt ex Phylosopho 9.Metaphis.textu 10.docet S. Thomas 1.part.quæst.87.tribus primis articulis, *vnumquodque cognoscitur secundum quod est actu.* Vnde nihil aliud requiritur ad hoc, quod aliquid intelligatur, nisi quod sit intelligibile in actu; & positum in actu secundo in intellectu: sed hæc duo conueniunt operationi nostri intellectus: ergo intelligitur per se ipsã absque alia operatione.

Respondetur cum Caietano ibi art.3.in fine, quod ad hoc quod aliquid intelligatur actu ab hoc intellectu, plus requiritur, quã quod sit in se intelligibile in actu. Exigitur namque, quod sit præsens intellectui, non qualitercumque, sed *obiectiuè*. Licet autem intelligere sit actu intelligibile, & præsens intellectui formaliter (entitatiuè) non tamen obiectiuè, quando directè intelligimus: quia intellectus noster est perse primo perfectibilis obiectiuè à quidditate sensibili, & non à substantia animæ: & ideò intelligere nostrum non est in primo ordine intelligibilium à nobis: ac per consequens intelligere nostrum nõ potest quidditatiuè ipsa cognitione directa intelligi.

50 Obijcies secũdo: nam, quoad hoc, par ratio est de specie impressa, ac de ipsa operatione intellectus: sed in cognoscendis speciebus impressis non admittitur processus in infinitũ, neque experimur, quod ad cognoscendam speciem impressam opus sit alia specie impressa: ergo nec ad cognoscẽdam operationẽ intellectus necessaria est alia operatio intellectus.

Respondetur negando maiorẽ, quia quoad hoc dispar ratio est de specie impressa, ac de operatione: nam vt ait S.Thomas quæst.10.de Veritate art.9.ad 10. *Intellectus cognoscit speciem intelligibilem, non per essentiam suam; neque per aliquam speciem; sed cognoscendo obiectum, cuius est species per quandam reflexionem, vt dictum est* ibi in corpore articuli. Vnde infert M.Serra 1.parte quæstione 87. articulo tertio, quod ipsamet species, quæ primo, & immediatè representat obiectum; representat se ipsam intellectui quantum necesse est vt possit cognosci per actum reflexum. Præterquam quod vna species impressa deseruire potest pro pluribus operationibus intellectus; quia datur per modum habitus, seu actus primi: & ab vno habitu prodeunt multi actus successiuè. Videatur Sanctus Thomas ibi ad quartum, & in tertio distinctione 23.quæstione prima articulo secundo ad tertium.

51 Tertio oppones argumentum Arriagæ n.76.sic dicentis. De facto quando dico; *de conceptu omnipotentiæ est posse producere omnes creaturas,*

*ras, nulla excepta*; iste actus habet se pro obiecto: nã ipse est vna ex omnibus creaturis. Idem cõtingit, quãdo dico: *Omnis actus intellectus est cognitio.*

Posset forte quis dicere, illum actum se cognoscere confusè, hocque non repugnare. ¶ Sed contra, quia tam cognitio confusa; quam explicata fit ab obiecto, & potentia, quod est tuum argumentum: ergo tam non potest confusè se cognoscere, quam explicite.

Denique idem probatur; quando dico: *Omnis cognitio possibilis, nulla excepta, est representatio obiecti*; non dubium includi ipsam, qua id dico: alioquin iam exciperetur aliqua: ergo potest cognitio se ipsam cum alijs cognoscere. Imò & solam, quia non est in hoc maior vlla repugnantia: & poterit de se affirmare esse accidens intentionale.

52 Respondetur hoc argumentum summulisticum, quod tetigerat. M. Soto lib. 1. Sum. cap. 3. iam esse in simili à nobis solutum lib. 2. Dialect. cap. 7. §. 2. tractando de insolubilibus: vbi num. 15. diximus, quod propter transcendentiam, & reflexionẽ intellectus; id quod est singulare in essendo, potest esse vniuersale in representando; & ipse modus significãdi potest accipi vt res significata; & ipsum non ens potest accipi vt ens; & ipsum non intelligibile accipitur, vt intelligibile. In casu ergo argumenti, actus ille habet se pro obiecto vt continetur sub ratione communi creabilis; non vt exercetur hic, & nunc: & sic est conceptus directus. Et in secunda propositione ipsa est significatum partiale, & inadæquatum; obiectum autem est omnis actus intellectus: & sic non coincidunt actus, & obiectum. Neque cognitio prima directa potest affirmare de se esse accidens intentionale; quia prima cognitio debet esse circa aliquid materiale, vel concretum materiæ.

53 Dico quarto, non implicat cõtradictionem, quod aliqua operatione humana, qua directè attingitur aliquod obiectum, ipsa eadem operatione reflexe ipsa attingatur. Immò ita reperitur in operatione scientiæ inditæ Christi Domini, & aliorum beatorum. Hæc conclusio sequitur ex secunda. Et potest explicari ex doctrina recepta S. Thomæ 3. p. q. 11. artic. 1. ad 4. vbi ait, quod Christus Dominus per scientiam inditam cognouit omnia singularia præsentia, præterita, & futura. Et art. 2. docet, quod potuit intelligere sine conuersione ad phantasmata. Et art. 5. asserit, quod anima Christi poterat vti scientia indita quando volebat.

54 Ex his sic formatur ratio. Anima Christi per scientiam inditam cognoscebat proprias cogitationes, multo certius, quam Angeli se ipsos cognoscant, vt probat ibi ar. 4. Ergo si Angeli vna cogitatione cognoscunt suam substantiam, & cognoscunt se intelligere, etiam id non est negandum animæ Christi.

Secundo, quia hic cessat ratio S. Thomæ assignata n. 47. quæ militat in pure viatoribus naturali modo operantibus.

55 Tertio, quia si Christus valet vnico actu cognoscere cogitationes suas futuras, & præteritas, & præsentes: poterit vnico actu cognoscere vnum obiectum, & cognoscere quod cognoscit: ergo idem actus erit directus, & reflexus. Et per potentiã Dei hoc idem poterit communicari puro homini. Imò & viatori, licet non operanti connaturali modo. ¶ Argumenta contra hãc conclusionem, nõ sunt alia præter soluta contra secundam.

## §. V.

## *De verbo nostræ cognitionis reflexæ.*

56 HAEc est secunda pars tertiæ difficultatis, in qua supposito, quod cognitio reflexa distinguatur à directa, inquiritur an in cognitione reflexa producatur verbum ab ipsa operatione distinctũ?

57 Dico primo, in cognitione reflexa producitur verbum. Ita Bañez 1.p.q.87.art.3. exprofesso, & obiter q.27.art.1.dub.1.conc.6.in 2.rat.in oppositum: & 1.p.q.56.ar. 1.dub.2. Nazarius 1.p.q.27.art.1. controu.1.conc.1.& ad 4. contra eam: ibi Zumel, & Nauarrete. Serra q.87.art.3. PP. Carmelitani disp. 21. de Anima q.5.n.88.& ibi Ioan. à S. Thoma q.11.artic.1.& 2. & latius in Logica q.23.art.3. Huertos 1.lib. Sumularum q.7.art.1. ibi Ortiz tractatu 3.confer.4.& est communis Thomistarum. Et est extra scholam S. Thomæ valde recepta: vel quia arbitrantur non posse dari actionem sine termino producto: vel quia iudicant verbũ solum modaliter: vel solum formaliter ab intellectione differre. Sed quia hæc principia nõ approbamus; alia pro conclusione requiramus.

58 Sumitur ex D. Augustino lib. 9. de Trinit. cap. 11. & S. Anselm. in Monologio cap. 31. & D. Thoma q.4. de Verit. art. 2. vbi ait. *Vnde etiã quando mens intelligit se ipsam, eius conceptio non est ipsa mens, sed aliquid expressum à notitia mentis.* Et 4. Contrag. capit. 11. de verbo mentis loquendo dicit. *Vnde etiam intellectus noster se ipsum intelligens, est in se ipso vt à se apprehensum intelligendo.* Par autem ratio est de cognitione sui conceptus, vel de conceptione intellectus, & animæ.

59 Ratione probatur primo ex illo generali principio S. Thomæ q.4. de verit. art. 2. ad 5. *Nõ aliter possumus intelligere, nisi huiusmodi conceptionem exprimendo; & ideò omne intelligere in nobis, proprie loquendo, est dicere.* Cum intelligimus nostrum intelligere, loquimur mentaliter, & dicimus: sed dicere est proferre verbũ: ergo in cognitione reflexa formatur verbum.

60 Secũdo probatur ratione formata n.26. quia vt obiectum actu intelligatur debet esse præsens obiectiue in ratione termini intellectionis: & operatio, & verbum cognitionis directæ non sunt præsentia obiectiuè in ratione termini intellectionis sine verbo: nam idem non potest esse principium, & terminus proprius eiusdem operationis secũdum idem esse; cõstat autem, quod in se-

in secũda cognitione operatio, & verbum habent rationem principij operationis, vel perse, vel ratione speciei obiecti: ergo ratione verbi habent de nouo rationem termini intrinseci.

61 Tertio probatur ratione formata ex D. Thom. n. 47. & q. 16. n. 31. quam specialiter explicant, & tuentur Caiet. 1. p. q. 87. art. 3. in fine, & Ferrara, Bañez, Ioannes à S. Thoma vbi supra: quia speciali ratione in cognitione rerum naturalium est necessarium formare verbum: quia obiectum vt terminat actum intellectus, non est in actu, nisi per intellectum fiat; cum non sit abstractum à materia extra intellectum; terminet autem secundum quod est abstractum à materia. Vnde Ferrara illo cap. 53. §. *ad dubium ergo*, notat, quod causæ necessitatis verbi assignatæ à D. Thoma, *diuisim* accipi possunt, vna respectu aliquorum intelligibilium, alia respectu aliorum. Possunt etiam accipi *coniunctim*; quia respectu rerum materialium vtraque causa concurrit.

62 Tunc sic vrgetur: nam cognitio nostra, & verbum cognitionis directæ in re sunt quid spirituale: & non sunt præsentes obiectiuè, nisi prout accipiuntur ad modum rerũ materialium: ergo in cognitione reflexa oportet formari verbũ vt ipsæ operationes intellectus, & earum termini sint præsentes obiecti ue modo proportionato intellectui. Vnde optimè ait S. Tho. q. 9. de Pot. art. 5. quod *quantum ad hoc nõ differt virum intellectus intelligat se, vel intelligat aliud à se: sicut enim cum intelligit aliud à se, format conceptũ illius rei, quod voce significatur: ita cum intelligit seipsum, format conceptum sui, quod voce etiam potest exprimere.* Et vt antea dixerat. *Hoc sic ab intellectu conceptũ, dicitur verbum interius: hoc enim est quod significatur per vocem.*

63 Ex hac ratione infertur, certũ esse, quod in cognitione nostra reflexa formetur verbũ, quam quod Angeli in sui cognitione forment verbum. Vnde quod Angeli verbo formato non indigeant, admissim esse probabile in doctrina S. Thomæ. Et tamen arbitror certum in eius doctrina, quod in omni nostra cognitione naturali formetur verbum; quia in nobis sunt duæ causæ quarum singulæ sufficiunt ad probandam verbi necessitatem: & ita admisso probabiliter (disputationis gratia) quod vna cessaret, alia locum haberet, & sufficeret.

64 Ad argumentum Iauelli relatum n. 6. satisfit doctrina S. Tho. relata. n. 45. quam & reperit in 1. dist. 17. q. 1. art. 5. ad 4. concludens. *Nec est inconueniens, quod in actibus animæ eatur in infinitum in potentia: dummodo actus non sint infiniti in actu. Vnde etiã Auicenna 3. Metaph. c. 10. concedit non esse impossibile quin relationes consequentes actum animæ, multiplicentur in infinitũ.* Quæ pari ratione dici debet de verbis, seu terminis operationum intellectus, & voluntatis. Quod optimè notat S. Thomas Opusc. 14. in fine, dicens. Nos verò multa verba habemus propter impotentiam intellectus nostri in intelligendo: & horum quædam oriuntur ex alijs; sicut verbum conclusionis ex prin

cipijs: quædam vero non, sicut in rebus, quæ non habent connexionem ad inuicē; vt patet de lapide, & ligno. Quædam statim offeruntur intelligenti, quædam cum maiori, quædam cum minori discursu, &c.

65 Solet præterea argui: nam quod est ratio manifestandi alia, seipsum manifestat: sicut lux, quæ est ratio videndi colores, non indiget alia luce, vt videatur: nec existentia indiget alia existentia vt existat, quia est ratio existendi: sed cōceptus, seu verbum est ratio manifestandi rem: ergo non indiget alio conceptu in quo ipse videatur.

Respondet bene Bañez.q.87. artic.3.ad 3.quod quando cōceptus exercet rationem medij, & manifestatiui, non indiget alio medio, aut alia luce, vt cognoscatur: quia eadem cognitione attingitur verbū, & res cognita. At verò verbum in cognitione reflexa non exercet rationem lucis, & manifestatiui, sed potius rationem rei illuminatæ, & manifestatæ, quia cognoscitur secūdum quod est quædam qualitas, & quoddam ens: vnde indiget alio actu, & alio verbo. Quæ solutio est expressa S. Thomæ verbis relatis n. 48. Vbi & aduertit, quod conceptus vt ratio intelligendi, & conceptus, vt quodam ens, sunt duo obiecta: nam quod semel est actus, propter reflexionem intellectus, postea est obiectum. Et ideò non est simile in alijs potētijs non reflexiuis, quæ sicut non redeunt ad se, ita nec illarum operationes sunt obiecta aliarum operationum: quia solus intellectus *reditione completa* (vt loquitur S. Thomas q.10. de Verit. art.9. in cor.) *reddit ad cognoscendam essentiam suam*, & operationes, & verba propria.

66 Sed instabis: nam vt diximus n.50. ex D. Thoma isto art.9. ad 4. & ad 10. ad cognoscendas species, non indiget intellectus alijs speciebus. Quod non solum est verum in cognitione directa, quando species concurrunt vt principium *quo* cognitionis; sed etiam in cognitione reflexa quando species sunt obiecta vltimate cognita. Ergo pariter in cognitione reflexa non est opus alio verbo ad cognoscendum intellectionē vt quod, sed sufficiet verbū in prima cognitione formatū.

Respondent Suarez lib.4. de Anima cap.5.n.3. & Ortiz dicta conferentia 4.§.5. quod eo ipso, quod intellectus operatur, resultat in intellectu species talis actus; quia trāsacto actu, recordatur intellectus, se hoc, vel illud intellexisse: relicta ergo est in illo species actus, atque adeò per illam cognoscitur. Et iuxta hoc, cessat argumentum, quia assumit antecedens falsum.

67 Cæterum quia oppositum docet S. Thomas loco relato in argumento, & supponit 1.p. q.87.ar.2. & 3. & ibi communiter Thomistæ. Et ratio contraria parū vrget, quia etiā operationes, & species expressæ relinquunt in memoria notitias habituales sui, non mediante alia specie, quam specie obiectorum.

68 Ideò concesso antecedēti, negatur consequētia; quia species impressa est principium per modū actū primi,

primi, & vna deseruit pro pluribus operationibus: at vero species expressa est terminus operationis, & tandiu durat, quandiu durat intellectio: & ideò noua intellectio reflexa indiget nouo verbo, vt operatio, & verbum cognitionis directæ vniantur intellectui in esse termini intrinseci nouæ intellectionis, vt explicuimus numero. 27. vsque 31.

69 Dico secundo, non implicat contradictionem, quod in cognitione reflexa, vel in qualibet intellectione humana, vel angelica, etiã naturali, & circa obiecta creata, & naturalia, non producatur verbum ab ipsa intellectione realiter distinctum. Hanc cõclusionem arbitror esse communem Theologorum, & Phylosophorum: nam multi opinãtur de facto non distingui: quod extra scholam S. Thomæ est valde receptum: & placuit Soto, & Victoriæ. Pariter Caietanus, & alij relatin. 5. de facto admitunt Angelum in sui cognitione non formare verbum: quod esse probabile diximus n. 20. Ferrara, & Ianellus de facto in nostra cognitione reflexa, non agnoscunt verbum necessariam. Ipsi etiam Thomistæ, qui verbum realiter distinctum in omni creata cognitione necessarium agnoscunt, nõ probant rationibus deducentibus implicationem contradictionis: vt patet ex rationibus relatis ex Thomistis antiquis, & nouissimè in PP. Carmel. & Ioanne à S. Thoma. Ergo cõtra cõmunẽ sententiã est asserere, quod implicet contradictionem, quod Deus faciat intellectionem creatam obiecti naturalis sine verbo ab ipsa realiter distincto.

70 Probaturque primo: quia paris difficultatis est, quod vna operatio sit realiter directa, & reflexa, & quod vna qualitas sit operatio, & verbum: sed ostendimus esse sentẽtiam Sancti Thomæ, communem, & veram, quod de facto in Angelis eadem operatio est directa, & reflexa in cognitione sui naturali: ergo non excedit limites creatæ operationis circa obiectum creatum, quod sit intellectio, & verbum.

71 Secundo; vt patet ex dictis q. 18. §. 2. si operatio vitalis intellectus esset se ipsa formalis obiecti similitudo, nulla esset necessitas verbi ab operatione realiter distincti: quia in vna qualitate possẽt hę duę rationes adunari. Sed hucusque nõ est demonstratum, quod fieri à Deo non possit qualitas, quæ sit vitalis operatio naturalis, & simul expressa similitudo obiecti: quia ista prædicata adunari in vno ente nullam dicit infinitatem; nec vllam includit contradictionem: ergo nec vlla est contradictio, quod operatio intellectus esset verbum. Licet cõs naturalius appareat, quod de facto distinguantur.

72 Tertio: ex eo quod implicet contradictionem intellectionem, & verbum identificari cum subsãtia: quod sæpè affirmat S. Tho. non sequitur, nec probabiliter, implicare contradictionem, quod intellectio, & verbum non possint identificari interse: sed contrarij hanc solã afferunt causam implicationis: ergo absque solido fundamẽto id de-

negant

negant diuinæ potentiæ. Probatur maior, quia intellectio, & verbum sunt de genere accidētis: ergo etsi neutrum possit identificari cū substantia, quæ est diuersi generis, non sequitur quod non identificentur inter se. Quod amplius erit manifestum respondendo argumentis in contrarium.

73 Prius tamen aduertēdū, quod posset aliquis contendere nostram cōclusionem probare, ex eo quod potest dari aliqua cognitio ita imperfecta, quod nil loquatur, & dicat: sicut contingit in sensibus externis non formantibus verbum: quod præcipue posset accidere in aliqua cognitione, vel intuitiua; vel pure apprehensiua, & nō iudicatiua: & ita poterit dari aliqua cognitio sine verbo. Quod aliquis posset attribuere S. Thom. qui Opusc. 13. col. 1. in fine, ait. *Cum volo concipere rationem lapidis, oportet quod ad ipsū verbum ratiocinando perueniam.* Et postea concludit. *Ideò perfecta contemplatio veritatis dicitur verbum.* Quamuis exponi possit de verbo perfecto, & non de quolibet.

74 In hac tamen ratione vim nō facio: tū quia minima operatio intellectus est eleuatior operatione sensuum externorum, & internorum: & in sensibus internis producitur verbum, propter modum operandi abstrahentem à præsentia physica obiecti. Tum quia S. Thomas, & eius discipuli nō constituūt verbū propter notitiam perfectiorem, aut expressiorem representationem: vt nobis imponere Durandum in 1. dist. 29. notat Caietanus 1. p. q. 27. art. 1. dub. 4.

75 Contra hanc secundam cōclusionem opinantur Huertos illa q. 7. ar. 1. §. *tertia ratio* pag. 130. & sequētibus. Et Ortiz conferentia 4. §. 2. & 4. (& aliquamtulum videntur fauere Bañez 1. p. q. 56. ar. 1. dub. 2. in 1. rat cōc. Et Nazarius 1. p. q. 27. art. 1. controu. 2. §. *nunc soluenda*, & alij. Licèt non ita expresse loquantur, quod non possint trahi in communem sentētiam) nam vt probēt necessarium esse conceptū reflexū ad cognoscendum directum, sic arguūt. ¶ Infinita perfectio exigitur vt aliqua res per se ipsam sit verbū, seu conceptus. Ergo nulla res creata per se ipsam est verbum, seu conceptus. Antecedens est expressum D. Thomæ 4. Contrag. cap. 11. vbi probat, quod in Angelis *nondum ad vltimam perfectionem vita ipsorum pertingit: quia licet intellectio intellecta sit eis omnino intrinseca: non tamen ipsa intētio intellecta est eorum substantia; quia nō est idem in eis intelligere, & esse.* Eodem modo arguit. q. 4. de Veritate art. 2. in corp. & ad 5. & quæst. 9. de Potentia artic. 1. ¶ Et probatur ratione à priori: quia verbum, seu conceptus se habet vt vltima actualitas in esse intelligibili, qua obiectum constituitur in actu secundo, & vltimo intellectum. Sed ex eo quod aliquid sit perse ipū in vltima actualitate, sequitur, quod sit summè perfectum. Ergo, &c. Antecedens, seu maior supponitur. Et minor probatur, primo à paritate: nam ex eo quod aliquid sit sua intellectio, debet esse purus actus: sed non est minoris perfectionis intelle

ctua-

actualitas passiua, quam actiua: ergo ex eo quod aliquid sit suum verbū, sequitur, quod sit summè perfectū. Secundo probatur minor: nam intellectualitas passiua est perfectio simpliciter simplex: vnde sicut si aliquid esset suum esse, esset infinitū: vt ex D. Thoma 2. Cōtragēt. cap. 52. rat. 3. diximus 1. p. Metaph. controu. 7. art. 3. §. 3. ergo si aliqua res sit suum verbum erit infinitè perfecta.

76 Confirmatur, & explicatur: nam intellectualitas se extendit ad intellectualitatem actiuam, & passiuam: & ex eo quod principium intellectuale actiuum sit sua vltima perfectio, quæ est intellectio, sequitur quod sit sua vltima actualitas: & ideò in solo Deo idem est intelligere, & esse. Ergo pariter dici debet de principio intellectuali passiuo, quod si aliquid sit sua intentio intellecta, seu suum verbum; in eo idem erit intelligere, & intelligi ac suum esse: quia vt ait S. Thomas 4. Contrag. cap. 11. *Esse verbi est intelligi*: ac perconsequens est vltima actualitas in genere passiuo. Argumēta innumera, quæ contra hāc rationem videntur statim occurrere, conantur occludere accersitis ex Metaphysica, & Theologia principijs, & doctrinis varijs.

77 Sed valeant cum sua subtilitate, mihi certè videntur expensæ nō necessariæ. Ratio in primis falsò adscribitur S. Thomæ, vt notaui. nu. 72. quia ipse ibi vult probare, quod in Deo verbum est substantia, quia intellectio Dei, & eius verbum, est realiter esse Dei: in creaturis verò sicut intelligere est accidens, ita & verbū, quod est intellectionis terminus. Quam rationem clarè formatipse S. Tho. Opusc. 13. circa finem, dicens. *Intelligere anima non est idem cum esse naturali animæ, quia anima non est sua operatio: & ideò verbum, quod formatintellectus noster, non est de essentia animæ; sed est accidens ei. In Deo autem idem est intelligere, & esse: & ideò verbum, quod formatintellectus diuinus, non est aliquod accidens; sed pertinens ad naturam eius.* Quæ ratio maiorē vim haberet in sententia M. Soto; quia si identificātur actio, & verbum: eo ipso quod operatio est accidens, etiam verbum, cū illo identificatū, est accidens. Qua ergo apparientia hæc ratio inducitur, vt deducāt ex illa, quod in sententia M. Soto verbum creatum erit Deus?

78 Secundo dico, quod si nos assereremus, quod aliqua substantia esset verbum; optimè cōtra nos argueretur, quod sicut substantia nequit idētificari, cum intellectione, ita nequit identificari cum verbo, &c. Sed tamen id nō asserimus, nec legi, aut audiui ab aliquo assertū: neque est necessarium ad defendendum aliquam cognitionem esse simul directam, & reflexam; aut aliquam intellectionē identificari cū verbo: quia sufficit quod sit operatio vitalis expressè representatiua obiecti: quod potest facere sine idētificatione cum obiecto, vt in alijs speciebus expressis apparet.

79 Tertio dico, quod in esse entis, tam operatio, quam verbū, exigunt inhærendo: & ista inexistentia differt realiter ab eorum essentia;

tia: & hoc sufficit, vt ratio ex hac parte claudicet. Loquendo autem in genere operatiuo, potius intellectio est existentia: nam ait S. Thomas. 1. part. quæstione 14. articulo 4. *Sicut esse consequitur formam, ita intelligere sequitur formam intelligibilem.* Et q. 54. art. 1. *Actio est proprie actualitas virtutis, sicut esse est actualitas substantiæ, vel essentiæ.* Et q. 79. art. 1. & de Spir. creat. art. 11. & alibi sæpè idem asserit.

80 Quarto, ego non video, quo firmo argumento possit probari, quod vnamet operatione non possit reduci ad actum potentia intellectiua actiua, & potentialitas obiecti vt intelligatur: quin potius, cum intelligere consistat in immateriali vnione intelligentis, & rei intellectæ (nisi aliæ rationes obstarent) vna qualitate vitali causata à potentia, & à specie impressa, possent reduci ad actum, & intellectus in esse intelligentis, & obiectum in esse intellecti: quia illa qualitas posset esse quasi vnio vtriusque.

81 Denique bene notat Ferrara 4. Contrag. cap. 11. pag. 431. col. 4. §. *circa id*, quod illa propositio S. Thomæ ibi. *Esse verbi interius concepti, siue intentionis intellectæ, est ipsum suum intelligi*: non facit hūc sensum, quod verbum non habeat aliam existētiam, quam obiectiuam in intellectu: alioquin esset purum ens rationis: & tamen verbum est qualitas realiter inhærēs intellectui; & realiter producta per dictionem. Sed sensus est, quod esse verbi causatur passiue ab operatione intelligēdi, & cō sequitur ipsā: & non durat, nisi quā diu actualis intellectio durat: cessāte enim intellectione, esse verbi, seu intentionis intellectæ, cessat. Et est simile, sicut si diceremus, esse aeris illuminati, in quantum huiusmodi, in ipso illuminari cōsistere: quia lumen non habet esse in aere, nisi per illuminationē, & nisi dum aer illuminatur. Ex quo patet, quod in rigore loquendo, verbum non est existentia physica: & intentionaliter est terminus per modum imagīnis expressæ: quam non implicat idētificari cum operatione, qua exprimitur. Sed de his iam satis.

## QVAESTIO XX.

### *Vtrùm dicere mentaliter distinguatur ab intelligere?*

1 PRoponitur ad cōplementum præcedentis: & quia est valde necessāria pro tractatu de Santissima Trinitate: sed quia ibi melius percipitur; ideò hic summatim perstringenda.

### §. I.

### *Resolutio quæstionis.*

2 SCotus in 1. dist. 2. q. 7. & dis. 27. q. 1. ponit in intellectu duos actus formaliter ex natura rei distinctos: primū qui est operatio, & dicitur actus intelligendi: secundum qui est productio, & dicitur dictio verbi. Eandem sententiam sequitur Molina 1. p. q. 27. disp. 8. memb. 2. Tribuiturque Ferrariēsi, Torres, & quibus-

quibusdam Thomistis, quos si consulas, oppositum in illis reperies. Quamuis Cornejo 1.p.q.27. disp. 2. dubio.3. hos actus distinguat in Deo; sed in nobis, de quibus modo agimus, aliter sentit. ¶ Cæterum Thomas Hurtado de anima tract. controu.4. membro 10. §.2. asserit quod dictio est actio transiens vitalis proueniens ab intellectu cõstituto in actu per suam intellectionem: & ideò S. Thomas dicit verbum generari ex notitia, & intellectione.

3 Conclusio tamen sit: dicere, & intelligere distinguuntur ante operationem intellectus; non vt vna operatio distinguitur ab alia; sed vt operatio fœcunda distinguitur à non fœcunda per modum fœcunditatis. Ita Caietanus 1.p.q.27.art. 1.dub.1. Ibi Bañ. dub.2. Zumel dis. 3. & 4. late Nazarius ibi Controu. 3. PP. Carm. hic disp. 21. q. 4. Ioan. à S. Thoma q.11. art. 1. conc.3. & 4. & Thomistæ communiter. Valẽcia, & latius Fasolus 1.p.q. 27. art. 1. dub. 13. & q.34. art.3. dub.2. & 3. & alij.

4 Prior pars sumitur ex D. Thoma 1.p.q.27.art.1. illis verbis. *Quicumque intelligit, ex hoc ipso quod intelligit, producit verbum.* Quod & habetur 4. Contrag. c. 11. & q.4. de Verit. art. 2. ad 5. Et probatur, quia dicere mẽtaliter est exprimere, & loqui, quod mente percipimus: sed hoc est intelligere: ergo non est operatio ex æquo distincta ab intellectione. ¶ Secundo, quia sicut intelligere correspondet intellectui: ita verbũ, seu species expressa correspondent impressæ: sed ex intellectu, & specie fit vnum principium integrum, & perfectum operationis: ergo vna operatio sufficit ad intelligendum, & dicendum. Et hæc est ratio S. Thomæ Opusc. 14. col. 2. dicentis. *Sicut in principio actionis, intellectus, & species non sunt duo, sed vnũ est ipse intellectus, & species illustrata; ita vnum in fine relinquitur, similitudo scilicet perfecta, genita, & expressa ab intellectu: & hoc totum expressum est verbũ.*

5 Secunda pars colligitur ex D. Tho. 1.p.q.34.art.1.ad 3. & art.2. ad 2. Et eius ratio est, quia species est quasi semen obiecti: vnde intellectus illa actuatus, redditur fœcundus ad dicendum, & proferendum verbum: *sed mediãte verbo, importat habitudinem ad rem intellectam, quæ in verbo prolato manifestatur intelligenti.*

6 Conclusionem conuenienti exemplo declarant PP. Carmel. n. 58. nam actus scientificus producit habitus nõ per alios actus ex æquo distinctos ab ipsis actibus procedentib⁹ ab habitu; sed perse ipsum modificatum fœcunditate, & causalitate vt *quo*: ita vt actus modificatus sit productio habitus scientiæ. Ita pariter intelligere modificatum est ipsa causalitas, & expressio verbi.

7 Potest etiã hoc explicari, quia verbum & est obiectũ, & quasi speculum, in quo intellectus contemplatur: & est opus operatum, & genitum, & expressum ab intellectu: in prima consideratione intelligere terminatur ad verbum; in secunda vero dicere exprimit verbum: dare autẽ verbo ista duo, non excedit vim eiusdẽ intellectionis modi-

modificatæ: ergo frustra alia operatio exigitur: quod totum expressit S. Thom. Opus. 14. col. 2. dicēs. *Verbum igitur cordis est vltimum, quod potest intellectus in se operari. Ad ipsum enim, in quo quidditas rei recipitur; imo quia ipsamet est quidditatis similitudo, terminatur intelligere: sic enim habet rationem obiecti intellectus. Vt verò est per intellectum expressum, ei coniungitur dicere. Et sic ipsum idem verbum est effectus actus intellectus, qui est formatiuus obiecti, & ipsius dicere.*

## §. II.

### *Soluuntur argumenta.*

8 SEd obijcies: nam actio immanens, & transiens distinguūtur, non solum realiter, sed etiam genere; quia vna est de genere qualitatis, alia de prædicamento actionis: sed intelligere est operatio immanēs; & dicere est operatio trāsiēs: ergo sunt operationes omnino distinctæ. Probatur minor: nam Philosophus 9. Metaph. tex. 16. & 1. Aethic. cap. 1. constituit differentiam inter actionē immanentem, & transeuntem, quod per istā est aliquid operatum, per illam nihil: quod & approbat S. Thom. 1. Cōtrag. cap. 100. rat. 2. vbi ait. *Dico autem operationem in ipso manentem, per quam non fit aliud præter ipsam operationem: sicut videre, & audire.* Sed intelligere nihil producit: & dicere producit verbum: ergo intelligere, & dicere sunt operationes distinctæ omnino.

Confirmatur ex D. Tho. Opusc. 13. col. 1. vbi ait. *verbum non significat ipsum intelligere, cū intelligere nō sit actio progrediens ab intelligente, sed in ipso manens. Verbum autem interius conceptū per modum egredientis se habet. Quod testatur verbum exterius vocale, quod est eius signum: illud enim egreditur â dicente vocaliter ad extra.* Ergo ex mēte D. Thomæ intelligere est operatio immanēs, & dicere est operatio transiēs. Idem indicat 1. p. q. 34. art. 1. ad 3.

Confirmatur secundo ex eodem D. Thoma Opusc. 14. col. vltima, vbi ait. *Verbum sequitur immediate intellectum in actu per speciem, â qua procedit verbum vt actus ex actu, & non vt actus ex potentia: vnde verbum posterius est actu intelligendi â parte intellectus.* Sunt ergo duæ operationes intelligere, & dicere, & vna procedit ex alia.

9 Ad argumentum bene respondet Caietanus, communiter receptus à Thomistis, quod aliquam operationem esse productiuam termini, contingit dupliciter: vno modo necessario; alio modo permissiue. Operatio trāsiens habet necessario operatum (vel factum, vel vnitū, iuxta alibi dicta) immanens autem non necessario infert aliquod operatū. Et absque dubio hæc fuit mēs Philosophi, & cōtinet veritatem: ex eo enim, quod habitus ex frequentatis actibus immanētibus generantur, manifeste patet nō repugnare actioni immanēti habere opus præter se.

10 Secundo respondet idem Caietanus ibidē, quod actiones istæ differunt quoad ordinem: nam actio transiens habet opus, sic quod ordi-

ordinatur ad ipsum opus. Actio vero immanens non habet opus, quia nõ perse ordinatur ad opꝰ aliquod: sed si quando habet opus, illud ordinatur ad ipsam. Et vtrumque horum accidit in proposito: quia nec intelligere necessario producit cõceptum: nec quando format ipsum ordinatur ad conceptum: sed e cõuerso conceptus ordinatur potius ad perfectionem ipsius intelligere. Et solum operatũ est nobilius, quãdo operatio perse ordinatur ad ipsum; non autem quando est potius è conuerso: vt manifestè patet in actu, & habitu. Hæc secunda solutio est expressa S. Thomæ illo c. 100. vbi & Per. vtrãque recte exponit.

11 Ad primã confirmationẽ dicitur illa authoritate probari quod verbum realiter differt ab intellectione, vt diximus q. 18. §. 2. quia intelligere est operatio immanens, & perfectio operantis, in qua non exprimitur egressio effectus, sed informatio quædam intellectus: at vero verbum egreditur vt effectus operantis: sed est egressio manẽs in principio à quo egreditur: nã vt ait S. Tho. 1. q. q. 27. ar. 1. *Secũdam actionem, quæ manet in ipso agente, attenditur processio quædã ad intra* Et postea ait, quod in nobis, & in Deo, hoc modo procedit verbum: *Secundum emanationẽ intelligibilem, vtpote verbi intelligibilis à dicente, quod manet in ipso.* Et ideò verbum significatur vt egrediens, & vt manens in principio. Vnde in rigore loquendo nullã apparentiã habet, quod dicere intellectuale sit actio transiens ad extra, nisi causaliter, inquãtum efficit verbum exterius.

12 Ad secundam confirmationẽ dicitur, quod ibi est sermo de specie impressa, quæ est actus primus, & ex isto procedit verbũ, quod est terminus actus secundi. ¶ Secũdo, admisso, quod loqueretur de intellectione, ibi S. Thomas verbum ipsum vocat actum procedentem ex actu: & ideò non loquitur de ipso dicere: alioquin mentionem faceret de tribus actibus, nempe de intellectione, de dictione, & de verbo: quod vocat actum. Vnde optimè ait Capreol. in 1. dist. 35. q. 1. ar. 1. concluſ. 1. *Intelligere in nobis est actio intellectus, cuius principium est intelligibilis species, & terminus est conceptio, seu verbum rei intellectæ.*

13 Denique pro phrasi S. Tho. intelligenda, sunt notãda verba Hærnei, quæ adducit, & rectè exponit Fasol. illo dub. 13. 2. conc. ita dicẽs n. 248. in finẽ. Qua propter ne in hac re vocum ambiguitate confundamur, obseruandus est modus loquendi, quem tradit Hærueus trac. de verbo q. 1. art. 2. initio, dicens verbum non esse actum intelligendi, sed actum intellectus, *quia*, inquit, *est quædam forma informans intellectũ; & omnis forma est actus eius, cuius est forma.* Actus vero intelligendi, seu clarius, actio intelligendi, magis significat fieri verbi, quam verbũ ipsum. Ergo ponere actũ, seu formã intellectus, productã ab intellectu per actũ, siue actionẽ intelligendi, & tamen asserere illud non esse adhuc verbũ, *est prorsus alienum à cõmuni sensu omniũ bonorũ Theologorũ.* Hæc ille afferẽs. S. Th. q. 4. de Veritate art. 2. & q. 8. de Potent. art. 1.

Verbum

Verbum ergo est actus, hoc est, forma intellectus; non tamē est operatio intellectus, & ista nō differt realiter à dictione: quia in re *verbum est effectus actus intelligendi*, vt ibi ait Sanctus Thomas.

14 Præterea arguitur: illud quod est prius, non includit essentialiter illud quod est posterius: sed dictio est prior intellectione: ergo non includit illam; neque intellectio dictionem; sed mutuo se excludunt. Probatur minor: nam vt ait S.Th. Opusc.14.col.4.in fine. *Obiectum naturaliter prius est actione potentiæ circa obiectum: ideò verbum, quod est intra ipsum intellectum, prius est ipso intelligere ad ipsum terminato.* Cum enim intellectio in verbo contempletur obiectum: & obiectum contemplationis supponatur ad illam, verbū erit prius intellectione. Cum autē dictio sit verbi productio; à fortiori dictio præcedet intellectionem: ac perconsequens erit actio ab illa distincta.

Dices, verbum esse prius intellectione in genere causæ formalis; & intellectionem esse priorem in alio genere causæ, nempe in genere causæ efficientis: ita vt eadem intellectio in diuerso genere causæ, & producat verbum, & in verbo ase producto contempletur rem intellectam.

Contra replicatur primo: nam id quod est priꝰ aliquo in genere causæ efficientis, debet etiam esse prius illo genere causę formalis: eoquod vnumquodque agit inquantum est in actu per formam, qua agit. Secūdo, quia si intellectio est prior verbo in genere causæ efficientis, posset dari sine illo: siquidem in illo priori, in quo præcedit verbum, nō indiget ipso: & perconsequens nec in alio signo intellectio verbo indigebit: quia intellectio in omni signo est eiusdem rationis: ergo dictio est actio distincta ab intellectione.

15 Respondent Bañez ad 1. & Zumel vbi supra, & Nazarius notab.3. intellectionem posse dupliciter cōsiderari: vno modo quatenus formata est, & cōpleta, prout scilicet terminatur ad obiectum: & sic priꝰ est dictio, & verbū productū, quā sit intellectio formata. Alio modo potest intellectio cōsiderari vt operatio procedens ab intellectu, & tēdens vt via in terminum: & sic præcedit verbum ordine naturæ; sicut via præcedit terminum, & fieri factum esse. Vnde intelligere vt actio specificatur à principio, iuxta Sanctum Thomam 1.2.quæst.1. art.3. At vero vt via, seu tendentia in terminum, sic completur, & formatur per terminum.

16 Quod vt amplius declarent PP.Carmel.§.3.dicunt intellectionem posse considerari tripliciter: primo in via, seu vt habet esse inchoatiue: secundo, vt habet esse quietum, seu completiuè: tertio, vt prescindit ab vtroque statu, seu quasi statu. Pariterque dicunt posse verbum tripliciter sumi. Primo vt habet rationem termini producti: secundo, vt est forma, qua intellectus fit actualiter res intellecta: tertio, vt est id in quo intellectus cōtēplatur obiectum. Intellectio secundum

cundum se est prior dictione, quia res est prior sua modificatione. Intellectio vero prout in via ad contemplandum in esse quieto obiectū, est formaliter ipsa dictio, & ex parte verbi est prius natura, producī, quam intellectum formare, & facere quod sit actu res intellecta, & id quo contemplatur obiectū. Per quæ facilè patet ad formam argumenti. Et ad replicas dicitur, quod verbum non est forma per modum actus primi: sed per modum termini actus secundi; & ideò præcedit vt forma extrinseca; & subsequitur vt terminus. Et cum hæc prioritas non sit temporis, sed naturæ, nō bene arguitur ex eo quod pro priori non intelligatur; quod in re verbo nō indigeat: vt ibi latiꝰ exponitur.

17 Probabilis quidem, & subtilis solutio. Sed facilius respōdetur, quod sicut in scientijs, & artibus practicis obiectum præcedit specificando, & in executione subsequitur actionem artis, vt aliquid ab ipsa operatum: ita verbum præcedit vt obiectum, & subsequitur vt operatum ipsius actionis, & sic verificatur obiectum præcedere intellectionē ratione speciei impressæ, & subsequi intellectionē ratione speciei expressæ, seu verbi. Quod totū docet S. Tho. Opusc. 14. col. 4. dicēs. *Quia igitur res intelligibilis, eo ipso intelligitur, quo intellectꝰ informatur sua specie actu, prius natura est informari, quam intelligere; sed non tempore. Ideò videtur verbum, quod sequitur speciem rei, similiter sequi intelligere eius.* Et column. 5. in principio, ait S. Thomas. *Ex dictis manifestum est, quomodo attenditur prioritas vniꝰ eorum ad alterum. Prius enim natura est intellectus informatus specie, quæ est principium sufficiens intelligendi, quam gignatur verbum: & ideò intellegere in radice prius est verbo, & verbum est terminus actionis intellectus. Sed quia obiectum non habetur nisi in verbo, vt dictū est, obiectum autem prius est quam qualibet actio ad eū terminata; ideò verbū priꝰ est quam intelligere. Et hoc totum ideò cōtingit, quia non terminatur actio intellectus ad rem extra, à qua adquirit speciem, vt in se est.* Hæc S. Thomas: cuius verbis iterum confirmantur, quæ diximꝰ q. 18. §. 1. & soluitur argumētum: nam *obiectiuè* verbum præcedit intelligere; *executiue* autem verbū subsequitur vt effectus intellectionis, & vt forma nō præuia actui, sed terminans eum, vt ibi n. 21. diximꝰ cum Caietano.

18 Et in simili hæc doctrina traditur à D. Thoma 1. p. q. 45. ar. 3. nam *obiectiuè* prius est creatura, quā creatio, quę est principium creaturæ; & *executiue* priꝰ est creatio, quam creatura, quæ est terminus, & effectus creationis. Et ibi notat art. 2. ad 3. quod *sicut simul formatur verbū in corde, & formatū est*: ita *simul aliquid creatur, & creatum est*, quia *fiunt sine motu* physico: vnde in eodem instanti tēporis est formatio speciei, intellectio, dictio, & verbum. Et ideò illo Opusc. 14. col. 2. dixerat S. Thomas. *Verbum igitur cordis est vltimum, quod potest intellectus in se operari.*

***

## QVAESTIO XXI.

### *De notitia intuitiua, & abstractiua.*

### §. I.

### *Diuisio exponitur.*

1 NOtitiam esse idem, ac cognitionem intellectus, clare supponit S. Thomas 1.p.q.27.art.1.dū docet verbum procedere, & prouenire *ex notitia* intellectus. Quamuis aliquando, minus propriè, accipiendo actionem pro termino, verbum ab intellectu productum eius notitia dicatur: vnde S. Augustinus 9. de Trini. cap. 10. circa finem ait: *Verbum est notitia.* Quod declarās S. Tho. 1.p.q.34.art. 1. ad 2. ait. *Cum ergo dicitur, quod verbum est notitia, non accipitur notitia pro actu intellectus cognoscentis: sed pro eo quod intellectus concipit cognoscendo. Vnde & Augustinus* lib.7. de Trinit. capite 2. *dicit, quod verbum est sapientia genita. Quod nihil aliud est, quam ipsa conceptio sapientis.* Hęc S. Thomas. In rigore ergo actualis notitia est ipsa operatio, quamuis quandoque non curemus, quoad hoc, distinguere inter ipsam, & eius terminum: quia distinctio illorū nō est ita apud omnes manifesta sicut ipsæ notitiæ. Et hoc non aliter probatur, quam ex communi, & recepta significatione istorum terminorum.

2 Voces autem istæ, *intuitiua, & abstractiua*, vsitatissimæ inter Theologos, & Philosophos, non reperiuntur in D. Thoma, & antiquioribus Theologis, vt notat M. Soto lib. 1. Sum. cap. 3. not. 5. verbis illis; bene tamen sub alijs æquipollentibus: quam enim nunc appellant *notitiam intuitiuam*, illi vocabant *scientiam*, vel notitiam *visionis*: & quam dicunt *abstractiuam*, nūcupabant *simplicem intelligentiam*, idest, non addentem aliquid extra genus notitiæ. Quod & notauerat Capreolus in 2. dist. 23. art. 3. ad 3. Durandi in fine pag. 407. col. 2. Cum enim æquipolleant *video*, & *intueor*, idē est notitia visionis, & notitia intuitiua: notitia verò, quæ abstrahit ab existentia, conuenienter dicitur simplex notitia; quia vt ait S. Thomas quæst. 3. de Verit. art. 3. ad 8. *Simplex notitia dicitur, non ac excludendum respectum scientiæ ad scitum, qui inseparabiliter omnem scientiam committatur; sed ad excludendam admistionem eius, quod est extra genus notitiæ, sicut est existentia rerum, quam addit scientia visionis.*

3 Ex quibus patet, quod notitia intuitiua est *notitia rei præsentis*: & hæc est notitia visionis: nam vt ait S. Thomas in 3. dist. 14. q. 1. artic. 2. *Illud proprie videtur, quod habet esse extra videntē.* Quod & de visione corporali, notat Sanctus Thomas prima parte quæst. 51. art. 2. & de vtraque prima parte quæst. 14. artic. 9. ait: *Ea quæ videntur apud nos, habent esse distinctum extra videntem.* Vbi Caietanus §. *quoad secundū*, notat, quod visa apud nos, habent duas conditiones. Altera est, quod sunt præsentialiter obiecta videnti. Altera, quod habent esse distinctum extra videntem. Notitia abstractiua est

notia

*notitia rei absentis.* Vel est notitia simplex illius, abstrahendo ab hoc, quod existat, vel non: siue distinguatur a videnti, siue non. Et ideò diuisio ista in scientia Dei, non tam est ex parte obiecti primarij, nec ex parte actuum; quam ex parte obiecti secundarij, quod representatur, & attingitur prout existens, vel abstrahendo ab existentia. Qua ratione S. Thom. q. 2. de Veritate art. 9. ad 2. ait, quod *scientia simplicis notitiæ, & visionis, nullam differentiam importat ex parte scientis; sed solum ex parte rei scitæ.* Et tota diuersitas est obiectiua *secundum diuersitatem obiectorum ad quæ terminantur*, vt ait Ferrara 1. Contra gent. cap. 66. circa finem, & Caietanus vbi supra.

4 Deducitur secundo, diuisionē hanc non esse essentialem notitiæ, ita vt præcisè ex hoc capite sit noua ratio obiectiua scibilis; aut noua immaterialitas obiecti. Imo potest aliqua cognitio terminata ad plura obiecta, esse intuitiua vnius, & abstractiua alterius: sicut Angeli per vnam speciem cognoscunt quædā singularia, quæ sunt, intuitiue; & quæ non sunt, abstractiue: vt colligitur ex D. Thoma 1. p. q. 57. art. 2. ad 3. & perseuerante eadem notitia naturæ, si aliquod individuum illius de nouo existat, & obijciatur, transibit eadē notitia Angeli de abstractiua in intuitiuam, vt indicat Sanctus Thomas quæst. 8. de Veritate artic. 11. ad 9. & art. 12. ad 8. & art. 9. ad 5.

5 Tertio colligitur in nostris notitijs esse intuitiuam, & abstractiua, non esse pure denominationes extrinsecas: quia non sufficit ad intuitionem, quod obiectum, quod erat absens, fiat præsens, præcisè physicè, & materialiter: quia multa, quæ sunt, non intuemur: sed exigitur, quod diuerso modo tendat actus, & attingat ipsam existentiam vt exercitam, & quod obiectū vt præsens obijciatur videnti. De quo latius Ioann. à S. Thoma in Logica q. 23. art. 1. Huertos 1. Summ. q. 6. art. 1. ibi Ortiz tract. 3. confer. 1. vbi exprofesso de notitijs disputant. Nobis sufficiat tria dubia examinare huic loco opportuna, & pro alijs quæstionibus scitu necessaria.

## §. II.

### *Vtrum in intellectu nostro sit notitia intuitiua?*

6 PRimum est, vtrum noster intellectus in hac vita habeat cognitionē intuitiuā alicuius obiecti?

Negant Scotus, & alij, quos retulimus quæst. 7 num. 7. quia intellectus non intelligit nisi medijs speciebus: res autē representata in specie non est præsens realiter, sed solum intentionaliter: notitia autem intuitiua est rei præsentis physicè: & ideò solum est in sensibus externis, & non in intellectu.

Idem docuit Durandus q. 3. Prologi art. 2. Basiolis ibidem q. 7. Quā esse *opinionem probabilissimam*, dicit Aegidius à Præsentatione libro 8. de Beatitudine parte prima quæstione prima articulo tertio §. 4. ad sextum, citans pro ea Capreolum in secundo distinctione 23. q. vnica art. 3.

7 Cæterũ alia est opinio Capreoli. nam ibi ad 3. Durandi in quinta solutione pag.407.columna 1.ait, quod Durandus in 2.dist.23.q.2. aliud falsum assumit, scilicet, quod sensus interiores, aut intellectus, nullo modo sint intuitiui, sed tantum abstractiui. Cuius falsitas patet, quia intellectus potest intueri actum suum, & seipsum, & essentiã animæ. Ipsa etiam phantasia intuetur idola, & phantasmata sua; quicquid sit de rebus sensibilibus exterioribus. Vnde secundum Gregorium, & multos alios, omnis cognitio abstractiua respectu vnius obiecti, est intuitiua respectu alterius: sicut memoratio, vel phantasia, qua recolo aliquod præteritum, vel absens, est abstractiua respectu illius obiecti exterioris; & est intuitiua respectu alicuius speciei, vel phantasmatis representantis illud obiectum exterius. Hæc ibi Capreolus.

8 Loquendo verò de cognitione obiecti exterioris, cum Durando conuenit in conclusione Capreolus, & ab eo differt in ratione. Nam Durandus probat, quod sensus exteriores sunt intuitiui; sẽsus autem interiores, & ipse intellectus sunt abstractiui: quia sensus exteriores habent immediatum ordinem ad res extra; non autem sensus interiores, nec intellectus: quia cognitio intuitiua immediatè causatur ab obiecto sine media specie: nec sequitur aliam cognitionem primã à qua causetur: sicut abstractiua causatur ab intuitiua, & eam supponit.

9 Capreolus autem asserit, quod vera causa est, quia intellectus, & vires sensitiuæ interiores pro statu isto non directè, & immediatè cognoscunt singulare sensibile, & materiale extrinsecum, inquãtum huiusmodi, quoad suum existere, & alias conditiones indiuiduales: sed feruntur in essentiam rei, cum aliquali abstractione à conditionibus indiuidualibus, cum quibus habet esse in rerum natura. Cuius signum est, quia huiusmodi potentiæ indifferenter cognoscunt rem, siue sit existens, siue non existens, præsens, aut absens: & ideo per talem cognitionem non potest per certitudinem iudicari de obiecto, vtrum sit, vel non sit, vtrum sit præsens, vel absens, nec de alijs conditionibus contingentibus obiecti. Talia autem possunt certitudinaliter iudicari per sensum exteriorem: in quo sunt species omnium accidentium singularium. Et ideò in intellectu hum.ano in via non sunt notitiæ intuitiuæ: secus verò in intellectu angelico. Videatur ibi ad 5. & in 1.distinct.35.q 2. & ad argum. contra 4.

10 Oppositam tamen sententiã docet Soto libro primo Summularum cap 3. vbi inter quatuor differentias inter intuitiuam, & abstractiuam notitiam, vltimam assignat ex parte subiecti: nam intuitiua potest esse in intellectu, & in sensibus interioribus; abstractiua verò solum potest esse in intellectu, & in sensibus internis, qui conseruant species in absentia obiecti: secus vero in sensibus exter-

nis,

nis, qui solum operantur præsentibus sensibilibus. Quam doctrinam omnes Dialectici Thomistæ recipiunt: iam ergo agnoscunt in intellectu nostro in via, etiam circa obiecta externa, de quibus loquūtur, notitiam intuitiuam. Quod & docuisse Gregorium in 1. dist. 3. q. 3. art. 1. Ochan q. 1. Prologi, Comm. 3. de Anima cap. 5. q. 5. art. 2. §. *nō est tamen*. Fonsecam 1. Metaph. cap. 2. q. 3. sect. 6. ad 2. refert Aegidius vbi supra. n. 56. dicēs esse probabilem. Imò idem docuisse Scotum in 4. dist 45. q. 3. testatur Caiet. 1. p. q. 86. art. 1. in fine.

11 In hoc puncto non arbitror posse dissentire, qui cum Scoto sentiunt intellectum nostrum attingere singulare directe; quia nisi negēt species in cognitione intuitiua: quod iam exclusimus quæst. 7. vel alias fingant diffinitiones notitiæ intuitiuæ, manifeste sequitur in intellectu nostro esse notitias intuitiuas rerum singularium prout existentium præsentialiter. Quare ita plane supponit Suarez lib. 4. de Anima cap. 3. à num. 3. vsque ad 11. licet expresse ibi de hoc puncto non tractet.

12 Cæterum difficultas proposita à Capreolo, videtur vrgere in sēntia S. Thomæ 1. p. quæst. 86. art. 1. & alibi sæpè docentis, quod *intellectus noster directè non est cognoscitiuus nisi vniuersalium. Indirectè autē, & quasi per quandam reflexionem, potest cognoscere singulare.* Cum autem existētia, qua obiectum notitiæ intuitiuæ differt ab obiecto notitiæ abstractiuæ, non cōueniat rei nisi in singulari; si hoc non cognoscitur directe, nō videtur posse cognosci intuitiuè: ac per consequens in intellectu non erit notitia intuitiua.

Caietanus 1. p. q. 86. a. 1. §. *in hac difficultate*. Et Ferrara 3. de Anim. q. 13. & Aquarius ibidem docent intellectum cognoscere singularia, nec abstractiuè, nec intuitiuè, sed *arguitiue*. De quo iterum. q. 28.

13 Pro nunc duo dicenda vidētur. Primum, quod cognitio intuitiua cōmunis est cognitioni directæ, & reflexæ, quia res præsens, vt præsens, vtraque cognitione valet attingi: sicut in visu corporali non est notitia nisi intuitiua, & tamen diximus lib. 2. q. 30. §. 5. visu corporeo attingi speculum, & rem in ipso representatam. Et quamuis cognitio per speculum exterius nō sit intuitiua: vnde Deum in hac vita cognoscimus abstractiuè. Imò ipsa cognitio Dei per intelligibiles effectus, quam habuit Adamus in statu innocentiæ, iuxta Santum Thomā prima parte quæstione 94. articulo primo in corpore, & ad tertiū, fuit abstractiua. Et ad abstractiuam, & specularem accedere cognitionē, quam naturaliter Angelus habet de Deo, notat Sanctus Thomas prima parte quęstione 56. articulo tertio. Tamen species intellectus, & phantasmata singularium non sunt medium obiectum extrinsecū; & ideò cognitio illa non desinit esse intuitiua: licet non sit ita directa, & perfectè intuitiua, sicut Angeli cognoscunt singularia. Et quoad hoc parua potest esse dissensio, nisi de vocibus contendatur.

Nec Caietanº, & Ferrara per hoc quod dicant singulare cognosci *indirectè, & arguitiuè*, negant cognosci *intuitiuè*, vt negat Aquarius. Fateor, quod Caietanus valdè fauet. Sed non Ferrara, qui primo Contra gentes cap.65.rat.8. dub.3. & Banez.1.p.q 86.art.1.dub.2.& alij, in intellectu nostro admittunt cõceptum proprium, & distinctum singularis: nam quando adest præsentialiter, erit notitia intuitiua in intellectu nostro. Et ita tenẽt Huertos.1. Summul.q.6.artic.3.& Ioann. à S. Thoma.q.23. Logicæ art.2.ad 1. in fine, licet obiter.

14 Secundo dicẽdum est, quoad hoc non esse constituendam differentiam inter ea quæ existunt intra intellectum; & ea quæ existunt extra illum: quia vt docet Physophus 3.de Anima textu 15. *intellectus intelligit se ipsum, sicut & alia*: de quo S. Thomas.1.p.q.87. art.1. & 3.quia omnia cognoscit per cõuersionem ad phantasmata, vt probauerat quæst.84.art.7.

## §. III.

### *Vtrum possit dari notitia intuitiua rei non existentis?*

15 HOc est secundum, & maius dubium: quod non procedit ex natura rei; quia sic est certa pars negatiua: quia nec homo, nec Angelus naturali virtute possunt futura cognoscere, vt probat Sanctus Thomas 1.p.quæst.57.artic.3. & q.86.artic.4. Nec difficultas est de absentibus localiter: quia nulla apparet contradictio, quod Deus eleuet meum intellectum, vel sensum internum, imò & externum, vt videant intuitiuè, quæ fiunt Romæ, vel in India: nam licet naturaliter determinent sphæram actiuitatis, vt diximus 1.de Generatione quæst.27.§.3.tamẽ ad hoc non coarctatur diuina virtus, vt in simili dixi 2.p.Metaph.Controu.13. n.81. Et videndus S.Thomas 1.p. q.89. art.7. docens distantiam localem non impedire cognitionem animæ separatæ. Quare tota difficultas deuoluitur ad ea quæ non existunt in nostro tempore, & postea erũt, an, cum non existunt, possit creaturæ extra visionem beatam communicari illorum notitia intuitiua?

16 Negatiuam sententiam amplectuntur Medina 3.p.q.11.art.1. ibi Cabrera disp 4. Nazarius controu.vnica q 4.conci.4. Araujo ibi art.3.dub.2.difficult.3.Huertos.1. Summul.q.6.art.2. Ortiz ibi tract. 3 confer.2. Ioannes à S.Thoma.q. 23.Logicæ art.2.Et omnes illi, qui 1.p.q.57.artic.3.docent implicare contradictionem dari speciem creatam, quæ repræsẽtet futurum vt est in se. Quod latè probat Ledesma q 9.de esse Dei art 5. Et in re videtur tenere Cipullus 3.p.q.11.art.1. dub.3.licet nu.17. dicat, quod est quæstio de nomine: nam notitia in fulla futurorum, potest dici intuitiua, quia clara, & distincta: & potest dici abstractiua, quia non est cognitio rei præsentis cognoscenti.

17 Probaturque vnico, sed efficaci argumento: quia ordo ad obiectum physicè præsens, est de essen-

tia

tia notitiæ intuitiuę: vt patet ex cõditionibus, quas ex Caietano assignauimus nu. 3. & quia discursus S. Thomæ 1.p.q.14.art.13. quo probat Deum futura intueri, quia adest illis præsentialiter, peteret principium, si non loqueretur de præsentia physica: & ita de illa iam exponitur a Caietano, & Ferrara, & vnanimiter ab omnibus Recentioribꝰ Thomistis. Et secundo, quia notitia intuitiua est quasi experimentalis, & in qua sistit desiderium cognoscendi: experientia autem nõ est nisi de physicè præsentibus. Tertio, quia aliàs nõ esset per quid distingueretur notitia intuitiua ab abstractiua: siquidem notitia abstractiua potest cognosci res quoadquid est, & quoad an est clare, & distincte: & non intuitiuè: vt patet, cũ certo per fidem, & euidenter per rationẽ cognoscimus Deum esse præsentẽ: & tamen eum in via non videmus intuitiuè Ergo implicat contradictionem rem physicè non existere, & intuitiuè videri à creaturis Deũ non videntibus.

18 Quod totum videtur expresse docere S. Augustinus lib. 11. Cõfessionũ cap. 18. vbi post multa cõcludit. *Futura ergo nondum sunt; & si non dum sunt, non sunt: & si non sunt, videri omnino non possunt: sed prædici possunt ex præsentibus, quæ iã sunt, & videntur.* Voi sententiam, & rationem eius videtur docere Sanctus Augustinus.

19 Præterea clarissime rationem radicalem huius impossibilitatis tãgit S. Thomas q.2.de Verit.art.12. dicens. *Tunc aliquid cognoscitur vt futurum est, quando inter cognitionem cognoscentis, & rei euentum, inuenitur ordo præteriti ad futurum.* Et post multa cõcludit. *Ita ergo nos videmus futurum, vt futurum, quia visioni nostræ futurum est; cũ ipsa tempore mensuretur. Sed diuinæ visioni, quæ est extra tempus, futurum non est, &c.* Quæ ratio magnam habet energiã. Et sic vrgeri potest. Notitia omnis intuitiua est rei præsentis vt præsens est. Omnis notitia creata futuri, est futuri, vt futurũ est. Ergo nulla cognitio futuri potest esse intuitiua. Probatur minor, omnis nostra cognitio peraccidens mensuratur tempore: & extra visionem Dei, nulla mensuratur æternitate, quæ coexistit futuro: ergo inter cognitionẽ, & rei existẽtia, est successio, & futuritio: ergo implicat, quod futuri sit præsentia, & intuitio. Et adhuc rationem assignat S. Thomas 1.p.quæst.89.art.7. ad tertiũ: nam *futura, quæ distant secundum tempus, non sunt entia in actu. Vnde in se ipsis non sunt cognoscibilia, &c.* Quod & docet S. Thomas q.8.de Verit.ar.12. & q.vnica de Anima art.20. & alibi sæpè.

20 Asserendum tamen est, non implicare cõtradictionẽ notitiam intuitiuam rei non existentis. Imo de facto dari, non solum in visione beata qua res videntur intuitiue in verbo: sed in scientia indita animæ Christi; & in visione prophetica. Ita expresse Caietanus 3.p.q.11.ar. 1.§. *Ad secundum dubium.* Et 2.2.q. 173.artic.4. Aluarez 3.p. disp. 60. per totam. Cornejo 3.p.q.11. disp. 1.dub.2.ad 2. Soto lib.1. Sum.cap. 3.notab.3. Paludanus, & Victoria,

quos refert Cabrera vbi supra nu. 9. Extra scholam S. Thomæ tenent Vazquez 3.p.disp.52. cap.4. circa finem. Et esse valde probabilem affirmat Suarez tomo 1. in 3.p. disp. 27.sec.2.§.*& hic modus*,& alij.

21 Aduertendum tamen, diuersis vijs conclusionem hanc eius Authores defendere: Vazquez enim contendit, quod eo ipso quod Deus alicui communicet cognitionem futurorum quidditatiuam, & claram, notitia illa erit intuitiua: sicut dixerat 1.p.disp.134.cap.1.de scientia Dei, seclusa futurorum præsentia physica in æternitate, quam impugnauerat disp 60.c.3.

Contra hunc tamen dicendi modum directè militant argumenta prioris sententiæ: nec in doctrina S. Thomæ illis potest satisfieri: vt latius tractant Thomistæ. 1.p q.14. art.13. ideò hoc dicendi modo relicto.

22 Secundus dicendi modus sumitur ex doctrina Capreoli in 2.distinct.23. (non distinctione 2. vt alij qui referunt) quæst. vnica art.3. ad 3. Durandi in editione Veneta pag. 407.col.2.vbi ait. Et ideò credo, quod distinctio illa de notitia intuitiua, & abstractiua æquipollet illi distinctioni antiquæ, quam ponit S.Tho. & alij de duplici notitia, scilicet, quid est, & an est: vel de notitia in vniuersali, & in singulari: intelligendo per notitiam rei an est, & in singulari, notitiam per quam potest iudicari verè, & per certitudinem de existentia, & præsentia obiecti, & de conditionibus eius individualibus. Præsentia autem obiecti in ratione motiui, non dat notitiæ, quod sit intuitiua; nec absentia illi opposita dat notitiæ, quod sit abstractiua. Sed sola præsentia, vel absentia in ratione termini quo ad conditiones individuales obiecti, cum quibus est in rerum natura actu, & præsentialiter, confert notitiæ, quod sit intuitiua vel abstractiua. Hæc Capreolus. Licet postea subijciat aliam solutionem, iuxta acceptionē intuitiuæ notitiæ, quā tradidimus. nu. 2. Igitur hoc modo nostram conclusionē defendit Cornejo, quia cum certum sit Deū posse cōmunicare Christo, & Prophetis, & alijs viatoribus notitiam claram, & distinctam futurorum quo ad existentiam, & omnes circunstantias, hoc sufficiet vt illa notitia futuri dicatur intuitiua.

23 Hic dicendi modus videtur facilis: & supposita illa acceptione notitiæ, à nemine negabitur. ¶ Illi tamen non acquiesco, primo, quia sic in solo nomine differt ab Authoribus prioris sententiæ. Vnde, & Cabrera conc.2. & 3. & Nazarius conclus.3. admittunt dari in creaturis cognitionē intuitiuam minus propriè respectu futuroru m: quia datur in Christo, & Prophetis notitia futurorum ita distincta, & determinata quoad omnes circunstantias, & ita clara ac si illa præsentialiter viderent. Et tamen negant esse intuitiuam propriè, & in rigore.

24 Secundo non possum hunc dicendi modum probare; quia illa acceptio notitiæ non est in vsu scholæ; sed altera, quam secundo loco ponit Capreolus, quod notitia intuiti-

tuitiua sit idem ac notitia visionis: & hæc sola est acceptio rigorosa, vt ex dictis constans est. Igitur tota difficultas est, supposita illa acceptione notitiæ, & eius diffinitione, quod est *rei præsentis, vt præsens est*; & supposito, quod sola præsentia obiectiua, etiam ipsius realis existentiæ, non sufficit ad notitiam intuitiuam; cum ipsa realis existentia possit cognosci abstractiue: his ergo suppositis, restat videdum quomodo non implicet contradictionem cognoscere futurum, & quod cognitio sit intuitiua?

25 Audiui aliquos Thomistas respondisse, hoc facile explicari posse, asserendo dari participationem æternitatis, etiã extra visionẽ beatam: ita vt Deus faciat vnam operationẽ coexistere physice simul durationi annorum mille: tunc enim futura, quæ euentura sunt per mille annos, erunt nobis futura, & illi cognitioni erũt physicè præsentia: & illorum cognitio erit intuitiua.

26 Cæterum, quamuis in illa hypotesi, facillimè, & verissimè saluetur cognitionem illam non existentium esse intuitiuam: tamen hypotesium contradictionem non implicare, ipsi non facile ostendent. Quinimo, sicut Theologi cum S. Tho. 3. p. q. 13. art. 1. dicunt omnipotentiam non posse communicari creaturæ: ita nec poterit æternitas in durando, & coexistendo, cõmunicari *subiectiue* actui creato; sed solũ *obiectiue*: & ratio respectu omnipotẽtiæ, & æternitatis in coexistẽdo, vtrobique est eadẽ: nã, vt ait S. Th. in 1. dist. 43. q. 1. ar. 2. ad 1. *Omne nomen cõcernens modũ, quo illa perfectio est in Deo, et natura incõmunicabile est; vt est summũ bonũ, esse omnipotẽtẽ, & huiusmodi.* Concedit tamẽ ad 2. quod anima *secundum quod vnitur alicui infinito vt obiecto, in verbo omnia videt.* Cum ergo infinitas incoexistendo, dicat modũ Dei proprium, & æternitas dicat immutabilitatẽ soli Dei propriam, subiectiue nequit cõmunicari creaturis: secus verò obiectiuè, vt clarè sumitur ex D. Tho. 1. p. q. 10. art. 3.

## §. IIII.

### *Legitima ratio conclusionis.*

27 IDcirco aliter cõclusionẽ probant Caietanus, Aluarez, & alij, recurrendo ad eminentẽ representationẽ specierũ supernaturaliũ: quia potest Deus imprimere speciẽ quãdam, quæ representet naturam cum sua singularitate, adeò exercite, & præsentialiter, ac si immitteretur ab obiecto existenti. Hoc autem sufficere, vt notitia futuri dicatur, & vere, & in rigore sit intuitiua, iam pergimus explanare; quamuis ab alijs parum explicetur.

28 Aduertẽdum est igitur, quod obiectum aliquod existens tripliciter potest esse præsens cognoscenti. Primo, *purè physicè*, & realiter. Secundo, *purè intentionaliter*. Tertio, *simul intentionaliter, & realiter*. Purè physicè, vt quando cogito de me ipso, vel de aliquo, quod est coram me, ita abstracte, quod nõ percipio præsentiam prout est in cõspectu meo. Et hæc præsentialitas prout sit cognita,

nita, non sufficit ad notitiam intuitiuam: quia non est formaliter notitia rei præsentis, vt præsens: & quia solemus de natura nostrę animæ, & potētiarum eius, & operationum, disputare ita abstracte, ac si de aliqua re absenti tractaremus: & has notitias omnes dicūt abstractiuas. Deum etiam ipsum, quem ratione naturali, & fide supernaturali nouimus esse vbique præsentem, in via cognoscimus abstractiue, ac si esset absens: vnde dicit Apostolus 2. ad Corinth. 5. *Dum sumus in corpore, peregrinamur à Domino: per fidem enim ambulamus, & non per speciem.* Ac per cō sequens cognitio Dei, quæ non est facialis, & beatifica, est abstractiua, & quasi Dei absentis: quia, quoad cognitionem, formaliter est absēs; & physicè, & materialiter est præsens.

29 *Purè intentionaliter*, vt quando media specie proponitur intellectui, vel sensui interno aliquod obiectum existens, vel futurum, non solum quoad suam quidditatem, sed etiam quoad suam existentiam. Et hæc præsentia non sufficit ad notitiam intuitiuam: quia notitia abstractiua possumus cogitare de existentibus, præteritis, & futuris: & ideò notitia, quam ego habeo per fidem de Adamo, & de Antichristo, est abstractiua, quamuis sit certissima: vnde si Deus nō valeret futurorū dare aliam notitiam, & præsentiam, nisi purè intentionalem, esset abstractiua; quamuis esset clara, & distincta notitia omnium circunstantiarum.

30 Tertio ergo modo obiectum solet esse præsens, & *physicè, & intentionaliter*, ita vt ipsa præsentia physica vt exercita, & dās esse extra causas sit in prospectu videntis, & vt sic ab ipso vidēte in exercitio cognoscatur: & hanc præsētialitatē sufficere ad notitiā intuitiuā, nemo negat: quia tunc cōcurrunt omnes conditiones, quæ exiguntur vt aliquid videri dicatur.

31 Vt autem doctrinam hanc cō clusioni nostræ applicemus, notanda est differentia, quæ est inter sciētiam Dei, & nostram: quam notat S. Thomas 1.p.q.79.a.4.& q.105. a.3.& alibi sæpè: Deus enim est primum intelligens, & primum ens. Vnde cum primum in quolibet genere sit causa reliquorum. Deus est prima causa nostri intellectus, & specierum intelligibilium. Ipse vero à nullo accipit virtutem, nec species ad intelligēdum. Igitur vt Deus videat futura apud nos, debet eius cognitio esse æterna: vt sic cooexistat physicè cognitio pro illo nunc quo futurum est realiter extra causas: vt omnis Dei notitia futurorū sit intuitiua, & rei sibi præsentis: quia præsentialitas obiectiua non terminata ad ipsam physicam præsentialitatem, non sufficeret ad notitiam propriè, & in rigore intuitiuam: quia si ipse non videret, à nullo alio notitia visionis posset Deo imprimi. At verò postquam semel futura sunt Deo præsentia, nihil vetat, quod ipse causet vnam speciē, quæ representet futurum in se physicè, & erit absens, & futurum materialiter, & præsens formaliter. Et ideò erit notitia illius intuitiua.

Hoc.

32 Hoc ita de facto euenire, docet S. Tho. 2.2.q.171.art.6.ad 2.dicens. *Quandoque reuelatio prophetica est impressa quædam similitudo diuinæ præscientiæ prout respicit ipsa futura contingentia in seipsis.* Iã ergo admittit speciem, & reuelationẽ creatam, quæ representet futurum in seipso. Et q. 173.art.1.de illustratione prophetica ait. *Et propter hoc dicitur, speculum æternitatis, quasi representans Dei præsciẽtiam, qui in æternitate omnia præsentialiter videt.* Quod & repetit ad 1.& 3. & latè prosequitur quæst.12.de Verit.toto art.6.inter alia dicens. *Ipsæ species simul cum lumine prophetico speculum æternitatis dicuntur: quia diuinũ intuitum representant, prout in æternitate futurorum euentus præsentialiter inspicit.* Ac si dicat: quamuis specie creata nequeat Dei essentia, aut eius æternitas subiectiuè, & in se representari: potest tamen representari eius obiectum secundarium, nempe futurum, non solum prout est in suâ causa, sed prout est in seipso: quia valet representari prout terminat diuinum intuitum: & sic notitia media hac specie, & hoc lumine elicita, erit intuitiua. Videatur S. Thomas 2.2.q.95.art.1.& q.172.art.1.

33 In forma ergo sic probatur cõclusio. Notitia intuitiua est notitia rei physicè præsentis, formaliter vt præsens est in exercitio. Sed potest Deus infundere speciem, & lumen, quibus attingatur futurum formaliter vt physicè præsens est in exercitio. Ergo diuina virtute potest dari notitia intuitiua rei non existentis. Probatur minor: potest Deus infundere speciem, quæ representet futurum, eo modo, quo diuinus intuitus in illud fertur: quia hæc representatio non adæquaret totum Deum, nec exigit infinitam continentiam, & sicut totum hoc Deus reuelat per fidem obscuram; ita valet per vnam speciem claram representare. Sed diuinus intuitus fertur in futurum nobis, vt præsens sibi formaliter, & intuitiuè. Ergo species ab illo causata eodem modo representat futurum. Hæc consequentia probatur à D. Tho. 2.2. q.171.art.6. in corp. quia prophetia est quædam cognitio intellectui prophetæ impressa ex reuelatione diuina per modum cuiusdam doctrinæ. *Veritas autem cognitionis est eadem in discipulo, & in docente; quia cognitio addiscentis est similitudo cognitionis docentis.* Et de certitudine eodẽ modo arguit S. Thomas 3. Contrag.c. 154.& ibi Ferrar. §. *circa prophetiam.* Eadem autem ratio est de intuitione; quia Deus videt futura in se ipsis: & S. Hieronymus ibi adductus à S. Tho. art.6. ait, quod *prophetia est quodam signum diuinæ præscientiæ.* Datur ergo in prophetis notitia intuitiua futurorum: & ideò *Videntes* in Sacra Scriptura dicuntur. 1. Regum 9. *Qui enim propheta dicitur hodie, olim vocabatur Videns:* de quo S. Isidorus lib.7. AEthimol.c.8.& S. Tho.2.2. q.171.art.1.& in 4.dist.49.q.2.art. 5.in cor.& ad vltimum.

34 Per quæ patet ad fundamentũ contrarium, concedendum esse antecedens, & negandam consequentiam: quia in casibus nostræ conclusionis, futurũ est *absens materialiter*, & *præsens formaliter*; quia representatio.

tio, & cognitio illa est derivata à divina præscientia, quæ fertur ad res prout in sua præsentialitate. Vnde notitia rei non existētis physicè, est notitia rei præsētis formaliter, & terminata ad physicam existentiam prout exercitam: & ideò est proprijssime notitia intuitiua.

35 Ad authoritatem S. Augustini respondet Aluarez ad 3. quod loquitur de cognitione intuitiua, quę habetur solis viribus naturæ: vt patet ex cap. 19. & 20. eiusdem libri: nō autem loquitur de cognitione supernaturali, quæ diuina virtute communicatur Christo, & Prophetis; alioquin nec in istis certa futurorum cognitio esse posset: quā tamen nec S. Augustinus, nec vllus Theologus, Christo, & Prophetis negat, nec negare potest, qui Scripturas legerit: iuxta illud Tertuliani celebre dictum 2. contra Marcionem cap. 5. *Præscientia Dei tot habet testes, quot fecit Prophetas.*

36 Pariter ad aliud argumentū ex Doctrina S. Thomæ, dicimus illam esse verissimam. Et ita informa cōcesa maiori, negatur minor. Ad probationem distinguo antecedēs, nulla creata cognitio mēsuratur ęternitate in essēdo, & quasi subiecti ue; cōcedo: in representādo, & terminatiuè, nego: quia licet nō representet Deū: aliqua tamen cognitio supernaturalis representat obiectū prout præsens in æternitate Dei: & ideò est illius intuitiua: ac perconsequēs in hoc sensu verificatur, quod dicunt Theologi *prophetas videre in speculo æternitatis.* Et in æternitate entia sunt in actu; licet adæquatè non intelligantur correspōdere totiæternitati. Vnde S. Th. 1. p. q. 20. art. 2. ad 2. ait. Quod *per hoc quod ab æterno in Deo fuerunt* (creaturæ) *ab æterno Deus cognouit res in propriis naturis.* Et ita antequam sint in seipsis, potest imprimere speciem, quæ eas representet in seipsis: & vt sic intuitiuè videantur.

## §. V.

### *Vtrum possit dari cognitio intuitiua attingens vnam formalitatem sine alia eiusdem obiecti?*

37 HOc est vltimū dubiū. quod restat de hac diuisione notitiæ examinandum. ¶ Et hoc implicare contradictionem, videtur cōmunis sententia Theologorum. In primis Thomistæ (qui iuxta S. Thomam 2. 2. q. 2. art. 8. ad 3. & 3. p. q. 3. art. 3. videri essēntiam diuinā quin videantur omnia, quæ sunt in Deo formaliter. ideo dicunt implicare, quia visio beata est intuitiua: & implicat quod visione intuitiua videatur vnum prædicatum sine alio) nō possunt nō asserere implicare notitiam intuitiuam attingentem vnā formalitatem sine alia eiusdem obiecti: vt patet 1. p. q. 12. art. 7. & ibi Bañez, Zumel, Nazarius, & Serra, PP. Carmel. & alij.

38 Itēque tenent Scotistæ, quia ad probandum posse videri essentiam diuinam sine personis, recurrūt ad distinctionem ex natura rei. Et in terminis tenent Lorca 1. 2. q. 3. disp.

3.disp.13.& Vazquez 1.p.disp.48. cap.2.& disp.50 n.12. Suarez libr. 2.de Attributis cap. 22. Molina 1. p.q.12.art.8. disp.4. Bacanus ibi & Fasolus dub.2.n.6.dicẽs *Quare, qui distinctionem ex natura rei inter gradus metaphisicos negant, & deinde contendũt posse alterum sine altero intuitiue videri, cõtra communissimam opinionem sentiũt.*

39 Ratio fundamentalis sumitur ex natura notitiæ intuitiuę, quia est notitia rei præsentis, secundum illud esse, quod in se à parte rei habet. Quod & docuit Scotus in 2. dist.3.q.9.§.*ad quæstionem*, dicens, *est cognitio obiecti, & quidditatis rei secundum eius existentiam actualem, vel qua est rei præsentis secundum talem existentiam.* Sed formalitates eiusdem obiecti sunt à parte rei idem: ergo implicat contradictionem, quod videatur vna intuitiue, & non videatur alia formalitas.

40 Explicatur vis huius rationis: notitia intuitiua, ex ea parte, qua est intuitiua, non est abstractiua; vt patet ex dictis Sed notitia attingẽs vnam formalitatem sine alia, est abstractiua, & præcisiua ex parte actꝰ: quod non est in re præcisum, præcise attingens sine mendatio: quia *abstrahentium non est mendacium.* Ergo implicat contradictionem, quod sit notitia intuitiua, & quod attingat vnam formalitatem sine alia formalitate eiusdem obiecti.

41 Dicendum tamen est, posse dari, etiam naturaliter, notitiam intuitiuã in sensu, & in intellectu, attingentem vnam formalitatem obiecti, quin attingat aliam formalitatẽ idẽtificatam cum illa, quam videt. In primis de possibili ita tenent Paludanus in 4.dist.49.q.5.art.3.cõc. 1. & S. Antoninus 3.p.tit. 30.c.4. §.2. Qui expresse docent de potentia absoluta posse videri essentiam diuinam sine personis: & tamẽ negant diuinas personas distingui ex natura rei ab essentia. Idem docent Aegidius à Præsent. lib.5. de Beat. q.11.ar.4.§.3. Salas 1.2.to.1. tract. 2.disp.4.sec.2.n.10. Granados 1.p. trac.5.disp.5.dicens, quod S. Thomas, nec verbũ quidem scribit (locis relatis n.37.) quo innuat se loqui de potẽtia absoluta. Immò Ferrara 3.Contrag cap.56.in fine §. *ad vltimum*, ait, quod *beati non vident distincte omnes diuinas perfectiones, quæ sũt infinitæ: licet videant illam simplicem essentiam immediate.*

42 Sed quia non est iste locus de istis sententijs disputãdi, & his oppositæ sũt magis receptę inter Thomistas. Adhuc suppositis sententijs relatis num.37.& 38.pro nostra cõclusione referri possunt Bañez 1. part.q.12.artic.7.dubio 2. ad 1.& ibi Zumel disp.2. Valentia, Suarez & alij, qui probant beatos non posse videre essentiã sine personis; nõ præcise, quia sunt idem realiter, sed propter intimam inclusionẽ, quia omne diuinum includitur in conceptu quidditatiuo alterius. Et nõ recurrerent ad conceptum quidditatiuæ inclusionis, si existimarẽt sufficere realem identificationem.

43 Multo tamen expressius conclusionem nostram tenent Magister Ioannes Gonçalez Albelda 1. part.disputat.38.sect.2.num.10 in fine notans, quod quæstio vtrũ essentia

sentia Dei possit videri sine relatio nibus? Non omnino pendet ab altera, vtrum ab illis distinguatur ex natura rei, vel ratione solum? Et enim essentia diuina, quamuis non distinguatur a diuinis ideis, vel ab actibus liberis existentibus in illa, nisi solum ratione, vt asserunt omnes Thomistæ: nihilominus certum est posse videri diuinam essentiam sine ideis distincte cognitis, & sine actibus liberis: ex sola ergo identitate ex natura rei non habetur, quod non possit videri vnum sine alio. Idem indicat M. Bielcas 1.p.q.12. art.8.dub.34 p.322.§. *hoc vnum.*

Et in terminis tenet M. Ioannes à S.Thom.to.1.in.1.disp 15 a.1.§. *vt prima implicatio*, vbi docet, quod ex communi prædicato notitiæ intuitiuæ non probatur, quod beati non videãt vnum attributum sine alio; sed debet addi, & quod illa visio fit sine medio: & quod Deus est actus purus carens omni compositione. Ergo notitia intuitiua, quæ fit per medium, & de obiecto creato, potest attingere vnam formalitatem sine alia eiusdem obiecti.

Olim etiam Henricus Quodlib. 13.q.1. post medium corp. docuit posse videri animal, non visis inferioribus differentijs: nõ vero posse videri Deum sine singularitate; eo quod singularitas sit de essẽtia Dei. Quæ adduximus, vt conster, quod prior sententia, non est ita communis, vt prædicatur: & quod S. Thomas, & multi Thomistæ nobis non contradicunt: & quod alij expresse nobiscum sentiunt.

44 Ratione arguit Granados n. 7. & alij frequenter: nam visus percipit colorem, vt est in se, non percipiẽdo rationem communẽ qualitatis, quæ est colori essentialis: nec cognoscendo alias dependentias, vel habitudines, ab ipso colore realiter inditinctas. Nec refert, quod eius modi formalitates identificatæ colori, sunt extra obiectum visus. Quia inde magis firmatur intẽtum: nam in re ipsa cõtingit aliqua esse realiter idem; & tamen vnam rationem esse obiectum vnius potẽtiæ, & aliam non (vt de obiecto intellectus, & voluntatis, nos diximus lib.2.q.15.§ 4.) Iam sequitur, quod recte potest obiectũ aliquod videri, vt est in se, licèt nõ videãtur perfectiones, quæ illi identificantur.

45 Secundo, quia intellectus noster determinatus à visione corporea potest elicere cognitionem coloris proportionatam ipsi visioni oculoru: ergo sicut corporeus oculus, ita intellectus poterit vnum prædicatũ attingere sine alio, quãuis omnia cadant sub obiecto intellectus, & possint alio actu attingi: in quo intellectus excedit visum.

Tertio, quilibet Angelus naturaliter cognoscit intellectum suum: & tamen non cognoscit distincte potentiam obedientialem cum ipso identificatam. Vnde S. Thomas 1.p.q.56 art.1.ad 1.ait, quod *Angeli non perfectè cognoscunt suam virtutem secundum quod procedit ab ordine diuinæ sapientiæ; qui est Angelis incõprehẽsibilis.*

46 Quarto beati de facto intuẽtur diuinam omnipotentiam: & nõ vident distincte omnem continentiam eminentialem possibilium: alioquin

sioquin Deum comprehenderent: vt ait S. Thomas 1.p.q.12.art.8.& alibi sæpè. Cum ergo hæc eminentia non distinguatur realiter ab ipso Deo, præcisè ex identificatione prædicatorum, non sequitur, quod viso vno, videantur omnia. Et hoc est fundamentum Ferrariensis relati n.41.

47 Præterea, vt diximus lib 2.q. 23.in fine, nempe n. 42. contingit, quod visu corporeo vnum prædicatum attingatur, & non aliud, saltem peraccidens, propter distantiã obiecti; vel propter indebitam dispositionem medij aut obiecti, aut organi sensus; vel omnium horum simul. Quæ omnia, & singula manifesta patent experientia, cum obiecta videntur à longe; aut cum medium obscuratur; vel cum organa videndi laborãt infirmitate: cognoscim⁹ aliqua prædicata communia, & non alia individualia, & distincta; quamuis omnia identificentur. Sed omnis notitia visus corporei est intuitiua, vt dictũ est: ergo naturaliter datur notitia intuitiua attingens vnam formalitatem, & non aliam eiusdem obiecti; etiam si ambæ formalitates contineantur sub obiecto potentiæ operãtis per aliũ actum.

48 Aliud etiam exemplum sumitur ex dictis 1.de Generat.q.12. cõc.1.& lib.2. de Anima q.6.& 7. nã realiter vna est forma à qua prouenium omnes gradus metaphysici,& phyici: sed possumus intueri viuens, & non considerare omnes eius gradus: Imo solemus esse certi de forma secundum vnum gradum, & dubitare an habeat, vel communicet alios gradus: & hoc totum circa obiectum, quod in prospectu nostro est. Immò intuitiuè cognoscimus animam nostram quoad an est; & non cognoscimus quidditatiuè adæquatè, quoad omnes formalitates, cum circa hoc plures sint opiniones, ignorantiæ, & errores. Ergo bene dari potest in intellectu notitia intuitiua attingẽs vnum prædicatum sine alio. Quod explicari potest ex dictis libro 1.Logic.q.13. §.6.& 7.loquẽdo de præcisionibus obiectiuis.

49 Vrgentius probatur conclusio soluendo rationem cõtrariam, & in eos retorquendo: quia bene potest intellectus, si inadæquatè cognoscat, attingere vnam formalitatem sine alia. Sed potest cognoscere intuitiue, & adhuc cognoscere inadæquatè: ergo cognitio intuitiua non semper omnes formalitates identificatas in obiecto attingit. Probatur minor, quia obiecta, quæ sunt in prospectu nostro intellectu valem⁹ quasi partiri: & aliquãdo nõ omnino valem⁹ penetrare. Datur ergo notitia rei præsentis, vt præsẽs est, & inadæquata: ergo datur notitia intuitiua inadæquata. Et sic cessat ratio cõtraria, quia solum procedit de notitia intuitiua adæquata, quidditatiua, vel cõprehẽsiua.

50 Denique aliud argumentum retorquetur, & soluitur: quia dari potest notitia præcisiua, non solũ negatiuè, sed positiuè; & tamen intuitiua eiusdem obiecti: siquidem potest non præscindere ab existen-

tia

tia vt exercita, prout requiritur ad intuitionem; & præscindere ab aliis prædicatis identificatis cum essentia, vel existentia: ergo erit notitia intuitiua, & præciſiua. Vnde concessa maiori, negatur minor: quia supponit, quod omnis notitia præciſiua, prout præciſiua, est abstractiua: quod patet esse falsum; cum præciſio non semper sit ab existentia prout exercita: quod exigeretur, vt notitia esset abstractiua.

51 Limites Naturalis Phyſicæ excessi, fateor: sed in vitiũ vitio coartamur alieno: & si doctrina non displicet, facile veniam concedes: & in ipso limine Theologiæ non displicebit aliquid illius, vel summis labijs degustare: quod & pro præcedentibus, & sequente quæstione notatum accipe.

## QVAESTIO XXII.

### *De obiecto intellectus possibilis.*

1 CVm potentiæ specificentur per actus, & obiecta, iuxta dicta lib.2.nulli dubium, quod ad notitiam de intellectu debemus de illius obiecto disputare: imò nisi incipiẽdum esset à notioribus, ab obiecto, tractatum de intellectu deberemus inchoare: vt in simili feci mus disputando de sensibus.



### §. I.

### *Ens & verum est obiectum adæquatum: quidditas materialis proportionatum.*

DVæ conclusiones in hac quæstione videntur communes, & certæ: & tota difficultas, & diuersitas Doctorum est in illarum intelligentia, & in modo illas applicandi. Certa subijciamus, vt de dubijs disputemus.

2 Dico primo, ens, seu verum, in tota sua communitate, & extensione, est obiectum intellectus. Ita S. Thom.1.p.quæst.5 artic.2. dicens. *Ens est proprium obiectum intellectus: & sic est primum intelligibile; sicut sonus est primum audibile.* Et q.55.ar.1. *Obiectũ intellectus est ens, vel verum cõmune.* Et q.79.art.7. *Intellectus respicit suum obiectum secundum communem rationẽ entis, eo quod intellectus possibilis est quo est omnia fieri. Vnde secundum nullam differentiam entium diuersificatur differentia intellectus possibilis.* Et ar.9. ad 3.& q. 82.art.4 ad 1. & q 87 art.3.ad 1.& q.105.ar.4. *Intellectus obiectum est ens vniuersale.* Et 1.2. q. 9.in fine corp. *Primum autem principiũ formale est ens, & verum vniuersale, quod est obiectũ intellectus.* Et ibidem quæst. 10. art.1. ad tertiũ, & quæstione 6. de Malo artic.vnic.in corp.& in 3.sent.dist. 14.art.1.q.2.& dist.31.q.2.art.4.ad 5.& lib.2.Contrag.c.98.in fine, & alibi sæpè. Tenet etiam Scotus in 1.dist.3.q.3. & esse *certam apud omnes*, dicit Suarez lib.4.de Anim.cap. 1.n.2.& 3.& eã tenere omnes Phy

losophos

losophos, & Theologos, testantur PP. Carm. disp. 17. q. 1. n. 4.

3 Ratioque est facilis: nam obiectum adæquatum potentiæ est, quod ambit omnia, ad quæ se potest extendere operatio potentiæ: sed ens, & verum in tota sua communitate potest intelligi à nostro intellectu: ergo obiectum intellectus est ens, vel verum commune. Minor constat experiẽtia, quia nũc tractamus de ipso ente in tota sua communitate; nec de illo disputaremus, nisi intellectu perciperem⁹. Secundo constat inductione, quia intellectu cognoscimus Deum, & creaturas, corporales, & spirituales, & substantiam, & accidens, & omnes alias entis diuisiones. Cum ergo nulla potentia extendatur vltra latitudinem sui obiecti adæquati: quia cum illo commensuratur, vt potentia cum suo actu adæquato; non posset intellect⁹ noster cognoscere totum ens; & omnes eius quasi differentias, si ens, & verũ, & intelligibile in tota sua latitudine non esset obiectum intellectus nostri.

4 Præterea obiectum habitus, residentis in aliqua potentia, nõ potest obiectum potentiæ excedere; quia potius est illius determinatio: sed obiectum Metaphisicæ est ens inquantum ens, vt diximus 1. eius parte controu. 5. per totam: ergo obiectum intellectus nostri est ens, verum, seu intelligibile, in omni sua amplitudine. Et ibi explicuim⁹ qualiter se extendat ad entia rationis?

5 Dico secundo, obiectum proportionatum intellectus hominis, secundum præsentis vitæ statum, est quidditas, seu natura rei materialis. Ita S. Thomas 1. p. q. 12. art. 4. & 11. & q. 84. art. 7. vbi ait. *Intellectus autem humani, qui est coniunctus corpori, proprium obiectum est quidditas, siue natura in materia corporali existens; & per huiusmodi naturas visibilium rerum, etiã in inuisibilium rerum aliquam cognitionẽ ascendit.* Et art. 8. *proprium obiectum intellectui nostro proportionatum est natura rei sensibilis.* Et q. 85. art. 5. in corpo. & ad 3. *Intellectus humani proprium obiectũ est quidditas rei materialis, quæ sub sensu, & imaginatione cadit.* Et ibidem art. 8. & q. 86. art. 2. & q. 87. art. 2. ad 2. & art. 3. in corp. & ad 1. & q. 88. artic. 3. & in 3. sentẽt. dist. 23. q. 1. & lib. 3. de Anima lect. 8. fine, & Opusc. 29. Quare ita tenẽt Capreolus in 1. dist. 2. q. 1. Caiet. 3. de Anima cap. 5. & 1. p. q. 84. art. 7. & late ibi Bañez dub. 1. referens Scotum, Durandum: & tenẽt Thomistæ omnes. Estque sentẽtiam aliorum cõmunem testatur Suarez supra n. 5. in fine referens Scotum in 4. dist. 49. q. 11.

6 Rationem optimam assignat S. Thomas 1. p. q. 12. ar. 4. quia *cuiuslibet cognoscentis cognitio est secũdum modum suæ naturæ.* Sed anima per quam cognoscimus, est forma materiæ. Ergo connaturale est nobis per intellectum cognoscere naturas, quę nõ habẽt esse nisi in materia. Maior probatur ex illo principio, *modus operandi sequitur modum essendi.* Et specialiter eam probat S. Thomas: nã cognitio contingit secũdum quod cognitum est in cognoscente. Cog

nitum autem est in cognoscente secundum modum cognoscētis. Vnde cuiuslibet cognoscentis cognitio est secundum modum suæ naturæ. Maior patet ex dictis, quia ratio adæquata quod substantia sit cognoscitiua, est immaterialitas, & hinc habetur quod fiat omnia omnium species recipiendo. Minor patet inductione in sensibus externis, & internis, & in intellectu humano, & angelico: quia species impressæ, & operationes sequuntur modum essendi formę, quę est radix operationis.

7 Sed obijciit contra rationem hanc Scotus in 1. dist. 3. q. 3. §. *Congruentia*: nam potentia & obiectum se habent, vt motiuū, & mobile, & vt actus, & potentia: ergo vt dissimilia: ergo nō oportet assimilari in modo essendi. ¶ Secundo arguit ibidem §. *respondeo*: quia non sequitur statua assimilatur Cæsari: ergo æs habet similem essendi modum. Et species assimilatur obiecto; & tamen Cælum est incorruptibile, & visus corruptibilis. Et species intellectę, & idea lapidis in intellectu est immaterialis: & tamen obiectū est materiale: ergo falsum est quod potentia, & obiectū debēt assimilari in modo essendi.

8 Respondet facilè Caietanus ad 1. Scoti, quod nō intēdit S. Thomas æqualitatem secundum se, & in esse entis reperiri inter cognoscens, & cognitum: sed solum intendit quod no se debent excedere in modo essendi generico: quia proportionari debent actus, & potentia; vel vt ad intētum ait S. Tho. in 4. dist. 49. q. 2. art. 6. in corp. *potentia, & proprius actus semper accipiuntur in eodem genere*. Et ideo concessa prima consequentia argumenti, neganda est secunda.

9 Aliud argumentum *puerile* vocat Caietanus, quia cælum, vt visibile, non habet alium essendi modum, quam mixtum: vtrumque enim est singulare sensibile: aliæ vero differentię accidunt visibili. Similiter imago externa est similis in figura; & species interna est similis intētionaliter: & omnes sunt in eodem gradu materialitatis, vel immaterialitatis cū obiecto proportionato viribus, & modo naturali cognoscētis. Plura alia pro hac ratione defensione scribunt Thomistæ illa q. 12. ar. 4. & multi alij, quos ibi refert Fasolus n. 4. & videdus toto dub. 2. & 5. & PP. Carm. hic disp. 17. q. 2. §. 2. vbi affertur alia ratio S. Thomæ Opusc. 70. q. 1. ar. 3. quæ tamen pendet ex dicendis de intellectu agente, & eius operatione.

## §. II.

## *Qualiter differant obiectum adæquatum, & proportionatum?*

10 Distinctionem tamen istam, quam nostræ conclusiones cum D. Thoma, & omnibus Theologis, & Philosophis, supponunt, de obiecto adæquato, & obiecto proportionato, impugnat M. Biescas 1. p. q. 12. ar. 1. dub. 10. 1. opinione: quia teste D. Thoma 1. p. q. 12. a. 1. ad 4. & in 4. dist. 49. q. 2. art. 1. & q. 8. de ver. art. 2. & lib. 3. Contrag. cap. 54. proportio inter potētiam, &

& obiectum, est habitudo eius realis ad obiectū: ergo si obiectū adæquatum, & specificatiuum intellectus nostri est ens, iam ad ipsum habet habitudinem realem: ergo etiā proportionem realem: ergo iā est obiectum proportionatum intellectui nostro. Item, si immaterialia non sunt proportionata intellectui nostro; ergo intellectus non habet inclinationem, & proportionē ad ea. Quomodo ergo ipsa continentur sub obiecto adæquato, & specificatiuo intellectus creati? *Est ergo impossibile, quod obiectum adequatū non sit proportionatum*: nam æqualitas requisita adæquationem, ita vt potentia non excedat obiectum, neque obiectum excedat potētiam, proportio est. Et cum potentia specificetur ab obiecto, & per ordinē ad obiectum: iam ergo habet habitudinem, & proportionem ad obiectum.

11 Contra hoc est, quia vel solo modo loquendi à communi omnium dissentit, & ideo eius dicendi modus vt singularis est relinquendus. Vel dicit aliquid omnino falsum, & improbabile. Primum patet, quia immediate subiūgit. Hoc tamen est considerandum, quod interdum proportio sumitur, nō pro inclinatione, & habitudine potentiæ, ad obiectum: sed pro sufficientia virium ad cognoscendum obiectum. Et sic, quando potentia non habet vires sufficientes ad cognoscendum obiectum, tunc ipsa nō dicitur proportionata obiecto, nec obiectum dicitur proportionatum potentiæ. Hoc autem est, quod docēt authores, quos impugnat: ergo in re tenet communem sentētiam.

12 Nec ab illa potest dissentire, qui credit vires naturæ esse insufficientes ad Deum videndum, & esse improportionatas ad Angelos quidditatiue cognoscendos: & tamen in alia vita mutato modo essē di animæ; & intellectu eleuato per lumen glorię, nos visuros Deum, & Angelos per intellectū: quos sensibus externis, & internis implicat attingere: aliud ergo est obiectū adæquatum: aliud proportionatū: quia non repugnat potentiā eleuari ad obiectum improportionatū secluſa eleuatione, & repugnat extrahi à suo obiecto adæquato.

13 Responderat ergo Caietatus illo art. 4. §. *ad euidentiam*, in fine, & ad 4. Quod obiecta, quæ assignantur potentijs, non sunt obiecta adæquata *extensiue*; sed sunt obiecta adæquata *intensiue* naturaliter: quia supra illa non potest naturaliter potētia quidditatiue penetrare, sed infra; per proprias vires: at verò extra obiectum adæquatū extensiue, nullus habitus, vel qualitas superueniens adducere quomodolibet potest potentiā. Et iuxta hoc dissin guendo terminos, argumenta cessant. Alijs terminis idem explicuit Caietanº 1. p. q 79. a. 7. dicēs, quod obiectum intellectus, aliud est *terminatiuum*: aliud *motiuum*: obiectū terminatiuum æquatur potētiæ extēsiue: nō verò obiectum motiuum. Licèt efficacia intensiua potentiæ in agendo, sumatur pœnes obiecta motiua, nō pœnes terminatiua, per se, & ex proprijs loquendo.

14 Sed hinc emergit dubiū, qualiter se habeant hæc obiecta, an differant essentialiter in ordine ad potentiam; an verò accidentaliter?

Videtur enim, quod differant essētialiter: quia duo intellectus, qui habent idem obiectum terminatiuum, nempè ens, & verum in communi: si tamen habeant diuersa obiecta motiua, differunt inter se specie: vt patet in Angelis, qui inter se differunt specie, & habent intellectus inter se species distinctos, & ab intellectu humano: & tamen omnes conueniunt in obiecto terminatiuo: ergo ens in communi solum dicit rationem quasi genericam intellectus, omnes specificans generi cè, vel subalternè; & quidditas sensibilis dicit rationem quasi differentialem.

15 In contrarium est, quod anima coniuncta corpori, & ab eo separata, non habet intellectus specie distinctos; quia solum differt in statu accidentali animæ: sed intellectus pro statu separationis habet pro obiecto proportionato quidditates rerum spiritualium conuenientium secum in gradu immaterialitatis: vt docet S. Thom. 3.p.q.11. art.1.ad 2. Et probat 1.p.q.89. art. 2. *quia est commune omni substantiæ separatæ, quod intelligat id quod est supra se, & id quod est infra se, per modum suæ substantiæ. Sic enim intelligitur aliquid secundum quod est in intelligente. Et autē aliquid in altero per modum eius in quo est.* Quæ ratio patet ex dictis num.6. Ergo obiectum proportionatum supra obiectum extensionis solam addit differentiam accidentalem respectu potentiæ. Et hoc videtur docere S.Thom.1.p.q.79.art.7.illis verbis. *Vnde secundum nullam differentiam entium diuersificatur differentia intellectus possibilis.*

## §. III.

### *Vtrum intellectus hominis, & Angeli differant specie?*

16 HOc dubium pendet ex altero, vtrum intellectus hominis, & Angeli distinguantur specie? In quo sunt tres opiniones. Scotus in 2.dist.1. quæst. vltima, absolutè videtur affirmare esse eiusdem speciei.

17 Per oppositum Caiet. 1.p.q. 79.art.7.& Nazarius.1.p.q.59.art. 1.controu.vnica.Ioan.à S.Thoma hic.q.10.art.3.ad 2 & 1.p. disp.12. art.2.& alibi. Et fuit sententia Capreoli in 2.dist.11.q.2. art.3. ad 2. Aureoli contra 2. & tenent AEgidius lib.9.de Beat.q.2.art.2.n.7.& 8. Et Suar.lib.2.de Angel. c.2. per totū,& lib.4.de Ani.c.1.n.8.& alij absolutè dicūt differre specie: quia vt probat S.Th.1.p.q.75.ar.7.& 2. Contr.c.94.homo,& Angelus specie distinguuntur: quod quoad nos constat, quia habent operationes specie distinctas: & vt dicit S.Tho. illo c.94.rat.4. *Ex propria operatione rei percipitur species eius: operatio enim demonstrat virtutem, qua indicat essentiā.* Ergo etiā intellectus specie distinguuntur. Probatur cōsequentia primo quia à naturis specie distinctis dimanāt proprietates specie distinctæ. Et secundo, quia potētiæ specificantur per actus: ergo si intelligere

&

& discurrere sũt operationes diuersarum rationum: etiam intellectus hominis, & Angeli specie distinguũtur.

18 Quod manifestè indicat S. Thomas in 2. dist. 3. q. 1. art. 6. ostendẽs, quod *anima, & Angelus specie differunt*. Et quod idem debeat dici de eorum intellectionibus, indicat ad 5. dicens, *quod ea quæ differunt specie, differunt secundum finem proximum, qui est permanentia, vel operatio rei, vt dicitur 2. Cæli*. Clarius id indicat 1. p. q. 79 art. 8. ad 3. vbi ait. *Quod vis cognoscitiua Angelorum non est alterius generis a vi cognoscitiua rationis, sed comparatur ad ipsam, vt imperfectum ad perfectũ*. Sed si sentiret solum differre accidentaliter, diceret, nõ esse alterius speciei, & non alterius generis: ergo loquitur de perfectione essentiali sub eodẽ genere: iuxta phralim S. Thomæ 2. Contrag. c 92. & 93. & q. vnica de Anima art. 7. & clarius 1. p. q. 50. art. 4. ad 2.

19 Asserendum tamen est, intellectus hominum, & Angelorum vt proprietates sunt, esse diuersarum specierũ, vt tamẽ intellectus sunt, esse eiusdem speciei formaliter. Ita in simili diximus lib. 2. q. 15. §. 5. cũ ipso Caietano 1. p. q. 77. art. 3. quare non video qua consequentia affirmet absolutè intellectus differre specie; cum de potentijs sensitiuis animaliũ specie distinctorum, doceat formaliter, vt specificantur ab obiecto, esse eiusdem speciei. Nec in via D. Thomæ, & veritate valet negari potentias specificari per actus, & actus per obiecta. Et hoc probat ratio, & authoritas S. Thomæ allata n. 15. Quare ita tenent Ferrara 2. Contrag. cap. 94. ra. vlt. Bañez 1. p. q. 79. art. 7. dub. vnico. Zumel q. 56. art. 1. PP. Carmel. disput. 17. de Anima q. 1. §. 5. nu. 11. vsque ad 20.

20 Et quia primam partem satis ostendunt adducta pro secunda sententia. Secũdam partem conuincere videtur ratio S. Thom. 1. p. q. 79. art. 7. Ratio formalis potẽtiæ sumitur ex ordine ad obiectum, secundum rationem formalem obiecti: sed in obiecto formali specificatiuo intellectus, nulla apparet formalis ratio diuersificãdi intellectus: ergo omnes intellectꝰ creati sunt formaliter eiusdem speciei. Probatur minor: quando potentia perse respicit aliquam communem rationem obiecti, differentiæ, vel modi inferiores, sub illa contenti, non diuersificant potentiam: *Sicut potentia visiua, quæ respicit suum obiectum secundum rationem colorati, nõ diuersificatur secundum rationem albi, & nigri*: vt ait S. Thomas illo artic. 7. & quæst. 77. articulo tertio. Cum ergo intellectus respiciat suum obiectum secundum communem rationem entis, non est per quid formaliter in esse intellectus differãt specie: vt de volũtate videtur etiam tenere S. Thomas 1. p. q. 59. art. 1. ad 1.

21 Præterea explicatur ex D. Th. q. 9. de Verit. art. 1. ad 17. dicente, *quod in Angelis specie differentibus, non oportet quod sit lumen intelligibile specie differens: sicut & in corporibus specie differentibus, est idem specie color. Et hoc est præcipuè verum de lumine gratiæ, quæ etiam in hominibus, & Angelis est eadem*

*specie*. Vbi talis indicatur ratio. Quãdo aliqua forma accidentalis conuenit aliquibus subiectis secundum radicem formaliter eãdem; quamuis subiecta in esse rei differant specie; tamen in esse radicis, & capacitatis talis formæ, sunt eiusdem rationis: vt exempla S. Thomæ demonstrant: quia omnia corpora mixta habeant eandem causam coloris: & omnes creaturæ ad imaginẽ Dei habent eandem capacitatẽ gratiæ, & gloriæ. Sed intellectus consequuntur cõmunem radicem spiritualitatis. Ergo omnes formaliter sunt eiusdem rationis. Licet occurrant euasiones, quæ possunt his rationibus adhiberi; quia facilè præcluduntur, vim rationum penetrando; non expedit in eis referendis, & refellendis immorari.

22 Ex his facilè est respondere quæsito proposito n. 14. quod obiectum adæquatum, terminatiuum, extensiuum, est à quo sumitur species potentiæ, vt intellectus est. At verò obiectum motiuum, proportionatum, distinguit species actuũ, ex modo, & gradu diuerso naturarum. Quia tamen differentia, quæ est materialis, & inadæquata respectu potentiæ, vt potentia, potest esse formalis, & adæquata respectu naturæ: & differẽtia, quæ est inadæquata potentiæ, potest esse adæquata habitui; idcò solet censeri differẽtia modalis respectu potentiæ; & esse differẽtia specifica respectu habituum. Ad quod intentum possũt adduci quæ dicuntur 3. p. q. 7. art. 11. ad 3. & 2. 2. quæst. 24. artic. 7. ad tertium.

23 Magis tamen ad rem facit doctrina S. Thom. 1. p. q. 79. art. 9. ad 3. vbi ait. *Perfectum autem, & imperfectum in actu non diuersificant potentiam; sed diuersificant actus quantum ad modũ agendi: & perconsequens principia actuum, & ipsos habitus*. Et ideo Philosophus posuit duas particulas animæ scientificum, & ratiocinatiuũ: nõ quia sunt duæ potentiæ, sed quia *distinguuntur secundum diuersam aptitudinem ad recipiendos diuersos habitus*, quorum diuersitatem ibi inquirere intendit. Contingentia enim, & necessaria, *& si differant secũdum propria genera; conueniunt tamen in communi ratione entis, ad quam diuersimode se habẽt secundum perfectum, & imperfectum*. Quibus S. Thomæ verbis omnia clarescunt, & authoritates manifestè declarantur; quia differentia in modo agẽdi sufficit distinguere actus, & habitus, & potentias ex parte naturarum: non tamen vt potẽtiæ sunt: quia conuenientiam non tollunt in communi ratione entis, & veri.

## §. IIII.

### *Vtrum Deus contineatur sub obiecto nostri intellectus?*

24 SEd restat aliud maius dubiũ: quia ens, & verum in omni sua amplitudine, quid cõmune est Deo, & creaturis, saltem communitate analogiæ: & ita si ens commune est obiectum adæquatum specificatiuum nostri intellectus; sequitur apertè, quod Deus, vt est in se, contineatur sub obiecto adæquato speci-

specificatiuo nostri intellectus. Quod esse falsum, probatur primo: quia intellectus est potentia naturalis: & ita eius specificatiuum debet esse eiusdem ordinis naturalis: Deꝰ autem vt est in se est supra ordinem naturæ. Secundo, quia quælibet potentia naturaliter inclinatur ad suum obiectum attingendum: cum autem in natura non sint vires ad Deum videndum; nec est in natura inclinatio ad Dei visionem: & ita Deus non continetur sub obiecto specificatiuo. Deniq;, vnitas, sicut & specificatio potentiæ sumitur ab obiecto: intellectus autem respiciens Deum, & creaturas pro obiecto, non posset habere vnitatem: nam Deo, & creaturis nil potest esse commune vniuocum, vt probatur prima parte quæst. 13. art. 5. Nec aliquid potest esse prius Deo, *etiam secundum intellectum*, vt docet Sanctus Thomas prima parte quæst. 3. artic. 5. Ergo Deus non continetur sub obiecto nostri intellectus: ac perconsequens ens in tota sua amplitudine non potest pro obiecto adæquato nostri intellectus assignari.

25 Propter hoc argumentũ, Scotus in 4. dist. 49. q. 8. contendit possibilitatem visionis Dei à creatura, *adhuc per rationem naturalem posse probari*. Et secunda eius ratio istis verbis ab ipso formatur. Omnis potentia habens obiectum primum adæquatum, potest perse in quodlibet contentum sub illo obiecto. Sed primum obiectũ intellectus humani, est ens. Ergo & quodlibet, in quo saluatur ratio entis, est obiectum per se eius. Sed impossibile est quod quietetur in aliquo, nisi in sũmo totius analogiæ immediatè: sicut nec visus quietatur, nisi in pulcherrimo visibili. Sed hoc non potest esse in cognitione eius in vniuersali; quia cognitio vt in vniuersali, non est illius vt in se. Ergo erit eius vt secundum se in particulari. Ergo vt sic erit capax beatitudinis. Hactenus subtilis Doctor. Quo argumento etiam vtitur Vazquez 1. 2. disp. 20. cap. 2. n. 7.

26 Quia tamen cæteri Theologi negant positiue posse demonstrari solo naturæ lumine visionis beatæ possibilitatem; in soluendo, Scoti argumento non eodem modo procedunt. Rubionensis in 4. distinct. 49. 1. part. quæst. 2. artic. 1. quem refert, & sequitur Hieronimus Fasolus 1. part. quæst. 12. art. 1. dubio 2. nu. 14 Immò ipse Scotus in quæst. 1. Prologi litt. e. Quem refert Aegidius à Præsent. libro 12 de Beatitudine quæst. 2. artic. 1. num. 29. & sequitur nu. 30. negant minorem, quia naturalis Philosophus asserere potest, intra latitudinem obiecti potentiæ creatæ intellectiuæ, contineri quidem Deum vt abstrahibilem ex creaturis; non autem Deum vt visibilem intuitiue in se. Sicut omnes Theologi fatentur Deum vt comprehensibilem esse ens; & tamen non contineri intra latitudinem intellectus creati, qui Deum comprehendere non potest.

27 Cæterum, licèt hoc sufficiat vt illa non sit demonstratio innixa solo naturæ lumine: quia tamen naturali lumine constat potentiam

intellectiuam eleuari non posse ad videndum aliquid extra latitudinẽ sui obiecti: & fides docet nos in patria visuros Deum facie ad faciem; & eum non comprehensuros. Restat tota argumenti difficultas quo modo in rei veritate Deus in se intuitiuè visibilis contineatur sub obiecto nostri intellectus creati?

28 Huic difficultati non eodem modo respondent Thomistæ. Sufficit nunc insinuare, alibi in proprio loco pro dignitate examinãda. Bañez 1.p.q.12.art.1.dub.1.ad 2.quẽ ibi sequuntur Zumel, Nauarrete, Serra in 1.fol.ad 4.& latius Ledesma de esse Dei.q.8.art.2.respõdet, quod ens naturale, & supernaturale differunt specie, etiam in ratione cognoscibilis; imò & genere; & tamen possunt specificare vnam potentiam: quia intellectus, & voluntas sunt potentiæ vniuersalissimæ; & ideò possunt specificari ab vna ratione analoga, non vniuoca etiam in ratione specificandi: sicut Metaphisica specificatur ab ente.

29 Alij, quos referunt, & impugnant Albelda illa q.12.art.1.sec.1. n.12.& Serra ibi, distinguunt in intellectu nostro tres gradus, nempe specificum humanum; genericum, in quo conuenit cum Angelis; & analogum, in quo conuenit cum Deo. Dicunt ergo Deum, vt est in se, non contineri intra latitudinem obiecti intellectus, prout humani; aut prout conuenit cum Angelis; bene tamen prout est ad imaginem Dei, cum ipso formaliter, quamuis analogicè, in hac operatione, & obiecto conueniẽs. Quod audio placuisse Illustrissimo D. Fr. Petro de Herrera, & modò placere Doctissimis Thomistis Salmanticensibus.

30 Tertio, Ledesma vbi supra, & PP.Carmelitani hic disp.17. num. 9.& dis.1.de Visione Dei num.13. & ibi Biescas art.1. dub.10. dicũt, quod licet intellectus sit identicè vna, & eadem potentia: tamen in eo reperitur duplex formaliter ratio: vna potentiæ naturalis: alia verò potentiæ obedientialis, quæ sit formaliter supernaturalis. Vnde intellectus inquantum potentia naturalis respicit ens naturale in tota sua latitudine. At verò inquantum potentia obedientialis terminatur ad ens supernaturale in toto suo ambitu, citra Dei comprehensionem. Realiter verò, & identicè terminatur ad aliquid implicitè continens naturale, & supernaturale.

31 Denique M. Ioann. à Sancto Thoma quæst.10. de Anima art.3. & tom.1.in 1.p.disp.12. art.2. docet, quod in intellectu, propter eius immaterialitatem, distingui debet eius capacitas passiua; & eius virtus actiua: in capacitate omnes intellectus creati conũeniunt: quia eorũ obiectum est omne intelligibile finito modo attingibile. Respectu verò luminis, & virtutis connaturalis, obiectum specificatiuum est illud quod est motiuum talis intellectus iuxta modum suæ naturæ. Itaque in intellectu, aliud est capacitas; aliud virtus. Capacitas est ad omnia: virtus ad ea quæ conueniũt in eodem gradu essendi, & in eodem lumine.

32 Non disputando pronunc de pro-

probabilitate harum solutionum; semper arbitratus sum S. Thomam sæpissime hãc difficultatem tetigisse; & ei verissimè, & plenissimè satisfecisse 1.p.q. 12.art.4. ad 3. & 1. 2.q.5.art.1.ad primum: & vberius tertio Contragentes cap.54. in solutione primæ rationis, dicens. *Diuina enim substantia nõ sic est extra facultatem intellectus creati quasi aliquid omnino extraneum ab ipso: sicut est sonus à visu: vel substantia immaterialis à sensu (nam ipsa substantia diuina est primũ intelligibile: & totius intellectualis cognitionis principium) sed est extra facultatem intellectus creati, sicut excedens virtutem eius: sicut excedentia sensibilia sunt extra facultatem sensuum. Vnde & Philosophus secundo Metaphysicæ dicit, quod intellectus noster se habet ad manifestissima naturæ, sicut oculus noctuæ ad lucem Solis.* Quæ verba etiam affert Sanctus Thomas prima parte quæst.1. artic.5.ad primum. Quem sequuntur Caietanus, & Ferrara, & alij eisdem locis. Capreolus in quarto distinctione 49. quæstione quarta articulo tertio ad argum. Scoti contra primam, & ibi Soncinas, & Soto quæst.2.artic.2. Et olim Henricus in sum.ma art.3. quæst.5. ad tertiũ. Quem cum alijs multis refert, & sequitur Fasolus 1.p.q.12.art.1.dub. 8.in fine, & art.4.dub.5.

33 Sed contra exemplum Sancti Thomæ arguit Durandi in quarto distinctione 49. quæst.2. nu.29. quia illud est per accidens, quia organum visus in noctua læditur, & dissoluitur à claritate Solis in rota sua: nam si hoc non esset, visus noctuæ posset clarè, & manifeste videre Solẽ. Cum ergo intellectus, præcipuè separatus, nullo indigeat instrumento corporeo, non læditur ab obiecto. Ergo *nihil cadens sub formali ratione obiecti, excedit proportionem potentiæ per se.*

34 Rursus, post alios, nouissimè arguit Biescas illo dubio 10. pagina 30. nam si essentia diuina continetur sub obiecto adæquato intellectus creati, tamquam quid excedens, eo modo quo lumen Solis cõtinetur sub obiecto visus vespertilionis: ergo sicut Deus, augendo vires naturales in vespertilione, potest facere, quod videat lumẽ Solis in ipso Sole: poterit quoq; augẽdo vires naturales in intellectu creato facere, quod eis solis videat Deum in se ipso: hoc autem nemo Catholicorum concedet: ergo neque illud. Si autem hoc Deus facere non potest: ergo exemplum de vespertilione, & lumine Solis, non est ad rem: neque hac via potest dici diuinam essentiam contineri sub obiecto adæquato intellectus creati; tãquam aliquid excedens.

Præterquamquod, contra hanc solutionem videtur militare vrgẽtius rationes obiectæ n.24.

35. Argumento tamen Durandi iam satisfecerat S. Thom. q. vnica de Anima art.16.ad 5. inquit, dicẽdum, quod sensus respectu excellẽtium sensibilium duplicem defectũ patitur: vnum quidem, quia non potest ipsum comprehendere, propter hoc quod excedit proportionem sensus; alium autem, quia post excellentia sensibilia non percipit alia sensibilia, propter hoc quia

quia corrumpitur organū sensus. Licet igitur intellectus non habeat organū, quod possit corrumpi ab intelligibili excellenti: tamen *aliquod excellens intelligibile potest excedere facultatem intellectus nostri in intelligēdo.* Ex hac doctrina S. Thomæ patet falsam esse illam propositionē Durandi: *Nihil cadens sub ratione formali obiecti excedit proportionem potentiæ per se:* quam negāt Capreolus, & alij Thomistæ, quia potest obiectū habere tantam eminentiam, quod licet ad illud possit terminari potētia; vires tamen eius per se sint improportionatæ ad eum perfecte attingendum.

36 Præterquamquod, dici potest, quod exemplum nō in omnibus tenet: quia lux Solis, & aeris est eiusdem ordinis: at vero essentia diuina est alterius rationis ab omni intelligibili proportionato intellectui creato. Vnde S. Thomas q.8. de Verit. art.3. ad 2. ait, *quod quamuis essētia diuina sit in se maxime cognoscibilis; tamen non est maximè cognoscibilis intellectui creato, quia est extra genus ipsius.* Per quæ patet ad 2.

37 Sed vt alia præcludantur, & solutio S. Thomæ melius percipiatur, notandum quod Caietanus 1. p. q.79. art.7. in fine, distinguit in intellectu *essentiam* ipsius, quam dicit specificari ab obiecto extensionis, seu terminatiuo: & *efficaciam intensiuam*, quæ cōsistit in viribus proportionatis ad actum: & vocatur à Ferrara 3. Cōtrā. cap. 54. in principio, *virtus intelligendi.* Quod magis explicans Curiel. 1.2 q 5. articul. 3. dub. vnico §.5. & 6. distinguit in intellectu, & voluntate, *coaptationem essentialem*, quæ consistit in proportione radicali, & essentiali cum obiecto terminatiuo, ad quod potentia valet extendi: & *quantitatem virtutis*, quæ consistit in viribus proportionatis, & efficacib⁹ ad actus proportionatos modo essendi potētiæ: & hæc est respectu obiecti motiui proportionati. Et quia quātitas virtutis nō est æqualis coaptationi essentiali; ideò opus est eleuatione ad Deū videndum, quia est obiectum improportionatum, licet contentum sub essentiali specificatiuo intellect⁹.

38 Displicet hic dicendi modus Araujo lib.9. Metaph. q. 5. art. 3. ad vlt. pag.426. & contra eum arguit dupliciter. Primo, quia efficacia intellectus est de essentia illius: siquidem essentialiter est potentia actiua. Ergo eadem gaudet efficacia in ordine ad omnia, quę sub ei⁹ obiecto specificatiuo continētur.

Secundo, vel nomine *coaptationis* intelligitur principium actiuum remotū; & nomine *efficacitatis*, principium actiuum proximum? Vel aliquid aliud? Si primum; frustra distinctio adhibetur, quia actiuū proxime, & remotè respectu diuersorum solum virtualiter distinguuntur. Si secundum; non est quid possit accipi, quod nō est de essentia intellectus. Illa ergo verba difficultatem non euacuant.

39 Respondetur, quod *coaptatio essentialis* cum obiecto, est de essentia intellectus: nam intellectus est potentia specificata ab obiecto, ad illum dicēs habitudinem, & illi proportionatus, vt ait S. Thomas 1. p. q.12.

q.12.art.1.ad 4. At verò *efficacia* dicit perfectionem, & fortificationē virtutis: & ideò non est de essentia intellectus. Aduertit autem S. Thomas 3.Contrag.cap.53 rat.4. & ibi Ferrara, & Caietanus 1.p.q.12.art. 5.§. *circa terminos*. Quod dupliciter contingit alicuius virtutem fortificari. Vno modo *per simplicē ipsius virtutis intensionem*: sicut virtus actiua calidi augetur per intensionem caloris; vt possit efficere vehementiorē actionem in eadem specie. Alio modo *per nouæ formæ appositionem*: sicut diaphani virtus augetur ad hoc vt possit illuminare, per hoc quod fit lucidum actu per formam lucis receptā in ipso de nouo. *Et hoc quidem virtutis augmētum requiritur ad alterius speciei operationem consequendam.*

40 Igitur intellectui efficacia naturalis absq; forma superaddita cōuenit: sed efficacia, & fortificatio requisita ad operationes supernaturales, cōuenit per formam superadditam. Et prima efficacia est radicalis, & remota respectu secundę; iuxta ea quæ docent M. Soto in 4.dist. 49.q.3.art. 2.circa finem §. *crediderim tamen*, Ledesma, Cabrera, Aluarez, & Ioan.à S. Thoma 1.p. q.12. ar.5, explicantes qualiter lumē gloriæ sit tota ratio agendi? Quod quāuis impugnare, inter alios, contendat AEgidius à Ptæsent. lib.10. de Beat.q.3.toto art.2.tamē in re nobiscum sentit: quia nu.38. docet, quod lumen potius est virtus intellectus, quam determinatio virtutis eius: & ita nec est potentia, nec habitus, sed est complementum potētiæ. Quod explicat exemplo, inter Thomistas frequentissimo: nam sicut anima intelligit, quia medio intellectu verè operatur; ita intellectus Deum videt, quia medio lumine eleuatur vt eliciat visionem. Vnde coaptatio essentialis correspondet intellectui, & efficacia lumini. Quæ est nostra doctrina, à qua etiā Araujo illa q.5.art.2. solis vocibus discrepat, cum communi Thomistarum, docens intellectum nostrū esse virtutem actiuam, quasi radicalem respectu supernaturalium; fieri verò proximam qualitate eleuāte, à qua proximè est tota ratio agendi: licet non sit tota potentia, quæ agit; cum intellectus eleuatus eliciat visionem.

41 Quod si adhuc alia via quis velit hoc exponere, recolat quod diximus lib.2.q.25.n.63. quod obiectum potētiæ est quasi genericū, respectu obiecti habitus, quod est specificum. In visione ergo clara Dei; sicut ex parte obiecti, & est *intelligibilitas*, qua voce significatur obiectum intellectus; & est *essentia Dei*, quæ est obiectum, ad quod exigitur lumen gloriæ; & ratio quasi generica (metaphysicè prescindendo) correspondet intellectui, & ratio specifica correspondet lumini (licet physicè sit ab vtroque, vt de intellectu actuato specie diximus.) Ita ex parte principij in ordine ad obiectum: quod Deus simpliciter sit obiectum, tantum habet quia ens verum: quod verò sit obiectū visum clare tali specie actus: habet à forma supernaturali. Et genericè, obiectū abstrahit à naturali, & supernaturali: quamuis Dei

visio

visio sit supernaturalis.

42 In forma ergo concedo maiorem argumenti propositi n.24. & nego minorem. Ad primam probationem concedo maiorem, & minorem, quia coaptatio essentialis intellectus creati quid naturale est. Sed efficacia virtutis abstrahit a naturali, & supernaturali: & respectu obiecti proportionati, est naturalis; & respectu supernaturalium, est supernaturalis, ab extrinseco causata. Et ideò S. Thomas in Compendio Theologiæ cap. 103. & 104. exprofesso probat, quod *consequimur vltimum finem per hoc quod intellectus fiat in actu ab aliquo sublimiori agente*.

43 Ad secundâ probationem cõcedo maiorem, & minorem de inclinatione quadam generali Deum cognoscendi; sub qua tantum implicite, & quasi radicaliter continetur inclinatio ad Deum videndum. Sicut S. Thomas 1.2.q.5. art.8. & sæpissime alibi concedit, quod naturaliter appetimus beatitudinem formaliter: quamuis non nisi per fidē cognoscamus in particulari veram beatitudinem, & per Dei gratiam eam assequturos credamus.

44 Ad tertiam dicitur, quod sicut ens habet vnitatem sufficientē ad specificandam vnam Metaphysicam, multo melius ad specificandū vnum intellectum: quia vnitas quæ in esse rei est secūdum quid, est vnitas simpliciter in esse scibilis, & intelligibilis. Et sicut diximus lib.1. Logicæ q.3. ad 4. Quod ens rationis vniuoce est scibile, quia veritates in illo fundatæ, sūt tam æternæ, ac quæ de alijs entibus demonstrantur: quamuis in esse entis analogentur. Ita pariter dicimus de ente cõmuni Deo, & creaturis: nā sicut negare nemo valet, quod in via Deū cognoscimus, etiam naturali ratione: iuxta illud Apostoli ad Rom.1. *inuisibilia Dei à creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciũtur*. Ita affirmamus, quod Deus cõtinetur sub obiecto nostri intellectus; quãuis tali modo, & sub tali actu, qui est visio intuitiua, non habeamus vires proximas, nisi in Dei lumine. Sed iam ad purè Phyica reuertamur.

## QVAESTIO XXIII.

### *De intellectu agente.*

### §. I.

### *Datur intellectus agens.*

1 DVrandus in 1. dist.3. p.2. q.5. latè contendit in re nullum esse intellectum agentem, quia ad nullam operationem est necessarius. Quod eo facilius valet defendere, quia vt vidimus q.17. negat in intellectu nostro species intelligibiles.

2 In eandem sententiam inclinat Ochan in 2. q.25. in fine. Et iam sepultam suscitare fuit conatus Hurtadus Mendoça disp.5. de Anima sec.1. licèt defendat modò hactenus in audito (nisi incidat in sentētiam Alexādri, de qua dubio 2.) & voluntarie asserto; & ideò postea à nemine exsocijs approbato. Asserit enim

enim nu. 5. quod intellectus noster tactus phantasmate, accipit species à Deo supplēte absentiam obiecto rum; phantasmate concurrēte, vel dispositiuè, vel instrumentaliter etiam, loco obiecti.

3 Quod autem species non fiant ab intellectu, probat quia species est vicaria obiecti, ergo producenda est ab obiecto: vel à sola causa prima, ad quam solam spectat supplere deffectus causarum secundarum. ¶ Secundo, quia obiectū dat cognitioni formalitatem, quæ non respondet potentiæ, sed obiecto ipsi: correspōderet autem potētiæ, si illa esset principium actiuum speciei, quæ est immediata causa cognitionis. Ergo species non causatur ab intellectu.

Præterea, species est coniunctiua obiecti cum potentia: ergo ab ipso oritur species, & non à potentia. Alioquin totam virtutem agendi, & coniungendi cum obiecto, haberet potentia.

4 Dicendum tamē est, necesse est dari intellectum agentem. Ita Phylosophus 3. de Anima tex. 17. & S. Thomas ibi lec. 10. & S. Thomas 1. p. q. 79. art. 3. & q. vnica de Anima ar. 4. & alibi sæpè. Et tenent omnes Thomistæ. Et Scotus in 1. dist. 3. q. 8. Et ibi communiter Theologi, & Phylosophi in præsenti. Et hæc authoritas est satis valida ratio, vt inquit Toletus q. 13 conc. 1. cum nulla sit ratio efficax in contrariū. Imò Bañez 1. p. q. 79. art. 3. dubio 1. ait, quod *oppositum nullam habet probabilitatem in Phylosophia.* Et Suarez lib. 4. cap. 8. n. 4. ait *certum* haberi intellectum agentem esse veram animæ potentiam.

5 Rationem Phylosophi ad hanc formam redigit S. Thomas lec. 10. Quia in omni natura, quæ est quandoque in potentia, & quādoque in actu oportet ponere aliquid, quod est sicut materia in vnoquoque genere, quod scilicet est, in potentia ad omnia, quæ sūt illius generis: & aliud quod est sicut causa agens, & factiuum; quod ita se habet in faciē do omnia sicut ars ad materiā. Sed anima secundum partem intellectiuam quandoque est in potētia, quādoque in actu. Necesse est igitur in anima intellectiua esse has differentias, vt scilicet, vnus sit intellectus, in quo possint omnia intelligibilia fieri: & hic est intellect⁹ possibilis, de quo supra dictum est: & alius intellectus sit ad hoc quod possit omnia intelligibilia facere in actu, qui vocatur intellectus agens.

6 Eandem rationem sic proponit S. Thomas q. 79. formæ in materia existentes non sunt intelligibiles actu. ex quo sequitur, quod naturæ rerum, seu formæ rerum sensibilium, quas intelligimus, nō essent intelligibiles actu. Nihil autem reducitur de potentia in actum, nisi per aliquod ens actu: sicut sensus fit in actu per sēsibile in actu. Oportet igitur ponere aliquam virtutē ex parte intellect⁹, *quæ faceret intelligibilia in actu per abstractionem specierū à cōditionibus materialibus. Et hæc est necessitas ponendi intellectum agentem.* Videatur Ferrara 2. Contrag. cap 77.

7 Quod si dicas, rationem hanc probare debere dari sensum agentem:

tem:

tem: quia sicut se habet sensus ad sensibilia, ita intellectus ad intelligibilia. Respõdet S. Thomas ad 1. quod sensibilia inueniuntur actu extra animam: & ideò non oportuit ponere sensum agentẽ. De quo iam diximus lib.2.q.21.nu.31. & latius lib.3 q.6.§.2.

8 Nec sequitur, quod in Angelis debeat dari intellectus agens: quia vt dicit S.Tho.1.p.q.54.ar.4. ratio necessitatis, quæ est in homine, de est in Angelis, quia neque sunt quãdoque intelligentes in potentia tãtum, respectu eorum, quę naturaliter intelligunt. Neque intelligibilia eorum sunt intelligibilia in potentia, sed in actu: intelligunt enim primo, & principaliter res immateriales. Ex quo magis elucet necessitas ponendi intellectum agẽtem: quia Angelis Deus contulit à principio species, & scientiam rerum naturalium: homo verò est à principio tãquam tabula rasa, in qua nil est scriptum: & non constituitur in actu nisi per species intelligibiles: ergo debet habere virtutem qua sibi huiusmodi species acquirat. Et hæc dicitur intellectus agens. Argumenta melius soluẽtur in seq. dubio.

## §. II.

### *Est potentia animæ.*

9 SEcundo Inquiritur, vtrum intellectus agens sit aliquid animæ? Verba Philosophi 3. de Anima textu 19. dicẽtis, quod *intellectus agens est substantia actu ens*, tribuerunt occasionem Peripateticis varie sẽtiendi de intellectu agente. Alexander.1.& 2.de Ani. docuit intellectũ agentem esse ipsum Deum. Quod sequuti sunt Priscianus Lydus, & Zabarela libro de mente agente.

10 Algazel lib.2.de Anima trac. 5.cap.2.& Auicena 9.Metaph.cap. 4.& lib.6.Natur.trac.5.c.5.& Auerrois 3.de Ani.text.5.& in epitome Metaph.tract.4.& alij docẽt intellectum agentem esse intelligẽtiam separatã mediam inter nos, & Deũ: licet non eandem intelligentiam omnes illi constituerent, vt siggillatim refert Auersa.q.58.sec.6.

Denique Simplicius 3.de Anima cõm.20.& Suessanus libro de triplici intellectu, constituerunt triplicem intellectum agẽtem: primum illuminantem, nempe Deum: secũdum lumen medium, nempe, quandam intelligentiam: tertium illuminatum, qui sit internus in homine. Et hæc sententia fortè solis vocibꝰ differt à communi.

11 Dico ergo, vltra primam causam efficientem luminis, necesse est dari causam agentem, seu intellectum agentem intra ipsum hominẽ. Quod hæc conclusio sit de mente Physol. probat S. Thom. 2. Contragent. c.78. Quod verò Deus sit prima causa efficiens luminis intellectus, constat ex illo Ioan.1. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Et ratio est, quia quod est tale per participationem, deriuatur à Deo quod est tale per essentiam. Cum igitur anima humana intellectiua dicatur per participationem intellectualis virtutis. Cuius signum est, quod nõ tota est

intel-

intellectiua, sed secũdum aliquam sui partem, seu virtutem. Manifestè sequitur, quod Deus est intellectus separatus, & primum agens intellectualis luminis: qui à Platone comparatur *Soli*, vt ex Themistio 3. de Anima refert S. Th. illa q. 79. ar. 4.

12 Quod verò oporteat ponere in ipsa anima humana aliquam virtutẽ ab illo intellectu superiori participatam, per quam anima humana faciat intelligibilia in actu, egregiè profecto ibi demonstrat S. Thomas. *Sicut enim, & in alijs rebus naturalibus perfectis, præter vniuersales causas agentes, sunt propriæ virtutes inditæ singulis rebus perfectis, ab vniuersalibus agentibus deriuatæ. Non enim solus Sol generat hominem, sed est in homine virtus generatiua hominis: & similiter in alijs animalibus perfectis. Nihil autem est perfectius in inferioribus rebus anima humana. Vnde oportet dicere, quod in ipsa sit aliqua virtus deriuata à superiori intellectu, per quam possit phantasmata illustrare.*

13 Hæc ratio Sancti Thomæ videtur mihi euidens demonstratio aduersus sententiam Petri Hurtado: quia Author naturæ non debuit prouidere minus perfecte principia generationis corporũ, & perfectionis eorum, quam disposuerit generationem spiritualem scientiæ, & perfectionem partis intellectiuæ: quia corporalia potius ordinat ad spiritualia: iuxta illud primæ ad Corinthios nono. *Numquid de bobus cura est Domino?* De quo Sanctus Thomas prima parte quæstione 22. articulo secundo ad quintum. Sed stultum est asserere, quod in corporalibus Deus se solo causet formas ad dispositionem, seu præsentiam creaturarum: ergo & in intellectu nostro, & in nostra anima, quæ est perfectissima omnium inferiorum rerum; & ratione cuius homo dicitur *minoratus paulo minus ab Angelis*, debuit Author naturæ prouidisse causas intrinsecas sufficiẽtes ad perfectas operationes. Ergo sicut à principio prouidit de principio passiuo specierum, nempè de intellectu possibili, debuit prouidere de principio interno actiuo specierũ, nempè de intellectu agente. Recolantur quæ diximus quæstione quarta §. 2. & libro secundo quæstione 37. num. 10. Concludit Sanctus Thomas, quod hac de causa Philosophus tertio de Anima textu 18. comparauit intellectum agentem *lumini*, quod est aliquid receptum in aere. Et Psalm. 4. dicitur: *Signatũ est super nos lumen vultus tui Domine.* Quæ verba sic interpretantur Glossa Ordin. Hugo de Sancto Victore, Hugo Cardin. Lyra, & alij ibidem.

14 Argumenta Hurtadi bene in ipsum retorquet Arriaga disputatione quarta sectione quarta subsectione tertia: quia species à Deo infusæ sunt vicariæ obiectorũ, à quibus non producuntur: ergo licet intellectus non sit substitutum obiecti, adhuc poterit loco illius species producere. Deinde nulla est ratio quod potentiæ materiali concedatur virtus adæquata producendi species materiales in ipsa phantasia; huic autem simul cum intellectu non concedatur virtus producẽdi species intellectuales.

Addo

15 Addo præterea primum argumentū laborare in æquiuoco, quia ſpecies non dicitur vicaria obiecti, quia ab ipſo efficitur; ſed quia ipſi eſt imago: quod haberet à quocūque efficiatur. Sicut imago Cæſaris eſt vicaria Cæſaris, & efficitur ab artifice. Ita pariter ſpecies repreſētat obiectum, ſiue cauſetur ab obiecto, vt in ſenſibus externis; ſiue cauſetur à Deo, vt in Angelis; ſiue ab intellectu agente, vt in nobis.

16 Secundum argumentum ſupponit aliud falſum, quod ex diuerſa cauſa ſpeciei impreſſæ, cognitio habet diuerſam formalitatem: quia cauſa efficiens eſt extrinſeca: & ſpecies eſt naturalis ſimilitudo eodem modo repreſentās obiectum à quocunque efficiatur: & ideò licet obiectum media ſpecie cauſet cognitionem, vt ſupra diximus, tamē ex cognitionis formalitatibus diſcerni non valet cauſa efficiens ſpecierum.

17 Tertium argumentū non magis probat ſpecies debere ab obiecto, quā à potentia produci, ſi vtriuſque eſt cōiunctio. Et inſtatur in ſpeciebus infuſis, & laborat eadē ęquiuocatione ac præcedentia: quia cōfundit cauſalitatem purè efficiētē, cum cauſalitate, ſeu munere repreſentandi. Et in iſto genere intentionali, à quocumque producatur ſpecies, coniungit in actu primo obiectum cum potentia, quia ratione illius anima fit quodāmodo omnia, vt iam ſæpè diximus.

18 Ex dictis infert S. Thomas q. 79 art. 5. quod intellectus agens nō eſt vnus numero in omnibus hominibus: quia non poteſt eſſe, quod vna, & eadem virtus numero ſit diuerſorum ſubiectorum. Ergo ſi, vt oſtenſum eſt, intellectus agens eſt aliquid animæ, vt quædam virtus ipſius, neceſſe eſt dicere, quod ſint plures intellectus agentes, ſecundū pluralitatem animarum, quæ multiplicantur ſecundum multiplicationem hominum.

## §. III.

### *Diſtinguitur ab intellectu poſsibili.*

19 MAius dubium eſt, vtrum diſtinguatur realiter intellectus agens à poſsibili?

Opinantur quidam, quod intellectus agens ſola ratione formali differt à poſsibili. Ita Abulenſis ſuper Exodum cap. 23. q. 70. & Auguſtinus Niphus lib. 1. de intellect. trac. 4. cap. 21. Maior in 2. diſt. 16. q. vnica. Suarez lib. 4. de Anima cap. 8. n. 13. Fortunius Licetus, Dādinus, & Gueuara apud Auerſa q. 58. ſect. 6.

20 Probat Suarez primo, quia abſque diſtinctione reali facilè poſſunt intelligi munera intellectus agentis, & poſsibilis: eadē enim potētia poteſt eſſe actiua ſpecierū, & operatiua per illas. Neque in ſpiritualibus principium agendi, & patiendi oportet diſtingui; quia intellectus elicit intellectionem, & verbum: quæ in intellectu recipiūtur.

Secundo, quia intellectus noſter quaſi medius eſt inter intellectum Angelicum, & ſenſus: Angelus habet inditas ſpecies: ſenſus ab exte-

rioribus

rioribus sensibilibus eas recipit: intellectus verò statim ac anima quidpiam cognoscit per phantasiam, in ipso intellectu emanat species id repræsentans: & ita cum species fiant emanatione, non erit opus potētia distincta. ¶ Confirmatur, quoniam intellectus agens post hanc vitam semper actione carebit: quod incōueniens censetur, si potentia est distincta realiter: erit ergo virtus eiusdem potentiæ. Quæ *certè opinio verior videtur* (inquit Suarez) *quamuis nihil certum se offerat*. Sed in casu dubij, præstaret Philosophi, & S. Thomæ, & communem opinionem sequi. Vnde Toletus q. 14. concl. 9. concludit. *Tamen, quia nec in contrarium rationes habentur conuincentes, sequimur communem sententiam.*

21 Dicendum est igitur, intellectum agentem esse potentiam realiter distinctam ab intellectu possibili. Sumitur ex Philosopho 3. de Anima tex. 17. & docet eam S. Tho. 1. p. q. 79. art. 7. & art. 10. vbi ait. *Intellectus agens, & possibilis sunt diuersæ potentiæ; sicut & in omnibus est alia potētia actiua, & alia passiua.* Idem docet q. 54. art. 1. ad 1. & in 2. dist. 17. q. 2. art. 1. & in 3. dist. 14. art. 1. q 2. ad 2. & lib. 2. Contragentes cap. 83. & 88. & tenent Thomistæ omnes. Itē B Albertus in summa de homine, de intellectu agente. q. 6. & Scotus in 1. distin. 3. q. 8. ad 1. Marsilius Ficinus, Toletus, & Conimbr. Valencia, & Rubio, quos referunt, & sequuntur PP. Carmelitani disp. 20. q. 1. Auersa. q. 58. sec. 6. & supponit AEgidius lib. 9. de Beat. q. 2. art. 1. & alij.

22 Ratione probatur primo ex D. Thoma, quia potentia actiua realiter differt à passiua; quia actiua fūdatur in actu, & passiua fundatur in potentialitate: sed intellectus agēs est potentia actiua specierum; intellectus verò possibilis est potentia passiua, quia nostrū intelligere est causaliter pati: ergo non sunt eadē potentia.

23 Secundo, ratione ab eodem insinuata; quando potentiæ ordinātur ad tam diuersas operationes, quod reduci nequeunt ad vnum principium, realiter differūt: quod inductione patet: & constat ex dictis libro 2. sed facere species, & medijs speciebus cognoscere, sunt operationes adeò diuersę, quod reduci nequeunt ad vnum commune principium. Ergo potentiæ istæ realiter distinguuntur. Probatur minor primo, quia minoris eminentię est intellectus noster, quam angelicus: sed illi non est collatum, quod vnica potētia faciat species, & cognoscat: ergo nec noster intellectus vnus valet facere species, & cognoscere. Secundo quia in sensibus videmus, quod aliud principium causat species, & aliud eis vtitur. Tertio, nam non valet assignari ratio vna communis specificatiua vnius potentiæ, in qua conueniant facere species, & cognoscere medijs speciebus productis: ergo isti duo actus ad diuersas potentias reducuntur. Nam quod consequenter se habeant, non tollit differentiam potentiarum: sicut velle consequitur intelligere: & tamen voluntas est alia potentia ab intellec-

tu. Ergo proportionaliter intellectus agens differt à possibili vt vna potentia ab alia.

24 Tertia ratio cõclusionis est: quia potentia, quæ nullo modo est cognoscitiua, realiter differt à potẽtia cognoscitiua; vt patet ex terminis, & ex differentia inter intellectum, & voluntatem. Sed intellectus possibilis est potentia cognoscitiua, vt experimur. Intellectus vero agens non est potentia cognoscitiua: vt docent S. Thomas in 3. dist. 23. q. 1. artic. 1. & quæst. vnica de Anima art. 4. ad 2. & Henricus Quodlib. 8. q. 12. & late probat Bañez cõc. vltima: quia cum intellectus nõ valeat intelligere sine specieb⁹, primæ speciei productio manifeste fit sine cognitione. Et quia si esset potentia cognoscitiua, frustra daretur; quia sufficeret ad hoc intellectus possibilis. Admisso ergo intellectu agente, vt necessario diximus admittendum, debet adstrui potentia distincta realiter ab intellectu possibili.

25 Ad primum negatur antecedens quia distinctio agendi, & patiẽdi, respectu eiusdẽ, eidẽ nequit conuenire: quia fundatur in actu & potẽtia, vnde diuersificantur entiũ genera. Et intellect⁹ solus recipit species, & eis actuatus, elicit intellectionem. Et ideò diximus non esse respectu eiusdem, & secundum idẽ agens, & patiens. Præterquãquod hic specialiter currunt rationes cõclusionis. Et quia intellectus est pura potentia in genere intelligibili; & ideò caret speciebus, & virtute agendi illas.

26 Ad secundũ dicitur illã congruentiam parum vrgere: quia intellectus noster mediat inter Angelum, & sensus, non quia identificet sibi intellectum agentem; sed quia indiget intellectu agente, qui nõ datur in Angelis; nec in nobis est sensus agens. Et cum ipse Suarez ponat internum sensum agentem, non bene mediationem explicat.

27 Ad confirmationem, quod dato, quod intellectus agens in anima separata nullam habeat operationem, nõ est frustra; quia ponitur ad ornatum, & integram perfectionem animæ: & non est frustra potẽtia, quæ debito tempore exit in actum; quamuis acquisita perfectione, & termino, nil operetur: & ideò potentia generatiua, & nutritiua, & augmentatiua erit in beatis: quãuis ibi in propriis operationibus non se exerceant.

28 Præterquamquod S. Thomas quæst. vnica de Anima articulo 15. ad 9. ait, quod *cũ erit anima à corpore separata, per intellectum possibilem recipiet species effluentes à substantijs superioribus; & per intellectum agẽtem habebit virtutem ad intelligendum*: quia illuminat prima principia, & eorum facit euidentiam apparere: quia est lumen intellectuale. Idem docet Sanctus Thomas 3. Contragentes capite 45. in fine, quem sic ibi exponit Ferrara; & Bergomensis dub. 1218. & Bañez dub. 1. ad 3. de quo iterum sequenti quæstione.

FINIS

## QVAESTIO XXIIII.

*De operationibus intellectus agentis?*

### §. I.

*Vtrum vnam tantum habeat operationem?*

1 FEre nullus, qui admittit intellectum agentem, negat illi hanc operationẽ, quæ est productio speciei intelligibilis, per abstractionẽ illius à phantasmatibus: quam Philosophus, & S. Thomas assignant pro radice necessitatis intellectus agentis. Vtrum autem vltra hanc, aliam habeat operationem; non conueniunt.

2 Intellectum agentem vnicam hanc habere operationem, intellectionique esse præuiam, docent Fõseca 5. Metaph. cap. 28. quæst. 8. Cõimbric. 3. de Anima cap. 5. quæst. 2. art. 1. quos refert, & sequitur Rubio de intellectu agente quæst. 2. & tenent Suarez libro 4. cap. 8. nu. 10. & Auersa quæst. 58. sec. 6. quia hoc est vnicum fundamentum vt detur intellectus agens. Et hoc sufficit ad hoc quod intellectus rerũ cognoscitiuus, cognoscere valeat res omnes. Nihilque amplius ex parte intellectus agẽtis exquiri potest: quia non est potentia cognoscitiua. Positis autem speciebus terminorum, intellectus possibilis sufficiens est ad assentiendum.

3 Alii frequenter tres operationes tribuunt intellectui agenti, scilicet, illustrare phantasmata; facere intelligibilia in actu; & abstrahere speciem intelligibilem à phãtasmatibus. Ita Ferrara secundo Contra gentes cap. 77. Bañez 1. p. q. 79. ar. 3. dub. 2. in principio. Iauellus 3. de Anima de intellectu agente q. 3. Sõcinas 7. Metaph. q. 12. Toletꝰ 3. de Anima q. 13. referens Scotum in 1. dist. 3. q. 8. & alios multos. Fundamentum est, quia omnes istæ operationes deseruiunt, & necessariæ sũt ad operationem intellectus possibilis, & non excedunt vim, & facultatem intellectus agentis: quia præuiæ sunt cognitioni.

4 Asserunt alij, vltra operationes iam recensitas, reperiri in intellectu agẽte illuminationem specierum, qua illuminatione facit euidẽtiam primorum principiorum. Ita Auerrois in proœmio de Anima, & lib. 3. quem refert, & sequitur Caiet. 3. p. q. 11. ar. 6. in respons. ad 3. Bergomensis, & Ferrara relati in fine præcedentis quæstionis. Toletus etiam illa quæst. 13. in probatione 6. cõc. Cano lib. 2. de Locis c. 8. pag. 33. Aragõ. 2. 2. q. 1. ar. 1. f. 5. §. *dico tamẽ*, quos sequitur AEgidius à Præsent. lib. 9. de Beat. q. 2. a. 1. vbi n. 12. ait. *Et mira est Bellomontani audacia*, dum opinionem istam friuolã appellat (3. p. disp. 54. cap. 3.) quam & doctrina D. Thomæ efficaciter confirmat, & viri doctissimi, vt Aristotelicam tradũt. Et n. 20. pro nobis refert Molinam. Et tandem n. 25. cõcludit. *Vnde temerarius cẽsendus est Bellomontanus, dum sententiam tantorũ Philosophorum friuolam appellat.*

5 Ego tamen à censuris abstinēs, hanc amplector sententiam, vt veram, & ad mentem S. Thomæ. Et à multis, pro secunda sententia relatis, non negatur; licet illius operationis explicitam mentionem nō fecerint. Quod sit de mente S. Thomæ, constat ex q. 9. de Verit. artic. 1. ad 2. vbi ait. *Cum omne quod intelligitur, ex vi intellectualis luminis cognoscatur*, ipsum cognitum, in quantum huiusmodi, includit in se intellectuale lumen vt participatū, ex cuius virtute habet intellectum confortare. Sicut patet quando magister tradit discipulo aliquod medium alicuius demonstrationis, *in quo participatur lumen intellectus agentis, vt instrumento: prima enim principia sunt quasi instrumenta intellectus agentis, vt dicit Cōment. in 3. de Anima.* Et q. 10. artic. 13. iterum ait. *Prima autem principia demonstrationis, vt Cōment. dicit 3. de Anima, sunt in nobis instrumenta intellectus agentis, cuius lumine in nobis viget ratio naturalis.* Et q. 11. art. 3. & q. 12. art. 3. & q. vnica de Anima art. 4. ad 6. & art. 5. in fine corporis, & Quodl. 10. artic. 7. ad 2. & in 2. dist. 28. art. 5.

Præterea ipse S. Tho. in 1. distin. 3. q. 4. art. 5. ait. *Omne quod intelligitur non intelligitur, nisi illustratum lumine intellectus agētis, & receptum in intellectu possibili.* Quod & docet 1. p. q. 79. art. 5. ad 3. & 2. 2. q. 173. art. 2. ait S. Tho. *Iudicium humana mentis fit secundum vim intellectualis luminis.* Idē supponit in 3. dist. 14. q. 1. art. 1. q. 2. & 3. & 1. p. q. 106. art. 1. & lib. 2. Contrag. cap. 78 rat. 3. & alibi sæpè.

6 Potest autem duplici via probari, & explicari necessitas huius operationis. Prima est: nam omne quod videtur, & videtur lumine vt principio eliciēte, & sub aliquo lumine illuminante obiectiuè: sed lumen eliciens, est intellectus possibilis, & lumen illuminans, & manifestans obiectiuè, est intellect⁹ agēs. Ergo ad intellectum agentem pertinet illuminare prima principia quo ad euidentiam, & mediantibus eis alia illuminare. Iste discursus patet in simili ex dictis 1. p. Metaph. controu. 2. art. 2. n. 47. & 50. circa specificationem scientiarum: & hoc libro 2. q. 29. de lumine corporali qualiter ad visionem concurrat?

7 Quæ vt ad intentum applicētur, notandum ex D. Thoma q. 9. de Verit. art. 1. quod *de lumine intellectuali oportet nos loqui ad similitudinem luminis corporalis.* Lumen autem corporale est medium quo videmus, & seruit nostro visui in quo bus. Vno modo in hoc, quod per ipsum fit nobis visibile actu; quod erat potentia visibile. Alio modo in hoc, quod visus ipse cofortatur ad vidēdum ex luminis natura: vnde, & oportet esse lumē in compositione organi. *Vnde, & lumen intellectuale potest dici ipse vigor intellectus ad intelligendum: vel etiam id quo aliquid fit nobis notum.* In primo sensu, intellectus possibilis est lumen vt docet S. Thomas 1. p. q. 12. ar. 2. & q. 105. art. 3. ad 2. Secundo autem modo, solus intellect⁹ agens illuminat. Et ideò S. Thomas 3. p. quæstione. 11. articulo sexto ad tertium ait, quod *lumen intellectus agentis est ratio intelligendi ea, quæ naturaliter cognoscuntur.*

De quo

de quo videatur S. Thom. q. 16. de Verit. ar. 3. & q. 18. ar. 1. & Quodl. 7. art. 1. & de vtroque lumine mentionem facit S. Thom. 1. p. q. 106. art. 1. dicens, quod lumen secundū quod ad intellectum pertinet, nihil aliud est, quam quædam manifestatio veritatis; secūdū illud ad Ephes. 5. *Omne quod manifestatur, lumē est.* Veritas autē manifestatur intellectu; & specie, & intellectione: & hæc est manifestatio subiectiua. Manifestatur etiam exemplo, actualitate, & proportionata intelligibilitate obiecti: & hæc dicitur manifestatio obiectiua ratione cuius obiectū est proportionatum in ratione motiui. Cum ergo hac de causa ponatur intellectus agens, vt illuminet: cū illuminetur obiectum, & phantasmata, & species, & principia, absque dubio omnes illæ sunt operationes intellectus agentis.

8 Secundo hoc potest exponi cum D. Thoma q. 9. de Verit. art. 1. ad 9. dicente, quod per lumen fit aliquod intelligibile actu, quod prius erat intelligibile in potentia. Sed hoc potest esse dupliciter. Vno modo ita quod id quod est in se intelligibile in potentia, fiat intelligibile actu, vt in nobis accidit. Alio modo ita quod illud quod est intelligibile in potentia alicui intelligenti, fiat ei intelligibile actu: sicut nobis fiunt substantiæ superiores intelligibiles actu per media quibus in earum cognitionem deuenimus. Et ad intentum applicat ipse S. Thomas 2. Contag. cap. 77. in fine dicens. Ad hoc ergo ponitur intellectus agens, vt faciat intelligibilia nobis proportionata: hoc autem non excedit modum luminis intelligibilis nobis cōnaturalis. Vnde nihil prohibet ipsi lumini nostræ animæ attribuere actionem intellectus agentis. Et præcipuè cum Aristoteles intellectum agentem comparet lumini. Hæc S. Thomas. Et videatur ibi Ferrara §. *ex his.* Et §. *circa tertium.* Et cap. 78. rat. 3.

9 Ex qua S. Thomæ doctrina acute ad intentum arguit AEgidius à Præsent. n. 16. fieri potest; vt id, quod in seipso iam est actu intelligibile (vel quia iam in specie repræsētatur: vel quia in se est spirituale) adhuc fit intelligibile in potentia in ordine ad ipsum intelligentem: quia non est ei actu proportionatū propter differētem essendi modū: vel quia solum in habitu, & non in actu obiectiue mouet: vt quid non proportionatum eius capacitati. Cum ergo intellectus agens ponatur vt lux *faciens intelligibilia nobis proportionata*: sicut proportio fit medio phātasmate, & media specie, & mediis principijs; ita, & illuminatio intellectus agentis omnibus istis modis fit. Videatur S. Thomas 1. p. q. 106. art. 1. & q. 117. art. 1. agens de modo quo vnus homo, vel Angelus alium docet, vel illuminat, obiectiuè, & subiectiuè? Quia proportionaliter in nobis est lux subiectiua, & obiectiua. Et hinc patet defectus aliarum sententiarū, quia nō explicuerunt adæquatum effectus luminis intellectualis: quod patet ex similitudine adducta luminis corporalis.

## §. II.

### *Qualiter intellectus agens illustret phantasmata?*

10 PRoponitur hoc dubium, vt alias operationes intellectus agentis exponamus. Prima opinio est Auempace Epist.de Luce,& lumine,asserentis intellectum agentem producere quodam lumen in ipsis phantasmatibus,quo illustrantur, & redduntur intelligibilia, & in ipsis apparent naturæ vniuersales. Pro eadem refertur Antonius Montecasinus 3.de Ani.c.5.

11 Secunda opinio est Cardinalis Toleti 3.de Ani.q.13.vbi concl.3. asserit ponendum esse lumen quoddam internum ab intellectu agente productum,quo illustrentur phãtasmata. Quam conclusionem putat esse communem. Et reuera probabilẽ reputat Capreolus in 2.dist. 3.q 2 pag.189.col.1.in fine,ita dicens. Verumtamen, si quis vellet, posset probabiliter sustinere, quod intellectus agens influit virtutem spiritualem ipsis phantasmatibus; & quod non est inconueniens, immò verum quod virtus spiritualis potest esse in re corporea; sicut patet de virtute spirituali, quæ est in sacramentis,iuxta S.Thom.in 4.dist. 1.q.1.art.4.q.2. & 3.p q.62.art.4. ad 1. Hæc Capreolus. ¶ Subdit vero Toletus cõcl.6. quod hoc lumẽ illustrat species intelligibiles, non solam extrinsecè,sed interne: phãtasmata verò extrinsecè. Sicut lumen illustrat colores extrinsecè;aerem verò,& oculum, & diaphana illustrat intrinsece,& similiter ipsas species. Addit,quod si quis diceret intrinsece ipsa quoque phantasmata illustrari aliquo lumine, videlicet ipso spirituali, & immateriali, in sensitiua potentia, vbi est phantasma producto ab intellectu,& in eo recepto,aut ex eo quod vtrumque sit in eadem anima;vel alio materiali lumine illustrari; hoc (inquam) non caret probabilitate. Imò vero neque repugnat, spirituale,& immateriale in subiecto corporali,& materiali collocari, vt anima rationalis in corpore. Licet probabilius sit species intelligibiles intrinsecè;phantasmata vero extrinsece illuminari intellectus lumine.

12 Tertia opinio est Cardinalis Caiet.3.de Ani.c.2.tex.18. & 1.p. q 79.artic.3.§.*singularis autem*. Et q. 85.ar.1.ad 4.asserentis,quod intellectus agens illustrat phantasmata obiectiuè,non formaliter. Pro quo distinguit duos effectus luminis: nẽpe esse illuminatum, sicut diaphanum illuminatur per lucem sibi inhærentem. Alter effectus est obiectiuus in ratione obiecti,qui est apparere,sicut luce apparet color parietis. Hoc secundo modo extrinsece illustratur phantasma, nempe obiectiuè,vt color,nõ formaliter, & subiectiue,sicut diaphanum. Illa autem illustratione apparet in phãtasmate natura,& non relucet singularitas: quia singularitati materiali repugnat illustratio passiua, sicut,& intelligibilitas; quidditati autem non repugnat. Nam si lumẽ

externum facit quod albedo in lacte cōiuncta dulcedini, præsentetur visui nō præsentata dulcedine; hoc excellentius agit intellectus agens suo lumine. Probant ex D. Tho. 2. Contrag. c. 77. & 62. & q. vnica de Ani. art. 15. vbi docere videtur in phantasmate esse intelligibile in actu, antequam sit species in intellectu possibili. Hanc opinionem sequitur etiam Iauellus 3. de Ani. de intellectu agente. q. 3. referens pro ea Herueum in 2 dist. 17. q. 2. Ioannē Bacho. q 2. Prologi, & Capreolum in 2. dist. 3. & Caiet. Sed Capreoli alia est opinio iam referenda.

13 Quarta opinio est Ferrarien sis 3. de Ani. q. 9. §. *quantum ad* 2. Et libro 2. Contrag. c. 77. §. *remota ergo*. Et ante eum, docuit Capreolus expresse in 2. dist. 3. q. 2. ad argumenta Darādi, in noua editione pag. 189. col. 1. quod intellectus agens non agit in phantasmate sola assistentia extrinseca; nec aliquid eis influendo, postquam generata sunt. Sed solum dicitur agere in radice, quia ex eo quod phantasmata procedunt à potentia radicata in eadē essentia animæ, illa phātasmata sunt virtuosiora, vt cum intellectu agente instrumentaliter causent species intelligibiles, quas nō valēt causare phātasmata brutorum. Probant ex D. Thoma 1. p. q. æst. 87. artic. 1. ad 4. vbi ait, quod phantasmata, & illuminātur ab intellectu agente; & iterum ab eis per virtutem intellectus agentis species intelligibiles abstrahuntur. *Illuminantur quidem, quia sicut pars sensitiua ex coniunctione ad intellectiuam efficitur virtuosior, ita phantasmata ex virtute intellectus agentis reddūtur habilia, vt ab eis intentiones intelligibiles abstrahantur.*

14 Vltima opinio est Bañez 1. p. q. 79. ar. 3. dub. 2. cōc. 4. Ioan a S. Thoma q. 10. de Anima ar. 2. diffic. 2. & omnium, quos retulimus n. 2. qui in intellectu agente vnam tantum agnoscunt operationem. Dicunt ergo intellectum agentem illustrare phantasmata quatenus ex eis educit speciem intelligibilem. Et ratio est, quia intellectus agens non est lumē proprie, quod est qualitas tertiæ speciei: sed potius pertinet ad secundam speciem qualitatis. Vnde nō illuminat formaliter, nec obiectiuè; sed solum sicut luce redduntur colores apti vt possint mouere visū per immissionē specierum: ita phātasmata illustratione intellectus agentis redduntur habilia vt sint instrumenta intellectus agēntis ad efficiendas species: quod indicat S. Thomas 2. 2. q. 173. art. 2. asserens, quod *intellectus possibilis immutatur à speciebus phantasmatum secundum illustrationem intellectus agentis*: videlicet, inquantum assumuntur ad producendam speciem intelligibilem.

15 In tanta varietate opinionū, non est facilè assignare vnam, quæ omnibus placeat. Hæc vltima mihi displicet. Primo, quia confundit operationes, quas S. Thomas 1. p. q. 81. ar. 1. ad 4. & 2. Contrag. cap. 77. & q. vnica de Anima, & artic. 15. & alibi sæpè distinguit: quem omnes relati antiqui Thomistæ, & ipse Bañez in principio dubij fuerat secutus. Secundo, quia inexplica-

tum relinquit præcipuum punctum difficultatis, videlicet, quid præcedat in ipsis phantasmatibus, relictū ab intellectu agente illuminante, ratione cuius ista phātasmata sint magis habilia instrumēta ad causandas species, quam sint ipsa obiecta ad extra? Quia dum hoc non explicatur, non verificatur phantasmata illustrari, nec magis habilia esse, quā sint phantasmata bruti, vel operationes sensus externorū: cum omnia sint materialia.

16 Præterea falsum est, quod intellectus agens non sit proprie lumen: quia licèt quoad primam nominis impositionem, lux proprie solum sit in corporalibus; tamen si lux accipiatur secundum quod est in vsu loquentium ad omnem manifestationem extensum, *sic proprie in spiritualibus dicitur*: vt docet Sāct⁹ Thomas 1.p.q.67.ar.1.& S.Augustinus 4.de Genes.ad lit.cap.28.ait, quod *in spiritualibus melior, & certior lux est*. Et omnes Patres cum S. Dyonisio 7.& 8. cap. cælest. hier. & Theologi cū D.Tho.1.p.q.106. art.1. docent, quod vnus Angelus illuminat alium proprie, & absque metaphora. Cū ergo Phylosophus, & S.Thomas intellectum agentem vocent lumen, quamuis sit lumen metaphoricè comparatiue ad corporalia; est tamen verum lumen spiritualiter manifestans, & illustrans phantasmata. Et sic cessat argumentum contrarium. Authoritas verò nihil probat, quia cōcedendo illam, vt sonat, nō magis fauet huic, quam nostræ sententiæ: quia ibi fit mentio de immutatione; & illustratione: & non dicitur, quod immutatio, est illustratio: nec est verum, nisi commitanter, & causaliter.

17 Quarta opinio veram radicē assumit, cur phantasmata humana sint radicaliter habilia, vt sint instrumenta intellectus agentis: quod nequit competere phantasmatibus brutorum. Est tamē diminuta, quia S.Thomas illa q.173.& 2. Cōtra g. cap.77. illustrationem phantasmatum ponit esse effectum operationis intellectus: quod illa opinio ægrè potest verificare. Præterea, potentiæ sensitiuæ hominis, nō ex sola radicatione in eadē essentia; sed etiam ex quadam refluentia, & influxu potētiarum superiorum, sunt maioris virtutis in homine, quam in alijs animalibus, vt ex D. Thom. ibi ad 5. notatum est hoc libro q.4. n.34.& q.5.n.4.& 26.

Alijs etiam argumentis impugnat hanc opinionem Bañez ex cōmuni modo concipiendi: quia nomine illustrationis, & actionis non significatur radicatio in eadem essentia. Potiusque deberet dici intellectum agentem illuminare potentiam phantasiæ, quam phantasmata: & potius ista deberent dici illustrata a phantasia, quam ab intellectu agente: vt latè ibi prosequitur.

18 Prima autē opinio reijcitur duplici argumento desumpto ex Caiet.1.p.q.85.art.1. circa ad 4. quia natura horret superflua, nec superaddit qualitates, quando sine illis æquè bene præstatur ille effectus: sine autē qualitate, vel lumine superaddito æquè bene phantasmata possunt mouere intellectū, vt videbimus:

mus: ergo non opus est aliâ lucē superaddere. ¶ Præterea: aut illa lux est materialis, aut immaterialis. Si primum; phantasma perse solū erit æquè illustratū, ac cū luce nō extra hēte à proprio ordine materiali supremo inter sensibilia. Si est lux immaterialis, nō erit subiectiuè in phātasia materiali, & corporea: quia vnūquodq; recipitur ad modū recipientis. Nec euaditur adducendo instantiā de virtute sacramentorū: tū, quia illa est supernaturalis: & virtus hęc debet esse naturalis. Et secūdo, & magis ad rem, quia illa virtus est motio instrumentaria, solū durans, quandiu durat eleuatio, & vsus instrumenti: & hanc in pręsenti nos admittem⁹ cū Capreolo. Prior autē opinio in ipsis phantasmatib⁹ ponit causari lucē permanenter, & quod ratione illius sūt obiecta proportionata, & intelligibilia: quod modo impugnamus.

## §. III.

### *Vera sententia exponitur.*

19 SEquitur vt dicamus de secunda, & tertia opinione: de quibus iudico vnāquāq; seorsum incōpletè explicare intentū: ex vtraq; verò posse veritatem manifestari. Vel, vt sincerius loquamur, ex ambabus potest elici noua sententia; quia illa, quā subijciemus, diuersimode quæsito satisfacit, ac responderint Authores relati: sed in re adeò implexa, & metaphisica vnicuique potest permitti vt nouam lucē quærat, qua doctrinas antiquas cal-leat, & forsān noua luce perfundat.

20 Lucē accepi ex D. Th. 2. 2. q. 173. art. 2. ita scribente. Intellectus possibilis immutatur à speciebus phantasmatū *secūdū illustrationē intellectus agentis*. In imaginatione autē non solū sunt formæ rerū sensibiliū secundū quod accipiuntur à sensu; sed *transmutātur diuersimode*; vel propter aliquā transmutationē corporalē, sicut accidit in dormientibus, & furiosis: vel etiā *secūdū imperiū rationis disponuntur phātasmata in ordine ad id quod est intelligendū*. Sicut enim ex diuersa ordinatione earundū litterarū accipiuntur diuersi intellect⁹; ita etiā *secūdū diuersam dispositionē phātasmatū* resultāt in intellectu diuersę species intelligibiles. Iudiciū autē humanæ mētis fit *secūdū vim intellectualis luminis*. Hæc ibi S. Th. & ad 2. ait, quod *ex eisdē formis imaginatis subtilior conspicitur veritas secundū illustrationē altioris luminis*. Quæ doctrina, & experiētia cōprobatur, & est manifesta ex dictis circa requisita ad intelligendū. Et ex illa constat, quod species in imaginatione debēt ordinate esse dispositæ, & ordine corporali, & imperio rationis. & quod illis sic ordinatis superuenit illustratio, vel naturalis intellectus agētis; vel supernaturalis altioris luminis. Et hæc illustratio non est solū ad acquirendas species de nouo, sed etiā ad aliter ordinandum species præexistētes, vt docet S. Th. ibi in cor.

21 Prętrerea aduertēdū, quod cū, vt postea dicetur, phantasmata sūt instrumēta intellectus agētis; cū instrumentū, vt ex D. Th. 3. p. q. 72. a. 3. & in 4. dist. 1. q. 1. a. 4. diximus 2. p. Metaphis. Contro. 10. num. 47. habeat

habeat virtutem instrumentalē dupliciter: vno modo *inchoatiue*, & *in actu primo*, cū aptatur vt cōgruēter suo tempore assumi possit à causa principali: alio modo *complete*, quādo in actu secundo mouetur à principali agente. Ita phantasma, & possunt esse habilia vt assumantur, vel inchoatiue; vel complete quando actu assumuntur. Pariter dicendum quoad illustrationem, ne aliqua illustratio posset esse inchoata, & alia proxima, & alia actualis in ipso vsu phantasmatis. Vnde S. Thomas 1.p.q.79.ar.4.ad 3.docet, quod vt intellectus agēs, *faciat obiecta in actu, requiritur præter præsentiam intellectus agentis, præsentia phantasmatum, & bona dispositio virium sensitiuarū, & exercitium in huiusmodi opere.*

22 Dico ergo primo, quando intellectus imperio suo actū mouet, & disponit phantasmata; & quādo actu eis vtitur vt instrumētis ad eliciendas, & causandas species intelligibiles, est indispensabiliter necessarium actu causari motionem virtuosam, vel qualitatem transeuntē, qua phantasmata actu eleuentur, & exerceāt munus causæ instrumentalis. Ita authores secundæ sententiæ, quam & probabilem dicit Ferrara: & in hoc sensu nō solū probabilis, sed certa mihi videtur: quia sequitur ex duobus principijs mihi certissimis: alterum iam est stabilitum illa control. 10. quod instrumentum de se impotens ad inducendum effectum intentū à principali agente, eleuari nequit in actu secundo sola extrinseca subordinatione, vel assistentia causæ principalis: sed debet in se recipere, vel motionem virtuosam, vel qualitatem fluidam. Pro quo vltimo dicē di modo videndus A Egidius à Præsentatione libro 10. de Beatitu. q. 2. art. 15. erudite, & neruose confirmans indigentiam fluidæ qualitatis in instrumentis, & n. 4. citat Scotū in 4. dist. 1. q. 1. ad vlt. & dist. 6. q. 5. lit. d. Alterum, postea probandum est, quod phantasmata concurrunt vt instrumenta. Ex his enim euidēter sequitur, quod cum actu, vel disponitur, vel illustratur, vel concurrit ad causandas species, debet recipere aliquid per modum transeuntis. Vnde Caietanus videns efficaciam consequutionis, vt defenderet quod illuminatio illa fit *nullam rem addendo*, in q. 85. art. 1. in fine, negauit phantasmati proprie, & in rigore conuenire causalitatem instrumentalem: & authores vltimæ sententiæ tandem huic conclusioni videntur acquiescere; licèt nonnulli prima facie videantur negare.

23 Dico secundo, antequam intellectus actu eleuet phantasmata, vtendo eis ad causandas actu species intelligibiles, ipsa phantasmata absque vllo superaddito sunt illustrata obiectiuè; non quidem cōpletè; sed incompletè: ita vt sic non possint actu mouere intellectū possibilem. In priori parte conclusionis conuenio cum Caietano. In secunda tamen ab eo dissentio: nam ipse expressè illa. q. 79. art. 3. §. *singularis autē*, asserit, quod illa illustratione, & assistentia extrinseca lucis intellectus agentis *splendet in phantasmate intelligibile in actu, mutat, & facit abstra-*

*abstrahens ab hic & nunc; & tale intelligibile in actu mouet intellectum possibilē.* Suspicor autem, quod solis vocib⁹ à nobis differt, quia nec loquitur de intelligibili in actu formaliter, & completè, nec in actu primo, vt est in specie: sed de intelligibili in potentia obiectiua proxima incompletè, quia non elicitur intellectio nisi media specie causata, qua vltimatè illustratur obiectum. Hancque esse eius mentē, patet nam subdit. Nec ex his pono, quod phantasma sit ens intelligibile: sed quod in phantasmate illustrato relucet actu intelligibile. Nec hoc est mirabile cōtemplantibus vim abstractionis, & perspicue videntibus, quod hoc nihil aliud est, quam phantasma illustrari quoad vnum, & non quoad aliud (ecce quod incompletè illustratur, & incomplete mouet, quia nō mouet nisi media specie; & ideò subdit.) Nec superfluit propterea species intelligibilis, sicut non superfluit species visibilis; & tamen color est actu visibilis. Hæc ibi.

Et §. *Ad obiecta* dittinguit, quod intelligibile in actu inuenitur duplicit er: formaliter, & obiectiuè. Formaliter est species intelligibilis cū reliquis immaterialib⁹. Obiectiuè vero est quidditas relucens in phantasmate lumine intellectus agentis. Et primum est immateriale secundum esse: obiectiuè vero secundum relucentiam tantum. Et postea subdit, quod phantasma *secundum esse reale est sensibilis, & secundum esse relucentiæ est intelligibilis.* Istę loquutiones licet in re nobiscum videantur conuenire; tamen pro claritate rei, & pro aufe-

rēda vocum æquiuocatione, expedit subdistinguere illustrationē obiectiuam: nam alia est completa: & hæc non habetur nisi obiectum sit immateriale; vel nisi reluceat in specie immatereriali eiusdem ordinis cum intellectu: alia est incompleta: & hæc habetur eo ipso, quod phantasmatibus extrinsece assistat lux intellectus agentis.

24 Prior ergo pars probatur à Caietano quæst. illa 85. & in forma sic proponitur. Eo ipso quod phantasmata sunt habilia vt ab intellectu agente abstrahatur species ab eis, dicuntur quodammodo illuminata obiectiue: sed seipsis sola coniunctione extrinseca cū lumine intellectus agentis sunt habilia vt ab eis abstrahatur species: ergo vt sic dicuntur illuminata quodammodo. Maior cōstat sola terminorum explicatione: & quia illustratio est manifestatio obiecti. & hæc fit lumine, & specie, & cognitione ipsa, & verbo: & actualitate obiecti, & mediis demonstrationum. Probatur minor, quia tunc sunt proxime habilia, quando sunt in summo spiritualitatis gradu, *citra intelligibilem ordinem*: nam quādo sunt in specie, & in ordine intelligibili, iam non dicuntur habilia; sed actu intelligibilia. Sed phāntasmata coniuncta lumini intellectus agētis sunt in summo habilia: quia ordo rerū exigit vt supremum infimi attingat infimū supremi: & ideò exigit quod natura sensitiua in sui supremo perueniat ad summum spiritualitatis gradum infra ordinem intellectualium: ergo ex parte obiecti est fundamētū,

&

& habilitas proxima vt abstrahatur species. Et hæc est illustratio obiectiua inchoata.

25 Quod explicatur exemplo coloris de quo diximus habere intrinsecam visibilitatem; & quod nisi fiat vnum cõiunctum ex colore, & luce externa, non fit vnum complete motiuum visus: vt patuit libro 2. q. 29. Ita pariter in præsenti prius natura illustratur phantasma, quam à phantasmate actuato lumine, causetur in intellectu species intelligibilis. Et esset omnino simile, si fingeremus lucem corporis lucentis non diffundere lumẽ in medio, sed approximatam colori illũ illustrãdo visibilem reddere. Quod totum videtur complexus S. Tho. 2. Contrag. c. 77. dicens. *Huius autẽ exemplum omnino simile esset, si oculus simul, cum hoc quod est diaphanum, & susceptibus colorum, haberet tantum de luce, quod posset colores facere visibiles actu: sicut quædam animalia dicuntur sui oculi luce, sufficienter sibi illuminare obiecta, &c.*

26 Secunda pars cõclusionis probatur argumentis, quibus solet impugnari sententia Caietani, quæ reuera solum hanc partem probant, & primæ non opponuntur. Arguit enim Bañez concl. 3. quia non debet constitui, aliquod intelligibile actu, vel apparẽs obiectiue, nisi sit aliqua potentia, quæ illud possit cognoscere. Sed quidditas, vt relucens in phantasmate, nõ est perceptibilis ab aliqua potentia. Ergo non debet poni talis illustratio, nec obiectum illustratum, & apparẽs. Probatur minor, quia illud obiectum non cognoscitur à cogitatiua, quæ est perfectissima potentia intersensitiuas: alias attingeret intelligibile actu: quod est intelligere: ac per cõsequẽs cogitatiua esset intellectus. Nec cognoscitur ab intellectu: obiectum enim intellectus debet esse immateriale: & illa quidditas vt est sub tali illustratione est sensibilis, & materialis, si quidem subiectatur in phantasmate materiali.

27 Huic argumento iam responderat Caietanus illa q. 79. art. 3. in fine §. *Sed quidditas.* Vbi conceserat phantasma secundum diuersa esse, pertinere ad diuersa genera, *secundũ esse reale, est sensibilis, & secundum esse relucentiæ est intelligibilis.* Et ideò in prima consideratione est obiectum cogitatiuæ; & in secunda est obiectum intellectus. Nec cogitatiua debet comprehendere phãtasma sub omnimodo quo representat etiam ex participatione intellectus; sed sufficit quod adæquet phãtasma vt phantasma, & licèt in essendo sit quid corporeum, in representando attingit quodammodo ad spiritualia, & sic attingitur ab intellectu. Vnde (inquit Caietanus) phantasma dormientis non est actu intelligibile: sed tunc tantum, cum actualiter relucet lumine intellectus agẽtis: quia, vt postea ait, illa q. 85. naturæ ordo exposcit, vt si natura naturæ, & potẽtia potẽtiæ cõiuncta vigoratur, quod multo magis actus actui coniunctus vigoretur. Quæ doctrina licèt sit probabilis. Nos multo facilius dicimus, quod sicut color illuminatus est visibilis, sed non sine specie, qua præsentetur vi

sui: ita phãtasma illustratum potest cognosci ab intellectu; sed nõ sine specie, qua complete, & formaliter constituatur intelligibile in actu primo.

28 Arguit etiam Ferrara dupliciter. Primo inquirendo quid intelligatur per *apparere in phantasmate naturam, & non eius singularitatem*? Quia vel est eam representare; vel eam in se habere sine singularitate: vel naturam sic cognosci. Primum nõ potest dari, quia quantumcumque phãtasma clarum sit, & illustratum, semper est in organo corporali, & materialiter, & indiuidualiter representat. Secundum apparet falsum, quia natura in phãtasmate nõ est abstracta, sed concreta, & determinata per conditiones indiuiduãtes. Si autem detur tertium, impossibile est quod prius natura sit intelligibile in actu, quam species sit in intellectu possibili. Intellect⁹ enim nil cognoscit, nisi per aliquam speciem intelligibilem. Ergo non potest saluari illustratio phantasmatis cum illa prioritate naturæ, quã hæc sententia ponit.

Secundo arguit retorquendo exemplum coloris, & lucis corporalis, quia non illustratur color obiectiue, nisi quia fit potẽs mouere visum, & sic actionem videndi obiectiue terminare, vt patet ex D. Thoma q. de Anima ar. 15. Ergo illustratio phantasmatis solum erit quod per lumen intellectus possit causare speciem in intellectu, quam sine illa luce causare nõ posset: ergo nõ erit, quod in ipso phantasmate appareat [illegible] vniuersalis prius natura quam species causetur in intellectu possibili, vt dicta positio fingit.

29 Etiam his argumentis respondet Caietanus §. *ad obiecta*, adhibita illa distinctione de intelligibilitate formali, & obiectiua: inter quas ibi plures adhibet differẽtias. Quæ distinctio dum non oppugnatur, argumẽta nõ concludunt. Sed iuxta nostram conclusionem facile respondetur ad primum, quod illa apparẽtia est, quod lumen intellectus agentis illustrat phantasma inadæquate, quia solũ ex parte naturę est habile ad causandum, & nõ illustratum causare nequit: quia vnumquodque operatur inquãtum est in actu: & quod manifestat, lamẽ est. Nõ illustrat adæquatè; quia singularitas materialis incapax est lucis spiritualis. Hoc non est representare, nec cõtinere abstracte; sed est esse proxime habile vt hæc omnia faciat intellectus adiutus isto instrumento. ¶ Vnde secundo argumento conceditur prima cõsequẽtia, & distinguitur consequẽs secũdæ, appareat natura vniuersalis cõplete, & formaliter, nego: inchoatiue, & causaliter, concedo: quia phãtasma est instrumentum seipso habile vt cum intellectu agente causet speciem abstracte, & vniuersaliter representantem. Et in hoc sensu S. Thomas 1. p. q. 85. art. 1. ad 4. air, *Phantasmata ex virtute intellectus agentis reddantur habilia, vt ab eis intentiones intelligibiles abstrahantur.*

30 Denique arguit Rubio de intellectu agente q. 2. nu. 34. & Ioan. à S. Thoma q. 10. a. 2. dific. 2. §. *quod si.* Quia intellectus agens est potentia

tia actiua animæ, ordinata ex se ad operandum: sed potẽtia actiua nullum præstat effectum ante operationem, nec omnino nisi media operatione: vt euidenti inductione constat in omnibus potentijs, quarum nulla præstat vllum effectum per solam assistẽtiã. Ergo falsum est quod intellectus agens per solam assistentiam illuminet phantasmata. Nec quid reale nouum spirituale potest esse de nouo in phantasmate corporali, si nil ei imprimitur: non imprimitur ei quid spirituale; quia illius incapax: nõ quid corporeum, quia illud non sufficeret ad illustrationem, & relucentiam spiritualem.

31 Isto argumento firmatur nostra prima conclusio; sed nõ impugnatur secunda, quia in actu primo natura coniuncta naturæ, & potentia potentiæ coniuncta, etiam sine actuali operatione, sunt habilia vt operentur, & vigorantur, etiam si vna non influat in aliam. Et quãdo duæ operationes coniunguntur ad vnum effectũ, nõ est necesse, quod vna agat in aliam, sed ambæ in effectũ: & sic in præsenti adunãtur operatio intellectus agentis, & phãtasma vt causent speciem in intellectu possibili. Et sicut lux & color extrinseca coniunctione sunt habilia ad causandum absque aliquo superaddito; cum autẽ actu causant, recipiunt præmotionem causæ primæ, & influxum causarum secũdarum; ita intellectus agens, & phantasmata, sola coniunctione extrinseca, sunt inchoatiue, & in actu remoto habilia vt assumantur ad causandũ; cum autem actu assumũtur, motionem spiritualem recipiunt: de qua in simili ait S. Thomas q.27.de Verit.art.4.ad 5. *quod illa virtus proprie, nec est corporea, neq; incorporea (eo quod non est complete in genere) sed est virtus ad incorporeum.*

## §. IIII.

### *Duæ aliæ operationes intellectus agentis exponuntur.*

32 ALia operatio intellectus agentis est facere intelligibilia in actu. Quam operationem ei tribuit Commentator 3. de Anima textu 18. & S. Thomas 1.p.q.79.a.3. & q.54.art.4. & de Anima art.4. & de Spiritualibus creaturis artic. 10. in qua operatione exponenda fere tot sunt opiniones ac in exponenda operatione. de qua egimus §.2. & plures refert, & examinat Bañez illa q.79.ar.3.dub.3. Tamẽ quia plures ex dictis facile reijciũtur.

33 Ideò solum duas oportet examinare: nam Caietanus, Ferrara, & Iauellus, concedunt in phantasmatibus hominis esse intelligibile in actu ante speciem intelligibilẽ. Immò S. Thomas videtur concedere, quod illustratione intellectus agentis phantasmata sunt actu intelligibilia, vt patet 2. Contrag. cap. 62.rat.3. & 2. cõtrag.cap.77. & q. de Anima art.15.

34 Per oppositum Bañez dubio 3.conc.4. dicit esse sentẽtiam omnium Philosophorum, & Theologorũ, quod res quæ intelligitur est intelli-

intelligibilis in potentia secundum esse, quod habet extra animam, vel in phantasmate: quia vt sic non habet esse immateriale: fit verò intelligibilis actu secundum esse intelligibile, quod acquirit in specie intelligibili per virtutem intellectus agentis, vt docet S. Thom. locis relatis n. 32. Quia species intelligibiles ad hoc a natura sũt institutæ, vt intellectus quodãmodo fiat omnia immaterialiter.

35 Hanc discordiam nos aliqualiter tollimus ex dictis, distinguendo de intelligibili in actu incomplete: & sic est in phantasmate: & de actu primo cõpleto, & sic est in specie: & de actu secundo completo: & sic est in specie expressa, seu verbo. Et quod in vno genere est formale, respectu alterius se habet causaliter. Et sic authoritates facile exponuntur.

36 Maior videtur esse difficultas qualiter intellectus agẽs producat species intelligibiles medio phantasmate corporeo, quod ex natura sua nequit agere in spiritum, cum agens sit nobilius patiente?

Supponimus contra Henricum, & alios, quod vltra phantasmata corporea sunt necessariæ species intelligibiles subiectiue receptę in intellectu: de quo late Capreolus in 1. dist. 35. q. 1. ad arg. Henrici cõtra 1. & 2. dist. 3. q. 2. ad arg. eiusdẽ cõtra 4. & Bañ dub. 4. & latius nos supra q. 7. Supponimus etiã, quod intellectus nõ se solo causat species, quia nil sine phãtasmate intelligit, & omnis nostra cognitio ortum habet à sensibus. Et inquirimus qualiter intellectus agens dicatur assumare phãtasmata ad producẽdum speciem intelligibilem?

37 Quidam omnem efficientiam negant phantasmati; & solũ illi concedunt causalitatem materiæ circa quam. Indicat Caiet. 1. p. q. 85. art. 1. in fine, quem refert, & sequitur Nazarius. 1. p. q. 45. art. 5. contr. 2. ad 2. Vazq. cõtra 1. Et si minus rigorosè sæpè vocent instrumẽtum. Sed expresse absque limitatione tenet Suarez lib. 4. de Anima cap. 2. n. 7. quia corpus nequit recipere virtutem, qua agat in spiritum. Et quia virtus residens in vna potentia, nõ potest ab altera potentia assumi vt instrumentum.

38 Opinantur alij intellectum agentem simul cum phantasmatib⁹ tamquam duas cõcausas partiales, proximè, & adæquatè efficere species intelligibiles. Tribuitur Scoto in 1. dist. 3. q. 8. ad 1. & tenet Auersa q. 58. sect. 6. dicẽs communiorem: cum tamen nullum referat: & Authores communiter sententiam S. Tho. doceant, vt videbimus. Hanc probat, quia in specie intelligibili duplex formaliter ratio considerãda est: est enim in sua natura spiritualis: & est in representando similitudo impressa obiecti: penes priorem rationem est proportionata intellectui agenti tamquam potentię spirituali: penes alteram rationem est proportionata phantasmati representanti obiectum. Ergo species immediatè, & principaliter causatur ab vtroque vt à duabus concausis partialibus integrantibus vnam causam totalem, & adæquatam.

Asseren-

39 Asserendum tamen est, intellectum agentem esse causam efficiētem principalem specierum; phantasmata verò esse causam earum instrumentalem. Ita Capreolus, Ferrara, Izuellus, Bañez, Ioan. à S. Tho. locis in hac q. relatis. Soncin 7. Metaph. q. 12. & 14. Serra. 1. p. q. 79. artic. 3. dub. 2. PP. Carm. hic disp. 20. q. 2. Rubio q. 3. Conimb. q. 4. art. 2. Tolet. q. 13. cōc. 8. Vazq. 1. p. disp. 176 c. 2. AEgid. à Præsent. lib. 10. de Beat. q. 2. ar. 15. §. 5. n. 93. & 95. dicēs Philosophorum cōmunem. Est expressa S. Tho. Quodl. 8. ar. 3. dicentis. *In productione specierum intelligibilium intellectus agens concurrit principaliter; phantasma verò concurrit instrumentaliter.* Et q. 10. de Ver. art. 6. ad 7. ait. *In receptione, qua intellectus possibilis species recipit à phātasmatibus, se habent phantasmata vt agens instrumentale, & secundarium: intellectus verò agēs, vt agens principale, & primum.*

40 Rationem efficacem assignat S. Th. 1. p. q. 85. art. 1. ad 3. his verbis. Phantasmata, cum sint similitudines individuorum, & existant in organis corporis non habent eundem modum existēdi, quem habet intellectus humanus, vt ex dictis patet (quia intellectus est spiritualis vniuersalia cognoscens) & ideò nō possunt sua virtute imprimere in intellectum possibilem (hæc consequentia patet, quia causa, quæ non agit vltra suam speciē, est vera causa principalis, vt diximus. 2. p. Met. controu. 10. n. 22.) Sed virtute intellectus agentis resultat quædam similitudo in intellectu possibili ex conuersione intellectus agentis supra phantasmata: quæ quidē est representatiua eorum, quorum sunt phantasmata, solum quantū ad naturam speciei. Et per hunc modum dicitur abstrahi species intelligibilis à phantasmatibus; non quod aliqua eadē numero forma, quæ prius fuit in phantasmatibus, postmodū fiat in intellectu possibili, ad modū quo corpus accipitur ab vno loco, & transfertur ad alterum. Hæc S. Thomas.

41 Vnde bene notat Caiet. 1. p. q. 79. ar. 3. §. *ad hoc breuiter*, quod intellectus agens agit educēdo de potentia phantasmatis, nō quidem de potentia subiectiua, sed ministeriali: & ideò species educta non subiectatur in phantasmate; sed in potentia subiectiua, quæ est intellectus possibilis. Concursum autem phantasmatis esse instrumentale, est manifestum, ex eo quod genere differat phantasma materiale ab intellectu immateriali: & producere species intelligibiles ex obiectis & phātasmatibus corporum, est trāsferre de genere in genus: & ideò vt agens principale concurrit intellectus agens, qui est spiritualis.

42 Ad fundamentum primæ sententiæ respōdetur, quod vt late probat Bañez dub. 4. concluſ. 2. ex eo quod phantasma sit instrumentum intellectus agentis, non sequitur, quod non sit materia circa quā versatur: imò oppositum supponit S. Tho. 1. p. q. 85 art. 1. ad 4. & docet q. 84. art. 6. in fine, dicens. *Non potest dici, quod sensibilis cognitio sit totalis, & perfecta causa cognitionis intellectualis: sed magis quodāmodo est materia causæ.*

Solu-

Solet enim ex diuersa dispositione materiæ, & instrumenti, variari effectus inductus à principali agente. sicut putredo terræ quasi semen instrumentaliter determinat Solem ad producenda animalia imperfecta, quæ ex terræ putrefactione generantur: vt docent Soncinas 7. Metaph. q. 21. & Iauellus ibi. Semen etiam habet virtutem instrumentariam ad generationem viuentis, & tamen ministrat materiã ex qua fit viuens. Pariter phantasma, & eleuatur vt instrumẽtum, & est materia circa quam operatur intellectus agens.

43 Virtus autem illa, qua actu eleuantur phantasmata, est formaliter corporea, & virtualiter spiritualis: vt in simili dicitur de virtute sacramẽtorũ, dixim⁹ etiã q. 4. n. 18. & q. 6. n. 14. & q. 2. n. 26. species ab vno sensu causari in alio. Vnde & PP. Carmel. n. 37. & Serra ad 2. docent species sensuum inferiorum esse instrumenta obiectorum exteriorum ad producendas species in sensibus superioribus: quãuis non indigeant alio sensu interiori agẽre, quia omnes istæ species sunt materiales: & ideò à sensibili externo causantur mediate, vel immediatè. Pariter ergo, à fortiori, poterit intellectus eleuare phantasmata, vt causent in intellectu possibili species spirituales.

44 Ad fundamentum Auersæ dicitur, illo probari, quod intellectus agens non producit sine phãtasmate, nec phãtasma sine intellectu: ex quo non infertur esse causas partiales: quia restat probandum, quod phantasma agat propria virtute, & nõ agat vltra suum genus, & quod non agat, vt motum. Vnde nos ex eo quod phantasia est corporeum, & species spiritualis, & quia non agit nisi vt motum, & eleuatum, deducimus coniungi intellectum agẽtem, & phantasiam ad causandam speciem, intellectũ vt causam principalem, & phantasiam vt causam instrumentalem. Et ideò ille discursus est expressus S. Thomæ 1. p. q. 79. art. 4. ad 4. & q. 10. de Verit. ar. 6. ad 7. vbi & addit. *Et ideò actionis effectus relinquitur in intellectu possibili, secundum conditionem vtriusque, & non secũdum conditionem alterius tantũ: & ideò intellectus possibiles recipit formas, vt intelligibiles actu, ex virtute intellectus agẽtis; sed vt similitudines determinatarũ rerum, ex cognitione phantasmatum.*

## QVAESTIO XXV.

### *Vtrum sit alius intellectus, præter agentem, & possibilem?*

1 MOuetur hæc quæstio, vt sum matim præstringam⁹, quæ S. Thomas docet 1. p. quæstione 79. ab artic 6. vsque ad 13. quia sunt scitu digna, & in scholis non multũ controuersa.

## §. I.

### *De Memoria.*

IN primis est dubium de memoria, vtrum sit in parte intellectiua? Distinguit S. Thomas illo art.6.& alijs locis relatis hoc lib.3. q.5.n.17.quod memoria accipitur dupliciter: vno modo *pro vi conseruatiua specierum*: alio modo pro facultate, *cuius obiectum sit præteritum, vt præteritum.*

2 Per duo extrema aliqui sunt opinati in hac parte. Auicena enim cap.6. de Anima, & 6.Natur. p.4. cap.2.& 3.& par.6.c.6.posuit species intelligibiles in intellectu conseruari non posse: nã in intellectu, qui caret organo corporali, *nihil existit nisi intelligibiliter. Vnde oportet intelligi in actu illud, cuius similitudo in intellectu existit.* Vnde secundum Auicenam, quam citò aliquis desiuit intelligere actu, desiuit esse illius rei species in intellectu. Sed oportet, si denuo vult illam rẽ intelligere, quod conuertat se ad intellectum agentem.

3 Per oppositum Suarez lib.4. de Anima cap.10.n.4. Petrus Hurtado disp.5.sec.8.n.70. Auersa q.58.sec. 1.& alij docent, quod in intellectu vtroque modo est memoria, magis propriè, & perfectè, quam in parte sensitiua inueniatur. Probãt primo: nam Angeli, & Deus perfectissimè memorãtur. Genes.9. *Recordabor fœderis mei.* Ierem.2. *Recordatus sum tui.* Et anima separata præteritorũ memoratur: vt constat Lucæ 16. *recordare, quia recepisti bona in vita tua*: & tamen anima separata non habet memoriam sensitiuam, quæ affixa est organo corporeo: ergo in intellectu est proprijssime memoria præteritorum.

Et ratio est, quia intellectus rem cognoscit cum affectionibus, seu conditionibus peculiaribus, perfectius multo, quam sẽsus: quippe, qui nouit tantum præteritum materialiter: intellectus verò etiam formaliter, cum cognoscat ipsam temporis rationem: ergo in intellectu est memoria præteritorum, vt præterita sunt.

4 Dico tamen primo, si memoria accipiatur solum pro vi conseruatiua specierum, oportet dicere memoriam esse in intellectiua parte. Ita S. Augustinus 10. de Trinit. cap.11.& lib.10.Confes.cap.8. Magister in 2.dist.3.& ibi omnes Theologi. Philosophus 3.de Anima lec. 8.lit.a. & probat S. Thomas lib. 2. Contrag.cap.74. pluribus rationibus. Sed sufficit ratio eius 1.p.q. 79. a.6. Quia quod recipitur in aliquo, recipitur in eo secundum modum recipientis. Intellectus autẽ est magis stabilis naturæ, & immobilis, quam materia corporalis. Si ergo materia corporalis formas, quas recipit, non solum tenet, dum per eas agit in actu, sed etiam postquam agere cessauerit: multo fortius intellectus immobiliter, & inamissibiliter recipit species intelligibiles, siue à sẽsibilibus acceptas, siue etiã ab aliquo superiori intellectu effluxas.

xas. Ergo negari nequit quod memoria, sumpta pro facultate conseruatiua specierum, sit in parte intellectiua.

5 Ad argumentum Auicenæ respondet S. Thomas ad 3. quod species intelligibiles aliquãdo sunt in intellectu *in potentia tantum*; & tunc dicitur intellectus esse in potentia. Aliquando autem secundum vltimam completionem *actus*: & tunc intelligit actu, aliquando medio modo se habet inter potentiam, & actum: & tunc dicitur esse intellectus *in habitu*. Et secundum hunc modum intellectus conseruat species etiam quando actu non intelligit.

6 Sed instabis: nam agens naturale nequit esse in habitu: quia, nisi sit impedimentum, actus primus necessario infert actum secundum, vt apparet in Sole, & in luce, & in igne, & in alijs agentibus naturalibus. Sed species sunt agentia naturalia: siquidem non sunt libera: ergo species intelligibiliter conseruata in intellectu, semper infert actum secundum: ergo numquam sunt in habitu.

Respondet optimè Sanctus Thomas libro secundo Contragentes capite 101. quod *non omne illud est in intellectum in actu, cuius species intelligibilis actu est in intellectu: cum enim substantia intelligens, sit etiam volens, ac per hoc sit domina sui actus: in potestate ipsius est, postquam habet speciem intelligibilem, vt ea vtatur intelligendo actu: vel si habet plures, vt vtatur vna ipsarum. Vnde, & eorum scientiam habemus, non omnia actu consideramus.* Hæc ibi. Qua de causa, sicut de habitu scientiæ, ita de speciebus intelligibilibus verificatur, quod *eis vtimur cum volumus*.

7 In forma ad argumentum conceditur maior, & distinguitur minor: species est agẽs naturale, quoad vsum, & exercitium, subditum voluntati; concedo minorem; à voluntate nullo modo depẽdens, nego minorem, & vtramque consequentiam. Solutio est Capreoli in secundo distinctione 3. quæstione secunda ad argumenta contra septimam, docentis, quod licet species intelligibilis sit forma naturaliter agens, non tamen in actum exit, nisi per voluntatem: & ideò non tollitur quim sit in potestate substantiæ intelligentis, quod per ipsam intelligat, aut non intelligat.

8 Secundo responderi potest, & *fortè melius* (inquit Ferrara secundo Contragentes capite 101. §. *sed occurrit*) quod species intelligibilis non est naturale agens, neque sicut agens *quod*, neque sicut agens *quo*. Nam de ratione agentis naturalis vt *quod*, est quod sit determinatum ad vnum, ita quod non possit non agere, si appropinquetur passo dispositio, deductis impedimentis, vt ex nono Metaphisicæ textu tertio, & quarto patet. De ratione vero agentis naturalis *quo*, est quod agens sit ad vnum determinatum, & non possit per ipsum non agere. Constat autem, quod neutrum conuenit speciei: neque enim agit intel-

lectionem tamquam id quod ipsam producit: neque intellectus habens speciem, per ipsam necessario intelligit, vt experimur in nobis. *Ideò magis dicendum est, quod est principium formale intellectionis liberum; non quidem in se formaliter habens libertatẽ, (hæc enim est conditio principalis agẽtis) sed quia substantia ipsam habens, secundũ eam libere operatur.* Hæc ibi, sapientissimè, vt assolet. Quæ pro alijs quæstionibus sunt notanda, & recolantur quæ in simili diximus lib.2.q.5. num.32. & hoc lib.3.q.11.num.28. loquendo de vitalitate specierum: quia par ratio est de libertate radicali per modum comprincipij *quo* intellectus libere, & indifferenter proponentis. Et quia voluntas vtitur specie quando, & quomodo vult, vna, vel pluribꝰ, species in suo genere aliquomodo est radix libertatis actus voluntatis.

Alia argumenta referunt, & soluunt Bañez.1.p.quæst.79.art.6. & Thomas Hurtado disp.2. controu. 9.memb.1.

9 Dico secundo, in intellectu nostro in via nõ est memoria propriè, & strictè sumpta, prout respicit præteritum sub ratione præteriti. Ita Phylosophus de Memoria, & reminiscentia, & Sanctus Thomas ibi lectione 2.lit.d. & quæst.10.de Veritate art.2.vbi ait. *Cum memoria, secũdum propriam sui acceptionem, respiciat ad id quod est præteritum respectu huius nunc, constat, quod memoria propriè loquẽdo, non est in parte intellectiua, sed sensitiua tantum, vt Phylosophus probat.* Idem docet 1.p. quæst.79. artic.6. & ibi omnes Thomistæ: cum quibus cõuenire Durandum in primo dist.3. par.2.q.3. & Scotum in primo dist. 3.quæst.6. & in 4.dist.45.q.3.notat Bañez illo articulo 6.§. *secunda sententia.*

10 Ratio S.Thomæ est: quia memoria, strictè loquendo, est potentia directè respiciens præteritum, vt præteritum est: sed intellectus noster directè non respicit præteritum vt præteritum est: ergo in parte nostra intellectiua non est in rigore memoria. Maior patet ex dictis.q.5. & constat ex cõmuni modo concipiendi: nec de illa potest esse dubiũ, nisi immutando in scholis consuetas vocum rigorosas significationes. Minor verò supponit sententiam Sancti Thomæ (de qua infra quæst. 28. dicetur) quod intellectus noster non cognoscit directe singularia: inde enim manifestè infertur, quod non cognoscit directe præteritum, vt præteritum; nã cum significet esse sub determinato tempore, ad conditionem particularis pertinet.

11 Dico tertio, non faciẽdo vim in rigorosa acceptione vocum, sed parum extẽso vocabulo, in nostro intellectu est absq; metaphora memoria præteritorum. Ita S.Thom. illo art.6.ad 2. & q.10.de Veritate art.2. vbi ait. *Sed quia intellectus non solum intelligit intelligibilia, sed etiam intelligit se intelligere tale intelligibile; ideò nomen memoriæ potest extendi ad notitiam, qua & si non cognoscatur obiectum vt in præteritione modo prædicto; cognoscitur tamen obiectum, de quo etiam prius est notitia habita, inquantum aliquis scit se eam prius habuisse.*

Et

Et hanc conclusionem probāt argumenta secundæ sententiæ. Quæ in hoc sensu procedunt in doctrina S. Thomæ, quia experimur nos recordari quod intellexim⁹ in præterito: & hæc recordatio cognitionis præteritæ in intellectu est. Deinde, in intellectu nostro est notitia rei singularis, quamuis indirecta: ergo est notitia præteriti vt præteritum est: ergo in illo est memoria: quamuis non in eo rigore quo est in sensu interno. Per quæ patet ad argumenta.

12 Addimus tamen, quod Deus directè singularia cognoscit, vt probat S. Thomas 1.p.q.14.art.11. vbi ad 1. assignat differentiam inter diuinum, & humanum intellectum. Similiter Angeli directe singularia cognoscunt, vt probat S. Thomas 1.p.q.57.art.2. vbi ad 1. etiam assignat discrimen inter ipsos, & nos. Et ideò ex eo quod in Deo, & Angelis sit memoria propriè, & in rigore, non sequitur quod sit in nostro intellectu abstrahente à conditionibus particularibus.

13 De anima etiam separata etiam docet S. Thomas 1.p.q.89.artic.4. quod cognoscit singularia; *nō per species à corpore acquisitas; sed per species sibi inditas in separatione*: vt docet ipse S. Thomas q.19. de Veritat. artic.2. in corp. & ad 1. & q. vnica de Anima art.20. ad 1. & 6. & ideò in anima separata esse proprie, & in rigore memoriam singularium directam, docet Ferrara 2. Cōtrag. cap. 74. circa finem, & frequenter alij Thomistæ.

14 De memoria, eo modo quo est in parte intellectiua, dubitatur vlterius, vtrum sit alia potentia ab intellectu? Affirmat Magister in 1. dist. 3. cap. 7. propter quædam verba S. Augustini 10. de Trinit. capit. 11. & 2. quæ ad summum probant esse distinctos actus eiusdem potentiæ.

15 Dicendum tamen est, memoriā non esse aliam potentiā ab intellectu. Ita sumitur ex Philosopho 3. de Anim. tex. 7. & probat S. Thomas illa q. 79. art. 7. & alijs locis ibī in margine relatis: quia habent idē obiectum: & in parte intellectiua *ad rationem potentiæ passiuæ pertinet conseruare, sicut, & recipere*. Et præterea, *intellectus respicit suum obiectum secundum communem rationem entis*: vnde vna potentia se extendit ad vniuersale, & particulare, ad præsens, & præteritum; ad recipiendum, & retinendum.

## §. II.

### *De ratione, & intelligentia; practico, & speculatiuo; synderesi, & conscientia.*

16 CVm simplicē veritatem intelligibilem apprehendim⁹, illa operatio dicitur absolutè *intellectus*: cum autem procedimus de vno intellecto ad aliud, ad veritatē intelligibilem cognoscendam, vocatur *ratio*, seu ratiocinatio. Igitur, quod ambæ istæ operationes ab vna potentia procedant, docet Sanctus August. 3. super Genes. cap. 20.

Et lib. 15. de Trinit. cap. 15. & probat S. Thomas 1. p. q. 79. art. 8. quia ratiocinari comparatur ad intelligere, sicut moueri adquiescere; vel acquirere ad habere: nam ratiocinatio humana, secundum viam acquisitionis, vel inuentionis, procedit à quibusdã simpliciter intellectis, quæ sunt prima principia. Et rursus in via iudicij resoluendo redit ad prima, ad quæ, inuenta examinat. Manifestum est autem, quod quiescere, & moueri non reducuntur ad diuersas potentias, sed ad vnam, & eandem; etiam in naturalibus rebꝰ: quia per eandem naturam aliquid mouetur ad locum, & quiescit in illo. Multo ergo magis per eandem potentiam intelligimus, & ratiocinamur: ac per consequens in homine eadem potentia est ratio, & intellectus.

17 Distinguit autem S. Augustinus lib. 12. de Trinit. cap. 4. & 7. rationem superiorem, & inferiorem, per hoc quod *ratio superior est quæ intendit æternis conspiciendis, aut consulendis.* Ratio verò inferior, *quæ intendit temporalibus rebus.* Ex quo probat S. Thomas art. 9. quod sunt eadẽ potentia; quia eadem potentia rationis est ad quam pertinet mediũ, & vltimum. Sed distinguuntur per officia actuum, & secundum diuersos habitus: nam superiori rationi attribuitur sapientia, inferiori verò scientia. Toto etiam art. 10. explicat S. Thomas quod, *intelligentia*, proprie significat ipsum actum intellectus, qui est intelligere.

18 Probat rursum S. Thomas art. 11. quod intellectus speculatiuus, & practicus non sunt diuersæ potẽtiæ. Nam differũt ex parte finis: speculari enim nõ ordinatur ad opus, sed ad solam veritatis considerationẽ: practicus verò hoc quod apprehẽdit, ordinat ad opus. Sed accidit alicui apprehenso per intellectum, quod ordinetur ad opus, vel nõ ordinetur. Ergo istæ non sunt diuersæ potentiæ.

19 De Synderesi docet S. Thom. art. 12. quod non est potentia, sed habitus. In qua verò potentia resideat? Non eodem modo explicant Theologi. S. Bonauentura in 2 dist. 39. ar. 2. q. 1. Alexander Alens. 3. p. q. 27. membro. 2. art. 3. arbitrantur residere in voluntate: quia Synderesis dicitur, *instigare ad bonũ, & murmurare de malo*, vt admittit S. Thomas: sed sola voluntas inclinat ad bonum sub ratione boni; & fugit malum sub ratione mali: ergo Synderesis pertinet ad voluntatem.

20 Asserendum tamen est, Synderesim esse habitum primorum principiorum operabilium: & esse in intellectu. Ita S. Thomas art. 12. & 1. 2. q. 94. art. 1. & q. 16. de Verit. art. 1. & in 2. dist. 39. q. 3. ar. 1. cor. & B. Albertꝰ in summa de homine trac. de Synderesi q. 1. & communiter Theologi. Tenent S. Basilius hom. 1. in Prouerbia. S. Hieron. epist. ad Demetriadẽ, & Ezequielis 1. ad illa verba: *quatuor facies vni.* S. Augustinus lib. 2. de libero arbitrio cap. 10. & lib. 2 de sermone Domini in monte, & super Psal. 57. & alij Patres.

21 Probatur que ratione S. Thomæ. Sicut ratio speculatiua ratiocinatur

cinatur de speculatiuis à principijs ad conclusiones, ita ratio practica ratiocinatur de operabilib⁹. Oportet igitur naturaliter nobis esse indita; sicut principia speculabilium, ita & principia operabilium. Sed principia speculabilium pertinent ad quendam specialem habitū, qui dicitur intellectus principiorum, vt patet in 6. Aethic. cap. 6. Ergo & principia operabilium nobis naturaliter indita pertinent ad specialē habitum naturalē intellectus, quē dicimus Synderesim.

22 Ad argumentum facile dicitur, quod *Synderesis dicitur instigare ad bonum, inquantū per prima principia procedimus ad inueniendum, & iudicamus inuenta*: vt ait S. Thomas in cor. hoc autem ad intellectum pertinet. *Vnde* ad 3. ait, *vtroque, scilicet, ratione, & Synderesi, naturaliter iudicamus.*

23 Solet autem inquiri, vtrū Synderesis sit habitus congenitus, vel acquisitus?

Durandus in 3. dist. 33. q. 1. ad 2. & Soto libro 1. de iustitia q. 4. ar. 1. docent esse omnino naturalem, & quod nō est qualitas distincta ab ipso intellectu. ¶ Bañez verò 1. p. q. 79. art. 12. dub. 2. ait, quod iste habitus, quoad lumen, est naturalis; acquisitus verò quoad species. Probat, quia realiter non differt ab intellectu principiorū: de quo in hoc sensu ait S. Thomas partim esse inditum, partim acquisitum: vt patet 1. 2. q. 51. a. 1. & 2. Contrag. cap. 78.

24 Cæterum ratio S. Thomæ manifestè procedit, & probat de habitu distincto ab ipsa potentia: vnde & in 6. Aethic. & 1. 2. q. 57. ar. 2. Intellectus ponitur virtus ab intellectū, seu potentia intellectiua distincta. Et S. Thomas illo art. 12. manifestè loquitur de Synderesi, & potētia intellectiua, vt de potētia, & habitu ab ipsa distincto. Vnde ad 3. ait, quod *prima principia operabilium, circa quæ non contingit errare, & attribuuntur rationi, sicut potentiæ, & Synderesi, sicut habitui.*

25 Quod autē iste habitus sit distinctus ab habitu primorum principiorum speculabilium, supponit S. Thomas arguēs à paritate, & nō ab identitate. Et patet primo, quia non sunt eadem genera principiorum in speculabilibus, & in practicis. Vnde sicut circa conclusiones practicas, & speculatiuas distinguūtur diuersæ scientiæ, & virtutes: ita etiam debent distingui diuersi habitus speculabilium, & operabilium. Secundo patet ex subiecto, quia habitus residentes in intellectu vt speculatiuo, diuersi sunt a residentibus in intellectu vt practico. Nec requiritur tanta diuersitas ad distinguendos habitus, ac ad distinguendas potentias. Et ideò licet potētia sit realiter eadē, habitus sunt realiter diuersi.

26 Dicitur autem inditus à natura, nō quia identificetur cū potentia, vel quia à solo Deo naturæ authore causetur: vel quia solæ species acquirātur, & non lumen. Sed quia acquisitis speciebus primorū principiorū, statim resultat: vt in simili diximus de habitu principiorū speculabiliū 1. p. Metaph. controu. 2. n. 53. ex D. Tho. 4. Metaph. lec. 6. lit. b. & ex Caiet. & alijs Thomistis.

27 Denique art.13.probat S.Th. quod cōscientia, propriè loquendō, non est potentia, sed actus. Dicitur enim cōscientia, *cum alio scientia*: & applicatio sciētiæ ad aliquid, fit per aliquem actum. Attribuitur etiam cōscientiæ testificari, ligare, vel instigare, vel etiam accusare, vel etiam remordere, siue reprehēdere. Et hæc omnia consequuntur applicationem alicuius nostræ cognitionis, vel scientiæ ad ea quæ agimus. Vnde, propriè loquendo, cōscientia nominat actum. Cæterum quia de conscientia, Theologi Morales, non solum tractatus, sed & libros, & tomos integros edunt; vt nouissimè videri potest in ingenti volumine numeris omnibus absoluto M.Fr.Ioannis Ildephōsi Baptistæ to.3.in 1.2.à disputatione 204. per numeros 1441. Et multis alijs Doctoribus, quos ipse in proœmio refert; ideò pro nunc hæc sufficiāt dicta de significatione vocis.

## QVAESTIO XXVI.

### *Vtrū intellectus noster possit intelligere non conuertendo se ad phantasmata?*

1 QVamquam congruo ordine doctrinæ antequam tractaremus de actibus intellectus, deberemus disputare de alijs potentijs animæ appetitiuis, vt egregie fecit S.Tho.1.p.q.80.vsque ad 84, tamē quia de his nō adeò siggillatim tractat Animastici, ac Theologi, ideò, quæ supersunt dicēda de actibus intellectus, melius percipientur, & decidentur ex dictis, quam reseruando post tractatum de appetitu, &

o, a, itate.

### §. I.

### *Dependet in acquisitione specierum.*

2 SVpponimus autem, quod anima intelligit corporalia, non per suam essentiam; sed per species; nō sibi naturaliter inditas: cum de intellectu nostro à principio dicat Phyl.3.de Ani.tex.14. *quod est sicut tabula, in qua nil est scriptū.* Igitur intelligit per species acquisitas ministerio sensuum. Vnde ait Phyl.1.Met. c.1.& 2.Post.tex.29.quod *principiū nostræ cognitionis est à sensu.* Quæ omnia siggillatim probat S.Th.1.p.q. 84.ar.1.vsq.ad 6.in quo concludit. Secundū hoc ergo, ex parte phātasmatum intellectualis operatio à sē sa causatur. Sed quia phantasma nō sufficiunt immutare intellectū possibilē, sed oportet, quod fiant intelligibilia actu per intellectū agēntem (vt ostensum est) non potest dici, quod sensibilis cognitio sit totalis, & perfecta causa intellectualis cognitionis, sed magis quodāmodo est materia causæ: quia est materia circa quam operatur intellectus agēs, & quam assumit vt instrumentū ad causandas species intelligibiles, quas abstrahit intellectus agens, & retinet intellectus possibilis.

3 His stabilitis, est quæstio de vsu harū specierū, tam in earū acquisitione, quam postquam semel acquisitæ sunt: quia alius est motus rerū ad animā, alius est motus animæ ad res. Quod optimè notat S.Th.in 3. dist.14.q.1.art.3.q.3.dicens: intellectus habet se ad phantasmata dupliciter: vno modo sicut accipiens

a cor-

à corporalibus scientiam: quod est in illis, qui nondum habēt scientiā: secundum motū, qui est à rebus ad animam. Alio modo secundū motum, qui est ab anima ad res; inquantū phantasmatibus vtitur quasi exēplis, in quibus inspicit, quod considerat: cuius tamen scientiam prius habebat in habitu.

4 Quia tamen dependentia intellectus à phantasmatibus in acquisitione specierum, satis constat ex dictis q. 23. & 24. tractando de necessitate intellectus agentis, & operationum eius. Solū est dubium, quis sensus interior immediatè submini strēt intellectui humano phantasmata? ¶ Affirmat Fōseca 5. Met. c. 28. q. 7. sec. 1. & 5. imaginationem immediate, & proxime immutare intellectum agētem illique sub ministrare: quia hæc proximior est intellectui, quam sensus communis. Et proprium est imaginationis phātasmata formare: vnde, & phantasia vocatur.

5 Cæterum, asserēdum est omnes internos sensus in suo genere intellectui ministrare, vt docet S. Thomas 1. p. q. 84. a. 7. quia experimur, quod quolibet impedito, impeditur acquisitio scientiæ, & specierum, & vsus iam habitæ: immediate tamen, & proxime hoc est munus cogitatiuæ, vt supponit S. Thomas 2. Cōtra g. c. 60. & tenet ibi Ferrara §. *ad has rationes*. Et c. 73. §. *aduertendū*. Bañez 1. p. quæst. 78. artic. 4. dubio 5. & latius Thomas Hurtado disputatione 2. cōtrou. 12. mēb. 1. §. 1. & 2. Et q. 4. o. 42. retulimus verba S. Thomæ 3. de Anima lec. 4. lit. K. & lib. 2. lec. 13. in fine ait S. Thomas, quod cogitatiua *est in parte sensitiua: quia vis sensitiua in sui supremo participat aliquid de vi intellectiua in homine, in quo sensus intellectui coniūgitur*. Et infra ait, quod *cogitatiua apprehendit individuum, vt existens sub natura communi: quod contingit ei, in quantum vnitur intellectiua in eodem subiecto: vnde cognoscit hunc hominem, prout est hic homo, & hoc lignum prout est hoc lignum*. Idem docet S. Thomas 1. p. q. 78. a. 4. in fine cor. & ad 4. & ad 5.

6 Ratio S. Tho. fundatur in illo axiomate S. Dionys. c. 7. de Diuin. nom. *Sapiētia diuina coniungit fines primorum principijs secundorum*. Et ideò natura inferior in sui supremo aliqualiter attingit ad infimum naturæ superioris, in propinquitate in essendo, & in refluent a ex qua participat aliquid naturæ superioris, & si deficienter. Sed cogitatiua hominis est superior inter potentias sensitiuas: & est collatiua intētionum individualium: eleuatiori modo attingens suum obiectū, quā aliæ vires internæ: vt patet ex dictis q. 4. ergo aliæ vires internæ nō possunt immediatè, & proximè subseruire intellectui agēti, nisi media cogitatiua, cuius virtute disponuntur phantasmata, & reddontur habilia, vt eleuentur ab intellectu agente. De quo plura Thomas Hurtado.

Ad argumentum iam respondimus lib. 3. q. 3. §. 2. à n. 13. vsque ad 17. quod phātasia accipitur aliquādo pro speciali potentia: & aliquando communiter ad omnem operationem sensus interni: & sic accipitur à Philosopho, & à nobis in presenti...

## §. II.

*Dependet à phantasmate in vsu scientiæ iam habitæ.*

7 IN secundo sensu quæstionis, Auerrois 3.de Anima comm.36. & ibi Philopon⁹,& Simplicius text u 39.Auicena,& Theophrastus,& alij antiqui,docuerunt posse nos in via intelligere sine conuersione ad phantasmata.Et Toletus 3.de Anima q.15.ad 2.ait, aliqui probabiliter respondent,quod quamuis anima in principio,vt moueatur,& incipiat cognoscere, indigeat phantasmate; tamen post rem semel intellectam, & seruatis speciebus intelligibilibus, phantasmate iam nō indigemus. Quod postea ipse Toletus q.16.ad 3. ex propria sententia videtur docere. Et clarius Valētia to.1.disp.6.q.1. puncto 3. §. *nec hoc est.* Latius Stephanus Bubalus 1.p. q.50.art.2. quæsito 2. dific. 1.§.2. & q.54.art.1.quęsito 2.§.1.contēdens,ita tenere interpretes Aristotelis,Grecos, Latinos, & Arabes, imò S.Thomam. Cæterum hanc sētentiā D. Tho.tribuere,*esse prorsus ridiculum*, notat Tho. Hurtado disp. 2 controu.12.mēb.6. cum eam milies impugnet, & argumenta contraria diluat.

8 Sit ergo conclusio,impossibile est intellectum secundum præsentis vitæ statū,quo possibili corpori coniungitur, aliquid intelligere in actu,nisi cōuertendo se ad phantasmata. Ita S.Thom.1.p.q.84.ar. 7.& q.89.ar.1.& 2.Et 3.p.q.11.ar. 2.& 2.2.q.161.ar.2. & lib.2.Cōtr. c.59.&72.& lib.4.c.11.& super 1. ad Corinth. cap.13.lec.3. & 3. de Anim.tex.30.lect.12.litt.c.vbi, & Philos.ait: *Numquam sine phantasmate intelligit anima.* Et tex.39. *Sed cū speculetur,necesse simul phātasmata aliquod speculari.* Vbi S.Thomas lect.13.litt. c.ait. *Patet autem ex hoc falsū esse,quod Auicena ponit,quod intellectus non indiget sensu,postquam acquisiuit scientiam: manifestum est enim,quod postquam aliquis acquisiuit habitum scientiæ, necesse est ad hoc quod speculetur,quod vtatur phantasmate: & propter hoc per lesionem organi impeditur vsus scientiæ iam acquisitæ.* S. Thomam sequuntur omnes Thomistæ.Item AEgidius 3.de Anima tex.38.Scotus in 4.dist.45.q.2. & in dist.3.q.6.lit.N.§.*quod additur.* Durand.in 3.dist.14.q.3.n.7. Suar. lib.3.de Opere sex dierum.c.9.nu. 7.& lib.4 de Ani.c.7.n.3. referens S.Dionys.7.cap.de Diu.nom.& de Cæleſt.hierar.c.10. & S.Aug. 4 de Genes.ad lit.c.7.& S.Nazian.orat. 2.de Theologia. Et esse *communem doctrinam Theologorum,& Philosophorum,*testatur Bañez 1.p.q.84.art.7. notab.2.& quod opposita sententia *hodie non est probabilis* asserit Hurtado citata controu.12. memb.6. §. 2.referens Franciscum Mendoçam li br.4.Viridarij problemate 32.Nostramque sententiam esse *verissimam,& receptissimam* docet AEgidi⁹ à Prę sent.to.2.lib.6.q.1.ar.4.n.33. vsque ad 59.vbi & refert S.Damascenū.1.de fide c.14. & S.Aug.15. de Trin.c.27.dicentē, *nubila similitudinum corporalium cogitationibus humanis semper occursare.*

A

9 A posteriori probat conclusionem S. Tho. duobus indicijs euidẽtibus. Primo quidem, quia cum intellectus sit vis quædam non vtens organo corporali, nullo modo impediretur in suo actu per læsionem alicuius corporalis organi, si nõ requireretur ad eius actum actus alicuius potentiæ vtentis organo corporali. Vtuntur autem organo corporali sensus, & imaginatio, & aliæ vires pertinentes ad partem sensitiuam. Sed videmus, quod impedito actu virtutis imaginatiuæ per læsionem organi, vt in phrænericis: & similiter impedito actu memoratiuę virtutis, vt in lethargicis, impeditur homo ab intelligendo in actu, etiam ea quorum scientiam præacceperit. Ergo ad hoc quod intellect⁹ adiscat, & etiam vtatur scientia iã acquisita, requiritur actus imaginationis, & cæterarum virium sensitiuarum; in quo consistit cõuersio ad phantasmata.

10 Secundo, quia hoc quilibet in seipso experiri potest, quod quãdo aliquis conatur aliquid intelligere, format sibi aliqua phantasmata per modum exemplorũ, in quibus quasi inspiciat, quod intelligere studet. Et inde est etiam, quod quando aliquem volumus facere aliquid intelligere, proponimus ei exempla, ex quibus sibi phantasmata formare possit ad intelligendũ.

## §. III.

### *Ratio à priori huius dependẽtiæ.*

11 IN assignanda ratione à priori laborarunt aliqui. Scotus in 1. dist. 3. q. 3. §. *Sed restat dubium*, litt. g. dicit hanc dependẽtiam esse in pœnam peccati originalis. Quod merito communiter Doctores reijciũt: quia Philosophus peccatum originale non agnouit; & hanc dependẽtiam esse naturalem asseruit. Secundo, quia in pura natura, & in statu innocentiæ esset conuersio ad phãtasmata: & non esset originale peccatum.

12 Aliam rationem ibi assignat Scotus quam & approbant Conimbricenses 3. de Ani. cap. 8. q. 8. ar. 2. §. *est autem*, propter concordantiã, & ordinem potentiarum: quando enim vna potẽtia attingit suum obiectum, omnes aliæ potentiæ radicatæ in eadem anima, circa illud operantur.

13 Tribus tamen argumentis bene impugnat Bañ. dub. 2. In primis, quia ratio hæc non ostendit dependentiam intellectus nostri à phantasmatibus, sed solam concomitantiam: cum tamẽ authoritates, & argumenta facta dependentiam intellectus à phantasmatibus cõuincãt. Secundo, experientiæ notatæ à D. Thoma, quas Scotus nõ negat, probant non esse solam concomitantiam: alioquin impedito, vel læso organo vnius potentiæ non impediretur operatio intellectus: sicut impedito visu, non impeditur auditus. ¶ Tertio, si esset sola cõcomitantia potentiarũ, pari ratione possemus dicere, quod quando imaginatio operatur, necesse est etiam, vt intellectus cognoscat: sicut è cõtra: & ita tantum dependet imaginatio ab intellectu, quantum intellectus

lectus ab imaginatione: quod est aperte falsum.

14 Tertio, Suarez n.4.impugnatis rationibus S. Thomæ, & Scoti, ait, quod illa occurrit cōmodior, & euidentior ratio, quod dependētia ista prouenit ex imperfectione status, in quo intellectus nō recipit species, niū dum actu phātasia operatur, & ambæ potentiæ in anima radicātur, ſibique pro inde mutuo deseruiunt, atque etiam sunt impedimento.

15 Rationem tamen hanc in multis deficere, nisi ratione D. Thomæ solidetur, probat Thomas Hurtado memb.5.§.1. Quia Adamus accepit ſpecies diuinit⁹ infuſas: & tamen (ipso Suarez fatente) intelligebat per conuersionem ad phantasmata. Secundo, quia etiam scientia habita non possumus vti ſine cōuersione ad phantasmata: & huius indigentiæ ratio nō assignatur. Tertio, quia de Christo docet S. Thomas 3.p.q.12.art.1. & 2. & de alijs beatis probat Aegidius à Præsent. to.3.lib.4.q.12.ar.4.n.6. Quod poterat intelligere conuertēdo ſe ad phantasmata, & ab illis abſtrahere ſpecies: ergo hoc non prouenit ex imperfectione ſtatus, niſi aliquid addatur, quo hoc explicetur.

16 Melius arguit Aegidius à Præsent.to.2.lib.6.q.1.ar.4.n.43. nam iuxta veram, & receptam Phyloſophiam, forma, quæ eſt operādi principium, ex modo eſſendi ſibi cō naturali, ſumit modum operandi connaturalem: vt late ibi probat q.2. art.5. Ergo ſicut ex eo quod exiſtens in corpore habens eſſe in depēdens à corpore, vēdicat ſibi aliquā operationem à corpore in eſſendo independentem, vt patet ex dictis q.13. ita ex eo quod eſt in corpore, vēdicabit ſibi non poſſe operari, niſi ſimul cum ea cooperētur potentiæ corporeæ.

Confirmatur, quoniā anima, quia eſt actus corporis, naturaliter habet, quod in operando dependeat à corpore vt obiecto, vel ſaltē modo corporeo ſe tenēte ex parte obiecti. Ergo eadem ratione ex modo eſſendi animæ in corpore probatur indigentia conuerſionis ad phantasmata.

17 Placet hæc ratio, quæ eſt Sācti Thomæ 1.p.q.89.ar.1.& 2. & alijs locis relatis. Diſplicet verò, quod diligens Aegidius eam non tribuat S. Thomæ, imò n.46. ſuper ſedeat à ratione S. Thomæ, vt difficili intellectu: cum tamen hæc ratio vim nō habeat, niſi ad rationem S. Thomæ reducatur: vel per illam hæc exponatur.

18 Igitur S. Thomas illo ar.7. rationem assignat: quia potentia cognoſcitiua proportionatur cognoſcibili. Intellectus autē humani, qui eſt cōiunctus corpori, proprium obiectum eſt quidditas, ſiue natura in materia corporali exiſtēs. Deratione autem huius naturæ eſt, quod in aliquo indiuiduo exiſtat: quod non eſt abſque materia corporali. Vnde natura lapidis, vel cuiuſcūque materialis rei cognoſci non poteſt cōplete, & vere, niſi ſecundum quod cognoſcitur vt in particulari exiſtens. Particulare autem apprehendimus per ſenſum, & imaginationem.

nē. Et ideò necesse est ad hoc quod intellectus intelligat suum obiectū propriū, quod conuertat se ad phā tasmata, vt speculetur naturam vniuersalē in particulari existentem. Videatur Ferrara 3. de Anim. q. 15.

19 Rationem hanc sibi non satis arridere, inquit Suarez n. 3. Primo, quia fūdatur potissime in eo quod intellectus singularia directe non cognoscat: quod ibi cap. 3. improbat. Præterea, quamuis ea ita non cognoscat; attamen adducta ratione non potest haberi necessaria cōcomitantia inter operationem sensus, & phantasiæ. Sed cum maxime valet ea ratio ad suadendum egere intellectum iubamine sensꝰ ad perfectam cognitionem rei singularis, ac materialis, ad suam vsque singularitatem: hinc autē quomodo potest intelligi, aut colligi tanta dependentia, quanta est inter sensum, & intellectum? Quomodo itē haberi ratio, quare læsa phantasia lædatur intellectus in suis operationibus vniuerse?

20 Cæterum facile dicitur, infra q. 28. nos illud principium stabilire. Deinde ex modo essendi formæ, rectè infert S. Thomas modum connaturalem potentiarum. Iam autē explicuimus differentiam inter obiectum extensionis, & obiectū proportionatum: cum ergo secundum vires naturæ omnia intelligātur ad modū obiecti proportionati, si hoc obiectum respectu nostri intellectꝰ pro statu informationis, est quidditas materialis, & hæc directè attingitur potentiis vtentibus organo corporali, rectè infertur dependentia intellectꝰ nostri pro isto statu in modo intelligendi à phantasmatibus corporeis.

Multa alia ad expositionē rationis S. Thom. videri possunt in Caietano 1. p. q. 84. art. 7. & Bañez ibi tribus dubijs. Et Serra ibidē, qui notat cum Ferrara 1. Contrag. cap. 65. dub. 5. & lib. 2. cap. 72. dub. 1. Conuersionem intellectus ad phātasma ta non esse cognitionis phantasmatis; sed esse motionem imaginationis ad formationem phantasmatis: quia secundum imperium intellectus formatur in imaginatione phātasma conueniens tali speciei intelligibili, vt ait S. Thomas 2. Cōtrag. cap. 73. Verum est quod per quandam reflexionem solet redire intellectus in cognitionem ipsius phantasmatis, vt ait S. Thomas q. 2. de Verit. ar. 6. Hæc tamen reflexa phātasmatis cognitio, non semper est necessaria; & supponit iam cognitā naturam vniuersalem, quamuis in actu exercito conuersio ad phantasmata, sit cognitio phantasmatis secūdum quod est similitudo rei particularis. Videatur Hurt. co. 3. mēbro 8.

21 Sed obijcies: nam qui extasim patiuntur, aut rapiuntur ad diuina, contemplantur supernaturalia absque conuersione ad phantasmata. Vnde de D. Paulo in raptu probāt S. Augustin. 12. de Genes. ad lit. c. 27. & S. Thomas 2. 2. q. 175. ar. 4. quod fuit abstractus à sensibus, & vidit Deū sine cōuersione ad phantasmata. Et de quodā, nomine Rustico, præsbytero mirabiles alienationes à sensibus narrat S. Augustin. 4. de Ciuitate

tatiue cap.14.& de alijs referūt Ficinus lib.13. de immo.c. 14. Cum ergo Philosophi naturali contemplatione abstraherentur a sensibus, iam intelligebant sine conuersione ad phantasmata.

Propter hoc argumētū Cōimbr. 3.de Ani.q.8.art.2.conc.1. & ar.3. ad 2.& 3.dubium,& Fonseca libro 1.Metaph.c.2.q.3.sec.6.§. *quod vero*, probabile reputant à cōmuni regula necessitatis cōuersionis ad phā tasmata in statu viæ, debere excipi sublimem, & eminentem cognitionem,qualis est estatica.

22 At verò Aegidius à Præsentatione n.48.docet extasim perfectā impedire omnem sensuū externorum,& internorum functionē:hæc tamen dari nequit naturaliter, sed sola diuina virtute. At si sermo sit de extasi imperfecta,potest illa quidem naturaliter dari:sed in illa non cessant operationes sensuum internorum,vt docet S. Naziāzenus orat.2.de Theologia.

23 Asserendum tamē, quod regulariter in extasi,& raptu miraculoso huius vitæ, non pertingēte ad visionem Dei,omnis cognitio,etiā supernaturalis,& prophetica, fit per conuersionem ad phantasmata. Ita S.Thomas 2.2.q.174.a.2.ad 4. vbi ait, *quod illustratio diuini radij in vita præsenti non fit sine velaminibus phātasmatum qualiuncumque : quia cōnaturale est homini secūdum statum præsentis vitæ, vt non intelligat sine phantasmate.* Quando que tamen sufficiunt phantasmata, quæ communi modo a sensibus abstrahūtur; nec exigitur aliqua visio imaginaria diuinitus procurata. Et sic dicitur reuelatio prophetica fieri sine imaginaria visione.Quod & prosequitur q.12.de Verit.art. 12. ad 2.& q.18.ar.5.in cor.ait, *quod nisi homo in alium statum mutetur, oportet quod etiā in cognitione gratiæ, quæ est per reuelationem diuinam, semper intellectus inspiciat ad phantasmata. Et hoc est quod Dyon.dicit cap.1.de cæles.hier.Quod impossibile est nobis aliter lucere diuinum radium,nisi varietate sacrorum velaminum circumvelatum.* Idem docent S. Augustī. 4.super Gen.ad lit.cap.7.& S. Greg. super 1. Regum 7.& S. Nazianzenus vbi supra. Et Thomistæ omnes.Et late prosequitur Thom. Hurtado de sensib. inter. controu. 12.membro 6.§.5.

24 Ex dictis elicit S.Thomas 1.p. q.84.artic.8.Quod impossibile est, quod sit in nobis iudicium intellectus perfectum cum ligamento sēsus,per quem res sensibiles cognoscimus:quia sicut cōuertitur ad phā tasmata,ita pendet à sensibus debite ministrantibus phantasmata. Et quia in dormiendo ligantur sensus, ideò impeditur iudicium intellectus,vt explicat ad 2.

25 Vlterius ex eodem principio elicit ipse S. Thomas 1.p.q.85. art. 1.Quod intellect⁹ noster intelligit materialia abstrahendo à phātasmatibus,& per materialia sic considerata,in immaterialū aliqualē cognitionem deuenimus.Ratio primæ partis est quia intellectus humanus non est actus corporalis organi, est tamen quædam virtus animæ, quæ est forma corporis.Et ideò propriū eius est cognoscere formam, in materia quidem corporali individualiter

liter existentem; non tamen prout est in tali materia. Cognoscere verò id quod est in materia individuali, non prout est in tali materia, est abstrahere formam à materia individuali, quam representant phantasmata.

## QVAESTIO XXVII.

### *De primo cognito nostri intellectus.*

1 OLim fuit hæc quæstio celebris erudite disputata à Caietano q. 1. de ente, & essen. & 1. p. q. 85. ar. 3. & ab alijs Thomistis ibidē, & initio primi Physicorū, & in hoc tertio de Anima. Sed quia longe diuerso sensu pertractatur à Iauello hic de obiecto intellect⁹ q. 1. Ideò ad æquiuocationē vitandā, & quæstionem decidendam.

### §. I.
### *Status quæstionis.*

2 NOtādum primo cum D. Thoma 1. p. q. 85. art. 3. ad 1. quod duplex est ordo naturæ. Vnus secūdum viam generationis, & temporis. Alius est ordo perfectionis, siue intentionis naturæ. Et secundū ordinem generationis, ea quę sunt imperfecta, & in potentia, sunt priora: ordine autem intentionis naturæ, perfectum est prius, quam imperfectum, & actus precedit potentiam.

3 Distinguit autem Iauellus docens, quod obiectum potest esse primū quadruplici primitate: scilicet, primitate adæquationis, quia potētia potest in ipsum, & non plus. Primitate temporis, quando potentia valēs in plura quodam ordine, primo potest in vnum ex his, & ex eo in alia, & sine eo nō potest in alia. In quo sensu litteræ sunt obiectum primū in Grāmatica, quia pri⁹ cognoscit litteras, & per eas syllabas, & per syllabas dictiones, & per dictiones orationem, & propositiones. Primitate resolutionis est primum illud obiectum, in quo est status in resoluendo: & sic litteræ sunt primum subiectum in quod resoluitur Grāmatica. Primum perfectione dicitur illud obiectum, quod inter omnia attingibilia est perfectissimum.

4 Certum est, quod Deus est primum, & perfectissimū, quod à nobis intelligitur: quia est super omnia, omnium continens perfectionem. Certum est, quod ens, vt vniuersalissime sumitur, est primū obiectū primitate adæquationis: quia vt ex Auicena, ait S. Thom. q. 1. de Verit. art. 1. illud quod primo concipit intellectus, vt notissimum, est ens, & in illud omnes cōceptiones resoluit. Vnde etiam est primū primitate adæquationis, & temporis; siue generationis, & resolutionis. Addit tamen cōc. 3. quod licèt ens vniuersalissimè sumptum, sit obiectum adæquatum terminatiuum; nō tamen motiuum: nam hoc est quidditas materialis, vt probat ibi q. 2.

5 Hæc doctrina vera est, & late à nobis cōfimata hoc li. q. 22. Sed nō sufficit ad solnēdā hanc quæstionē, quæ non est de obiecto primo terminatiuo, aut motiuo; nec de primo primitate perfectionis; sed de illo,

illo, quod ordine naturæ primo occurrit primitate temporis quando intellectus procedit de potētia ad actum. Vnde quæstio est de cognitione confusa actuali, vt patet ex D. Tho. 1.p.q.85.art.3.& ex Scoto in 1.dist.3.q.3.lit.S. & omnibus alijs quæstionē disputantibus. Et rationem assignat S. Tho. quia actus incōpletus, & imperfectus, est medius inter potentiam, & actum: & ideò cum sermo sit de intellectu, qui est potentia procedens ad actum, prius occurrit actus imperfectus, seu cognitio confusa, quam actus perfectus, qui est cognitio distincta.

6 Plures aliæ distinctiones tradūtur à Caietano illa q.1.omnino videndæ. Quibus suppositis, sunt tres opiniones. Prima asserens primum cognitū ab intellectu nostro cognitione confusa, esse singulare materiale. Ita Durandus in 1.dist.3.q.7. Greg. ibi q.1. Ocham, & Gabriel, & alij ibidem. Suarez lib 4. de Anima c.3.n.15.& omnes, qui admittunt intellectum nostrum cognoscere singularia directe. Quia illud primo est in intellectu, quod primo mouet sensum: quia cognitio intellectiua à sensitiua primordium sumit. Et ideò Sanctus Thomas illo articulo tertio ait, quod cognitio singulariū est prior quoad nos, quā cognitio vniuersalium; sicut cognitio sensitiua, quā cognitio intellectiua. Cum ergo id quod primo mouet sensum sit singulare sensibile: singulare erit, quod primo cognoscitur ab intellectu.

7 Secunda sententia est Scoti in 1.dist.3.q.2. asserentis primum cognitum cognitione confusa actuali esse speciem specialissimam, cuius singulare efficatius primo mouet sensum. Probat primo, quia causæ naturales non impeditæ producūt primo perfectissimum effectum, quem possunt: quia agunt secundū vltimum potentiæ: sed agentia ad primū actum intellectus sunt causę naturales non impeditæ: ergo producunt primo conceptum actualē confusum speciei specialissimæ.

Secundo, quia termini vniuersalissimi sunt vltimo actualiter noti via doctrinæ: & ideò probat Auicena 1.Metaph.c.3. quod Metaphisica est vltima ordine doctrinæ, quia versatur circa vniuersalissima. Ergo vniuersaliora non sunt prius nota actualiter. ¶ Tertio, quia si oporteret ante speciei conceptum concipere vniuersaliora, magnum esset temporis interuallum antequam intellectus cognosceret speciem: quia multa sunt prædicata media inter supremum, & infimum.

8 Nihilominus, ens esse primo cognitum ab intellectu nostro, docet S. Tho. in Prologo de Ente & essentia, referens Auicenam. 1. Metaph.c.5.& 1.p.q.85.art.3.& vtrobique copiosè Caietanus. Et Soto 1.Physic.q.2.& ibi Masius, Ioann. à S. Thoma q.1.ar.3.& Ortiz trac. 1.Confer.2.& 3. Thomas Hurtado de anima sens.controu.3.membro 5.referens Conimb. Villalp. Montes. Et dicens communem omniū Peripateticorum antiquorum.

9 Non eodem modo Authores huius sententiæ exponūt, quid intelli-

telligant nomine entis, cum dicũt ens esse primum cognitum. Nam Soto art. 2. conc. 5. in fine alt, quod non intelligimus ens sub hac, vel illa conditione, id est, ens sensibile, aut ens materiale; sed confuse accipiendo ens, prout quicumque Latinus accipit. Quod & sequuntur Masius 1. Phyſic. & alij. ¶ At verò Caietanus illa q. 1. concl. 1. docet, quod ens concretum quidditati sẽsibili, est primum cognitum.

10 Quam apparentem discordiã, diuersimode concordare nituntur posteriores Thomistæ: nam Iauellus, & Thomas Hurtado, & alij distinguunt de obiecto terminatiuo, & de obiecto motiuo: & dicũt ens vt sic esse obiectum terminatiuum; at verò ens concretum quidditati sensibili esse obiectum primo terminatiuum. ¶ Rursum M. Ioann. à S. Thoma art. 3. conc. 2. § *vt autem*, distinguit obiectum *quod*, & rationem *quæ*: & asserit obiectum *quod* esse aliquam quidditatẽ sensibilẽ; ratio tamẽ *quæ* primo offertur, est cõfusio entis: & hęc est ratio entis, nõ in statu abstractionis, sed in statu cõcretionis ad naturam sensibilem.

Denique alij distinguũt obiectũ directè cognitum, & statum naturę connotatum; & dicunt solum gradum entis cognosci, & quidditatẽ sensibilem connotari, quia gradus entis ab aliqua quidditate sensibili fuit abstractus. Ita Araujo 1. Metaphisicæ q. 1. ar. 1. n. 17. in fine. Et Ortiz confer. 3. §. 2. Quamuis Rubio 1. Phys. c. 1. q. 3. ipsum gradum corporeitatis constituat ex parte obiecti primo cogniti.

## §. II.

### *Singulare non est primum cognitum ab intellectu.*

11 Dico primo, cognitione intellectiua, non singulare, sed vniuersale est primo cognitum. Ita Philosophus 1. Physicorum textu 2. dicẽs. *At confusa primo nota nobis sũt magis, ac manifesta; idcirco ex vniuersalibꝰ ad singularia proficiscamur oportet.* Et textu 49. iuxta translationẽ Argyropoli ait. *Etenim vniuersale notius est ratione, singulare autem sensu. Ratio namque ipsius est vniuersalis, sensus verò particularis.* Vbi vidẽdus S. Thom. lec. 10. in fine.

12 Sed obijcies, eundem Philosophum 1. Posteriorum tex. 5. dicẽtẽ. *Atque ea quidem ad nos priora, notioraue dico, quæ propinquiora sẽsui sunt: ea verò simpliciter priora, notiora ve, quæ à sensu longius distant. Sunt autem remotissima quidẽ, ea quæ sunt vniuersalia maxime: propinquissima verò singularia ipsa.* Ergo ex mente Philos. singularia quoad nos primo cognoscuntur.

Respondetur cũ D. Th. 1. Poster. lec. 4. lit. 6. Quod 1. Poster. loquitur Philos. de ordine singularis ad vniuersale simpliciter: quorum ordinẽ oportet accipere secũdũ ordinẽ cognitionis sensitiuæ, & intellectiuæ in nobis. Cognitio autem sensitiua est in nobis prior intellectiua, quia intellectualis cognitio ex sensu procedit in nobis. Vnde, & singulare est prius, & notius quoad nos, quam vniuersale. In primo autem

Physicorum non ponitur ordo vniuersalis ad singulare simpliciter; sed magis vniuersalis ad minus vniuersale, vt puta, animalis ad hominem. Et sic oportet, quod quoad nos, vniuersalius sit prius, & magis notum. Hæc ibi S. Tho. qui idē docet 1. Physic. lec. 1. lit. b. Solum ergo singularia prius cognoscuntur, quia cognitio sensitiua præcedit intellectiuā; non vero quia cognitio intellectiua singularium præcedat cognitionem intellectiuam vniuersalium.

13 Ratione arguit S. Tho. 1. p. q. 86. art. 1. nam intellectus illud primo, & directè cognoscit; cuius speciē apud se habet: nam ita se habet obiectum vnitum potentiæ media specie ad intellectionem, sicut forma, quæ est principium actionis in alijs agentibus, vt ait S. Tho. 1. p. q. 56. art. 1. actio enim sequitur modū formæ, qua agens agit. Sed intellectus noster, primo, & directè, nō informatur specie singularis materialis: quia principium singularitatis in rebus materialibus est materia indiuidualis: intellectus autem noster intelligit abstrahendo speciem intelligibilē ab huiusmodi materia, vt patet ex dictis q. 24. & 26. Quod autem à materia indiuiduali abstrahitur, est vniuersale. Vnde intellectus noster directè non est cognoscitiuus, nisi vniuersalium. De quo iterum q. 28. & latè ad intentū Thomas Hurt. contr. 3. mēb. 5. § 4 & 5. & optimè Soncinas. 7. Metaphis. q. 12.

14 Ad idem arguit ex Scoto vbi supra, Faber Theoremate 89. quia illud cognoscitur primo, & perse ab intellectu nostro, quod cognoscitur cognitione quidditatiua. Sed singulare sub ratione singularitatis nō cognoscitur quidditatiuè ab intellectu nostro: quia nullus scit distinguere proprio conceptu differē tiam hanc indiuidualem ab illa; sed solum agnoscuntur per conceptus communes analogos, vt cognoscūtur res spirituales: ergo non potest primo, & perse ab intellectu nostro cognosci singulare. De hac ratione iterum redibit sermo q. 28. & recolantur quæ diximus lib. 1. Log. q. 23. § 1. & 2.

## §. III.

### *Species non est primum cognitum.*

15 Dico secundo, species specialissima non est primum cognitum, sed ens. Ita S. Thomas Prologo de ente, & essentia, & 1. p. q. 85. art. 3. Probat Caiet. tribus argumentis in hac forma. Primo: conceptus imperfectissimus omnium est primus via originis: quia imperfectiora sunt priora via generationis, vt patet 9. Metaph. tex. 15. Sed conceptus actualis confusus entis est imperfectissimus omnium: quia omnis alius conceptus, cum addat ad entis conceptum, est perfectior illo, sicut totum sua parte: ergo cō ceptus entis est primus via originis. Hæc est ratio S. Thomæ, de qua postea latius.

16 Sed quia Scotistæ negant ens posse

posse cognosci cognitione actuali confusa; eo quod conceptus entis est simplex id bene impugnat Caietanus: quia quandocumque intellectus attingit ens nesciēdo separare a substantia, & accidente, habet de illo cognitionem confusam actualem; quia illa cognitio nō est distincta. Sed experimur multos nescire distinguere rationem propriam entis à substantia, & accidente: quia adhuc Philosophi ipsi non perfectè distinguunt: ergo potest ens cognosci cognitione actuali confusa.

17 Quod autem conceptus actualis confusus entis sit imperfectissimus quoad euidentiam, bene ostēdit Caietanus. Nam ille conceptus est omnium ineuidentissimus, sub quo intellectus positus, magis est remotus à cognitione aliorum omnium, quam sub quocumque alio cōceptu: quia intellectus ex euidētibus ad ineuidentiam naturaliter procedit. Sed cōceptus actualis cōfusus entis est huiusmodi: quia ipse alios non includit; alij verò actualiter ipsum includunt: ergo intellectus habens conceptum entis magis distat ab aliorum cognitione, quā habens quemcumque alium conceptum: ergo est imperfectissimus quoad euidentiam.

18 Secunda principalis ratio Caietani est à simili de cognitione cōplexorum: nam cognitio primorū principiorū est prima cognitio cōplexa: quia hæc est à natura: & principia ita præsupponuntur ad quodlibet discere, vt habetur 1. Post. text tu 5. ergo cognitio entis est prima cognitio incomplexa. Consequentia patet, non solum à paritate: sed etiam quia prima principia simpliciter fiunt ex terminis communissimis: vt *quodlibet est, vel non est, &c.* Quæ non innotescunt non habita entis notitia.

19 Tertio, species specialissima nō est obiectum cōfusissimum simpliciter: nam genus est cōfusius specie: siquidem quod plura continet, est confusius: & constat quod genus plura continet, quam species: animal enim plura continet, quam homo: ergo species specialissima non est primum cognitum. Patet consequentia, quia ipsi ideò dicunt speciem specialissimam esse primum cognitum, quia est confusissima.

20 Sed respondent quod genus continet plura in potentia; species autem continet in actu; & ideò species est confusior.

Euasionem hanc manifestè præcludit Caietanus. Nam cōfusius est quod continet plura sine ordine, quam quod continet plura cū ordine: sed continens actualiter, continet plura ordinatè: siquidem species ordinatè continet partes diffinitiuas: continens autem in potentia, cōtinet plura sine ordine: ergo cōtinens plura potentialiter, est confusius.

21 Explicatur amplius: nam confuso non sequitur quācumque plurium continentiam: alioquin vniuersum esset maximè cōfusum: sed sequitur continētiam pluriū sine ordine: quia vbi pluralitas sine ordine, ibi cōfusio. Sed genus cōtinet species, & differētias sine ordine:

ergo confusius continet, quam species. Probatur minor: id quod continet indistinctè, non continet ordinate: quia ordo absque distinctione, nec esse, nec imaginari potest. Sed genus continet species, & differentias indistincte: eo quod eas continet, non in actu, sed in potentia vt dicit Porphyrius cap. de differ ent. & actus est qui distinguit, vt dicitur 7. Metaph. textu 49. ergo nō cōtinet eas ordinate: ergo cōfuse.

22 Quarto probatur, quod species specialissima non sit primum cognitum: quia vt docet S. Thom. 2. Post. lec. 13. differentiæ infimæ specialissimè, nec nominatæ, nec cognitæ sūt. Quod patet experiētia quia cognoscimus multa animalia, & plantas; & eorum species infimas, & differentias ignoramus: & ideò Porphyrius solum definit differentias subalternas, vt patet lib. 1. Logicæ q. 25. § 5. & ideò nescimus quid ditatiue discernere vnam speciem ab alia; sicut nec vnum singulare ab alio: ergo possumus cognoscere rationem entis, & alia prędicata superiora, ignorata differentia specifica: ergo species infima non est primum cognitum. Quod argumētum vrget Scotistas, qui ideò negant singulare esse primum cognitum, quia differentiæ indiuiduales sunt ignotæ quidditatiue, & solum cognoscuntur per accidentia: nam quoad hoc par ratio currit de differentijs infimis.

23 Denique idem probatur: nam iuxta Scotum, & veritatem, illud vniuersale prius mouet intellectū, cuius singulare, fortius & efficaciꝰ mouet sensum: sed singulare entis est huiusmodi: siquidē à maiori distantia mouet: vt patet experiētia, cum videmus aliquid à longe, primo iudicamus esse ens, & corpus, & postea esse viuum, & esse hominem, & vltimo esse Petrum: ergo nō species specialissima, sed ens est primo cognitum.

24 Primum argumentum Scoti posset in eum retorqueri, & illo probari quod indiuiduum est primo cognitum, quia cum, in eius sē tentia, indiuiduum addat perfectionem, & actualitatem supra rationē specificam, idcirco indiuiduum erit totum actuale perfectius quā species; & ideò si debet producere actum perfectiorem, primo cognoscer indiuiduum.

25 In forma ergo distinguenda est maior, & neganda de perfectissimo absolutè, & cōcedēda de perfectissimo possibili pro tunc. Et tunc neganda est minor, quia perfectissimus actus, quem pro tunc potest intellectus, est conceptus entis: immo nullum alium primo producere potest.

26 Ad secundum concedo antecedens loquendo via perfectionis, & cognitione scientifica; nō cautē loquimur via originis, & cognitione confusa. Pro quo notandum ex D. Tho. 1. p. q. 40. art. 3. & Opus. 70. q. 4. ar. 2. quod duplex fit abstractio per intellectū. Vna quidem secūdū quod vniuersale abstrahitur à particulari, vt animal ab homine. Alia vero secundum quod forma abstrahitur à materia; sicut forma circuli abstrahitur per intel-

lectum

lectum ab omni materia sensibili. Inter quas abstractiones vnam statuit differentiam S. Thomas, & tres alias addit Caietanus illa quæst. 1. circa 1. concl. Sed quæ facit ad intentum, est, quod per abstractionẽ formalem oritur in eo quod abstrahitur, actualitas, distinctio, & intelligibilitas. In abstractione verò totali oritur in eo quod abstrahitur potentialitatis confusio, & minor intelligibilitas. Cum ergo termini metaphisicales sint abstracti abstractione formali, vt sic non primo cognoscuntur, sed vltimo.

27 Ad tertium Thomas Hurtado membro 3. ad 3. admittit non esse inconueniẽs, quod intercedat aliquod tẽpus, vt intellectus cognoscat prædicata omnia, quæ sunt in individuo: quia dependet à phantasmatibus, quæ tempore mensurantur: & nequit cognoscere prædicatum vniuersalissimum, & infimum, quin cognoscat intermedia. Quod putat expressum S. Thomæ 1. p. q. 85. ar. 3. vbi ait: *Prius occurrit intellectui nostro cognoscere animal, quam cognoscere hominem: & eadem ratio est si cõparemus quodcumque magis vniuersale ad minus vniuersale.* Et ratio est satis efficax, quia quando actus sunt sub ordinati, exiens de potẽtia in actũ, prius informatur actu imperfecto quam perfectiori: semper enim imperfectius est medium ad perfectiũ. Sed quo prædicatum est vniuersalius, eo est imperfectius, & subordinatum in ratione actualitatis perfectiori: ergo prius intellectus informabitur illius intellectione cõfusa, quam cognitione prædicatiorioris, & minus vniuersalis.

28 Cæterum Caietanus illa q. 1. con. 2. & Ioan. à S. Tho. a. 3. §. *quod sinquiras.* Et Ortiz confer. 3. & alij Thomistæ dicunt, quod inter conceptus actuales confusos prædicatorum quidditatiuorum, non est essentialis ordo originis: licèt sit talis ordo inter conceptum entis, & quẽcumque alium. Primum sic demonstrat Caietanus. Quandocumque sunt aliqui conceptus essentialiter ordinati ordine originis, impossibile est extremos generari, nõ genitis intermedijs: alioquin non esset ordo essentialis originis inter illos. Sed de facto habemus cõceptus confusos actuales extremorũ absque intermediorum conceptibus: vt patet experientia: experimur enim nos cognoscere hominem, & substãtiam, & ignorare prædicata intermedia: & cognoscimus substantiam, & indiuiduum, & ignoramus vltimam differentiam: vt fatẽtur Scotistę, & ipse Thom. Hurtado: ergo non est inter istos cõceptus essentialis ordo originis. Licèt cõnaturaliter loquendo, prædicata vniuersaliora prius occurrant: & hoc solum est quod ait S. Thomas.

29 Secundam partẽ probat Caietanus, eo quod conceptus entis est quædam forma generalissima ipsius intellectus: sicut forma corporeitatis est forma generalissima ipsius materiæ. Vnde sicut inter formam corporeitatis, & alias est ordo essentialis: non autem inter alias formas inter se; ità inter conceptum entis, & alios: non autem inter

alios inter se: potest enim post conceptum entis, quodcumque aliud concipi, siue substantia, siue accidens, siue species, siue genus. Deinde, actus naturalis præcedit cæteros, qui sunt extra conceptus autẽ entis est quasi naturalis ipsi intellectui: sicut, & cognitio primi principij, statim sola explicatione terminorũ habetur. Et inde potest assignari discrimen inter informationẽ purè physicam, quæ est mere naturalis, & cognitionem intellectus, quæ subditur volũtati quoad exercitium. Vnde supposita cognitione entis, potest pro libito hoc, vel illud cognoscere.

## §. IIII.

### *Ratio Sancti Thomæ defenditur.*

30 DIco tertio, ratio, qua probat S. Tho. 1. p. q. 86. ar. 3. magis vniuersalia esse priora in nostra cognitione intellectuali, efficax est: imò & *demonstratio quædam physica*, vt ait Thomas Hurtado memb. 5. §. 2. Ratio talis est. Intellectus noster de potentia in actum procedit. Omne autem quod procedit de potentia in actum, prius peruenit ad actum incompletum, qui est medius inter potẽtiam, & actum, quam ad actum perfectum. Actus autem perfectus, ad quem peruenit intellectus, est scientia completa, per quam distincte, & determinate res cognoscuntur. Actus autem incompletus est scientia imperfecta, per quã sciũtur res indistinctè sub quadam confusione. Manifestum, est autem, quod cognoscere aliquid, in quo plura continentur, sine hoc quod habeatur propria notitia vniuscuiusque eorum, quæ continentur in illo, est cognoscere aliquid sub cõfusione quadam: ergo cognoscere magis vniuersale, est cognoscere magis confusè, & minus distinctè: ergo prius occurrit intellectui nostro magis vniuersale, quam minus vniuersale.

31 Cõfirmatur à simili: nam quia sensus exit de potentia ad actum, sicut & intellectus; idem etiam ordo cognitionis apparet in sensu. Nam prius secundum sensum diiudicamus magis commune quam minus commune: & secundum locum, & secundum tempus. Secundum locum quidem, sicut cum aliquid videtur à remotis, prius deprehenditur esse corpus, quam deprehendatur esse animal; & prius deprehenditur esse animal, quam deprehendatur esse homo, & prius homo, quam Sortes, vel Plato. Secundum tempus autem, quia puer à principio prius distinguit hominem à nõ homine, quam distinguat hunc hominẽ ab alio homine. Et ideò pueri à principio appellant omnes viros patres; posterius autem determinant vnumquemque, vt dicitur 1. Phys. tex. 5. Ergo tam secundum sensum, quam secundum intellectũ cognitio magis cõmunis est prior, quam cognitio minus communis.

32 Confirmatur secundo ex eodem D. Tho. ibi: nã qui scit aliquid indistincte, adhuc est in potentia, vt sciat distinctionis principium; sicut qui scit genus, est in potẽtia vt sciat differ-

differentiã. Et sic patet, quod cognitio indistincta media est inter potentiam, & actum. Ergo intellectus exiens de potentia ad actum, prius actuatur cognitione indistincta, & confusa magis. Cõsequentiam probat S. Tho. solutione ad 1. quia via generationis ea, quæ sunt imperfecta, & in potentia, sunt priora. Quod apparet manifeste in generatione hominis, & animalis: nam prius generatur animal, quam homo, vt dicitur lib. 2. de Gen. anim. c. 3. & vt notat Soncinas 7. Metaph. q. 11. Si forma per quam Sortes est substantia, esset distincta ab ea per quã est corpus, pri' reciperetur forma substantię, quam forma corporeitatis. Idẽ etiam patet de vegetatiuo respectu sentitiui, vt dicitur 2. de Anima textu 31.

33 Tertio confirmat Sõcinas ibi sic arguẽs. Ab agẽte naturali prius, saltem natura, procedit actus imperfectus, quam perfectus; siue agat successiuè, siue in instanti. Ignis enim prius natura introducit calorem vt duo, quam vt quatuor, aut sex. Et Sol prius natura causat lumẽ remissum, quam intensum; quia gradus perfectior præsupponit gradum imperfectum. Sed notitia cõfusa est imperfecta respectu notitiæ distinctæ: & intellectus est agẽs naturale: ergo prius causat notitiã confusam, quam distinctam: & inter confusas, notitia confusissima est prior.

34 Sed contra rationem hanc instant Scotistæ apud Caietanũ, quia non est vniuersaliter verum, quod intellectus procedat de notitia imperfecta ad perfectam: vt patet cũ procedit de notitia præmissarũ ad conclusiones: & à notitia causæ ad notitiam effectus. Similiter axioma S. Thomæ. *Omne quod procedit de potentia ad actum, &c.* instatur: nam aer illuminatus non prius imperfecte, deinde perfecte illuminatur à Sole. Similiter intellectus prius recipit actum, quam habitum. Et tamen habitus est perfectior habitu.

Deinde ratio videtur in æquiuoco laborare, quia aliud est loqui de notitia actuali vniuersalis, aliud loqui de notitia virtuali eorum, quæ in ipso includuntur. Vnde licet notitia particularium in vniuersali sit confusa; tamen notitia actualis ipsius vniuersalis est distincta. Et hoc sufficit vt magis vniuersalia nõ sint confusa magis.

Tertio contra primam confirmationem arguitur: nam sensus non cognoscit, nisi singulare: ergo non prius cognoscit magis commune: neque maior communitas potest esse ratio prius mouendi sensum.

35 Ad hæc omnia siggillatim respondet Caietanus §. *quoad quartum*. Et in primis ait, quod sensus propositionis S. Thomæ est. Intellectus exiens de potentia ad actum vltimate perfectũ transiturus per multos actus medios, prius peruenit ad actum imperfectum, quam perfectũ. Et habetur ista propositio ex 8. Physicor. text. 58. & 9 Metaph. tex. 15. & in lib. 2. de part. anim. quod *priora via generationis sũt imperfectiora*. Addit quod processus naturæ, & intellectus est duplex: alter secũdum ordinem generationis tantum: alter

secundum ordinem generationis, & causalitatis effectiuæ, vel finalis.

36 Vnde ad primam instantiã dicit, quod præmissæ nõ sunt priores conclusione via generationis tãtũ, sed etiam ordine causalitatis effectiuæ, vt dicitur 2.Phys.textu 31.vt testatur S.Tho.ibi. Et ideò sufficit, quod notitia earũ sit imperfectior secundum quid. Vnde etiam in genere causæ materialis collocantur 2.Phys.& 5.Metaph.tex.32. Idem dicit ad secundam de processu notitiæ causæ ad effectum. Ad aliam de aere illuminato dicit, quod non est ad propositum, quia illuminatio non est successiua; cõceptus vero generis, & speciei sibi succedũt. Faltum quoque est, quod actus præcedens habitum, sit simpliciter habitu perfectior: licèt hoc sit verum de actu elicito ab ipso habitu. Talis autem est posterior habitu.

37 Ad secundum respõdet, quod S.Thomas vult, quod notitia distincta animalis vt eũ totum diffinibile, sit notitia cõfusa animalis vt est totum vniuersale, & consequenter est notitia confusa specierum: in quo nulla est æquiuocatio: & talis notitia est cõfusa; siquidem minor est confusio actualis, quam potentialis.

38 Ad tertium respondet sensum non cognoscere magis commune in se: sed cognoscere singulare cõmunius: quia licèt solus intellectus cognoscat vniuersale *reuinaliter*; sẽsus feruntur in sua obiecta *communiter* aduerbialiter, vt diximus lib. 2. Physic.quæst.21.§.5. Et ideò dicitur, quod natura talis est ratio mouendi sensum, & non natura communis.

39 Frequenter solutiones istę Caietani acceptãtur à Thomistis. Illa tamen expositio propositionis S. Thomæ displicet Ortiz conferẽt. 2.§.3.ad 2. Nam illa est clara petitio principij: nam argumentum affert instantiam de agente incipiente ab actu perfecto, & non transeũte per plures actus inęquales: Sol enim est agens naturale exiẽs de potentia ad actum, & non transit per plures actus inæquales attingendo prius imperfectum, & deinde perfectum: ergo de ratione agentis naturalis non est trãsire per actus inæquales, quando exit de potentia ad actum: & consequenter hac via nõ ostenditur nostrum intellectum debere incipere ab imperfectiori.

40 Quare ipse respondet: quod propositio D.Thomæ debet intelligi de agente naturali existente in pura potentia, & habẽte virtutem debilem: cum hoc enim magis proportionatur actus imperfectus, quã perfectus. Et ideò intellectꝰ noster incipit ab imperfectiori: intellectꝰ verò Angeli statim prorumpit in actum perfectum, sicut & Sol, qui est in actu perfecto ad operandum.

41 Cęterum, vel vtraque, vel neutra solutio laborat vitio petitionis principij: quia etiam contra hanc potest replica facta vrgeri: quia virtus debilis habet actus inadæquatos.

tos. Vnde si instantia non militat in virtute imperfecta, nec vrget in virtute habente actus inadæquatos. Amplectenda ergo est vtraque solutio: siquidem solis vocibus differunt, & neutra principium petit: quia potentia, quæ procedit ad actum via originis, & imperfectionis (vt nunc loquimur) non potest nō transire per multos actus, & à principio clarum est, quod non est in actu perfecto. Præterquamquod iam etiam diximus cum Soncinate, quod ipsa agentia perfecta prius natura producunt gradum imperfectum.

Et Rursum ipse Sanctus Thomas prima parte quæstione 85. articulo tertio ad quartum, concludit, *quod non oportet, quod cuiuslibet causæ, vel principij cognitio sit posterior quoad nos, cum quandoque cognoscamus per causas sensibiles effectus ignotos; quandoque autem è conuerso.* Quod pro alijs instantijs soluendis est notandum. Sicut, & quod Sanctus Thomas docet ad tertium, quod *diffinientia absolute considerata, sunt prius nota, quam diffinitum: alioquin non notificaretur diffinitum per ea. Sed secundum quod sunt partes diffinitionis, sic sunt posterius nota: prius enim cognoscimus hominem quadam confusa cognitione, quam sciamus distinguere omnia, quæ sunt de hominis ratione.*

## §. V.

### *Quid entis nomine intelligatur?*

42 Dico quarto, cum dicitur, quod ens est primum cognitū, accipitur *ens* cōmunissimè; nō tamen in statu abstractionis, sed in statu concretionis ad naturā materialem; non solum quia ab ista natura abstrahitur; sed quia cognitione cōfusa non attingitur ens abstractè, sed concretè ad naturam proportionatam. Prior pars probatur ratione factaSancti Thomæ, quia quo prædicatum est communius, conceptus est imperfectior, & prior via originis: & pro tunc ratio hæc est proportionata vt cognoscatur quoad an est: quod sufficit ad conceptum confusum entis. Et hanc conclusionem tenent Caietanus, & Soto, & Soncinas, qui arguit ex eo quod cōceptus entis includitur in cōceptu omnium. Nec negare possunt Thomistæ, qui hac ratione negant conceptum entis posse perfecte præscindi, propter vniuersalitatem, & transcendentiam eius maximam. Vnde esse ens communissimè primum, quod attingitur ab intellectu nostro, docet Sanctus Thomas 1.p.q.5.artic.2.& q.11.artt.2. ad 4.& 1.2 q.55.artic.4.ad 1.& q. 94.art.2.& q.1.de Verit.artic.1.& q.21.art.1.corp.& artic.4.ad 4.& q.9.de Pot.art.7.ad 6.& alibi sæpè.

43 Secunda pars est S. Thomæ 1. p.q.87.art.3.ad 1.& q.88.art.3.& est ad mentem Caiet.illa q.1.conc. 1. nec negatur ab asserentibus primam

mam conclusionis partem: quia in illa fit mentio de gradu cognito; & in secunda loquimur de statu, & modo sub quo cognoscitur. Et ratio est, non solū quia quidditas rei materialis est obiectum proportionatum nostri intellectus pro hoc statu, vt iam supra diximus. Sed etiam sumitur ex differentia cognitionis scientificę, & Metaphisicæ, à cognitione confusa: nam illa accipit ens in abstractione; ista sumit ens in concretione. Et ideò S. Thomas 1.p.q.85.art.3.ad 1. & 4. ait quod intentio vniuersalitatis, quæ prouenit ex abstractione intellectus non pertinet ad primum cognitum: & affert Phylosophum 1.de Anima textu 8 dicentē, *quod animal vniuersale, aut nihil est, aut posterius.* Quando ergo magis vniuersale asserimus primum cognitum, loquimur de ente concrete, & nō abstracte, nec logice, nec metaphisice.

44 Sed contra priorem partem conclusionis probatur, quod gradus corporis, seu entis materialis sit primum cognitum. Primo, quia primum cognitum debet esse obiectum proportionatum nostro intellectui pro illo statu: diximus autē, quod obiectum proportionatū nostri intellect⁹ pro hoc statu est quidditas materialis: & ideò hæc erit primum cognitum. ¶ Secundo: nā S. Thomas arguit à paritate sensus ad primum cognitum intellectus: & tamen primum cognitum sensus visus, cum à remotis videmus, affirmat S. Tho. esse corpus: quod & ipsa experientia comprobatur: ergo primum cognitum nostri intellectus pro isto statu est gradus corporis. Tertio, omnis nostra cognitio ortum habet à sensu, & fit medio phantasmate corporeo, & sensibili, & quod est virtus sensibilium: ergo non potest primo determinari ad ens vt sic, sed ad ens vt corporeū.

45 His argumentis probatur secūda pars quartæ conclusionis; sed neutiquā prima labefactatur: quia obiectum proportionatū dicit duo & obiectum, & statum obiecti: obiectum est ens; status est concretio ad naturam sensibilem: & quanto cognitio entis est magis confusa, tā to est vniuersalior & imperfectior: ac per consequēs magis proportionata intellectui exeunti de potentia; quia actus imperfectus est medius inter potentiam puram, & actum perfectum.

46 Ad secundum dicitur, quod argumentum à paritate, non est argumentum ab identitate: sed à quadam ratione proportionali: quia *sicut sensus se habet ad sensibilia, ita intellectus ad intelligibilia.* Sed tamen est discrimen, quod sensus non pertingūt vltra sensibilia; intellectus verò habet pro obiecto ipsam communem entis rationem. Et in simili rationem discriminis assignat S. Thom. 1.p.q.84.art.1.ad 2. *quia inferior virtus non se extendit ad ea, quæ sunt superioris virtutis; sed virtus superior ea, quæ sūt inferioris virtutis, excellentiori modo operatur.*

47 Tertium argumentum, in quo aliqui magnam vim faciunt, potest contra eos retorqueri: quia si quid probat, ostendit quod vniuersalia nequeunt cognosci, nec spiritualia:

quia

quia horum non sunt phantasmata. Respondet ergo S. Thomas 1.p.q. 84.a.6.ad 3. quod *sensitiua cognitio nõ est tota causa intellectualis cognitionis. Et ideò non est mirum, si intellectualis cognitio vltra sensitiuam se extẽdit.* Et hac de causa ponimus intellectum agentem, quia phãtasmata non sufficiũt determinare intellectũ ad spiritualia, & vniuersalia: vt patet ex Diuo Thoma q.79.art.3.&.4. & constat ex dictis q.23.

48 Vnde bene notat Soncinas 7. Metaph.q.11.initio. Quod intellectus agens, & phãtasma primo causant speciem imperfectam, scilicet, speciem representantem obiectum solum vt est ens; & postea speciem representantem ipsum vt est substãtia, vel accidẽs, & vltimo vt est talis speciei: quia facilius reducitur ad actum imperfectum, quã ad perfectum: & vsque dum vsu phantasmatis, & speciei, facilitetur, & vigoretur intellectus, non valet speciem, & actum perfectæ cognitionis elicere. Et ideò ex natura ltatus incipientis ab imperfecto determinatur intellectus vt incipiat à conceptu, & specie confusa entis, suppositis requisitis ad operãdum speciebus spiritualib⁹ abstractis à phãtasmatibus corporum.

## QVAESTIO XXVIII.

### *Vtrùm intellectus noster cognoscat singularia directè?*

### §. I.

### *Opiniones Doctorum.*

1 INtellectum nostrum cognoscere singularia directè, & per propriam speciem, tenẽt Scotus in 4. dist.45.q.3. Durandus in 2.dist.3.q. 7. Ariminensis in 1.dist.3.q.1.art.1. concl.3. & alij, quos referunt, & sequuntur Suarez lib.4. de Anima c. 3.n.3.& 5. Rubio & Arriaga hic, & Auersa q.58.sect.4.& alij.

2 Cæterum intellectum nostrũ pro isto statu non cognoscere singularia materialia directè, sed indirectè, & per quandam reflexionẽ, indicat Philosophus 3. de Anima text.10.& docet S. Thomas ibi lectione 8.& 1.p.q.86.ar.1.& q.vnica de Anima art.20.ad 1. & vniuersi Thomistæ. Insuper Henricus Quodl.4.q.21.& AEgidius in 2.distin.3.q.4.& in tractatu de cognit. Angel.q.9. Abulensis Matth.25.q. 617. Fonseca 1.Metaph. c.2. sec.5. q.3. Conimbric.3.de Anima cap.5. q.4.art.3.

3 Sed non vna via defenditur. Nam Capreolus in 1.distin.35.q.2. ad arg.contra 4. probabilius existimat, quod intellectus non attingit singulare per proprium actum; sed illud attingitur à potentia cogitatiua. Caietanus verò 1.p.q.80.art.2. & q.86.artic.1. negat in intellectu esse conceptum proprium rei singularis; sed solum docet nos cognoscere singulare arguitiue. Pro qua sententia citantur Alexander, Philoponus, Themistius, & Auer-

rois

rois 3.de Ani.cō.9.Mirand.lib.23. de euerſ.ſing.cert.ſec.4. Aureolus in 1.diſt.35.q.4.art.1. & AEgidius Quodl.1.q.9. Flandria 7. Metaph. q.21.art.2.& nouiſsime tenet Thomas Hurtado de Anima ſenſ.cont. 3.memb.7.& 8.referēs Scotum in 3.diſt.10.q.3.ad vlt.& 7.Metaphi. q.15.& Scotiſtas relatos a Fabro Theoremate 86.

4 Per oppoſitum PP. Carmelit. diſp.18.de Anima q.6.& diſp.21. q.6.non ſolū in intellectu agnoſcūt conceptum propriū ſingularis; ſed diſtinguunt duo ſpecierum intelligibilium genera: aliud earum quæ nulla præcedente cognitione intellectus reſpectu obiecti repræſentati per illas; ſed per abſtractionem intellectus agentis producuntur: aliud vero illarum, quæ fiunt poſt intellectionem obiecti repreſentati per eas, & ex intellectione ipſa facta per aliam ſpeciem per ſe primo repreſentantem aliud obiectū, relinquuntur: de quibus inquiūt facere mētionem S.Thomam 1.p. q.12.art.9.ad 2.& q.78.art.4.& Opuſc.43.Dicunt ergo ſpecies cauſatas per abſtractionem, non repreſentare ſingulare directè: ſpecies tamē relictas ex precedēti intellectione, poſſe formaliter, & quodammodo directe eſſe repreſentatiuas illius. Referūt D.Thomam, & Authores pro eius ſententia relatos, in quorū nullo ego eam inuenio.

5 Denique alij negant in intellectu noſtro dari vllam ſpeciem repreſentantem directè ſingulare materiale; & tamen docent intellectū cognoſcere ſingulare proprio conceptu, quamuis reflexe. Ita Ferrara 3.de Ani. q.13.& 1. Contra g. c.65.rat.8.ad 3.dub.Soto 1.Phyſi. q.2.art.2.late Bañez 1.p. q.86.art. 1.tribus dubijs. Ibi Serra. Zumel.1. p.q.14.art. 11.q. vnica. Ibi Albelda diſp.41.n.22.Araujo lib.2. Metap. q.4.art.4.Ioann.à S.Thoma q.10. de Anima art.4. & frequenter Authores ſecūdæ principalis ſentētiæ.

6 Supponunt omnes relatæ ſē tentiæ, quod duplex eſt cognitio, ſcilicet, directa, & reflexa: de quarum diſtinctione ſatis conſtat ex dictis q.19.§.4. Nūc addendū ex Ferrara 3.de Anima q.6.§. *ſciendū quarto*, quod cognitiones illæ per ſimilitudinem ad motum continuum, & reflexum nominantur. In motu enim continuo recto ſemper proceditur, & illud quod eſt terminus ad quem in actu, non fit terminus à quo; neque terminus à quo in actu fit terminus ad quem. In motu autem reflexo terminus ad quem fit termin⁹ à quo: vt motus qui fit per eandem lineam, & è conuerſo. Similiter ergo cognitio directa eſt quæ ex principio cognoſcendi intellectus fertur in cognitum; & res cognita, quæ eſt terminus cognoſcēdi, non efficitur principium cognoſcendi id quo fuit cognita, neq; illud principium efficitur termin⁹. Cognitio autem reflexa eſt illa in qua, id quod fuit principium cognitionis, efficitur terminus, & quod fuit terminus, efficitur principium. Sicut ſi per rationale intellecta riſibilitate, per riſibilitatem poſt modū rationale à poſteriori cognoſceretur. Hæc ibi.

§.2.

## §. II.

### *Nulla species intellectus nostri directe representat singularia.*

7 Dico primo, in intellectu nostro non datur species directè representatiua singularis materialis. Hanc conclusionem probat S. Thomas 1.p.q.86.ar.1. & q.14.ar. 11.ad 1.inquit *dicendum, quod intellectus noster speciem intelligibilem abstrahit à principijs indiuiduantibus. Vnde species intelligibilis nostri intellectus non potest esse sine vitudo principiorum indiuidualiũ.* Et formatur ratio sic. Species abstrahens à principio indiuiduali, nõ potest directe representare singulare materiale: sed species nostri intellectus, quæ fiunt ministerio phãtasmatum, & abstractione intellectus agentis, abstrahunt à principijs indiuidualibus: ergo species istæ nõ representant directe singularia. Maior patet, quia indiuiduum constituitur per principia indiuidualia: & ita representari nequit non representatis principijs indiuidualibus. Vnde cũ species non representet directe id à quo abstrahit; si abstrahit à principio indiuiduali, non potest directe indiuiduum, & singulare representare. Minor est cõmunis Philosophorum, & Theologorum: & constat ex dictis, quia spiritualitas, & immaterialitas est ratio cognoscibilitatis, & representabilitatis: principia autẽ indiuiduationis singularis materialis sunt materialia: & idcò nisi ab illis abstrahat intellectus, non potest formare speciem intelligibilem, in qua natura sit in actu primo intelligibilis.

8 Respondet Suarez n.10.ex hac ratione solum posse inferri speciẽ, per quam intellectus cognoscit singularia, debere esse spiritualem; cũ quo stat representare posse rem singularẽ: quia in specie spirituali corporalia possunt representari.

Sed contra aperitur æquiuocatio ex D.Thoma q.2. de Veritate art. 5.in fine cor. & 1.p.q.56.artic.1.ad 2.& q.76 art.2.ad 3.& multis alijs locis relatis in tabula aurea, verbo *intellectus* n.48. Et ex Ferrara vtroq; loco supra relato notãtibus, quod singulari non repugnat directe representari, quia singulare, & materiale: constat enim, quod essentia diuina representat singulare materiale; & species, quæ sunt in Angelis, illa representant: imò, & speciebus quæ a Deo infunduntur animabus separatis quodammodo singularia representari, constat ex D.Thoma 1.p.q.89.art.4. Sed quod dicimus repugnare, est quod species causentur per abstractionem à singularib⁹ (vt causantur omnes species productæ ab intellectu agente ministerio sensuum, & phantasmatum) & tamen directe representent singularia: quia ex natura rei repugnat, quod species directè representet id à quo abstrahit: & abstrahere nequit à materia, & non abstrahere à principio indiuiduationis rei materialis: & consequenter idem est speciem fieri abstractione, & directe non representare singulare materiale. Nam, vt ait S. Tho. illa q.86.

quod

*quod à materia individuali abstrahitur, est vniuersale.* Principium autem singularitatis in rebus materialibus est materia individualis. Vnde eo ipso quod intellectus noster intelligat abstrahendo speciem intelligibilē ab huiusmodi materia, non potest non species intelligibilis directè re presentare vniuersale, & minime valet directè representare singulare: quia, vt ait S. Thomas 1.p.q.76. art.2.ad 3. *Si species sit abstracta à conditionibus materiæ individualis, erit similitudo naturæ absque his, quæ ipsam distinguunt, & multiplicant. Et ita cognoscetur vniuersale.*

9 Secundum fundamentum Diui Thomæ est: nam ideò est necessariū ponere intellectum agentem, quia nec obiecta ad extra, nec phātasmata sunt intelligibilia actu, sed *sunt potentia immaterialia*, vt ait S. Thom. 1.p.quæst.79.artic.4. ad 4. Et ideò non sunt causa principalis speciei impressæ in intellectu: quia vt singularia, & materialia non sunt actu intelligibilia; & ideò opus est eleuatione, & abstractione intellectus, qua depurantur, & fiunt habilia, vt causent immaterialiter, & intelligibiliter. Sed tota hæc ratio Phylosophi, & S. Thomę eneruatur: si species causāda directè representat singulare materiale: quia ad hoc sufficerent ipsa phantasmata: sicut ad causandas species sensibilium sufficiunt ipsa sensibilia: quia sensibilia inueniuntur actu extra animā: & intelligibilia inuenirētur actu extra animam, si singularitas rei materialis non impediret actualem intelligibilitatem: ergo species causabiles à sensibus, & phantasmatibus nō representāt directè singularia: immò istorum principia relinquūt, vt species inde abstractæ representent vniuersalia.

10 Tertio, species intellectus nostri per se primo representāt, id quod est proprium eius obiectum: sed obiectū propriū intellectus est quod quid est, ad differentiā sensus, quod versatur circa accidentia exteriora: ergo species per se primo representant quidditatem, seu naturam, & reliqua representant immaterialiter, & per modū quidditatis. Minor est Phylosophi 3. de Anima, & S. Tho. 1.p.q.17 ar.3.ad 1. & q.18. ar.2. vbi ait, *quod intellectus noster, qui proprie est cognoscitiuus quidditatis rei, vt propri obiecti, accipit à sensu: cui propria obiecta sunt accidētia exteriora.* Idē docet ibi q.57.ar.1.ad 2.& q.58.ar. 5.& 1.2.q.3.art.8.& 2.2.q. 8.art.1. ait: quod *dicitur intelligere, quasi intus legere.* Et tertia parte quæstione decima articulo tertio ad secundum, & quæstione 76.art.7.& sæpissime alibi.

11 Sed obijcies primo: nā ipsam singularitatem cognoscimus: siquidē eam diffinim⁹, vt patet ex dictis libro 1.Logicæ q.23. loquendo de diffinitione individui: ergo non repugnat, quod singulare materiale directè representetur speciebꝰ nostri intellectus.

Respondetur cū Ioā. à S. Thoma notab.2. quod singulare potest dupliciter cognosci: vno modo in actu signato, & vt quidditas quędam est;

est: sicut cognoscitur alia quidditas: alio modo in actu exercito, prout rē ipsam singularizat, & sub conditionibus materialibus modificat. Non ergo negamus, quod intellectus potest directè attingere ipsam singularitatem per modū quidditatis; sed solum asserimus, quod non potest representare singularitatem materialē in exercitio vt modificat naturam, & facit indiuiduā.

12 Obijcit præterea Suarez: nam res vniuersales materiales representantur per speciem spiritualem. Ergo & singulares poterunt representari.

Respondetur quod si species essent infusæ, & non abstraherent à conditionibus indiuiduantibus, bene possent singulare directè representare: sed de his non loquimur; sed solum de abstractis à nostro intellectu medio phantasmate. Sed pro isto & alijs argumentis soluēdis notandum, nos non negare singularia representari, & attingi ab intellectu: sed solum asserere non representari directè, & sensibiliter, eo modo quo attinguntur singularia à sēsibus externis, & internis. Vnde S. Thomas q. 20. de Verit. art. 2. & q. vnica de Anim. ar. 20. ad 3. ait, *quod id quod potest virtus inferior, potest superior; non tamen eodem modo, sed excellentiori. Vnde easdem res, quas sensus percipit materialiter, & intellectus immaterialiter, & vniuersaliter cognoscit.* Et 1. p. quæst. 86. artic. 1. ad 4 ait, *quod virtus superior potest illud, quod virtus inferior, sed eminentiori modo. Vnde id quod cognoscit sensus materialiter, & concrete (quod est cognoscere singulare directè) hoc cognoscit intellectus immaterialiter, & abstractè: quod est cognoscere vniuersale.*

13 Dico secundo, neque species intelligibiles relictæ ex præcedenti intellectione, possunt directe, & formaliter representare singularia materialia. Meo videri eisdem authoritatibus, & rationibus probatur hæc conclusio ac præcedens, quia omnes procedunt, non tantū de prima abstractione specierum, sed etiam de omni specie facta ab intellectu agente, etiam adiuncta secunda cognitione. Vnde Sanctus Thomas prima parte quæstione 86. articulo primo, ait, *quia sicut supra dictum est* quæstione 84. articulo septimo, *etiam postquam species intelligibiles abstraxerit, non potest secundum eas actu intelligere, nisi conuertendo se ad phantasmata, &c.*

Ex quo sic primo probatur conclusio. Ex eadem radice prouenit necessitas conuersionis ad phantasmata & quod singularium materialium non detur in nostro intellectu species directè representatiua: sed etiam in secunda cognitione, & in omnibus cognitionibus naturalibus viæ, est necessaria conuersio ad phantasmata: ergo in omnibus speciebus viæ nulla species nostri intellectus directè representat singularia materialia. Et hoc argumento vtitur Serra.

14 Secundo probatur exemplo Ferrar. illo cap. 65. rat. 8. dub. 3. nā quando intellectus deuenit in cognitionem vnius ex alterius cognitione,

tione, nō requiritur semper, vt propriam de illo speciem habeat: sicut quia Angelos ex sensibilibus cognoscimus; species, & similitudines corporales, & earum phantasmata deseruiunt cognitioni Angelorū, non solum primæ, sed omni cognitioni viæ. Cum ergo intellectus noster non valeat cognoscere singularia primo, & directè, etiam post species abstractas, & cognitas, ipsæ species vniuersales remotè, & mediatè deseruiēt cognitioni singulariū.

15 Aliud exemplum indicat ibi dub.4. in fine: quia species sensuū, quæ non representant substantiam, nisi peraccidens, ducunt in cognitionem substantiæ, inquantum ipsi coniungitur perse visibili: sed natura perse representata in specie, coniungitur singularitati, quæ directè attingitur ab imaginatione: & sic species mediatè, & peraccidens representat singulare: vt docet S.Th. q.2.de Verit.art.6. Cum ergo hoc procedat in omni cognitione singularis, numquam immediatè, perse, & directè dabitur in intellectu species singularis.

16 Sed obijciunt PP. Carmel.n. 99. & 100. nam per cognitionem reflexā relinquitur in intellectu noua species intelligibilis: quia dicit S.Tho.1.p.q.12.ar.9.ad 2.q.78.ar. 4. *quod aliquæ potentiæ cognoscitiuæ sūt, quæ ex speciebus primo conceptis alias formare possunt*: ergo ista species representabit singulare formaliter, & quodammodo directè. ¶ Secundo, quia est dispar ratio inter species, quæ fiunt abstractione, & eas, quæ fiunt cognitione reflexa: nam primæ cōmēsurantur cum obiecto primario, & connaturali intellectui; & ipsum tantummodo formaliter, & directè representant: at verò species secundo formatæ possunt cōmensurari cum obiecto materiali, aut secundario intellectus: nam cū relinquantur ex præcedente intellectione: & hæc possit versari circa obiectum secundarium, & materiale, quia illud cognoscitur vt *quod*: possunt immediatè illud representare: & ita dabitur in intellectu nostro species quasi directè, & formaliter representans singulare materiale.

17 Respondetur primo, illud antecedens esse verum de specie expressa, de qua loquitur S. Thomas: non tamen de specie impressa: quia omnes impressæ causantur in intellectu ex motione ipsarum rerum, & per abstractionem à materialib⁹ cōditionibus. Quæ solutio est Ferrariensis illo dub.3. §. *nec obstat*, vbi negat in intellectu omnem speciē impressam directè representantem singulare, & admittit speciem expressam, dicens. Non autem repugnat intellectui similitudinem habere singularis: quæ sit conceptus ab ipso intellectu formatus, dum cognoscendo speciem intelligibilem, ex ipsa cognita format in se cōceptum phantasmatis, & singularis, à quib⁹ ipsa species est aliquomodo causata. Nec oportet vt abstrahat ab hic, & nunc intellectus, quantū ad ea, quæ cognoscit reflexe, licèt in se immaterialis sit: quia ille conceptus immaterialis existens, & nō determinatus ad hic, & nunc in essendo

sendo, materiales conditiones immaterialiter repræsentat, sicut, & species intellectº angelici. Hæc ibi. Quod & sequitur Bañez dubio. 2. not. 2. ante solut. ad arg. Quod potest explicari à simili ex doctrina S. Thomæ 1. p. q. 87. art. 1. nam animę nostræ non habemus speciem propriam; & tamé formamus illius proprium conceptum.

18 Secundo respondetur concesso antecedenti, negando consequẽtia n. Et est instantia cum cognoscimus Angelos, & animam nostram; quorum non datur nec in secunda cognitione species propria: & tamen datur conceptus proprius.

19 Ad secundum M. Ioannes à S. Thoma conc. 3. asserit duo obstare ne in reflexa cognitione species directè repræsentet singulare. Primo obstat ipsa immaterialitas speciei, non solum in entitate, sed etiam in repræsentatione: debet enim necessario correspondere illi obiectum repræsentatum immaterialiter: ergo sine conditionibus materialibº, quæ ipsum reddunt sensibile: atque adeo non intelligibile, & immateriale actu. Secundo obstat, quia si illa species repræsentat terminationem reflexionis vt talem, oportet ibi præsupponi directum in ordine ad quod reflexa illa terminatio ponitur: vnde nõ est repræsentatio directa singularium, sed ipsa natura vniuersalis. alias reflexionẽ nõ terminat, sed absolute, & directe repræsentabit singulare: quod in illo conceptu antea non erat.

20 Sed quicquid sit de hoc, facile impugnatur illa disparitas, quia singulare materiale numquam est immediatè proportionatũ vt illius detur directa repræsentatio facta à nobis: quia illius non dantur causæ proportionatę. Vnde sicut propter excessum in modo essẽdi, nõ formamus, etiam secũda cognitione, species proprias angelorum; ita è contra propter materialitatem singularium, etiam secunda cognitione non formamus speciem directè commensuratam singulari materiali: quia vt ait S. Thomas 1. parte quæstione. 85. articulo 1. *Necesse est dicere, quod intellectus noster intelligit materialia abstrahendo à phãtasmatibus, & per materialia sic considerata in immaterialium aliqualem cognitionem deuenimus: sicut e contra Angeli per immaterialia materialia cognoscunt.*

## §. III.

### *De conceptu reflexo proprio rei singularis.*

21 Dico tertio, in intellectu est cognitio rei singularis; non directa, sed reflexa. Prior pars est manifesta: quia fides, quæ est in intellectu, est de multis singularibus à Deo reuelatis in Sacra Scriptura. Et est de Christo, qui est Deus, & homo singularis. Adam etiam Genes. 2. imposuit rebus nomina: quod sine rerum cognitione singulari non posset facere. Docet etiam S. Thomas 1. part. quæst. 86. artic. 1. quod *intellectus formet hanc propositionem, Sortes est homo.* Et ad secundum fatetur

intellectum practicum dirigere ad agendum, *in quantum electio particularis operabilis est quasi conclusio syllogismi intellectus practici, vt dicitur in 7. Ethicorum* cap. 3. Ergo intellectus cognoscit singularia,

22 Secūda pars est eiusdē D. Thomæ ibi in cor. & ad 2. & 2. 2. q. 47. art. 3. ad 1. & q. 49 ar. 2. ad 1. & 1. p. quæst. 50. arti. 2. & quæst. 86. artic. 3. & quæst. 89. artic. 4. Et innumeris alijs locis relatis in tabula aurea verbo *intellectus* num. 49. & 51. Et probatur ratione S. Thomæ 1. Contrag. cap. 48. & q. 2. de Verit. artic. 6. *qualibet actio sequitur conditionem formæ, quæ est principium actionis.* Similitudo autem cogniti, qua informatur potētia cognoscitiua, & dicitur species impressa, est principium cognitionis secundum actū. Vnde cum species intellectus nostri non representent directè singularia materialia; quia abstrahunt à materia, & ab omnibus materialibus cōditionibus; relinquitur quod intellectus noster, per se, & directè loquēdo, singularia materialia non cognoscat.

23 Dico quarto, reflexa ista cognitio potest explicari; vel quia species naturæ determinatur à phātasmate; vel quia intellectus super actum, & speciem, & super phantasma, à quo causatur, reflectitur: & tertio, quia cognoscit phantasmata vt exemplaria rerum: & quarto, quia cognoscit cōtinuationem sui obiecti cōcreti in singulari: quæ reflexio compleri nequit nisi per virtutem cogitatiuæ, & imaginatiuæ. Ita S. Thomas quæst. 2. de Veritate artic. 6. & de Anima artic. 20. ad 1. & quæst. 10. de Veritate artic. 5. Et tenent Ferrara, Soto, & Iauellus, quos citat, & late sequitur Bañez dubio 1. & Hurtado memb. 8.

24 Dico vltimo, in intellectu est cōceptus proprius singularis; licèt nō directus, & per proprias species. Hanc esse ad mentem S. Thomæ sic patet: nam ipse S. Thom. 1. p. quæst. 78. arti. 4. ad 2. ait, quod *oportet quod qui inter aliqua discernit, vtrumque cognoscat.* Et ita si intellectus proprie discernit inter vniuersale, & particulare, debet vtrūque proprie cognoscere. Sed sæpè docet S. Thomas intellectū cognoscere extrema propositionum singulariū, vel quarum vna est de extremo singulari: vt patet 1. p. quæst. 86. artic. 1. cor. & ad 4. & quæst. 10. de Veritate art. 5. ad 3. & in 4. dist. 50. quæst. 1. artic. 3. ad 3. & alibi sæpè: ergo admittit S. Thomas conceptum proprium rei singularis. Et hæc sit prima ratio sūpta ab experientia, quia intellectu formamus syllogismos expositorios.

25 Secundo, vt formetur conceptus proprius rei singularis sufficit, quod cognoscatur eorum distinctio inter se, & conuenientia in natura vniuersali, & per quid ab illa differunt: sed totū hoc experimur intellectu nostro attingere: & disputam⁹ quid addat indiuiduum supra speciē? Et qualiter hoc indiuiduū differat ab illo? Ergo habemus proprios conceptus rei singularis.

Tertio, intellectus practicus nō potest distincte operari, quod non cognoscit distincte: sed intellectus

prac

practicus est operatiuus rei singularis distinctè, & perfectè: vt patet in artificiatis, & in operibus prudentiæ, quæ versatur circa singularia contingentia: ergo in intellectu est conceptus propius rei singularis.

26 Denique probatur ratione S. Thomæ ad 4. *Nam virtus superior potest illud quod virtus inferior, sed eminentiori modo.* Vnde cum inferiores sensus cognoscant singularia imperfectè, & concrete; intellectus cognoscet singularia proprio conceptu; licet *immaterialiter, & abstractè* per species vniuersales.

27 Sed contra istam conclusionem opponunt primo authoritatē Sancti Thomæ, qui quæstione secūda de Veritate art. 6. ad tertiū, ait, *quod homo cognoscit singularia per imaginationem, & sensum; & ideò potest applicare vniuersalem cognitionem, quæ est in intellectu, ad particulare; non enim, propriè loquendo, sensus, aut intellectus cognoscūt, sed homo per vtrumque, vt dicitur in secundo de Anima* textu 61. Et quæstione decima de Veritate articulo quinto, ait. *Vniuersalem vero sententiā, quam mens habet de operabilibus, non est possibile applicare ad actum determinatum, nisi per aliquam potentiam mediā apprehendentem singulare; cuius maior sit vniuersalis, quæ est sententia mentis; minor autem singularis, quæ est applicatio particularis rationis, conclusio vero electio singularis operis, vt dicitur tertio de Anima* textu 77. & 78. Idem habet quæstione 20. de Veritate articulo secūdo, & septimo Metaphysicæ lectione octaua, & tertio de Anima lectione octaua. Ergo solum peraccidens, vel arguitiuè intellectus cognoscit singularia: & ita de illis non formant proprium conceptū.

Respondetur, quod si verba ista rudi minerua, & in cortice litteræ accipiantur, sonant aliquid absurdum, & contrariū ipsi Sancto Thomæ eisdem locis, nempe, quod in intellectu nulla sit cognitio singularis, nec indirecta: cum ergo hoc nō sit affirmandum esse de mente Sancti Thomæ, cum contrarium ibi dicat; ideo est exponendus de cognitione propria, & directa, & per proprias species: nam vt hanc homo habeat, debet vti, non solo intellectu, sed etiam sensibus internis, qui quia non sunt in anima separata; ideò *per modum istum anima separata singularia non cognoscit*, vt notat Sanctus Thomas quæstione vnica de Anima art. 20. ad 1.

28 Rationes quatuor latè obijcit Thomas Hurtado mēbro septimo §. 3. Sed illarum summa est: nam *quælibet actio sequitur conditionem formæ agentis, quæ est principiū actionis*, vt diximus ex Diuo Thoma: & ideò à calore vt quatuor non potest prouenire calefactio vt octo: sed nulla datur species impressa propria singularis: ergo nullus datur conceptus proprius rei singularis. Probatur consequentia, quia conceptus magis assimilatur obiecto, quam species. Et phantasma non est causa cognitionis, nisi media specie spirituali. Et implicat in terminis, quod detur propriꝰ cōceptꝰ singularitatis, & quod nō sit illiꝰ quid ditatiuus: nam ad istum solū exigitur representare propriè, & expresse vltimam rationem rei.

Secundo, proprius cõceptus est cognoscere quod quid est rei: sed experimur nos non cognoscere quod quid est Petri, vt distinguitur à Paulo: quia cum de his interrogamur, respodemus per cõceptus cõmunes, & analogos: ergo non formamus conceptum proprium singularium.

Denique, obiectum proprium intellectus est quod quid est: ergo nõ attingit differentiam individualem nisi sub ratione quidditatis communis.

29 Hæc argumenta, si quid probant, ostendunt quod nulla datur in intellectu cognitio singularis: cuius oppositum ipse dixerat esse de fide. Et probant, quod nec singularia immaterialia valemus cognoscere: vt patet illa expendendo. Facilè ergo dicitur conceptum proprium, & peculiarem posse esse, vel per species proprias, & iste est quidditatiuus & sæpissime directus. vel per species alienas, & remotas: & iste potest esse proprius, quia nõ est alterius, & attingit vsque ad vltimũ rei. Et sic contingit in præsenti; sicut & quando nostros actus inter nos cognoscimus per species alienas. Et hic mediis speciebus accidẽtium cognoscimus singularitatem, multo melius per intellectum, quã per sensus externos, & internos; licet illæ fiant etiam per species proprias. Et sic facilè omnia soluuntur, quia ipsam individuam singularitatẽ cognoscit intellectus abstractè, & per modũ quidditatis: quod non tollit cognoscere proprio conceptu, vti de vocibus contendatur.

30 Ex dictis deducit Sanctus Thomas prima parte quæst.86. artic.3. quod contingentia, prout sunt contingentia ex materia, cognoscuntur directè per sensum; indirectè autem ab intellectu. Rationes autem vniuersales & necessariæ contingẽtium cognoscuntur per intellectum.

31 Art.4. sequenti docet, quod de cognitione futurorum, eodem modo distinguendum, sicut de cognitione contingentium. Loquendo tamen vniuersaliter, contingentia in seipsis à solo Deo cognosci possunt: quia vt sic non habent determinatam veritatem. Vnde Eccles.8. dicitur. *Multa hominis afflictio, qui ignorat præterita, & futura nullo potest scire nuntio.* Et Esaiæ 12 *Annuntiate quæ ventura sunt, & sciemus quod Dij estis vos.* Cum autem Dei cognitio sit æterna adest præsẽtialiter futuro, in quantum eius æternus intuitus simul fertur supra totum tẽporis cursus. Sed hæc Theologia, examinanda relinquimus. Sicut eb eandem causam remittimus ad D. Thomam prima parte quæst.88. vt intelligatur qualiter animæ immateriales substantias cognoscat? Quia hoc excedit limites Naturalis Physicæ. Et eadem ratione non agimus de cognitione animę separatæ: de qua Sanctus Thomas 1.p.q.89.

QVÆ

## QVAESTIO XXIX.

### *Vtrum poſsimus multa ſimul intelligere?*

1 INtellectum noſtrum poſſe intelligere plura, vt plura, affirmant Scot⁹ in 1. diſt. 3 q. 6. Greg. diſ. 1. q. 1. art. 3. Gabriel q. 1. conc. 6. Ochã in 2. diſt. 20. Iandunus 3. de Anima q. 33. Conimb. ibi cap. 8. q. 6. art. 2. Petrus Hurtado diſp. 5. ſec. 7. Suarez lib. 3. de Anim. cap. 7. & latiſsimè lib. 2. de Angelis cap. 37. vbi citat Molinam, Vazquez, & Valentiam, & alios, quos ſequitur Auerſa q. 58. ſect. 4. qui aſſerit intellectum nõ cognoſcere plura, vt plura vno actu: quia quilibet actus eſt limitatus, & determinatus ad ſuum adæquatum obiectum: vnde, & ſumit vnitatem, & ideò non poteſt diſcrete, & diſparate attingere plura. Bene tamen poteſt per diſtinctas ſpecies, & per diſtinctos actus attingere plura, vt plura, quia ſæpè contingit quempiam ſimul cogitare plura inter ſe varia, & diſparata: ſimul que attẽdere ad plures actiones: vel ad aliquid ſpeculandum, & ad aliquid agendum. Inuẽtique ſunt, qui ſimul plures epiſtolas de rebus alieniſsimis dictare valerent. Et pariter per sẽſus externos ſimul oculis cernimus obiecta diſcreta, vt notiſsimum eſt. Quamuis non poſsimus ſimul plura in magna copia cogitare.

2 Ratione arguit Suarez capit. 7. num 4. quia attentio intellectus habet latitudinem: atque adeo poteſt totaliter, vel ex parte applicari. Ergo poteſt vnum aliquid cognoſcere veluti dimidiata attentione, aliudque alia attentionis parte à priori diſcreta; cum obiecta ipſa omnino ſunt diſparata, vt ponimus.

Et confirmatur: quia intellectus poteſt plura ſimul cognoſcere conſtituẽdo differentiam inter illa, vel aliquo modo comparando: ergo etiã poteſt eadem abſolutè cognoſcere. Probatur conſequentia, quia comparatio illa nihil videtur reſſerre. Immo videtur addere difficultatem operationi: nã qui comparat, & extrema cognoſcit, & comparationem facit.

3 Nihilominus, intellectum nõ poſſe intelligere plura, vt plura expreſſe affirmat S. Thom. 1. p. q. 12. art. 10. & q. 58. art. 2. & q 85. art. 4. & lib. 1. Contrag. c. 55. & Quodlib. 7. art. 2. & q. 8. de Verit. ar. 14. & in 2. ſent. diſt. 3. q. 3. art. 4. & lib. 3. diſt. 14. art. 2. q. 4. Et ſequuntur eiſdem locis omnes Thomiſtæ. Et docuerunt B. Albertus in 1. diſt. 1. artic. 3. & diſt. 30. q. 4. Alenſis 4. p. q. 98. mẽbro 2 Durãdus in Prologo q. 1. AEgidius in 2. diſt. 3. parte 2. quæſt. 2. artic. 3. & de cognit. Angel. quæſt. 7. Immo, & Scotus in 2. diſtinct. 3. q. 9. §. *Dico igitur*, ver. *reſponſio*, vt refert, & ſequitur Herrera in 2. diſtin. 12. q. 1. & alij.

4 Cæterum non vna via exponitur quid intelligat S. Thomas per illam reduplicationem, plura; vt plura? M. Soto 1. Poſt. q. 1. ad confirm. 4. arg. docet intellectum non poſſe perfectè attendere actu pluri

bus: eo quod pluribus intentus minor est ad singula sensus: quia cogitatio vnius remittit cogitationem alterius; nisi fuerit vnum ratio cognoscendi alterum. At vero imperfecte nil vetat, quod plura simul cognoscamus. Quam sententiam esse claram, & probabilem, affirmat Bañez 1.p.q.85. art.4.dub.vnico, licet non sit ad mentem S. Thomæ.

5 Aliter ergo ipse S. Thomas se exponit 1.p.q 85.art.4. dum ait. *Dico autem per modum vnius, vel multorũ, per vnam, vel plures species intelligibiles. Nam modus cuiuscumque actionis consequitur formã, quæ est actionis principiũ. Quæcumque ergo intellectus potest intelligere sub vna specie, simul intelligere potest.* Addunt Caietanus, & Bañez ibi, & Ferrara 1.Contrag.c.55. rat. 1.ex D.Thoma q.8.de Verit. a.14. ad 6 & 1.p.q.58. art.7. ad 2. quod vbi vnum est ratio alterius, ibi quodammodo est vnum. Et ideò possunt plura simul intelligi diuersis intellectionibus, & diuersis specieb⁹, quando, & species, & intellectiones ordinẽ inter se habent, ita quod vnũ est ratio alterius in intelligendo. Vnde Bañez ad 3. docet, quod species diuersitatis hominis ab equo non est distincta realiter ab extremorũ specieb⁹: sed ipsæ species extremorum aliter ordinatæ ad cõceptum totius compositionis, vel diuisionis. Variato autem ordine specierum, variatur conceptus: sicut ex diuersa dispositione litterarum variatur syllabæ, & dictiones. Etiam diximus 1.p.Metaph. cont. 12. art.7. quod compositio intellectus est actus entitatiuè vnus, quam uis adunet plures species, & actus primæ operationis.

6 In hoc sensu probatur conclusio ratione S. Tho. quia impossibile est idem subiectum perfici simul pluribus formis vnius generis, & diuersarum specierum: sicut impossibile est, quod idem corpus secundum idem simul coloretur diuersis coloribus, vel figuretur diuersis figuris. Omnes autem species intelligibiles sunt vnius generis; quia sũt perfectiones vnius intellectiuæ potentiæ: licet res, quarum sunt species, sint diuersorum generum. Impossibile est ergo, quod idem intellectus simul perficiatur diuersis speciebus intelligibilibus ad intelligẽdum diuersa in actu. Hæc ibi.

7 Sed instabis: nam in aere possũt esse simul diuersæ formæ, vt species albi, & nigri: quando à diuersis simul videntur, & eadem parte aeris simul, & semel defferũtur: ergo pariter in intellectu.

Respondet S.Tho.q.8.de Verit. art.14.ad 8.quod *forma illæ non sunt in aere, nisi vt in fieri: sunt enim in eo vt in medio deferente.* Et pariter ipse S.Thomas 1.p.q.79.art 6 ad 3. concedit in intellectu esse plures species in habitu. De his ergo non loquitur S. Thomas, sed de speciebus in actu perfecto, & vltimo ad quem ordinantur: vt ex Caietano, & Ferrara vbi supra explicat Bañez ad 4.

8 Vnde M.Ioan.à S.Thoma q. 11.de Anima art.4. inquit, quod S. Thomas non loquitur de quibuscũque formis; sed de habentibus rationem aliquam termini; & perfectè, atque adæquatè existẽtibus in subiecto

iecto: quod patet exemplis allatis de figura, & colore: siquidem figura ex terminatione quantitatis resultat: & color est terminatio perspicui: iuxta dicta libro 2. q. 28. §. 1. Terminus autem perfectus, & vltim⁹ debet esse vnus: quia plures, & vltimi omnes, secundum idem, repugnant: terminus enim vltim⁹ nō relinquit vlterius terminabile subiectum; alias vltimus non esset. Vltima autem terminatio speciei est operatio, & verbum: & ideò nō potest intellectus simul intelligere diuersa in actu; nisi ordinentur, & accipiantur, vt vnum intelligibile.

9 Ad experientiam in contrariū ex paritate sensuum respondet Bañez ad 1. admissō gratis antecedenti, negandam esse consequentiam, quia sensus, cum sit potentia materialis, & extensa, potest simul diuersa sentire secundum diuersas partes organicas: sicut docet S. Thom. 1. p. q. 76. a. 2. de illo qui tangit duabus manib⁹. Et hac de causa S. Thomas in ratione allata n. 6. addit illa verba: *Secundum idem.* Diuersa autē est ratio de intellectu, qui est indiuisibilis.

10 Secundo negamus illam experientiam: immo nisi obiecta aliquomodo adunentur, non simul videntur: sicut partes adunātur in toto, & cognoscūtur per formam totius, vt ait S. Thomas ad 3. Et ideò experimur, quod cum plura volumus cognoscere, colligim⁹ nos ad vnum, ne distrahamur: & sic nō percipiamus, quia qui vnum aliquid nō cognoscit, nil cognoscit, vt ait Philosophus 7. Metaph. textu 10. & 2. Topicorum cap. 4. *contingit plura scire*, habitualiter, *cogitare autē vnum solum.*

11 Ad rationem dicitur, quod attentio non habet latitudinem ex sensionis subiectiuæ, quia est indiuisibilis sicut, & intellectus; neque habet latitudinem, quia vna possit esse ad diuersa obiecta disparata; alioquin non esset terminata ad vnum terminum. Sed habet latitudinem intēsiuam, quia magis, & magis potest penetrare; & latitudinem extēsiuā, quia potest plura obiecta materialia adunare sub vna ratione sub qua intelligat per modum vnius.

12 Ad confirmationem respondet S. Thomas solut. ad 4. quod *quādo intellectus intelligit differentiam, vel comparationem vnius ad alterum, cognoscit vtrumque differentium; vel comparatorum sub ratione ipsius cōparationis, vel differentiæ: sicut dictum est, quod cognoscit partes sub ratione totius.* Quod intelligēdum iuxta dicta n. 5. quia species extremorum sunt plures entitatiuè; quamuis adunatæ ad vnum conceptum comparationis, vel differētiæ: & de specie expressa formata isto conceptu, est verum quod ait Ferrara, ab extremorum speciebus distingui. Et sic in forma, neganda est consequētia. Ad probationem, respondet M. Ioann. à S. Thoma ad 1. confirm. 1. quod aliquando additio rei cognoscibilis non auget difficultatem, sed tollit: sicut lux addit rem visibilem coloribus, & probatio medij addit conclusioni aliquid cognoscibile; & tamen facilitant, quia manifestant. Ita compara-

tio, vel quęcumque reductio ad vnitatem rerum cognoscibilium, quia ordinat, & melius determinat intellectum, non reddit difficiliorem intelligentiam, sed facilitat cognitionem.

## QVAESTIO XXX.

### *De appetitu in communi: & de sensualitate.*

1 VT finem imponamus quæstionibus de Anima, postquam egimus de potentijs intellectiuis, cõsiderandum sequitur de potentijs appetitiuis: de quibus quatuor quæstiones proponit S. Thomas 1. p. q. 80. Primo agit de appetibili in communi. Secundo de sensualitate. Tertio de voluntate. Quarto de libero arbitrio. Sed quia de libero arbitrio egimus 2. p. Metaph. controu. 11. art. 4. & duobus sequentibus: & quæ addi possent, sunt Theologorum propria; ideò hac quarta quæstione omisa, de alijs tribus agemꝰ. Sed quia duæ primæ non magnæ sunt difficultatis, sub vnica quæstione tractandas proponimus.

### §. I.

### *De appetitu quid, & quotuplex sit?*

2 IN primis certum est ponendã esse quandam animę potentiam appetitiuam. Ita Philosophus 2. de Anima textu 27. S. Damascen. lib. 2 fidei cap. 22. & probat S. Tho. 1. p. q. 80. artic. 1. quia quamlibet formã sequitur aliqua inclinatio. Vnde formam naturalem sequitur naturalis inclinatio, quæ appetitus naturalis vocatur. Forma autem in his, quæ cognitionem participant, altiori modo inuenitur, quam in his, quæ cognitione carent: vt patet ex dictis quæst. 9. & 13. Ergo oportet, quod in eis sit inclinatio superior naturali, & hæc est vis appetitiua, per quã animal appetere potest ea quæ apprehendit. Hanc rationem esse demonstrationẽ à priori explicãt Caietanus, & Bañez ibidem, & contra Vazquez videatur Ioan. à S. Thoma q. 12. de Ani. ar. 1.

3 Aduertit autem S. Thomas ibi ad 2. necessarium nõ esse, quod obiectum appetitus, & rationis differant entitatiue, & materialiter; sed sufficit quod differant ratione: *Apprehenditur enim vt est ens sensibile, vel intelligibile; appetitur verò vt est conueniẽs, aut bonum. Diuersitas autem rationum in obiectis requiritur ad diuersitatem potentiarum: non autem materialis diuersitas:* iuxta dicta lib. 2. q. 15. §. 3. & 4.

4 Secundo certum est, appetitum nihil aliud esse, quam potẽtiam passiuam vitalem, quæ nata est moueri ab apprehenso. Ita S. Tho. 1. p. q. 80. art. 2. dicens, *potentia appetitiua est potentia passiua, quæ nata est moueri ab apprehenso. Vnde appetibile apprehensum est mouens non motum, vt dicitur in 3. de Anima* textu 54. *&* 11 *Metaph.* textu 35. Et ratio est, quia appetitus est inclinatio consequens formam apprehensam. Vnde motus ab obiecto apprehenso, vitaliter inclinatur, & tendit in illud. Recolantur, quæ diximus lib. 2. q. 21. & hoc lib. 3. q. 15. §. 2.

Tertio

5 Tertio certum est appetitum intellectiuum, esse aliam potẽtiam à sensitiuo. Ita Philosophus 3. de Anima tex. 57. vbi distinguit duplicem appetitum, & dicit, quod appetitus superior mouet inferiorem. Idem docet S. Tho. ibi lec. 14. & libro 1. lec. 10. & q. 15. de Ver. art. 3. & q. 22. ar. 4. & 1. p. q. 80. art. 2. vbi Bañez ait, quod *est cõmunis doctrina, & cerũssima apud omnes, qui rectè sentiunt.* Qua propter in hac re nullo modo est audiendus Greg. Ariminensis in 2. dist. 16. circa finem art. vbi docet, quod appetitus sensitiuus, & intellectiuus non distinguũtur realiter, sed solum ratione.

6 Sed conclusio probatur primo ratione indicata à Philosopho illo text. 57. lec. 16. lit. d. dicente, quod *appetitus rationis mouet appetitum sensitiuum, sicut in corporibus cælestibus sphæra mouet sphæram*: quod affert, & rectè exponit S. Tho. 1. 2. q. 77. art. 1. adducens illud Daniel. 13. *Concupiscentia subuertit cor tuum.* Sed vbi est mouens, & motum per modum superioris, & inferioris, non potest non esse distinctio potentiarum: ergo & istli appetitus distinguuntur. Vide Suarez lib. 5. de Ani. c. 1. n. 3. ait esse fidei doctrinam dari in homine hos duos appetitus. Ad Rom. 7. *Video aliam legem.* Ad Galat. 5. *Caro concupiscit aduersus spiritũ.* Et esse entitates distinctas multo verior est, ac fidei conformior sententia. ¶ Secundo id patet a simili: nam sensus externi, & interni differũt ab intellectu: ergo & voluntas, quæ est appetitus rationis, differt ab appetitu sensitiuo.

7 Rationem à priori proponit S. Thomas illa q. 80. art. 2. nam passiua, & mobilia distinguuntur secundum distinctionem actiuorum, & motiuorum, quia oportet motiuũ esse proportionatum mobili, & actiuum passiuo: & ipsa potentia passiua propriam rationẽ habet ex ordine ad suum actiuum. Quia igitur est alterius generis apprehẽsum per intellectum, & apprehẽsum per sensum, consequens est quod appetitus intellectiuus sit alia potentia à sensitiuo. Sed circa rationem hanc vide S. Thomã ibi ad 1. & quæ diximus 2. p. Metaph. controu. 14. ar. 2. §. 5. & 7 & libro 2. Phys. q. 17. §. 3. Nam ex ista doctrina S. Thom. deduxim⁹, quod ex parte subiecti apprehensio est ratio formalis; quamuis sit obiecti conditio. Multa alia tractãt ibi Caietanus, & Bañez, quę alterius sunt disputationis.

8 Sed hinc emergit dubium, vtrũ appetitus sensitiui debeant multiplicari iuxta multiplicationem sensuum internorum, & externorum?

Affirmat Petrus Hurtado de Mẽdoça disp. 17. de Anima sect. 10. §. 60. appetitus sensitiuos internos tot esse in genere, quot sẽs⁹. Quod dicit colligi ex D. Tho. verbis modo relatis probante appetitum distingui per facultates cognoscẽtes. Quam obrem erunt quatuor appetitus, primus respondet sensui communi, & amat obiecta præsentia. Secundus phantasiæ, qui feratur in absentia. Tertius respondet æstimatiuæ, qui afficitur circa obiecta insensata præsentia. Quartus memoriæ circa eadem obiecta absentia. Sed

quia

quia iuxta hunc authorem, vnus solus est sensus internus, vnus solus cōstituēdus est appetitus, qui propter diuersos actus diuersimode nominatur.

9 Subdit sec.11. diuersis sensibus externis diuersos respondere appetitus. Probat §.63. quia bonum apprehēsum est obiectum appetitus. Sed bonū visum, auditum, &c. nō est obiectum appetitus communis, quia nō mouetur sensatione externa, sed interna; quia non potest appetitus vnus dirigi duplici sensu: ergo est obiectum appetitus particularis.

10 Sed de sententia, & distinctione ista merito scribit Auersa q.56. sec.1. quod *vana prorsus, & fictitia est, ab hoc auctore inutiliter, & temere cogitata.* D. Thomas in eo articulo distinguit solum appetitum rationalem, & sensitiuum: nec vnquam tot appetitus sicut sensus distinxit. De eadem distinctione mentionē faciens Neothericus Societatis contro.4. de Anima punct.1.n.8. ait, quod est *contra sensum, & consensum communem omnium.* Et quod fundamentū Hurtadi *nullius est momenti.*

11 Præterea iam poterat solutionem legisse in M. Bañez, qui in cōmentario illius articuli responderat, quod diuersitas apprehēsionis per sēsus exteriores, vel interiores peraccidens se habet ad bonum sēsibile: semper enim apprehēdit obiectum sub ratione speciali boni sēsibilis, ita quod non variatur ratio formalis obiecti ipsi⁹ appetitus. Diuersa autem apprehensio, nisi coniungatur diuersitati appetibilis, nō variat appetitus. Et ideò cum non sint multiplicandæ potētiæ sine necessitate, frustra talis multiplicatio introducitur.

12 Sed obijcies: nam in parte vbi fit sensatio externa, est dolor, & voluptas, qui sunt actus appetitus: sed dolor, & voluptas sunt in sensibus externis: ergo ibi residet peculiares appetitus.

Respondet Arriaga disp.5. sec.4. in fine, voluptatem non consistere in actu voluntatis, aut appetitus, quo quis cōplaceat in obiecto bono: neque dolorem è contrario cōsistere in displicētia de obiecto dissono. Sed voluptatem, & dolorem consistere in cognitione obiecti cōuenientis, vel disconuenientis: voluptas enim est perceptio rei gratę, dolor est perceptio rei contrariæ. Ideò communis Theologorum sēntia docet beatitudinem in sola intuitiua Dei cognitione consistere; & per illam formaliter habere summam bonitatem, etiam si non sequatur actus voluntatis. Ergo in manu est dolor, licet ibi non sit appetitus.

13 Hæc doctrina nō est minus falsa, quam contra communem omnium sensum. In primis S. Tho.1.2. q.2.art.6. probat, *quod delectatio est quoddam proprium accidens, quod consequitur beatitudinem.* Et quæst.4. ar.1. & 2. ait, quod *visio est causa delectationis.* Et q.31. art.1. exprofesso probat, quod *motus animæ residens in appetitu sensitiuo est delectatio.* Refert Philosophum 1. Rhetor. c.10. & S. Augustinum 14. de Ciuit. Dei. c.6. & 7. Et idem est communis sensus Theologorum,

logorum, & Philosophorum, imò & omnium hominum: quia cognitio est causa delectationis, vel tristitiæ; non verò psa tristitia. Quin potius, stante eadem cognitione, potest esse maior, vel minor dolor in appetitu, & animo suspendi.

14 Ad argumentum facile respondetur ex D. Tho. illa q. 80. art. 1. ad 3. quod vnaquæque potentia animæ est quædam forma, seu natura, & habet naturalem inclinationem in aliquid. Vnde vnaquæq; appetit obiectum sibi conueniens naturali appetitu: supra quem est appetitus animalis cõsequens apprehẽsionẽ, quo appetitur aliquid, nõ ea ratione qua est conueniẽs ad actũ huius, vel illius potentiæ, vt pote, visio ad videndum, & auditio ad audiendũ: sed quia est conueniens simpliciter animali. Hæc ibi S. Thomas, vbi & videndus Caietanus docens, quod actus sẽsuum appetimus duplici appetitu; & naturali; & animali. Igitur actus contra inclinationem naturalem peculiarem potentiarum exteriorum, non sunt actus doloris appetitus sensitiui; sed illi qui sunt cõtra inclinationem animalem cõmunem: sicut & delectatio sensuũ naturalis nõ est actus appetitus; sed delectatio animalis consequens apprehensionem boni sensibilis. Et loquendo de dolore, & tristitia, hac solutionem adhibet S. Thomas 1. 2. q. 35. art. 2. ad 3. & art. 1. affert S. Augustinum 14. de Ciuit. Dei cap. 8. inducentem illud Virgilij. *Hinc mœstum, cupiunt, gaudentque, dolentque.* Dolor ergo computatur inter passiones appetitus. Denique Suarez lib. 5. de Anima cap. 5. n. 7. ait, quod proprie loquẽdo causa doloris, ac eius sensatio in exteriori membro est: dolor verò in appetitu: sicut cognitio peccatorũ est in intellectu, & dolor in voluntate.

15 Secundo dubitatur de subiecto appetitus, an sit cor, vel cerebrũ?

Appetitum esse in cerebro, sicut & sensum, tenet Petrus Hurt. disp. 17. sect. 12. probat, quia appetitus mouetur sensatione proponente: quis autem non rideat appetitum ferri in corde in obiectum representatum in cerebro? Secundo, quia appetitus pendet à sensu: ergo appetitus non est in corde, & sensus in cerebro: quia iam cor penderet à cerebro. Deinde, aliquando visa sunt animalia ambulantia extracto corde: ergo sine corde est appetitus imperans illos motus. Tandẽ, quia tota vita animalis interna est in solo cerebro, à quo cæteri sẽsus in suo munere pendent. Idẽ sequitur Arriaga disp. 5. sec. 4. n. 87. & alij Recentiores.

16 Cæterum appetitum sensitiuum residere in corde, docet Aristoteles 3. de Part. anim. cap. 4. & S. Thomas q. 26. de Verit. artic. 3. ait. *Secundum modum operationis eius statim disponitur organũ corporale, scilicet, cor: vnde est principium motus tali dispositione, quæ competat ad exequendum hoc in quod appetitus sensibilis inclinatur. Vnde in ira feruet, & in timore quodammodo frigescit, & constringitur.* Et 1. 2. q. 22. art. 2. ad 3. Et 1. p. q. 20. art. 1. ad 1. ait: *Proximum motiuum corporis in nobis est appetitus sensitiuus. Vnde semper actum appetitus sensitiui concomitatur aliqua transmutatio*

*mutatio corporis: & maximè circa cor, quod est primũ principiũ motꝰ in animali.* Sequiturque ex dictis hoc libro q. 6.§.4.de primo principio sensus in tertio: & iuxta ibi dicta, argumenta nullam continent difficultatem.

17 Sed quicquid de sensu interno teneatur, adhuc, qui ibi dissentiunt, hic consentiunt. Galenus lib. 7.de decretis Hipoc.& Platonis: & ipse Plato libro 9.de Republica. Et quod alij pro comperto supponũt, dicit Auersa q.56.sect.1. Et asserit, quod patet ipso sensu, & experientia: nam affectus sensitiuos, præsertim quando vehementes sunt, deprehẽdimus in corde: & cogitationes in capite. Imò per diuersos affectꝰ sensibiliter apparet diuersis modis affici ipsum cor.

18 Ad argumenta respondet facile, ex cognitione sensitiua in cerebro, consequi actũ appetitus in corde per naturalem subordinationẽ potentiarum, & ob coniunctionem in eadem anima: ipsa enim anima, quæ per vnam potentiam apprehẽdit obiectum, per aliam appetit: ad quod nil refert, si in eodem, vel duplici organo corporis hæc duplex facultas resideat.

## §. II.

### *De sensualitate.*

19 INquiri in primis potest de sensualitate, an sit idem quod appetitus sensitiuus?

Respondetur esse idem secundũ rem; quamuis differant secundum rationem. Priorem partẽ docet S. Thomas 1.2.q.74.art.3. & 4. & 1. p.q.81.art.1. probat, quia nomen sensualitatis sumptum videtur à sẽsuali motu, de quo S. Augustꝰ loquitur 12.de Trinit.cap.12. Motus autẽ sensibilis est appetitus apprehensionem sensitiuam consequẽs: quia appetitus tẽdit, & eius operatio assimilatur motui. Et sic sensualitas est nomen appetitus sensitiui.

20 Quod magis explicat S. Thomas in 2.dist.24.q.2.art.1. notans, quod differt sensualitas, & sensibilitas. Sensibilitas enim omnes vires sensitiuę partis comprehendit, tam apprehẽsiuas de foris; quam apprehensiuas de intus; quam etiã appetitiuas. Sensualitas autem magis proprie illam tãtum partem nominat, per quam mouetur animal in aliquod appetẽdum, vel fugiendum.

21 Secundam partem docet S. Thomas ibi ad 3. dicens. *Sed tamen sciendum, quod ratione differunt sensualitas, & irascibilis, & cõcupiscibilis* (quæ sunt duæ species appetitꝰ sensitiui) cũ enim vt Dyonis. dicit 7.c.de diui.nom. cũ natura inferior in sui supremo attingat infimum superioris naturæ; natura sẽsitiua in aliquo sui quodammodo rationi coniungitur. Vnde & quædam pars sensitiua, scilicet cogitatiua, alio nomine ratio dicitur, propter confinium eius ad rationẽ. Sic ergo dico, quod irascibilis, & concupiscibilis nominant appetitum sensitiuum, secundum quod completus est, & per diuersa distinctus, & versus rationem tendens: vnde & in homine irascibilis, & concupiscibilis rationi obtemperant. Sensualitas autem nomi-

nat

minat sensitiuum appetitum secundum quod est incopletus & indeterminatus, & magis depressus. Et ideò dicitur, quod in ea non potest esse virtus: & quod est perpetuæ corruptionis. Hæc ibi S. Thomas, quē sequitur Durandus ibi q. 5. Ex quo infert Bañez. 1. p. q 81. art. 1. Quod appetitus sensitiuus significat absolute potentiam sensitiuam, cui cōperit inclinatio ad bonum sensibile; sensualitas verò importat eundē appetitum connotando, quod præueniat vsum rationis, aut no sequatur rationē: quod & indicat Sāctus Thomas 1. p. q. 81. art. 3. ad 1. Licèt sæpè non curemus inter hæc distinguere.

22 Secundo inquiritur, vtrum appetitus sensitiuus distinguatur in irascibilem, & concupiscibilem, sicut in potentias diuersas?

Negant Gabriel in 3. dist. 26. art. 3. dub. 1. Suarez 1. 2. tract. 4. disp. 1. sec 3. n. 2. & lib. 5. de Anima cap. 4. Auersa q. 56 sec. 1. Quia contuetū est naturam amare vnitatē quoad posse: nihil autē repugnat dari appetitum vniuersalem intra latitudinē obiecti sensibilis. Secundo, quia actus irascibilis, & concupiscibilis sunt inter se cōnexi. Tertio, quia voluntas est vna, & vnus appetitus naturalis: ergo & vnus est appetitus animalis. Nec obstat solutio S. Thomæ de vniuersalitate obiecti voluntatis quia in externis, & internis sēsibus assignatur aliquod commune obiectum: ergo pariter in appetitu. ¶ Denique, quia si appetitus sensitiuus esset diuidēdus, innumeri essent appetitus. Præstat ergo asserere esse vnum simplicem appetitum.

23 Dicendum tamen est, appetitum sensitiuum diuidi in irascibilē, & concupiscibilem, vt in duas potentias specie distinctas. Ita S. Gregorius Nissenus lib. 4 c. 9. & S. Damasc. lib. 2 cap. 12. quos citat, & sequitur S. Thomas 1. p. q. 81. ar. 2. Et est Philosophi 3. de Anima tex. 24. & lib. 1. magnorum mor. cap. 13. & docent S. Bonau. in 3. dist. 33. ar. 1. q. 3. B. Albertus Magnus 3. de Anima trac. 4. cap. 2. Et in summa de homine, de irascibili q. 2. Henricus Quodlib. 8. q 15. & esse cōmunē fere inter omnes Theologos, & Philosophos docet Bañez 1. p. q. 81. a. 2 dub. 1. ibi Caietan⁹, & Serra. PP. Carmel. disp. 22. q. 2. Ioannes à S. Thom. q. 12. ar. 1. diffic. 2. Conimb. in libro Aethicorum disp. 6. q. 1. a. 2. Toletus 3. de Anima q. 26. conc. 3. & alij.

24 Probaturque primo ratione S. Thom. illo ar. 2. & q. 25. de Verit. articulo 2 quia recipere, & agere non sunt ab eodem principio: vt ignis, qui per leuitatē fertur sursum, per calorem contraria corrumpit. Ita in appetitu sensibili illa duo inueniuntur: nam animal per appetitiuam potentiam appetit id quod est congruum & amicum sibi: & hoc per vim concupiscibilem, cuius proprium obiectum est delectabile secundum sensum. Appetit etiam habere dominium, & victoriam super ea, quæ sunt sibi contraria. Et hoc per vim irascibilem: vnde dicitur, quod eius obiectum est aliquid arduum. Et sic patet quod

irasci-

irascibilis est alia potentia à concupiscibili. Quam rationē latè ab obiectionibus vindicant PP. Carmel. §.2.

25 Secundo probatur ratione S. Thomæ ibidem, quia sunt obiecta genere diuersa sunt potētiæ diuersæ specie: vt patet ex dictis lib. 2.q. 15. Sed obiecta istarum virium genere distinguuntur: quia concupiscibilis respicit delectabile secundū sensum. Irascibilis respicit bonū arduum, quia per ea animal resistit impugnantibus, quia tendit ad hoc vt superet contraria, & superemineat eis. Quod autem hæc obiecta non sint inadæquata, & consequenter, quod inclinationes non reducātur in vnum principium, probat S. Thomas, quia interdū anima tristibus se ingerit contra inclinationem concupiscibilis, vt secundum inclinationem irascibilis impugnet cōtraria. Vnde etiam passiones irascibilis repugnare videntur passionibus concupiscibilis, maiori pugna quā pugnent delectationes concupiscibilis interse: iuxta S. Thomam 1.2. q.31.art.8. quia concupiscentia accensa minuit iram, & ira accēsa minuit concupiscentiā, vt in plurib⁹, & alia quæ prosequitur S. Thomas. Signū ergo est esse diuersas potentias. Videatur Bañez.

26 Alia ratio sumitur ex D. Thoma ad 2. & ex Caietano ibidē, quia cōcupiscibilis ex sua natura habet ferri in bonū sensatū per sēsus exteriores: at verò irascibilis nō tēdit in id quod est cōueniens secūdū delectationē sēsus; sed secūdū quod est vtile animali ad suam defensionē. Et ideò mouetur æstimatiua in qua sunt species non sentatæ.

27 Denique probatur ratione S. Thomæ q.79.art.7.ad 2. & q.82. ar.5. ex differentia inter intellectū, & voluntatem ex vna parte, & potentias internas sensitiuas, & appetitiuas ex alia: quia illæ respiciūt vniuersalissimā rationē entis, & boni; & ideò non diuersificantur nisi solum penes agere, & pati: at vero sē sus interni respiciūt rationes magis cōtractas; & ideò in intellectu non est alia potentia memoria, & intellectus, & in sensu est alia potentia memoria, & ratio particularis. Similiter *voluntas respicit bonum sub communi ratione boni*; & ideò in ea non diuersificatur potentia irascibilis, & concupiscibilis. Secus vero in appetitu: *Appetitus enim sensitiuus non respicit communem rationem boni; quia nec sensus apprehendit vniuersale. Et ideò secundum diuersas rationes particularium bonorum diuersificantur partes appetitus sensitiui.* Per quæ patet ad 1.

28 Ad secundum dicitur, quod connexio actuum sola non tollit distinctionem potētiarum: quia in potētijs animæ est ordo, vt probat S. Thom. 1.p.q.77.art.4. *Et secundū dependentiam vnius potentiæ ab altera, & secundum ordinem obiectorum.* Et ideò q.81.art.2. in signum quod irascibilis est potentia specie distincta à cō cupiscibili, oppositō modo discurrit S. Thom. ex tali connexione inferens distinctionem, dicens. *Patet etiam ex hoc, quod irascibilis est quasi propugnatrix, & defensatrix concupiscibilis,* dum insurgit contra ea, quæ impediunt conuenientia, & quæ concupisci

piscibilis appetit; & ingerunt nociua, quæ concupiscibilis refugit.

29 Ad tertium iam respodim⁹. Replica laborat in æquiuoco, quia sensus tendunt *communiter* in sua obiecta particularia; non vero attingunt ipsam rationem communem vniuersalem, sicut intellect⁹, & voluntas. Et iam patet, quod rationes assignatæ solum probant appetitū esse vnum in genere, & illius esse duas species; in quibus sunt diuersę passiones; de quibus S. Thomas 1. 2. q. 22. & seq. vsque ad 48. nullo tamen argumento probatur esse alias species potentiarum appetitus. De quo latius Authores relati. Quæ autem harum sit præstantior? Tractāt Bañez dub. 2. & Carmelit. ad 5.

Quomodo appetitus obediat rationi? tractat S. Thom. 1. p. q. 81. ar. 3. & 1. 2. q. 17. art. 7. & q. 50. art. 3. & q. 56. art. 4. & q. 25. de Verit. art. 4.

## QVAESTIO XXXI.

### *De Voluntate.*

### §. I.

### *Quid sit voluntas?*

1 VOluntas non est aliud quā appetitus intellectiuus, seu rationalis: quia est inclinatio consequens formam apprehensam per intellectum, seu rationem; & ideò est potentia non affixa organo corporali; sed pure spiritualis; sicut est intellectus: eo quod appetitus debet esse eiusdem ordinis, cum potentia cognoscitiua per quam immediatè dirigitur: quia vt ait S. Thomas q. 80. art. 2. *Oportet motiuum esse proportionatum mobili, & actiuum passiuo.* Et ideò voluntas, quæ est appetitus intellectiuus, est spiritualis, sicut & intellectus.

2 Actus autem voluntatis vt ait Sāctus Thomas prima parte quæst. 59. artic. 1. nihil aliud est quam inclinatio quædam consequens formam intellectam. Ex quo infert Sāctus Thomas prima parte quæstione 87. articulo quarto, quod actus voluntatis est intelligibiliter in intelligente, sicut in primo principio & in proprio subiecto. Vnde actus voluntatis intelligitur ab intellectu, & inquantum aliquis percipit se velle, & inquantum aliquis percipit naturam huius actus.

3 Notat autem S. Thomas 1. 2. quæst. 6. art. 4. & q. 74. ar. 2. & alibi sæpè, quod duplex est actus voluntatis; vnus quidem qui est eius immediatè velut ab ipsa elicitus, scilicèt velle: alius autem est actus voluntatis, à voluntate imperatus, vt ambulare, & loqui, qui à voluntate imperantur mediante potentia motiua: de qua iam egimus lib. secundo quæst. 16. De aliis autem actibus voluntatis intentionis, & electionis agunt Theologi cum D. Thoma 1. 2. quæstione 12. & de inceps.

4 Obiectum autem voluntatis esse bonum, & non malum, probant Theologi cum D. Thoma 1. 2 q. 8. art. 1. Et nos retigimus 2. p. Metaph. controu. 14. num. 16. & 2. Phys. q. 17. Hoc autem bonum non esse aliquod particulare, sed communissimā rationem boni, cōstat ex dictis de ob-

de obiecto intellectus. Et ideò Sanctus Thomas 1.p.q. 82. art.4. ad 1. ait, quod *voluntas est appetitiua boni cõmunis*. Vnde S. Thomas 1.p.q.16.artic.4 ad 1. & q.82.art.2. ad 2. & q. 87.art.4 ad 2. air, quod bonum, & verum, quæ sunt obiecta voluntatis, & intellectus, differunt quidem ratione: verumtamen vnum eorũ continetur sub alio: nam verum est quoddam bonũ, & bonũ est quoddam verum. Et ideò, quæ sunt volũtatis cadunt sub intellectu, & quæ sunt intellectus cadunt sub voluntate. Vnde volo intelligere; *& intelligo me velle*, vt ait S. Augustinus 10. de Trinit. cap. 10. & 11.

5 Quia tamen, vt optimè notat S. Thomas 1.p.q.84. in prologo, *actus, & habitus appetitus ad considerationem moralis scientiæ pertinent*. Et videm⁹ in Scholastica Theologia de voluntate, actibus, & habitibus eius latissimè disputari, vt patet in D. Thoma, & eius interpretibus 1. 2. fere per maiorem eius partem; ideò merito probo vsum antiquorum, qui de his in libris de Anima neutiquam disputabant, contra abusum Recẽtiorum, qui ferme totam moralem Theologiam hic inferere curant, cum nullo legentium fructu. Vnam tamen, vel alteram difficultatem, non possumus non consuetudini hic eas disputantium permittere.

## §. II.

### *Vtrum voluntas sit altior potentia, quam intellectus?*

6 PRima sententia est Raphaelis Auersa tom. 2. Philosophiæ q. 58. sec. 7. in fine, asserentis non esse necessarium vt ex quibuscũque rebus, & speciebus vna debeat esse esse simpliciter excellentior alia: quin possint aliquæ, aut secundum omnimodam paritatem, aut secundum mutuam excellentiam, inter se simpliciter coæquari: vt idem dixerat q. 11. Logicæ sec. 5. Vnde dici poterunt intellectus, & volũtas, taliter secundum varias considerationes mutuo se excedere, vt simpliciter tamquam æquales debeãt reputari. Atque ita D. Augustinus lib. 10. de Trinit. cap. 11. affirmauit memoriam, intellectum, & voluntatem inter se esse æquales.

7 Hæc tamen positio, & singularis, & falsa est. Primũ patet ex Doctoribus antiquis, & modernis pro extremis sententijs referendis, quia omnes supponunt inæqualitatem, & cui debeat tribui primatus? Disputant. Secundum constat ex dictis lib. 2. q. 12. quia licet in existimatione morali soleat esse illa æqualitas; tamen in entitate, & perfectione physica, de qua agimus, vbi est distinctio specifica, non potest non esse inæqualitas in entitate, & perfectione; quia species sunt sicuti numeri. Dato autem quod inter alias perfectiones cogitetur hæc æqualitas, nõ video qualiter inueniatur in ea tenti-

tentijs eiusdem essentiæ, quia ab ea dimanant ordine quodam, vt docet S. Thomas 1. p. q 77. art. 7. nec est cur author naturæ eidem conferret duas potẽtias omnino æquales. Nec æqualitas esse potest inter potentias ordinatas ad actus inæquales.

8 Est ergo antiqua sententia asserens volũtatem esse simpliciter potentiam perfectiorem, quam intellectus. Ita Alensis 3. p. q. 80. memb. 1. B. Albert⁹ in 1. dist. 1. q. 14. S. Bonauentura in 4. dist. 49. ibi Scotus q. 4. Aureolus, Gabriel, & Maior & alij. Varijs argumentis, tam Theologicis, quã Philosophicis solet probari. ¶ Theologicè probatur, quia actus charitatis residentis in voluntate, excedit omnes alios actus intellectus: iuxta illud 1. ad Cor. 13. *Maior autem horum est charitas.* Secundo, quia Seraphin dicitur ab ardore charitatis, & sunt omnium supremi ex maiori perfectione: vt docet S. Dion. 7. cap. cæles. hier. Tertio, quia illud est melius cuius oppositum est peius, vt docet Philosoph⁹ 7. Aethic. Constat autem pessimũ, esse odium Dei: ergo amor est optimus actus.

9 Philosophicè arguitur. Primo, quia nobilitas potentiæ sumitur ex nobilitate obiecti. Sed nobilius est obiectum voluntatis obiecto intellectus: siquidem est bonum, quod est perfectum: ergo est simpliciter nobilior potentia. ¶ Secundo, id quod reddit hominem simpliciter bonum, & perfectum, melius est eo quod hoc præstare nequit: sed à bona volũtate simpliciter dicimur boni, nõ autem à bono intellectu. Altior ergo potentia est voluntas.

Tertio, per voluntatem sumus liberi, & Domini nostrarum operationum, & volũtas mouet alias potentias, & earum est domina: cum ergo vtrũque desit intellectui, voluntas erit præstantior.

10 Asserendum tamen est, intellectum esse simpliciter perfectiorẽ voluntate. Ita Philosopus 10. Aethic. cap. 7. Quem citat, & sequitur S. Thomas 1. p. q. 82. art. 3. & q. 26. ar. 2. & q. 22. de Ver. ar. 11. & q. 14. art. 5. ad 5. & in 3. dist. 27. q. 1. art. 4. & in 1. dist. 1. ar. 1. & 3. Contra g. c. 16. rat. 1. & vniuersi Thomistæ. Itẽ Durandus, Abulẽsis, Venetus, quos citat, & sequitur Suarez lib. 5. de Anim. cap. 9. Vazquez 1. 2. disp. 11. cap. 8. & iam est recepta in scholis.

11 Subtiliter, & efficaciter eam probat S. Thomas illo art. 3. ita scribens. Si ergo intellectus, & voluntas cõsiderẽtur secundum se, sic intellectus eminentior inuenitur. Et hoc apparet ex comparatione obiectorum ad inuicem. Obiectum enim intellectus est simplicius, & magis absolutum, quam obiectum voluntatis: nam obiectum intellectus est ipsa ratio boni appetibilis: *bonũ autem appetibile, cuius ratio est in intellectu, est obiectum voluntatis.* Quanto autem aliquid est simplicius, & abstractius, tanto secundum se est nobilius, & altius. Et idcò obiectum intellectus est altius, quam obiectum voluntatis. Cum ergo propria ratio potentiæ sit secundum ordinẽ ad obiectum, sequitur, quod secundum se, & simpliciter, intellect⁹ sit

altior, & nobilior voluntate.

12 Pro explicatione huius rationis duo notat Caietanus (communiter receptus à Thomistis, & aliis) alterum, §. *ad obiectiones*, nempe, quod nobilitas potentiarum attenditur penes nobilitatem obiectorum, non vt res, sed vt obiecta sūt. Quod patet ex dictis libro secundo, quia potentiæ non specificantur ab obiectis materialibus, sed ab obiectis formalibus. In esse autem rei, quanto actualius, & magis extra causas, est nobilior res; in esse autem obiecti, tanto nobilius, & altius est obiectum, quanto simplicius, & abstractius fuerit. Vnde in esse rei singularia existētia sunt perfectiora vniuersalibus; secus tamen contingit in esse obiecti; quia sensus est singularium, & intellectus vniuersalium.

13 Secundo notat Caietanus §. *ad cuius euidentiam*, quod S. Thomas per rationem boni intelligit quidditatem ipsius boni, quæ licet in re sit ipsa bonitas, quæ est appetibilis a voluntate; tamen ab intellectu attingitur per modum quidditatis in actu exercito abstrahens ab existentia; at verò bonitas formalis includit existentiam in actu exercito, ratione cuius ei conuenit appetibilitas. Vt quidditas nō appetitur, sed intelligitur; vt bonitas non intelligitur, sed appetitur. Quamuis transcendenter, & reflexè supra totum hoc cadant actus intellectus, & voluntatis. Patet ergo, quod obiectū intellectus est simplicius, & abstractius, & perfectius: ac percōsequēs intellectus est nobilior.

14 Aliam rationem tangit Sanctus Thomas eodem articulo tertio ad tertium, dicens. *Illud quod est prius simpliciter, & secundum naturæ ordinem, est perfectius. Sic enim actus est prior potentia. Et hoc modo intellectus est prior voluntate, sicut motiuum mobili, & actiuum passiuo. Bonum enim intellectū mouet voluntatem.* Quasi arguat Sanctus Thomas. Intellectus est propinquior essentiæ, quam voluntas. Et præcedit vt actus, & vt mouens: ergo est voluntate nobilior. Quamuis ea, quæ solum præcedunt tempore, & via generationis, soleant esse imperfectiora.

15 Tertiam rationem indicat Sanctus Thomas prima parte quæstione 26. articulo secundo, dum ait. *Id quod est perfectissimum in qualibet intellectuali natura, est intellectualis operatio, secundum quam capit quodammodo omnia. Vnde cuiuslibet intellectualis naturæ creatæ beatitudo consistit in intelligendo.* Duæ rationes verbis istis proponuntur. Alia, quia arbor ex fructu cognoscitur, & vltimum in quo formalissimè exprimitur capacitas naturæ rationalis, vel intellectualis, est operatio intellectus, secundū quam capit quodammodo omnia. Vnde & anima vocatur intellectiua à nobiliori potentia sua: iuxta Philosophum primo de Anima textu 65. & Sanctum Thomam prima parte quæstione 79. articulo primo ad primum.

16 Alia ratio formatur ex eo quod vt docet Philosophus decimo AEthicorum capite septimo, & octauo, beatitudo est operatio præstantissima, & nobilissima

turæ intellectualis. Sed ipse Philosophus primo AEthicorum capite 13. beatitudinem constituit in actu intellectus, & Theologi beatitudinem supernaturalem cõstituunt in visione Dei: ergo simpliciter, & absolutè loquendo, intellectus excedit volũtatem. Alias quatuor rationes proponit Bañ. dub. 1. cõc. 1.

## §. III.
## *Argumenta soluuntur.*

17 AD primum respondet Sanctus Thomas illo art. 3. in corpore, quod secundam quid, & per cõparationem ad alterum, voluntas inuenitur interdum altior intellectu, ex eo scilicet, quod obiectum voluntatis in altiori re inuenitur, quam obiectum intellectus (nempe ex parte obiecti *quod*, licet ratio *sub qua* sit nobilior) sicut si dicerem auditum esse secundum quid nobiliorem visu, inquantum res aliqua, cuius est sonus, nobilior est aliqua re, cuius est color; quamuis color sit nobilior, & simplicior sono.

18 Vt autem statuat regulam generalem quando in voluntatis actibus inueniatur hæc præcedentia secundum quid, subiungit S. Thomas. Actio intellectus consistit in hoc quod ratio rei intellectæ est in intelligente; actus vero voluntatis perficitur ex eo quod voluntas inclinatur ad ipsam rem prout in se est. Et ideò Phyl. in 6. Met. tex. 8. dicit, quod bonum, & malũ, quæ sunt obiecta voluntatis, sunt in rebus: verum, & falsum, quæ sunt obiecta intellectus, sunt in mente. Quando igitur res, in qua est bonum, est nobilior ipsa anima, in qua est ratio intellecta: per comparationem ad talem rem voluntas est altior intellectu. Quando vero res, in qua est bonum, est infra animam, tunc etiam in comparatione ad talem rem, intellectus est altior voluntate. Vnde melior est amor Dei, quam cognitio. E cõtrario autem melior est cognitio rerum corporalium, quam amor. Simpliciter tamen intellectus est nobilior quã voluntas. Hæc S. Thomas qui ad 3. hanc doctrinam applicat argumento dicens, quod illa ratio procedit de voluntate secundum comparationem ad id quod supra animã est. Virtus enim charitatis est qua Deũ amamus.

19 Dubitant circa hanc doctrinã Sãcti Thomæ eius Discipuli, an hæc perfectio secundum quid reperiatur solum in via, an vero sit etiam in patria? Negant reperiri in patria Capreol. in primo distinctione prima quæstione prima ad argumenta contra sextam, & in 4. distinctione 49. quæstione secunda ad argumẽt. cõtra 2. Caietanus prima parte quæstione 82. art. 3. ad 3. & 1. 2. q. 3. art. 4. & frequenter Thomistæ eisdem locis, & late PP. Carm. hic disp. vlt. q. 4. §. 4. quia Deus in patria nõ trahitur media specie ad intellectum; sed vnitur secundum quod est, quia videbimus eum sicuti est: & ideo ibi non militat ratio S. Thomæ.

20 Oppositum opinatur Ferrara 3. Contrag. cap. 26. circa finẽ: quia S. Thomas illo ar. 3. & q. 22. de Verit. art. 11. absolute loquitur, & 1.

p.q.108.art.6.ad 3.idem supponit. Et quia Deus vt vnitus intellectui, non terminat eum tanta amplitudine, ac vt amatur à voluntate. ¶ Vtramque sententiam, vt probabilẽ tuentur Bañez 1.p.q.82.ar.3.dub. 2.& Serra ibidem, videndi.

21 Quicquid circa hoc teneant Theologi, nobis sufficit, quod cum Caietano illo art.3.& 1.p.q.26.ar. 2. communiter notant Authores, quod comparatio debet esse, cæteris paribus, vt conferatur perfectissimus actus intellectus cũ perfectissimo voluntatis: & sic visio beata excedit amorem Dei.

22 Ad secundum Bañez respondet quod illa congruentia sufficiẽter verificatur, per hoc quod dilectio fuerit perfectior secundũ quid: siquidem Seraphin excellũt in amore, & ardore. Præterquam quod S. Thomas solum contulit dilectionẽ cum scientia. At vero M. Serra respõdet quod illa distinctio erat Angelorũ in via, & in gratia imperfecta, iuxta S. Thom. 1.p.q.109.art. 1. de quo ibi.

23 Ad tertium Caietanus 1.2.q. 73.art 4. distinguit maiorem, & cõcedit de oppositis contrarie, si secundum eãdem rationem accipiantur; nẽgat vero de his quæ propter suam maximam excellentiã carent contrario, vt carent lumen gloriæ, & visio beatifica, de quo PP. Carmelit. n.34.

24 Secundo respondet Caietan⁹ 2.2.q.102.art.3.ad 1. Bañez & Aluarez, & PP. Carm. n.35. quod physicè loquendo, & in genere priuationis, peior est carentia visionis, quam carentia amoris, vel odium Dei: & ideò priuatio visionis est maximum malum; & ideò est pœna damni. At vero moraliter in ratione peccati, nõ solum odiũ Dei, sed & quodlibet veniale peccatũ, est peius, quam carentia diuinæ visionis. De quibus locis citatis latius agunt Theologi.

25 Ad primum argumẽtum physicum negatur minor. Et ad eius probationẽ patet ex prima ratione Sancti Thomæ. ¶ Ad secundum patet ex dictis illo probari, quod in esse moris bonitas sumitur à fine, & à voluntate; & ideò in via in hoc genere actus voluntatis excedunt: at vero in perfectione physica, de qua loquimur, simpliciter excedit intellectus, quo anima fit quodammodo omnia. Alia solutio elici potest ex D. Thoma 1.p.q.5.artic.1.ad 1. videatur.

26 Ad tertiũ respondetur, quod illo probatur voluntatem esse perfectiorem secũdum quid: & etiam libertas, quæ formaliter est in volũtate, radicaliter est in intellectu indifferenter proponente. Præterquã quod aliqui actus necessarij perfectiores sunt physicè actibus liberis: vt patet in visione, & amore beatifico collatis cum actibus liberis meritorijs.

QVAE

## QVAESTIO XXXII.

*Vtrum voluntas moueat intellectum, & alias potentias efficiẽter, aliquid imprimendo?*

### §. I.

*Certa præmittuntur, & opiniones referuntur.*

1 AD priorem partem quæsiti optimè respondet S. Thomas 1. p.q.82.ar.4.affirmatiuè his verbis. Alio modo dicitur aliquid mouere per modum agentis, sicut alterans mouet alteratum, & impellens mouet impulsum, (quæ est motio effectiua physica) & hoc modo voluntas mouet intellectum, & omnes animæ vires, vt Anselmus dicit in lib.de Simil.c.2. Cuius ratio est, quia in omnibus potẽtijs actiuis ordinatis, illa potentia, quæ respicit finem vniuersalem, mouet potẽtias, quæ respiciũt fines particulares. Et hoc apparet, tã in naturalibus, quã in politicis. Cœlum enim, quod agit ad vniuersalem conseruationẽ generabilium, & corruptibilium, mouet omnia inferiora corpora: quorum vnumquodque agit ad conseruationem propriæ speciei, vel etiã indiuidui. Rex etiam, quia intendit bonum commune totiꝰ regni, mouet per suũ imperium singulos prepositos ciuitatum; qui singulis ciuitatibus curã regiminis impẽdunt. Obiectum autem voluntatis est bonum, & finis in communi. Quælibet autem potẽtia comparatur ad aliquod bonum proprium sibi: sicut visus ad perceptionem coloris: intellectus ad cognitionem veri. Et ideò voluntas per modum agentis mouet omnes animæ potentias ad suos actus. Præter vires naturales vegetatiuæ partis, quæ nostro arbitrio non subduntur.

2 Certe ratio hæc est suo Authore digna. Idcò autem probat maiorem in politicis, & in naturalibus; non solum vt manifestiorẽ reddat: sed quia cum volũtas moueat physicè, & moueat moraliter, vtroque exemplo indigebat, vt propositio vtroque modo exposita, apprime intento quadraret. Notant autem ibi Caietanus, & Bañez, quod potentiæ animæ non sunt æqualiter subiectæ voluntati: nam interiores sunt magis subiectæ, quam exteriores: & inter ipsas interiores, illæ sunt magis subiectæ, quæ sũt præstantiores.

3 His præmissis, tota difficultas est de modo quo voluntas alias potentias efficienter mouet, an videlicet hoc fiat imprimendo aliquid? An vero sola subordinatione extrinseca? Vel aliquo alio modo.

Quamuis autem circa hoc punctum octo sententias cum suis Authoribus referat diligenter Magister Baptista prima secundæ tomo secundo disputatatione 114. dubio secundo, tamen ad tres possunt reduci omnes, quæ directè respondent quæsito.

4 Prima negat voluntatem aliquid physicum influere in alias potẽtias, aut in earum actus; dicitur

tamẽ eas efficiẽter mouere ex quadam naturali connexione potentiarũ, & quasi sympathia, quę est vox Græca, ac si Latinè dicatur, conuenientia: ratione cuius vna potentia operante, & appetente, alia potentia ei subordinata operatur, & exequitur motum. Ita Scotus in 2. dist. 42. q. vnica concl. 3. & Greg. in 2. distin. 11. q. vnica. Valéria 1.2.q.4. punct. 1. ad vlt. q. Vazq. ibi disput. 34. cap 3. Salas trac. 5. disp. 1. sec. 1. Montesinos disp. 13. q 5. n. 92. § *dicendum ergo*. Nauar. to. 2. in 1. p. controu. 10. §. 4. ad 2. Lorca 2.2. sec. 3. disp. 12. n. 5. Et tenent illi, qui dicũt instrumenta eleuari sola subordinatione extrinseca, quos retulimus, & impugnauimus 2. p. Metaph. cõtrou. 10. n. 43. & n. 53. & deinceps.

5 Secunda sententia, ex vna parte negat sufficere solâ sympathiâ, vt potentiæ verè moueantur physicè à voluntate; & ex alia negat aliquid physicè causari, vel deriuari ex volutate in alias potẽtias. Quomodo autem hæc duo cohærere possint, non vna via exponunt. PP. Conimbricenses disp. 4. AEthicorũ q. 2. art. 1. & 3. de Anima cap. 13. q. 5. art. 3. existimant sufficere concursum simultaneum voluntatis cum alijs potentijs, ita vt ex eis fiat quasi vna integra causa. ¶ At verò M. Gregor. Martinez 1.2.q.9.ar.1. dubio 3. §. *quartus modus dicendi*, docet hanc motionem ex parte voluntatis esse ipsius operationem; ex parte autem potentiæ motæ est operatio illius, prout hic, & nunc determinata ab actu voluntatis. ¶ Rursum Medina 1.2.q.9.art.1. dub.1. §. *profecto*. Et Bañez 1.p. q.82. art. 4. dub. 1. concl. 2. solum dicunt ad hoc sufficere, quod omnes potentiæ sint colligatæ, & vnitæ in ipso principali agente, quamuis ipsæ potentiæ distinguantur inter se realiter: quia ipse homo est per voluntatem, qui applicat se, & suas potentias ad operandum. ¶ Denique M. Baptista 1.2.disp.114. dub.2. conc. 3. hoc magis explicans, ait, quod ipse actus voluntatis est impulsus, non quidem receptus in alijs potentijs, sed in essentia animæ media potentia volitiua; atque adeo per talem impulsum, anima radicaliter, & voluntas proximè, mouent reliquas potentias ad suas operationes. Videturque insinuare Lorca docens vbi supra, quod sola extrinseca coniunctio actuum facit, vt imperatus censeatur referri in finem imperãtis. ¶ Ripalda lib. 3. de Ente super. disp. 67. sec. 3. & 4. ait, consistere in existentia actus imperati, & inefficacia imperantis constituta ex euentu conditionato.

6 Tertia priacipalis opinio docet voluntatem mouere efficienter reliquas potentias, quia in eis causat aliquid reale physicum per modũ qualitatis transeuntis, vel per modum motionis. Ita docent Caietanus 2.2.q.23.art.8. & Ledesma de Auxilijs art. 3. pag. 82. Zumel 1.2. q. vlt. art. 4. disp. 2. in ap. conc. 3. Raphael Torre to. 1. de Relig. q. 81. artic. 7. disp. 3. Martinez illo dub. 3. quos refert, & sequitur M. Ioan. q. 12. de Anima art. 6. & Baptista illo dub. 2. concl. 2. Videturque ad mentem eorum, qui hoc modo dicu-

eleuari instrumenta: de quibus latè 2.p. Metaph. controu. 10. Nec dissentiunt, qui ex motione causæ primæ dicunt in causa secunda prouenire, vel motionem virtuosam, vel fluidam qualitatem: quam satis propugnauimus 2.p. Metaph. controuer. 12. art. 6. & in simili de eleuatione actuali potentiæ obedientialis per fluidam qualitatem videndus AEgidius à Præsentatione lib. 10. de Beat. q. 2. art. 15. à num. 44. vsque ad 100. Pro huius ergo explicatione.

## §. II.

### *Eligitur tertia sententia.*

7 Dico primo, sola extrinseca subordinatio, aut sympathia, aut quodvis aliud extrinsecũ, quod nil physicum imprimat, vel causer, non sufficit vt volũtas verè, & physice effectiuè moueat reliquas potẽtias. Sumitur ex D. Thoma 1. p. q. 82. ar. 4. vbi docet voluntatem mouere potentias reliquas: *sicut alterãs mouet alteratum, & impellens mouet impulsum.* Sed alterans non mouet alteratum, nisi aliquam qualitatem ei imprimendo, vt patet ex 3. Phys. & ex 1. de Gener. Nec impellens mouet impulsu, nisi imprimendo fluidam qualitatem, vt ex communi sẽtentia diximus 7. Physic. q. 1. Ergo pariter voluntas efficienter mouet aliquid physicum imprimendo. Idẽ docet S. Th. 1. 2. q. 56. ar. 2. vbi ait, quod vna virtus pertinere potest ad plures potentias, ita quod in vna sit principaliter, & se extendat ad alias *per modum diffusionis, vel modum dispositionis, secundum quod vna potentia mouetur ab alia, & secundum quod vna potentia accipit ab alia.* Et in simili idem docet S. Thom. quæst. 22. de Verit. art. 13.

8 Fundamentum huius conclusionis est illud principium generale locis citatis ponderatum, quod sola assistentia extrinseca non dat virtutẽ causatiuam intrinsecam, nec tollit potentialitatem, intrinsecam que indeterminationem causæ inferioris, ita vt verificetur actu esse motam, & applicatam à causa superiori. Quod principium bene vrget ad intentum M. Ioannes à S. Thoma concl. 2. quia diuerso modo exeunt operationes ab inferiori potẽtia, quando subordinantur volũtati applicanti, quam si non subordinarentur: siquidem realiter respiciunt finem voluntatis, & realiter ipsa efficit: alioquin efficientia voluntatis in inferiores potentias, & dependentia, & subordinatio istarum, erit titulus sine re. Ergo quando potentiæ applicantur ad actum, oportet intrinsecè, & realiter perfici, vel determinari potentiam inferiorem, vt tali modo exeat actus. Probatur consequẽtia. Primo, quia illa connexio, & sympathia est naturalis eodem modo semper se habens ad omnes potentias, & ad actus earum: ergo restat de illa difficultas a quo determinatur? Secundo, ista sympathia operatur per modum naturalis sequelæ, & connexionis: sed naturalis sequela nõ habet locum in his, quæ fiunt ex libero imperio voluntatis: quia non

exit operatio libera per resultantiã naturalem.

Denique, hæc sympathia non potest intelligi sufficiens pro potẽtijs, quæ non despotice seruiunt voluntati, sed cum aliqua resistentia: ex sola enim colligatione, & coniunctione ad ipsam, non flectuntur eiº imperio, sed resistere possunt. Ergo indigent motione aliqua, & impressione vincente earum resistentiam.

9 Præterea, inter alia, hæc argumenta obijcit Baptista num. 510. quia non est cur ratione huius sympathiæ voluntas magis dicatur mouere potentias alias, quam aliæ potentiæ voluntatem, vel aliæ potentiæ se ad inuicem moueant? Cum sympathia æqualiter se habeat ex parte vtriusque extremi. Itẽ, quid causæ est, quod appetitus, & aliquę ex potentijs inferioribus aliquando voluntati repugnent? Denique, quia non explicat hęc sentẽtia quo mediante potentia habens sympathiã, physicè mouet aliã: siquidẽ idẽ diceretur, si sola esset motio moralis. Et non datur motio, & effectio physica, absque aliquo influxu physico. Et nulla instantia adducetur in contrarium.

10 Dico secundo, ipsa operatio voluntaris, si nõ causet aliquid reale virtualiter transiẽs ad inferiores potentias, non sufficit vt dicatur physicè eas mouere. Hanc meo videri probant rationes primæ conclusionis, & authoritates expressè illi fauent: quia impulsus non est ipsa operatio impellentis. Similiter operatio immanens primæ causæ non est influxus Dei ad extra: quãuis sit magis intimus creaturis, quã anima corpori. Neque operatio immanens causæ principalis est eleuatio instrumenti; sed est motio, vel qualitas illi impressa. Ergo pariter à voluntatis operatione derinatur motio, vel qualitas, qua potentiæ inferiores mouentur, & applicantur ad operandum. Consequentia tenet à paritate. Et quia in omnibº istis verificatur, quod ait S. Th. 3. p. q. 19. ar. 1. *quod actiones, & motus inferioris principij sunt magis operata quædam, quam operationes*, respectu superioris mouentis.

11 In particulari impugnãtur singuli dicendi modi, quibus defenditur secunda sententia. Quod non sufficiat concursus simultaneus, bene probat M. Ioann. à S. Thoma §. *quod verò*, primo ratione generali, quia simultaneus concursus nõ est in causam, sed in effectum: vnde potest conuenire etiam causis nõ subordinatis: cum ergo aliæ potentiæ subordinentur voluntati, ad hoc exigitur, non solum quod volũtas cooperetur, cum operantur inferiores potentiæ, sed quod influat in ipsas potentias, & eas moueat, & applicet vt causent. ¶ Secundo, ratione speciali, quia voluntas nõ potest partialiter influere in actum intellectus, cũ eius influxus, & actus solum sit volitio: nec actus appetitus sensitiui possunt esse partialiter à voluntate, & partialiter à potẽtia corporea.

12 Secundus dicendi modus verum dicit, quantum ad hoc, quo motio quoad exercitium, sit app

catio: quia inquit S. Tho. 1.2.q.16. art.1. referens se ad q.9.art.1. *quod voluntas est quæ mouet potentias animæ ad suos actus: & hoc est applicare eas ad operationem.* Quod verissimum est. Sed restat explicandum, id de quo est tota difficultas præsens, in quo cõsistat hæc applicatio? Quia intellectus non applicatur per motum localem. Et in visu, & potentijs organicis, licet applicatio fiat motu locali, tamen restat videndum, & exponendum, quo determinetur, & applicetur ipsa potẽtia inferior, vt dicatur quod voluntas effectiuè causat, quod potentia inferior taliter operetur.

13 Contra tertium dicendi modum militant omnes rationes primæ conclusionis. Et quia licet ex illo capite explicetur radix subordinationis; non tamen explicatur id quo in actu secundo exercetur subordinatio: & de isto est tota quæstio.

14 Contra vltimum etiam videntur obstare rationes primæ assertionis; quia qui recurrũt ad sympathiam, non negant interuenire actum voluntatis mouentis, & potẽtiæ motæ: sed in re hoc solum ponit hæc opinio: ergo tenetur satisfacere eisdem difficultatibus. ¶ Specialiter contra hunc obstat, quod vnum accidens numero non est in duobus subiectis realiter distinctis: sed volũtas differt realiter ab intellectu: ergo intellect⁹ nõ applicatur ipso actu voluntatis. Quod autẽ actus dicatur animam determinare, nec verum est, nec ad intentum sufficit. Non est verum; quia anima nõ est operatiua, nisi medijs potentijs: vnde nec est operationum receptiua, nisi eis mediantibus. Non sufficit ad intentum; alioquin habit⁹ residentes in voluntate sufficerẽt ad operationes intellectus, & è cõtra: quod est absurdum. Denique hic dicendi modus nõ verificat authoritates adductas Sancti Thomæ.

¶ Modum dicendi Ripaldæ, alij eiusdem instituti impugnant; & ideò non vacat in illo reijciendo immorari.

15 Sed obijcit M. Baptista, primo authoritatem S. Thomæ 1.2.q.17. art.5. ad 3. vbi ait, *quod intellectus intelligit, non solũ sibi, sed omnibus potẽtijs: & ideò homo imperat sibi ipsi actum voluntatis, inquantum est intelligens, & volens.* Vbi Sanctus Thomas docet, quod volũtas per imperium determinat se ipsam, & hominem, vt per vsum actiuum moueat potentias inferiores, determinando scilicet animam ad talem motionem.

Respondetur cõcedendo authoritatem, vt sonat, & negando consequentiam, quia ibi explicat S. Th. causam imperantem in ordine ad bonum totius; ibi verò, nec affirmat, nec negat, quod imprimat aliquid: quia ibi de hoc non disputabat: agit enim de imperio: & de impulso passiuo iam fecerat mẽtionẽ prima parte quæst. 82.

16 Secundo arguit ratione: quãdo voluntas operatur, si mouetur anima: nam se habent vt *quo*, & *quod*: ergo cũ volũtas producit impulsum, seu actum, non solum tali actu determinatur voluntas, sed anima operans determinatur.

Respondetur

Respondetur distinguo consequens, & concedo de impulsu causaliter: quia causatio impulsus, dicitur impulsus; nego verò de impulsu formaliter, & passiuè. Et sic falsũ supponitur, quod operatio sit impulsus; cum potius iste sit effectus operationis.

17 Dico tertio, volũtas reliquas potentias applicat causando qualitatem per modum trãseuntis. Hæc à sufficienti enumeratione sequitur ex dictis. Et patet à simili Phylosophi: nã sicut sphæra mouet sphæram sic voluntas mouet alias potentias. Cælũ autem mouet cælum imprimendo qualitatem, vt docet S. Thomas q.22.de Verit.art.13. sicut mouens rotam ei imprimit impulsum, iuxta dicta 7.Phys.q.1. Simile quid accidit in motione aliarum causarum, & instrumẽtorum. Et quando charitas mouet alias virtutes: de quo S. Thomas in 3.dist. 23.q.4. art.1. & dist.27.q.2.art.4. q.3.ad 5.& quæst.14 de Verit. art. 5.ad.4.

18 Sed obijcies primo: nã in qualibet potentia hominis independenter à voluntate est omne, quod requiritur ad propriam operationem absque volũtatis influxu in aliquo genere: quia sunt potentiæ proximæ adæquatę suarum operationũ: ergo frustra ad illarum actus exigitur influxus voluntatis.

Respondetur, quod quælibet potentia habet in suo genere requisita ad suam operationem, cuius est causa principalis, & proxima; non tamen habet requisita in omni genere: quod enim est effectus in vno genere, est causa in alio genere. Vnde S. Thomas illa q.82.a 4. ait, quod *in genere finis intellectus mouet voluntatem: quia bonum intellectum est obiectum volũtatis, & mouet ipsam vt finis.* At verò in genere efficientis volũtas mouet intellectum. *Et sic patet*, inquit S. Thomas 1.2.q.9. art.1.ad 3. *quod non est idem mouens, & motum secundum idem.*

19 Secundo respondetur, quod vt insinuat S. Thomas 1.p.q.82.ar. 4.ad.1. Volũtas in proprio genere habet requisita ad proprium actũ, & habet quod sit appetitiua boni communis: aliæ potentiæ habẽt requisita ad proprium actum absolute; non tamen vt ordinatur ad bonum commune: & illo titulo indigẽt in exercitio applicatione volũtatis: nam vt ait S. Thom. ibi q.80. art.1.ad.3. est appetit⁹ animalis cõsequens apprehensionem, quo appetitur aliquid non ea ratione, qua est conueniens ad actum huius, vel illius potentiæ. vt pote visio ad videndum, & auditio ad audiẽdum; sed quia est conueniens simpliciter animali.

20 Secundo obijcies, quia volũtas operatur vitaliter immanenter: sed ex actione immanente nihil prouenit extra operationis principiũ: ergo ex motione voluntatis nulla qualitas causatur in alijs potentijs.

Respõdetur iam nos lib. 2. q. 16. §.5. retulisse duas opiniones: alterã Caietani docentis voluntatem habere duos actus, alium immanẽtẽ, & alium transeuntem. Aliam Ferrariensis asserentis omnes esse immanentes formaliter; sed aliquos e

transeuntes virtualiter. Et hanc opinionem nos magis probasse : & iuxta vtrumque cessat argumentū.

21 Denique obijcies: quia omnis actus voluntatis est velle, & nolle: sed illud physicū quod ponitur in alijs potentijs non est velle; & nolle: ergo non prouenit à voluntate. Minor probatur, quia velle, & nolle non reperitur extra voluntatē.

Respondetur, quod vt ait S. Thomas 1.p.q.25.a.1.ad 3. *potentia in rebus creatis, non solum est principium actionis, sed effectus.* Licet ergo omnis actio elicita à voluntate sit velle, & nolle; tamen effectus istarum sunt motiones, vel qualitates, quæ non sūt ipsę operationes in ipsa manentes, sed effectus ipsarum, quibus applicantur potentiæ ad operandum, & ratione quarum operationes ipsarum sunt effectus voluntatis.

22 Sed instant Recentiores: nam qualitas, vel modus iste est superadditus actui imperato: ergo supponit substantiam actus imperati tām quam subiectum iam productum à suis causis. Cum ergo dependentia actus imperati à suis causis sit prior illa qualitate, & modo, non potest esse illo posterior, & ab illis dependere.

Facilè respondetur negādo antecedēs, quia à Thomistis modus, vel qualitas ista non ponitur subiectari in ipso actu imperato; sed in ipsa potētia quam imperium determinat, & applicat ad eliciendum. Vnde facillimè ruit tota machina argumenti; de quo vt insolubili inani plau- gloriantur Recentiores: cum fateantur argumēta Ripaldæ li- bro 3. de Ente supern. disputatione 67. sectio. 1. inefficacia esse contra Thomistas. Et certe mirū est, quod doctrina de auxilijs sit necessaria ad punctum pure physicū exponendum, vt arbitratur Ripalda.

## QVAESTIO XXXIII.

### *Vtrum possit dari principiū cognoscitiuum non volitiuum?*

1 EX ratione S. Thomæ relata q. 30. n. 2. cōstat cōnaturaliter loquendo à priori probari voluntatem ex intellectu. Vnde S. Thomas 1.p.q.19.arti.1. demonstrat esse in Deo voluntatem, quia est in eo intellectus. Idem probat de Angelis ibi quæst.59 art.1. & de homine quæst 80. artic.1. Hinc sumpserunt Moderni occasionem huius quæstionis.

2 In qua Arriaga disp.2.sect.4. ita ait. Potest esse viuens intellectiuū, non vero volitiuū. Probatur, quia nulla est ratio probās, ex cognitione necessario essētialiter inferri potentiam volitiuam. Cōfirmatur: potentię exteriores, visus, v.g. audit⁹, &c. sunt cognoscitiuæ; & tamen illis non correspondet potentia appetitiua: hæc enim solum correspōdet sēsui interno: ergo no est necessarium vt omne cognoscitiuum sit appetitiuum.

3 Quod explicatur: quia potest dari natura cognoscens, & appetēs solo innato appetitu: ergo potest dari natura cognoscitiua non volitiua. ¶ Rursum, potest Deus decernere non concurrere cum voluntate ad

te ad vllum actū: & potest reuelare homini id quod vere, & realiter determinabit: nil enim impedit, quod loquatur, & manifestet suum decretum; in quo casu daretur cognitio, cui repugnaret volitio: ergo potest etiam esse intellect⁹, cui repugnet voluntas.

4 Futilia tamen, & leuissima argumenta, vt propter illa deseratur ita intrepide commune assertū Theologorum omnium, nō solum Thomistarum, sed etiam Patrū grauiorum Societatis, vt patet in Molina, Vazquez, Suarez, Ruiz, Fasolio, & alijs 1.p.q.19.art.1.

5 Præterea S. Athanasius, vt per se notum supponit, quod eo ipso quod aliquid sit cognoscitiuum, sit volitiuum: nam in libro quæstionū variarum, pagina michi 336. ait. *Nā quicquid intelligit, constat etiam, quod voluntatè ducatur.* Patres etiam, ex eo quod creatura est rationalis, inferunt quod est libera, & potens peccare: quæ illatio nulla esset, si ex rationali, & intellectiuo non inferretur volitiuum. Vnde S. Damasc⁹ lib.2.fidei orthodoxę c.27. in principio, & libro 3.cap.14. ait, *quod cū rationali confestim committatur liberū arbitrium*: quod exponit S. Tho.1.p. q.83.art.3.ad 1. Ideo verificari; *quia potentiæ appetitiuæ concomitantur apprehensiuas.* Constat enim ex eodem S. Damasceno illo c. 14. quod *liberū arbitrium nihil aliud est, quam voluntas*, vt explicat S. Thomas, & probat ibi art.4.

6 Vt tamen communis sententia clare percipiatur, & distinct⁹ explicetur, supponimus, quod sicut S. Dion. c.11. Angelicæ hier. adductus à D. Thoma 1.p.q.54.art.3. docet, quod *Angeli diuiduntur in substantiam, virtutem, & operationem*: quod pariter docet S. Thomas 1.p.q.77. de homine, tam secundum intelectum, quam secundum volūtatem. Ita distinguere debemus, *volitiuum radicale*, quod nō differt realiter ab ipsa natura rationali; sicut nec radicaliter intellectiuum differt ab ipsa natura rationali, vt docet S. Thomas 1.2.q.110.art.4.ad 4. & explicuimus hoc. lib.3.q.15.§.1. & *volitiuum proximum*, quæ est potentia realiter distincta ab anima, & ab intellectu; & ab vtroque separabilis, iuxta dicta lib.2.q.13.§.6. Quia nō est maior ratio quod Deus possit separare intellectum ab anima, quā possit separare intellectum à voluntate, & voluntatem ab intellectu, & ab anima. Tertio consideramus ipsam *actualem volitionem*, quæ est volū tatis operatio elicita realiter distincta ab ipsa voluntate, & ab intellectu, & ab eis operatione, & ab anima.

7 Dico ergo primo, in terminis implicat intellectiuum, & non volitiuū radicaliter. Est cōmunis Theologorum cum D. Thoma 1.p.q.19. 59. & 80.art.1. Et probatur primo ex dictis q.15. Quia ideò implicat substātia immaterialis, seu spiritualis, non intellectiua, quia ipsa spiritualitas dat capacitatem vt quodā modo fiat omnia; & eo ipso quod habet hanc capacitatem, est radicaliter intellectiua. Sed eo ipso quod natura est intellectualis est capax & sibi debetur appetitus intellect⁹

uus qui est voluntas: siquidem potentiæ debẽtur naturis illæ quæ sũt ipsis proportionatæ: & naturæ intellectiuæ non est proportionatus appetitus mere naturalis, sed appetitus intellectiuus: sicut ait S. Thomas 1.p.q.64.art.2.& q.80.ar.2.& q.83.art.4. potentias appetitiuas oportere esse proportionatas potentijs apprehẽsiuis: ergo in radice implicat inueniri intellectiuũ sine volitiuo.

8 Aliam rationem indicat S. Thomas 1.p.q.83.art.1.concludens. *Et pro tanto necesse est, quod homo sit liberi arbitrij, ex hoc ipso quod rationalis.* Et formatur sic. Implicat in terminis creatura intellectiua, quæ non sit radicaliter libera, quia radix libertatis est indifferentia in proponẽdo: sed eo ipso quod esset radicaliter libera, esset radicaliter volitiua, quia formalis libertas solum est in voluntate: ergo implicat intellectiuum, & non volitiuum radicaliter.

9 Tertio probatur ratione Sancti Thomæ tribus locis relatis in cõc. quia repugnantiam inuoluit forma naturalis, cui non debeatur inclinatio naturalis: & repugnat forma sẽsibilis cui non debeatur appetitus; siquidem eo ipso quod detur sensitiua cognitio, debet dari inclinatio ad prosequendum conueniẽtia, & fugienda nociua: ergo similiter repugnat natura intellectualis, cui nõ debeatur voluntas.

10 Nec vim rationis penetrauit Arriaga dicens hanc rationem petere principium: quia ab ipso peto, vt de facto intelligat nomine voluntatis; vel volitiui radicaliter? Et cur non sufficiat inclinatio naturalis, sed vltra eã detur inclinatio altior, & spiritualior, quæ est voluntas, quæ nata est sequi formã prout cognitam? Absque dubio si respondet, vt debet, dicet hoc ideò esse, quia inclinatio mere naturalis determinata ad vnum, nõ est proportionata naturæ spirituali. Sed radicaliter loquendo ista sunt prædicata essentialia intellectiui, & volitiui radicaliter. Ergo in terminis implicat intellectiuum, & non volitiuum radicaliter.

11 Per quæ solutum est argumẽtum contrarium. Cõfirmationi autem iam satisfecimus q.30.nu.11. quia appetitus sensitiuus fertur ad obiecta sensuum internorũ, & externorum: & ideò falsum est quod eis non correspondeat appetitus proportionatus.

12 Ad aliud dicitur, quod naturæ intellectuali habenti innatũ appetitum, debetur appetitus intellectiuus, qui est voluntas: alioquin hæc potentia modo ad nil est necessaria: cum etiam intellectualia habeant appetitus innatos: quibus oportet superaddere voluntatem. Et ideo ista radicaliter sũpta est essentialiter annexa intellectiuo radicali.

13 Dico secundo, de potentia absoluta potest dari natura intellectualis, & volitiua sine voluntate, quæ sit potentia: & de facto datur intellectio sine volitione immediatè sequuta, & proximè. Prior pars sequitur ex dictis lib.2.q.13. quia vbi est realis distinctio inter aliqua essentialiter non connexa, diuinitus potest


potest esse realis separatio. Nullo autem firmo argumento valet probari essentialis cõnexio inter istas duas potentias: ergo diuinitus potest dari vna sine alia.

14 Secundo: non minorem connexionem habet effectus secundarius cũ primario, quam habeat voluntas cum intellectu: sed stãte effectu primario, potest Deus impedire secundarium: vt patet in corpore Christi in Eucharistia extenso in se, & non in ordine ad locum: ergo resultante ab anima intellectu, potest Deus impedire ne dimanet voluntas. Videantur quæ diximus 4. Phys. q. 6. cum diuinitus duo corpora penetrantur, & impeditur effectus secundarius quantitatis.

15 Secundam prtem damus vltimo argumento. Et quod de facto ita eueniat, docent Physosophus 3. de Anima textu 154. & S. Thomas ibi lec. 4. verbis adductis hoc libro 3. q. 3. n. 9. Sed melius idem docet, & exponit Angelicus Doctor 1. 2. q. 9. ar. 1. ad 2. his verbis. *Dicendum, quod sicut imaginatio formæ sine æstimatione conuenientis, vel nociui, non mouet appetitum sensitiuum: ita nec apprehensio veri sine ratione boni, & appetibilis. Vnde intellectus speculatiuus non mouet, sed intellectus practicus, vt dicitur in tertio de Anima.*

His verbis S. Thomę librum istũ, & cursum artiũ consumamus. Nũc ad discipulos S. Thomæ sermo est verbis S. Ambrosij lib. 3. officiorũ in fine. *Hæc apud vos depositi filij, quæ custodiatis in animis vestris: quæ virum aliquid profectus habeant, vos probabitis. Plurima* (S. Thomæ, & Thomistarum, & aliorum Doctorum) *dicta his tribus inclusa libris tenentur, vt & si sermo nihil deferat gratiæ; series tamen vetustatis quodam cõpendio expressa, plurimum instructionis conferat.* Ad gloriã Santissimæ Trinitatis, & Dei genitricis, semperq; Virginis Mariæ, in cuius Natiuitatis octauis operi finem imponimus.

FINIS



64

10.327